Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

STANFORD·VNIVERSITY·LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. C. NABER, M. C. VALETON, I. VAN WAGENINGEN.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1923.

Digitized by Google

337620

STANFORD LIBRARY

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Liber Hippocraticus ΠΕΡΙ ΚΑΡΔΙΗΣ, scripsit F. C. UNGER. .	1—101
De Euripidis Supplicibus. Conradi Kuiperi disputationem ad perpetuam viri praestantissimi servandam memoriam latine vertit et hic inserendam curavit, I. I. HARTMAN	102—128
Statii Goethiique concentus, P. H. D.	128
Plautina, scripsit C. BRAKMAN J. f.	129—134
Ad Thucydidem L. VI c. 11, scripsit I. I. H.	134
Spicilegium in Silvis Statianis, scripsit P. H. DAMSTÉ. . .	135—178
De Iustiniani Institutionum L I, 2, 10, scripsit I. I. H. . .	178
Τεθνακοχαλκίδας, scripsit G. V.	179
Ad Titinium, scripsit I. I. H.	179
Sophoclei chori persona tragica, (continuantur ex vol. L, pag. 442), scripsit IGN. ERRANDONEA, S. I.	180—201
Emendatur Verg. Aen. VII 624, scripsit P. H. DAMSTÉ . .	202—204
De Aetna Carmine, scripsit C. BRAKMAN J. f.	205—217
De rescripto Impp. Severi et Caracallae Solvae reperto, scripsit JAN KAMPSTRA	218—222
Minucius Felix et Tertullianus, scripsit J. VAN WAGENINGEN	223—228
De Hecataei Arderitae fragmentis, scripsit M. ENGERS . .	229—241
Tertulliani adversus Marcionem in librum quartum animadversiones, scripsit PETRUS CORSSEN	242—261
Λαοδίκειος πόλεμος, scripsit A. G. ROOS	262—278
De Aetate Acusilai Argivi, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF .	279—280
Ad Catalepton quae Maronis Dicuntur, scripsit Ioh. P. POSTGATE	281—285
Ad Platonis Gorgiam p. 474 A., scripsit I. I. H.	285
De C. Julio Prisco, scripsit A. G. ROOS	286—296
Notulae epigraphica, G. V.	296
Sophoclei chori persona tragica, (continuantur e pag. 201) scripsit IGN. ERRANDONEA S. I.	297—326
„Brittenburg", scripsit A. G. ROOS	327—338
Ad Euripidis Medeae vs. 11, I. I. H.	338
Ad Horatii Epist. I, XIX, 28, scripsit I. S. PHILLIMORE. . .	339—341
De Grotii Sophompanea, scripsit C. VAN VOLLENHOVEN . .	342—364

Digitized by Google

Pag.
Ad Theophrastum XV 6, scripsit P. GROENEBOOM . . . . 365—366
Ad Platonis Gorgiam p. 485 A., I. I. H. 366
Ad Sophoclis Oedipum regem, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF . . . . . 367—375
Ad Ibidem, scripsit I. I. H. 375
Observationes Criticae in Ciceronis Academica, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 376—380
Observationes variae in Somnium Scipionis, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 381—389
Tertulliani adversus Marcionem in librum quartum animadversiones, (Continuantur ex pag. 261), scripsit PETRUS CORSSEN . . . . . 390—411
De Dinone Colophonio Nepotis in vita Datamis Auctore, scripsit I. H. THIEL. . . . . 412—414
Animadversiones (in papyros nonnullas graecas), scripsit A G. ROOS. . . . . 415—420
Conservationes Quattuor in Papyrum „Rylanus" LXXVII, scripsit B. A. VAN GRONINGEN. . . . . 421—434
De C. Julio Prisco (Addendum), scripsit A. G. ROOS . . . 435
Ad Plutarch Moralia, scripsit A. J. KRONENBERG A. I. fil. . 436—448

Digitized by Google

LIBER HIPPOCRATICUS

ΠΕΡΙ ΚΑΡΔΙΗΣ.

SCRIPSIT

F. C. UNGER.

De codicibus manuscriptis.

Codices manuscripti, in quibus invenitur liber Περὶ καρδίης enumerantur in catalogo codicum mss. medicorum Graecorum, qui duce Hermanno Dielesio in lucem prodiit a° 1906 [1]), pag. 33. Sunt codices graeci Vaticanus 276 (V), Palatino-Vaticanus 192 (P), Parisinus 2146 (C Littraei), Monacensis 71 (U Littraei), Parisinus 2255 [2]) (E Littraei), Holkhamensis 282.

De codice Vaticano 276 (V).

Codicem descripsit Darembergius apud Littraeum [3]) VII p. 467 et X p. LIX, deinde Ilbergius in Musei Rhenani tom. XLII p. 444 sqq. [4]) et Proleg. [5]) p. XV sqq.. Collatione prae-

1) „Die Handschriften der antiken Aerzte, Griechische Abteilung. Im Auftrage der akademischen Kommission herausgegeben von H. Diels. Aus den Abhandl. der Königl. Preuss. Akad. der Wissenschaften der Jahre 1905 u. 1906". Berolini a° 1906. 2) Hic codex notatur numero 2254 in „Historia literaria Hippocratis" conscripta ab J. C. Ackermann, quam refert C. G. Kühn „Medicorum Graecorum opera quae exstant" vol. XXI. Quam ob rem puto in Dielesii catalogo etiam hunc numerum inveniri, uncis tamen inclusum et addito interrogationis signo. Ackermanni error haud dubie hinc oritur quod Codd. Parisini 2254 et 2255 duo tomi sunt unius libri. Re vera tamen in codice 2255 lib. Π. καρδίης invenitur.

3) E. Littré, „Oeuvres complètes d'Hippocrate" tomi X, Parisiis ais 1839—61.

4) In commentatione c. t. „Zur Ueberlieferung des Hippocratischen Corpus".

5) Hippocratis opera, vol. I et II, recensuit H. Kuehlewein. Prolegomena conscripserunt I. Ilberg et H. Kuehlewein. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri ais 1894 et 1902.

Digitized by Google

terea Vaticani Littraeus usus est, quam confecerat Darembergius, in tractando libro Π. *φύσιος παιδίου* [1]). Vetustissimus est eorum codicum libros continentium Collectionis Hippocraticae qui exhibent librum Π. *καρδίης*. Est codex membranaceus saeculi XII exeuntis.

Folia 191^{v} et 192^{r} librum Π. *καρδίης*, primo versu excepto, continentia vir illustrissimus reverendissimus G. Mercati, Praefectus Bibliothecae Vaticanae, arte phototypa reddenda [2]) benigne mihi curavit. Verba, quibus liber uno illo versu incipit, in ima parte folii 191^{r} exarata, comiter propria manu mihi descripsit.

Ilbergius manus correctrices memorat, quarum vestigia in codice exstant et alibi et in libro Π. *καρδίης*, ubi duas deprendit [3]). Tabulas phototypas inquirens alteram inveni in folio 191^{v} vs. 16 in vocabulo *ἐῇ*, scripto in rasura manu prorsus diversa a manu librarii qui confecit codicem, multum differente etiam a manu correctrice altera quae in eodem folio super litteram *ι* vocabuli *τινι* scripsit litteram *α*. Huic eidem manui debentur praeterea duo scholia in margine folii 191^{v} adscripta ad vocabula *διήτεϊ* et *Φορύξας* [4]) et unum scholium quod dicitur interlineare in folio 192^{r} — litterae sc. *απηγη* — scriptum super vocabulum *ἀξιαγαπητότατον*.

Sed tertia etiam manus, quae codici iam descripto operam dedit, se mihi obtulit. Manus duabus prioribus haudquaquam similis in folio 191^{v} in margine glossam *βόθυνος* adscripsit ad vocabulum *χῶσνος*.

Deinde in fol. 192^{r} vs. 18 in vocabulo *Φωτοειδεῖ* syllaba ultima parum clare [5]) ex *-η* mutata esse videtur a manu, quae, in tabula phototypa saltem, diligenter definiri non potest.

Praeterea nonnumquam accentus sunt correcti, etiam a duabus manibus, ut mihi videtur. Duas has manus in fol. 191^{v} vs. 8 voca-

---

1) Littre VII, p. 467. 2) A photographis Sansaini Romanis. 3) Mus. Rhen. XLII p. 447 in calce. 4) Γ *διῆσαι. διαστεῖσαι ἐν β' περὶ γυναικείων. δηλοῖ καὶ τὸ διηθῆσαι καὶ τὸ διελεῖν*:

Γ *φορύξαντες· φυράσαντες*:

Sunt haec scholia desumpta e Galeni libro c. t. *Τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις*, cf. Galeni editionis, quam curavit Kühnius, vol. XIX pp. 93 et 153.

5) Quam ob causam puto Parisinum C Vaticani exemplar *φωτοειδῇ* habere.

Digitized by Google

bulum δεδιψηκότι ostendit bis, quod ad accentus attinet, correctum [1]). Quarum manuum altera bis ante vocabulum ἐστιν fol. 191ᵛ v. 24 et fol. 192ʳ v. 8 accentum gravem, positum in ultima syllaba vocabuli praecedentis, in acutum mutavit, vel acutum fortasse in gravem. Observanti mihi rationem, qua in scribendo accentu utitur librarius qui codicem descripsit, illud factum esse verisimile videtur. Fieri potest ut atramenti colores in ipso codice planam faciant rem, quae aliquatenus incerta manet in tabula phototypa.

In vocabulo κοίλοισιν in folio 192ʳ vs. 9 littera ο post litteram λ posita ita scripta est ut videatur librarius incohavisse a κοιλί velut κοιλίῃσιν vel tale quid scripturus, sed tunc litteram ι in ο mutasse. Praeterea super litteram ο accentus, qui acutus dicitur, primum scriptus est, deinde abolitus duabus lineis transversis eo modo quem supra monstravi: denique accentus acutus alter scriptus est super syllabam κοι. Qua ex re concludendum esse mihi videtur correctiones in quibus duae lineae adhibeantur transversae a librario ipso, qui librum descripsit, originem ducere. Paulo ante hunc locum (Li. c. X) [2]) locus est (c. VIII), ubi codex Vaticanus τῇσι κοιλίῃσιν habet. Infra, cum codicem Holkhamensem tractabo, ostendam e lectione, quam Holkhamensis hoc loco praebet, comparata cum modo, quo altero illo loco in Vaticano vocabulum κοίλοισιν scriptum est, Vaticani archetypum pro κοίλοισιν habuisse κοιλίῃσιν.

Pro χωρέειν ἐῇ et Φωτοειδεῖ, quae lectiones correctori in Vaticano debentur, Holkhamensis habet χωρέει · εν et Φωτοειδῇ. Infra amplius de hac re agam, sed iam nunc licet statuere Holkhamensem incolumes servasse tres lectiones codicis, qui fuit archetypus, ex quo fluxerunt et Vaticanus et Holkhamensis. Quarum lectionum vestigia adhuc Vaticanus exhibet.

De codice Palatino-Vaticano 192 (P).

Codicem memorat eiusque libros indicat ex Darembergii annotatione Littraeus X pp. LXII sq.. Descripsit codicem Ilbergius Mus. Rhen. XLII pp. 447 sq., deinde memoravit

1) Altero accentu una, altero duabus lineis deleto. 2) Numeris capitum editionis Littraei indicabo locos et vocabula, de quibus mentio fiet.

Digitized by Google

Prol. p. XVIII. Est codex chartaceus saeculi XV. Iam Darembergius, collato libro Π. *φύσιος παιδίου* statuit codicem exemplar esse Vaticani 276, quod idem apparuit Ilbergio, compluribus collatis codicis partibus.

Ordinem tantum librorum posteriorum in codice P. a Vaticani ordine differre et Darembergius et Ilbergius ll. cc. perhibent [1]). Apparere conclusit Ilbergius, cum codex Vaticanus ipse nobis supersit, Palatino-Vaticanum inutilem esse [2]).

Codicis folia librum Π. *καρδίης* continentia, vir ill^us^ rev^us^ Mercati a photographis Sansaini exprimendas officiosissime mihi curavit. Quibus cum foliis codicis Vaticani 276 collatis, idem comperi quod Darembergius et Ilbergius. Codex Palatino-Vaticanus 192 descriptus est e Vaticano 276, hic illic vocabulis mendose descriptis vel omissis. E glossis et scholiis Vaticani Palatino-Vaticanus habet tantum vocabula *βόθυνος* et *φυράσαντες*, mendose tamen descripta.

De codice Parisino 2146 (C).

Codex est chartaceus saeculi XVI. Codicem parum diligenter descripsit Littraeus I p. 529 sq., qui haec adnotat: „En tête de ce volume se trouve une table qui ne répond pas au contenu du manuscrit, mais elle mérite d'être mentionnée ici, ayant été sans doute copiée sur quelque index beaucoup plus ancien" e. q. s.. Haud mirum Littraeum tunc sic scripsisse. Illa tabula enim *πίναξ* est codicis Vaticani, qui multo demum post Littraeo innotuit per Darembergii, quas iam memoravi, annotationem et collationem. Littraeus X pp. LIX sq. ex annotatione illa codice Vaticano eiusque *πίνακι* memoratis haec addit vel sua ipsius vel Darembergii verba: „En tout semblable à notre ms. de Paris N° 2146". [3])

Ilbergius, qui multo diligentius descripsit codicem in Mus. Rhen. vol. XLII p. 446 sq., codice Parisino ipso cum Vaticano collato, hoc iudicium probavit. Codex Vaticanus librum *Περὶ ἐπικυήσιος* bis exhibet. In Parisino hic liber non iteratus

1) Singula, quae de hac re referunt Darembergius et Ilbergius, non prorsus inter se concinunt. 2) l. c. p. 446.

3) Cf. VII p. 467 annotationem et V, p. 71.

Digitized by Google

est; ceteroquin tamen codicem, vitiis in describendo commissis exceptis, plane Vaticano similem esse etiam Ilbergius comperit.

Codicis folia, in quibus liber Π. *καρδίης* scriptus est, phototypice mihi reddenda benevole Bibliotheca Publica, quae est Parisiis, praebuit Catala fratribus photographis, qui imaginem perclaram mihi confecerunt. Nullam aliam ob causam quam ne quid reliquisse videar, significare velim me quoque, foliis illis inspectis, comperisse, quod docuerunt Darembergius Littraeus Ilbergius, Parisinum exemplar esse Vaticani.

Ilbergius affert menda, quae librarius in codice Parisino conficiendo commisit ex capp. I—X libri Π. *φύσιος ἀνθρώπου* et ex aliis locis collecta, e quibus duo e libro Π. *καρδίης*: V *ἐπίτεγξις*, C *ἐπίτευξις*; V *εὐπορέει*, C *ἀπορέει* [1]). Haec duo vitia, cum in codice Vaticano his locis littera *γ* et syllaba *εὐ* haud clare scriptae sint, tam sunt arguta ut alia consimilia, quae in comparandis codicis C foliis illis duobus mihi se obtulerunt, non sit quod memorem. Praetereo etiam lectiones nonnullas in Littraei apparatu critico e codice C perperam adlatas. Cum enim haud dubie codex Parisinus C e Vaticano 276 sit descriptus, Parisinus ille posthac neglegi potest, quod iure Ilbergius monuit. Idem eo magis Parisinum C Vaticano posthabendum esse ostendit, quod Parisinus e diversis manibus correctricibus, quae in Vaticano exstant, quoquo loco unam tantum referat, nec semper eandem. Scholia autem, quae Vaticanus exhibet, in Parisino desiderantur, neque textus eorum ope ullo modo immutatus est.

De codice Monacensi 71 (U).

Codicem Monacensem descripserunt Littraeus IV p. 76 (ex annotatione Thomasii), Ilbergius in Mus. Rhen. XLII pag. 460. Memoravit codicem — perperam tamen eum indicans numero 81 — Petrequinius in Praefatione editionis, quam curavit operum chirurgicorum Hippocraticorum [2]), I p. 142.

---

1) Etiam Palatino-Vaticanus 192 *ἀπορέει* habet. 2) J. E. Pétrequin, Chirurgie d'Hippocrate, Parisiis 1877—78, tomi II. Littraeus et Petrequinius memorant codicem scriptum esse anno 11551, Ibergius anno 1531. Petrequinius quae de codice memorat non a Littraeo mutuatus esse videtur, cum peculiare quoddam

Digitized by Google

Pars magna librorum, quos codex continet, originem ducit e codice Marciano-Veneto M. Collationes nonnullorum horum Marcianae collectionis librorum confecerunt Thomasius, Kuehleweinius, Darembergius, Christius. Lectiones, quas praebent hae collationes paulum prodesse l. c. docet Ilbergius. An vero librorum, non e collectione Marciana oriundorum, collatio aliquid prodesse possit, amplius examinandum esse censet.

Equidem contuli folia librum Π. *καρδίης* continentia. Quorum foliorum imaginem optimam Praefectus Bibliothecae Publicae Goetenborgianae, quae codicem Monacensem mutuum acceperat, ex auctoritate Bibliothecae Publicae Bavaricae, quae est Monachii, comiter mihi misit. Inde mihi apparuit codicem Monacensem, quod attinet ad librum Π. *καρδίης*, diligentissime descriptum esse ex codice Vaticano 276. Vix minimum quiddam deprendas, quod discrepet. Quin etiam littera *α* illa superscripta vocabulo *τινι* in folio 191^{v} codicis Vaticani, quae pro glossa superscripta est, sed re vera necessaria est correctio, eodem modo, quo in Vaticano invenitur, descripta est, non deleta littera *ι*, in cuius locum erat substituenda. In folio 191^{r} Vaticani in margine vocabulo *διαβεβρωμέναι* manu librarii ipsius syllaba *ὑπο* addita est, huic vocabulo proxime adscripta. Eodem prorsus modo Monacensis hanc syllabam addidit. Etiam glossas codicis Vaticani refert accurate, hoc excepto quod in scholio ad vocabulum *φορύξας* [1]), e fol. 191^{v} Vaticani descripto, bis exitum *-αν* mutavit in *-ας*.

In Vaticano manus correctrices accentus nonnullos emendaverunt et post verbum *χωρέειν* in folio 191^{v} vocabulum *ἐῇ* in rasura inseruerunt, ut supra monstravi. Quomodo haec in Vaticano emendata sint, e codice Monacensi non iam apparere manifestum est, sed ceteroqui, quod ad librum Π. *καρδίης* attinet, plane substituere possis Monacensem pro Vaticano. Itaque Monacensis melioris notae est quam codex Parisinus C, qui, neglegenter e Vaticano descriptus, multis locis perperam

---

afferat, quod Littraeus non habet. Ideo puto numerum 1551 rectum esse et Ilbergium errasse vel fortasse vitium, a typographo commissum, eum decepisse. Vitium eiusmodi etiam numerus foliorum 106 apud Littraeum est, pro quo legatur 406.

1) Cf. p. 2.

Digitized by Google

ab archetypo suo discrepet, manus correctrices non exhibeat, scholia non referat.

In textu librorum constituendo Monacensis quidem, cum Parisino C, posthac neglegi potest, sed pretio non caret, quippe qui exemplar sit fidissimum codicis Vaticani, quod attinet saltem ad librum Π. καρδίης. Atque verisimile est non aliter rem se habere quod attinet ad alios libros codicis Monacensis, qui non e collectione Marciana originem ducunt.

Ianus Cornarius in Praefatione [1]) editionis quam curavit librorum Hippocraticorum [2]), docet se usum esse et aliis duobus codicibus et codice, quem „exhibuisset" insignis medicus Adolphus Occo Augustanus. Ilbergius in Mus. Rhen. vol. XLII p. 460 sq. annotat codicem Monacensem huius medici fuisse, itaque Cornario praesto fuisse.

De codice Parisino 2255 (E).

Descripserunt codicem Littraeus I p. 518 sqq., Ilbergius in Mus. Rhen. vol. XLII p. 451 et Proleg. p. XXII sq.. Est codex chartaceus saeculi XIV. Etiam huius codicis paginas, quae librum Π. καρδίης exhibent, sc. fol. 370$^{r\ et\ v}$, Bibliotheca Publica, quae est Parisiis, benevole photographice mihi depingendas praebuit fratribus Catala, qui quidem optime hoc munere functi sunt.

Codex manu subtili clare et eleganter scriptus est plurimis tamen compendiis et signis tachygraphicis. In fine libri Π. καρδίης librarius verba βλεπομένῳ αἵματι post vocabulum βόσκεται perperam scripsit, sed statim delevit. Super librum scriptus est titulus Ἱπποκράτους περὶ καρδίης. Paulo infra in margine dextro legitur: λόγος λ'. Ad partem libri, quae de laevo cordis ventriculo agit, in margine annotata sunt haec: ὅτι ἡ καρδίη ἔχει παχύν τινα βόθρον δίκην ὄλμου. Titulus et annotatio mihi videntur deberi alteri manui vel aliis manibus atque librarii. Neque correctionem aliam neque annotationem ullam amplius ad librum Π. καρδίης codex praebet.

Ilbergius Proleg. p. XXIII contendit et alios libros et librum Π. καρδίης, qui in hoc codice continentur foliis

1) p. 2. 2) Ἱπποκράτους... βιβλία ἅπαντα, Basileae a° 1538.

Digitized by Google

366^{v}—395, originem ducere a Vaticani 276 archetypo. Mihi tamen apparuit Parisinum E ex Vaticano 276 ipso originem ducere.

Videamus quae in Parisino — praeterquam quod Vaticani glossarum et annotationum nihil habet — a Vaticani textu discrepent.

	Cod. Vaticanus.	Cod. Parisinus.
	Περὶ κραδίης	Π. καρδίης (H.)
C. I	ῥωσκημένως	ῥωσκομένως (H.)
II	τυτθὸν δὲ, οἷον	τυτθὸν οἷον om. δὲ
	πόμα	πῶμα
	ἐπιγλωσὶς	ἐπιγλωσσὶς (H.)
	ἀνατέμοις	ἀνατέμνοις
	περιέχει	omisit
	οὕνεκα	οὕνεκα (H.)
	τινί	τινα (H.)
III	ἤγαγε	ἤγαγεν (H.)
	τὸ δὲ ὑγρὸν	τὸ δ᾽ὑγρὸν (H.)
	ἀποπτύει	ἀποπίει
	καταδίκην	κατὰ δίκην (H.)
IV	οὕτω	οὐ τῷ
	δ᾽ἐοικασιν	δὲ ἐοίκασιν (H.)
	κέεται μὲν ὑπένερθε	κέεται ὑπένερθεν om. μὲν
	κατιθυωρίην	κατ᾽ ἰθυωρίην
V	ψυχόμενος	ψυχρόμενος
VI	καὶ μᾶλλον	μᾶλλον om. καὶ (H.)
VII	αὖτέῃσιν	αὐτέοισιν (H.)
	καὶ τὴν ζωὴν	καὶ ζωὴν om. τὴν
VIII	καίτε	καίτοι
	πάνεον	πᾶν ἐὸν
	ἴδοις	ἤδοις
IX	ἐς	εἰς (H.)
	βέβλημα	βεβλήματα
X	ἀπηγη ἀξιαγαπητότατον	ἀξιαγαπητότατον (H.)
	ἀορτῆρσιν	ἀορτῆσιν
	ζεῦγος αἱ	ζεῦγος οἱ
	καταδίκην	κατὰ δίκην (H.)

Digitized by Google

C. XI	τοῖσιν ἀπὸ τῆς νηδύος	ἀπὸ τῆς νηδύος om. τοῖσιν (H.)
	περιούση	περιουσίη
	ἀποπαγέντος	ἀποσφαγέντος
	σχασθείσης	σχισθείσης
	ἀγγείω	ἀγγεῖ (H. ἀγγεί)
XII	ξυμβουλῇ	ξυμβολῇ
	καρδίην	καρδίαν (H.)
	κραδίης	καρδίης

Si hunc indicem perlustramus, videmus Parisinum, cum Vaticano comparatum, nullam variam lectionem proprio sensu praebere. Sexies vocabulum omissum est. Lectio ἀποπίει pro ἀποπτύει aperte corrupta est, nam ἀποπίει vox nihili est. Notabile est vocabulum ἀποπτύει sic scriptum esse in Vaticano ut facile ἀποπίει legatur. ψυχρόμενος pro ψυχόμενος librarius scripsit perperam, cum paulo ante vocabulum ψυχρός scripsisset. ἤδοις pro ἴδοις post vocabulum καρδίην pro eiusdem generis vitio habendum est aut pro iotacismo. πῶμα, βεβλήματα, quod vocabulum tamen ampliore emendatione eget, ἀορτῇσιν, ἀποσφαγέντος, ξυμβολῇ emendationes sunt quas pro lectionibus, quas offert Vaticanus, vel grammatica vel contextus suadebat. σχισθείσης pro σχασθείσης itemque ἀγγεῖ pro ἀγγείω perperam illata sunt, cum σχάζειν et ἀγγεῖον vocabula sint medicorum disciplinae propria. Sex hae lectiones mihi nihil aliud esse videntur nisi lectiones codicis Vaticani consulto in codice posteriore mutatae sive in meliorem, sive in peiorem partem. καίτοι quoque pro καίτε codicis Vaticani fortasse lectionibus eiusdem generis adnumerandum est: reliquae lectiones Parisini, ut e. g. ῥωσκομένως et οὐ τῷ pro οὕτω, lectiones sunt Vaticani orthographice tantum emendatae.

Sed, quae res est maximi momenti, tres hae lectiones, quas vidimus archetypum Vaticani et Holkhamensis habuisse, quas Holkhamensis intactas fere adhuc habet, quas in Vaticano ipso correctas rasura aliaque correctionis vestigia adhuc patefaciunt, in Parisino frustra quaeruntur. Correctas tantum lectiones codicis Vaticani χωρέειν ἐῇ, τῇσιν κοιλίῃσιν, τοῖσι κοίλοισιν, φωτοειδεῖ Parisinus praebet, ne vestigium quidem minimum habet lectionum principalium, quippe qui nusquam manum correctricem passus sit.

Digitized by Google

Iam rem manifestam nobis ante oculos iacere arbitror. Sine dubio Parisinus uno tenore, uno tantum vitio statim correcto, exaratus, descriptus est e codice e Vaticano 276 descripto, et ab una vel pluribus manibus correctricibus retractato. Textum recentiorem e Vaticano ortum, nihil aliud, praebet nobis Parisinus 2255.

De codice Holkhamensi 282.

Praeterquam quod enumeratur in Dielesii catalogo [1]), codicem Holkhamensem hucusque solus R. Foerster memorasse videtur in Philologi vol. XLII, ubi agit de codicibus, qui sunt Holkhami in bibliotheca Comitis Leicester.

Ex comitis benigna auctoritate vir doctissimus C. W. Iames Londiniensis, cui cura bibliothecae commissa est, et codicis folia librum Π. καρδίης continentia phototypice expressa [2]) et annotationes nonnullas de codice officiose mihi praebuit, adiuvante codicum Conservatore Musei Britannici.

Ex Foersteri et Iamesii annotationibus apparet codicem esse bombycinum in 8°, continentem Hippocratis opera nonnulla, in singulis paginis versus duodetricenos exhibentem. Saeculo XVI adscripsit codicem Fredericus Madden, qui ante centum fere annos codicum conservator fuit in Museo Britannico.

Ex imaginibus phototypis textum compluribus locis correctum esse comperi. Ex eis quattuor haud dubie manui librarii, qui librum confecit, tribuendae sunt, scilicet χωρέειν (C. III) mutatum linea perpendiculari per literam ν ducta in χωρέει [3]), vocabulum τιμορίη in τιμωρίη correctum, punctis suppositis litterae ο et superscripta littera ω propria librarii manu, syl-

1) In catalogi additamento — c. t. „Bericht über den Stand des interakademischen Corpus Medicorum Antiquorum und erster Nachtrag zu den in den Abh. 1905 u. 1906 veröffentlichten Katalogen: Die Handschriften der antiken Aerzte, I u. II Teil zusammengestellt von H. Diels. Aus den Abh. der Königl. Preuss. Ak. der Wissensch. 1907" Berolini a° 1908 — p.p. 25 et 26 auctore Aemilio Jacobs notatum est codicem Holkham. 282 eundem esse atque codicem Bibliothecae S. Ioannis in Viridario. 2) A photographo Fleming Londiniensi.

3) Librario litteram ν illam, quam statim delevit, suggessit vocabulum ἐν, quod sequitur. Non inde orta est, quod in codice, quem librarius describebat, scripta erat lectio correcta Vaticani χωρέειν ἐῇ. Librarius Holkhamensis enim protinus ἐν scripsit, nulla hic est mutatio vel rasura. Qua ex re satis apparet archetypum eius habuisse χωρέει· ἐν.

Digitized by Google

laba λά, ante vocabulum ζάλη (C. XI) deleta, vocabulum καρδίαν (C. XII) denique, quod primum perperam scriptum librarius ipse statim correxit: καρδέαν, quoad videre possum, primum librarius scripsit, tunc linea transversa litteras δεα delevit, ν neglecto, denique syllabam δι superscripsit et syllabam αν proxime post vocabulum addidit uno tenore scribere pergens. Cum forma litterarum superscriptarum et litterarum syllabae illius αν tum locus, quem syllaba addita αν occupat in libri scriptura continua demonstrant correctionem ipsius librarii manui deberi. Etiam ξυμ, quod in margine adscriptum est ad vocabulum βουλῇ (C. XII) a librario ipso, ut restitueret quod omiserat, additum est.

Bis inveni lineam supinam leniter curvatam vocabulo subscriptam. Primum sub vocabulo ἐῤῥέσν (C. II), deleto simul aspero spiritu litterae ῥ superscripto. Initio ergo scriptum fuit ἐῤ ῥεσν, deinde ut indicaret haec vocabula in unum coniungenda esse lineam illam supposuit. Paulo supra in codice nostro vocabulum ἐσρυέν invenimus adhuc ἐῤῥυέν scriptum, in qua voce ἐῤ et ῥυέν propius quidem inter se coeunt quam infra ἐῤ et ῥέσν (quam ob causam corrector in ἐῤῥυέν illo nihil odoratus esse videtur), attamen spiritus asper in ῥ positus est et litterae ῤ ea forma quae finalis dicitur quaeque pro finali etiam a librario nostro usurpari solet scripta est. Cum ἐῤῥυεν hoc intactum manserit, probabile est non librarium ipsum, sed manum correctricem posteriorem vocabulo ἐῤῥέσν lineam illam addidisse et spiritum delevisse. Alteram eiusmodi lineam inveni sub vocabulo παλινδρομέει (C. III). Librarius pro syllabe ιν compendio usitato ⏜ usus est. Syllabas παλ et δρο linea illa subscripta manus — quam posteriorem fuisse hinc verisimillimum est — una vel altera coniunxit, haud dubie ne quis putaret auctorem πάλιν δρομέει scripsisse.

Quater inveni lineam perpendicularem leniter flexam, qua duo vocabula nimis inter se propinqua commode distinguerentur. Semel ad dirimendum unum vocabulum in duo vocabula linea hoc genus usurpatur, scilicet in vocabulo οὕτω (C. IV), quod hoc modo in οὐ τῷ solvitur. Hic igitur linea illa vitii corrigendi causa adhibetur, unde conicere licet has quinque lineas manui deberi posteriori omnes.

Digitized by Google

οὕτω invenitur etiam in codice Vaticano, cod. Paris. E οὐ τῷ habet. Praeterea aliae correctiones inveniuntur, numero sex, quibus lectiones, quas et Vaticanus habet, sic mutatae sunt ut nunc congruant cum lectionibus Parisini E. Cunctae lectiones hic enumerentur.

	Vat.	Paris. E.	Holkham.	
C. IV	οὕτω	οὐ τῷ	οὕτω	corr. in οὐ τῷ
	κέεται μὲν	κέεται om. μὲν	κέεται μὲν	„ „ κέεται
VIII	καίτε	καίτοι	καίτε	„ „ καίτοι
	πάνεον	πᾶν ἐὸν	πάνεον	„ „ πᾶν ἐὸν
IX	βέβλημα	βεβλήματα	βέβλημα	„ „ βεβλήματα
XI	περιούση	περιουσίῃ	περιούση	„ „ περιουσίῃ
	Φωτοειδῇ [1])	Φωτοειδεῖ	Φωτοειδῇ	„ „ Φωτοειδεῖ

in -εῖ mutat.

Syllabae τσι et τα superscriptae vocabulis καίτε et βέβλημα manus eiusdem sunt, prorsus alius tamen atque librarii. Littera ι vocabulo περιούση adscripta parum clara est. Syllaba ει vocabulo Φωτοειδῇ superscripta est signo tachygraphico. Correctiones, quae inveniuntur in πάνεον et κέεται μὲν punctis significatae sunt, quo fit ut, cum praeterea qui sit atramenti color incertum sit in tabula phototypa, neque ex forma litterarum, neque ex atramenti colore manus definiri possit. Nihilominus et has correctiones et correctionem vocabuli οὕτω eidem manui, cui duas illas priores, adscribere licet. Omnes enim correctiones sunt eiusdem generis, desumptae scilicet e codice Parisino E vel e codice cum Parisino arte cohaerente. Quamquam in vocabulo οὕτω, in οὐ τῷ correcto, linea illa perpendicularis invenitur, dubium] manet, non reddente tabula phototypa atramenti colorem, an lineae illae perpendiculares itemque illae libratae eidem manui, cui tribuimus correctiones has sex, debeantur. Verisimile tamen est rem sic se habere.

Minus probabile esse mihi videtur correctionem, quae ultima mihi tractanda est, [manui illi deberi, dico correctionem qua in vocabulo περιφερὲς (C. X) inserta est littera ε ita ut nunc in codice legatur περιφερέες. Haec lectio in alio codice non

1) Quam lectionem etiam Parisinus C Vaticani exemplar habet. De qua re vide annotationem 5 in calce paginae 2.

Digitized by Google

invenitur et postea demum in editionibus inde a Foesio exstat. Quapropter seris temporibus fortasse ex editione aliqua delibata aut per coniecturam orta esse mihi videtur. [1])

Codex Holkhamensis nonnullis locis discrepat a ceteris codicibus mss. omnibus:

	Codd. Vat. et Paris. E.	Cod. Holkham.
C. I	σχῆμα μὲν	σχῆμα om. μὲν
II	φορύξας	φορέξας
	λαιμὸν	λεμὸν
	κεχρωσμένον	κεχρωμένον
III	χωρέειν ἐῇ	χωρέει· εν
V	ἐμβεβόθρωται	ἐμβεβώθροται
VII	γαστέραιν	γαστέροιν
VIII	τῇσι κοιλίῃσιν	τοῖσι [2]) κοιλίῃσιν
XII	δυναστευόμενον	omisit.
	κρήματι ψυχροῦ·	
	τὸ αἷμα γὰρ οὐκ ἐστὶ	
	τῇ φύσει θερμὸν	

Praeterea in vocabulo ὕγρασμα (C. I) littera σ in versus fine scripta et lineola, quae indicat vocabulum continuari in versu, qui sequitur, paene deletae sunt. Haud facile aliud quid legas atque ὕγραμα. Attamen inquisitione subtili vestigia anterioris et summae partis litterae σ et lineolae illius distingui possunt.

Supra iam memoravi in Vaticano in verbis χωρέειν ἐῇ litteras ἐῇ scriptas esse in rasura. Praeterea in Vaticano littera ν in fine verbi χωρέειν tam arte praecedenti vocabulo adscripta est et modo paulum insolito delineata ut postea addita esse videatur. Ergo, comparata lectione quam habet Holkhamensis, conicere licet etiam Vaticanum olim habuisse χωρέει· ἐν. Illud quoque supra notavi vocabulum, quod videtur fuisse φωτοειδῇ, in codice Vaticano parum clare in φωτοειδεῖ correctum esse.

---

1) Utique postquam in lucem prodiit editio Aldina, quae περιφερὲς habet. Franciscum Asulanum enim, qui curavit editionem Aldinam, in textu constituendo codice Holkhamensi usum esse infra ostendam. 2) In tabula mea phototypa diphthongus οι in vocabulo τοῖσι parum dilucide expressa est, ita tamen ut nihil aliud legi possit. Omne dubium tollit editio Aldina quae τοῖσι habet.

Digitized by Google

Codex Holkhamensis, ut paulo ante vidimus, φωτοειδῇ exhibet, syllaba ει super -ῇ adscripta. His igitur locis codex Holkhamensis duas veteres lectiones incolumes servavit, quas in Vaticano olim, antequam corrigerentur, extitisse e vestigiis quibusdam adhuc apparet, quaeque postea in aliis codicibus non iam inveniuntur praeterquam quod φωτοειδῇ illud emersit iterum in codice Parisino C nullam aliam ob causam quam quod correctio in codice Vaticano facta non satis fuit efficax, ut et η et ει legi posset.

Itaque, lectione χωρέει· ἐν etiam in Vaticano monstrata, ceteras lectiones peculiares codicis Holkhamensis non tanti esse manifestum est ut ponas codicem Holkhamensem non ex eodem archetypo originem ducere, e quo fluxerit Vaticanus.

Quin etiam putes Holkhamensem e Vaticano ipso non correcto originem ducere. Sed hoc credi vetat lectio Holkhamensis τοῖσι κοιλίῃσιν, quod nunc explanabo. In Littraei textu bis inveniuntur verba τῇσι κοιλίῃσιν, scilicet cc. VIII et X. Codex Vaticanus priore loco tantum τῇσι κοιλίῃσιν habet, altero τοῖσι κοίλοισιν [1]). Ubi egi de codice Vaticano iam notavi librarium κοίλοισιν illud scribentem a κοιλί incepisse, quod satis constat, quia non solum littera ο, quae post litteram λ sequitur insolite a fronte lineam habet perpendicularem, sed etiam accentu acuto ornata fuit, qui deinde duabus lineolis deletus est. Haud dubie igitur in animo habebat scribere κοιλίῃσιν. Sine mente ac consilio enim eum a κοιλί incepisse haud verisimile est, cum vocabulum, quod praecedit, τοῖσι, multo potius ei κοίλοισιν quam κοιλίῃσιν suggesserit. Ex lectione tamen, quae priore loco (C. VIII) in codice Holkhamensi invenitur, τοῖσι κοιλίῃσιν sc., apparet Vaticani librarium in archetypo re vera legisse κοιλίῃσιν, quod vocabulum in scribendo ob τοῖσι illud praecedens in κοίλοισιν mutavit, postquam priore loco pro verbis τοῖσι κοιλίῃσι archetypi consulto τῇσι κοιλίῃσι in suo scripsit exemplari. Codicis Holkhamensis librarium verba τοῖσι κοιλίῃσι re vera priore loco in archetypo suo legisse κοίλι- illud, quod Vaticanus habet altero loco, ostendit. Librarius codicis Holkhamensis altero loco tamen, cum iterum ei verba τοῖσι κοιλίῃσιν occurrerent, offen-

1) Perperam Littraeus in apparatu critico: τοῖσι κοιλίοισι C E.

Digitized by Google

sus incongruentia denuo sibi oblata, κοιλίησιν in κοίλοισιν mutavit.

Ne obicias librarios forsitan stultiores fuisse quam ut sic agerent. Nam librarius codicis Vaticani certe tam peritus fuit linguae Graecae ut, κοίλοισιν si in archetypo suo legisset, tamen ei vocabuli κοιλίη in mentem venisset. Sed praeterea priore illo loco verba τοῖσι κοιλίησιν codicis Holkhamensis et quod altero loco in Vaticano vocem κοίλοισιν librarius haud dubie initio κοιλίησιν scribere volebat, tam insigniter congruunt ut non ex casu hoc factum esse mihi constet. Alio modo hanc rem explicari posse non puto.

Ex duobus his vestigiis igitur eiusdem scribendi rationis in altero codice altero loco inventis argumentum manifestum adepti sumus, unde apparet codicem Holkhamensem non e Vaticano non correcto originem ducere, sed codices Vaticanum et Holkhamensem eundem habuisse archetypum. Librarius archetypi duobus illis locis anomaliam τοῖσι κοιλίησιν, nescio unde ortam, legit et descripsit, nisi eam nescio qua ratiocinatione ductus ipse excogitavit.

In indice lectionum, quibus inter se differunt codd. Vaticanus et Parisinus E [1]), complures Parisini lectiones notavi littera H. Has lectiones habet etiam Holkhamensis non correctus. Omnes alias huius indicis lectiones Holkhamensis non correctus cum Vaticano communes habet. Apparet igitur Holkhamensem non correctum conflatum esse e textu archetypi, e quo etiam Vaticanus 276 est descriptus, et e textu recentiore quem repraesentat codex E. [2])

Ad vocabulum χῶσνος (C. II) Holkhamensis exhibet glossam βόθυνος, quam habet etiam Vaticanus. Alias glossas vel annotationes Holkhamensis non habet.

De codicibus in textu constituendo adhibendis.

Codices Palatino-Vaticanus 192, Parisinus 2146, Monacensis 71 tamquam apographa Vaticani 276 in textu constituendo sunt omittendi.

---

1) Vide p. 8 sq.. 2) Partes textus recentioris in Holkhamensi postea, uti iam vidimus, adauctae sunt correctionibus delibatis e Parisino E.

Digitized by Google

Vaticanus 276 textum habet vetustiorem, Parisinus 2255 textum recentiorem, e Vaticano tamen ortum. Vaticanus adhuc exhibet vestigia trium lectionum textus vetustissimi, quae in exemplaribus e Vaticano descriptis et in Parisino 2255 frustra quaeruntur.

Has lectiones vetustissimas incolumes servavit codex Holkhamensis 282, cuius proto-archetypus fuit Vaticani archetypus. Holkhamensis non correctus habet nonnullas lectiones sibi peculiares; ceterum exhibet partim textum vetustiorem, eundem quem Vaticanus, partim textum recentiorem Parisini 2255. E quo codice praeterea hic illic correctiones in Holkhamensi adscriptae sunt textus lectionibus non oblitis. Itaque, quantum mihi indagare contigit, in textu constituendo nobis Vaticano est utendum fundamento, deinde Holkhamensis adhibendus in tractandis lectionibus cod. archetypi, quarum Vaticanus tantum habet vestigia. Codicis Parisini 2255 lectiones discrepantes aut errores aut merae coniecturae sunt.

De archetypo codd. Vaticani et Holkhamensis hoc unum dicere posse mihi videor vocabula in eo, sive uncialibus sive minusculis litteris conscriptus fuit, compluribus locis male distincta fuisse, quod apparere arbitror e lectionibus σὔτω, πάνεσν, aliis quae utrique codici communes sunt.

De textus editionibus.

Liber Περὶ καρδίης semel tantum seorsum editus esse videtur, addito commentario, a Iacobo Horstio, Francofurti ad Viadrum a° 1563 in 4°. Non contigit mihi ut nanciscerer exemplar huius editionis.

Complures sunt editae collectiones librorum Hippocraticorum, quae nonnullos tantum amplectuntur libros. In una tantum ex his collectionibus liber Π. καρδίης invenitur. Ceteroqui hic liber tantum editus est in collectionibus, quae libros Hippocraticos cunctos continent [1]). Inquirendum ergo erat mihi qua ratione singuli harum collectionum editores in textu constituendo sint usi et qui textus inde singuli prodierint libri

1) In quarum numero etiam Mackii editionem habeo. Mackius enim, quamquam non perfecit opus, tamen ut omnes libros ederet sibi proposuerat.

Digitized by Google

Π. *καρδίης*. Nam quibus codicibus usi sint hi editores, quo modo textum tractaverint, quam quisque partem codicum in textu constituendo adhibuerit parum constabat [1]).

A° 1526 editio princeps librorum Hippocraticorum, cui titulus „Ἅπαντα τὰ τοῦ Ἱπποκράτους, Omnia opera Hippocratis", in lucem prodiit Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani soceri, in f°.

Editionem curavit Franciscus ASULANUS. Non memoravit Asulanus quibus codicibus in textu constituendo sit usus. Nelsonius [2]) putat Asulanum inprimis codicem aliquem recentiorem adhibuisse, quod omnes posteriorum temporum interpolationes receperit. „Ob diese Handschrift noch vorhanden ist", ita Nelsonius, „wissen wir nicht".

Nelsonio tamen constat Asulano praeterea alios codices praesto fuisse, cum ei apparuerit nonnunquam Aldinam a lectionibus codicum recentiorum differre. Obiter textum Aldinum perlegentis statim oculis occurrunt lectiones codicis Holkhamensis propriae, quas recensui in pag. 13. Amplius inquirenti apparuit mihi, quod attinet ad librum Π. *καρδίης*, textum editionis Aldinae ad literam similem esse textui codicis Holkhamensis septem illis locis correcto, novem exceptis locis hisce:

---

1) Cf. de Hippocratis editionibus, praeter usitatos libros de scriptoribus Graecis agentes, D. W. Trilleri in libro c. t. „Opuscula medica ac medico-philologica" (cur. C. Ch. Krause, Francof. et Lipsiae a° 1766) vol. II pp. 178 sqq. epistulam medico-criticam ad Freindium; „Historiam literariam Hippocratis", conscriptam ab I. Chr. Ackermanno, in Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Graeca, quam repetiverunt, auxerunt, emendarunt J. F. Pierer in Prolegomenis in „Hippocratis Coi opera quae exstant", latine ex interpretatione Foesii ed. Altenburgi a° 1806, et C. G. Kühn in vol. XXI libri c. t. „Medicorum Graecorum opera quae exstant" ed. Lipsiae a° 1825; E. Littré „Oeuvres complètes d'Hippocrate" Parisiis ais 1839—'61 vol. I „Appendice à l'introduction" pp. 540—554; Ch. V. Daremberg „Oeuvres choisies d'Hippocrate" ed. II Paris. a° 1855 pp. IX—XVI; Pétrequin „Chirurgie d'Hippocrate" Paris. ais 1877—1878 vol. I „Introduction générale" pp. 145—161; Th. Gomperz „Die Apologie der Heilkunst" Vindob. a° 1890 pp. 66—76; Axel Nelson, „Die Hippokratische Schrift Περὶ φυσῶν", diss., Upsalae a° 1909 p. 61 et 74—80; M. Neuburger et I. Pagel „Handbuch der Geschichte der Medizin", begründet von Th. Puschmann, Ienae a° 1902 vol. I pp. 196—268; J. L. Pagel—K. Sudhoff „Einführung in die Geschichte der Medizin" Berol. a° 1915 pp. 55—56.

Piererius p. LXXVIII auctores vetustiores, qui de hac materia egerunt, enumerat.

2) Nelson pp. 75 sq.

Digitized by Google

	Cod. Holkham.	Ed. Aldina
C. III	ἀποπτύει	ἀποπίει
VI	ἐσπνέουσαν	ἐσπνεύσυσαν
X	(ζεῦγος.) αἵ	(ζεῦγος.) οἵ
XI	γεγονυία	γεγονυίη
	ἀποπαγέντος	ἀποσφαγέντος
	ἀγγεί	ἀγγεῖ
	ὑμενέων	ὑμένων
XII	πολίς	πολύς
	καρδίης	καρδίης

Si conferes cum hoc indice illum, quo indicantur loci quibus differt codex Parisinus E a Vaticano [1]), reperies, exceptis lectionibus parvi momenti ἐσπνεύουσαν et πολύς, pro quibus Parisinus ἐσπνέουσαν et πουλύς habet, has lectiones omnes e codice Parisino E originem ducere.

Contuli etiam interpunctionem. Codex Holkhamensis et editio Aldina prorsus eandem habent interpunctionem, his quinque locis exceptis:

	Cod. Holkh.	Ed. Aldina.
C. V	βόθρον ἐμβεβώθροται	βόθρον, ἐμβεβώθροται
VI	ἔνδον.	ἔνδον,
VII	φανήσεται. καὶ	φανήσεται καὶ
XI	ἀκτῖνας καὶ	ἀκτῖνας. καὶ
XII	δεξιῆς. ζυγοῦται	δεξιῆς, ζυγοῦται

Est interpunctio Parisini E, quam quinque his locis habet Aldina.

Ergo res haud dubie constat. Asulanus usus est codice Holkhamensi aut nondum aut septem locis correcto (e codice Parisino E) et praeterea Parisino E, cuius lectiones aut quattuordecim aut septem locis recepit, interpunctionem quinque locis. Parvi refert sintne receptae ante vel post Asulanum septem illae correctiones. Ipsum Asulanum eas sua manu adscripsisse in cod. Holkhamensi parum verisimile est. Nam non erat cur septem locis e quattuordecim, quibus textum e codice Parisino emendavit, in codice Holkhamensi adscriberet

1) In pp. 8 sq.

Digitized by Google

illas correctiones, septem aliis locis codicis Parisini lectiones inserere neglegeret.

De duabus lectionibus, quae restant, *ἐσπνεύσυσαν* et *πολύς* haec addere velim. *Πολύς* in codice nullo invenitur. Vat., Paris. E, Monac. habent *πουλύς*, Paris. C *πολίς*. *Ἐσπνεύσυσαν* in Parisino C quidem invenitur, quocum tamen nusquam alias Aldina concinit. Itaque non mihi videor nimis esse audax, si has duas lectiones ipsi Asulano tribuendas esse censeo.

Denique iam ostendam Asulanum usum esse ipso Holkhamensi, non codice Holkhamensi simili. Vidimus in pag. 13 vocabulum *ὕγρασμα* (C. I) in Holkhamensi ita exstare, ut etiam diligentius inspiciens legas *ὕγρμα*, inquisitione subtili tamen apparere in codice re vera scriptum fuisse *ὕγρασμα*. Asulanus autem in textu suo *ὕγρμα* habet, quod neque graece dici potest neque in alio codice invenitur, ergo haud dubie ex codice Holkhamensi oriundum est.

A° 1538 edidit Ianus Cornarius, medicus Northusensium apud Frobenios Basileae „*Ἱπποκράτους Κῴου ἰατροῦ παλαιοτάτου, πάντων ἄλλων κορυφαίου, βιβλία ἅπαντα*, Hippocratis Coi medici vetustissimi, et omnium aliorum principis, libri omnes, ad vetustos codices summo studio collati et restaurati", in f°. Quae spectet exponit in „Epistola nuncupatoria", quam editioni praemittit, his verbis: „Porro quum aliquot retro annis, non solum obscuritas et difficultas obstiterit, quo minus Hippocrates studiosorum manibus tereretur, sed etiam penuria exemplarium [1]), eorundemque corruptio temporum iniuria invecta: visum est mihi hac parte rei medicae studiosos iuvare, quo Hippocratis copiam uberem eamque quam castigatissimam expositam haberent" [2]). De codicibus, quibus usus est, Cornarius amplius nos certiores facit in eadem illa „epistola nuncupatoria". Fuerunt tria vetustissima exemplaria „quorum unum insignis medicus Adolphus Occo Augustanus, alterum Ioannis Dalburgii bibliotheca, postremum Hieronymus Gemusaeus... Parisiis commodato acceptum ab excellenti medico Nicolao Copo... exhibuere". [3])

1) i. e. codicum mss., quod apparet ex verbis, quae statim sequuntur. Nelsonius p. 75 in annot. 3ª perperam putat haec verba spectare exemplaria editionis Aldinae. 2) Ep. nunc. p. 2. 3) Ep. nunc. p. 2.

Digitized by Google

Nelsonius [1]) monet manifestum esse tria illa quae a Cornario appellantur „vetustissima exemplaria" fuisse codices recentiores. Haud dubie quod attinet quidem ad duos ex his codicibus Nelsonius rem acu tetigit. Nam primum verisimile est codicem illum, qui fuit Adolphi Occo Augustani, fuisse Monacensem 71. Monacensis enim fuit e libris medici illius [2]). Deinde codicem manuscriptum, quem Nicolaus Copus Parisinus mutuum dedit, puto Parisinum E fuisse. Apparuit enim mihi textum huius codicis, quod attinet ad librum Π. καρδίης, referre Cornarium. [3])

Cornarius profitetur [4]) se edere Hippocratem „ad tria vetustissima exemplaria correctum". Exspectaremus igitur eum codicibus tribus, quos memorat, collatis editionem Aldinam emendasse. Textum Frobenianum examinanti mihi tamen apparuit, ut iam dixi, Cornarium, quod attinet ad librum Π. καρδίης, non profectum esse a textu Aldino, sed ad litteram fere referre textum codicis Parisini E, cuius interpunctionem etiam fere non mutatam recepit. Sex tantum locis codex E et textus Cornarii inter se differunt:

	Cod. Paris. E.	Ed. Cornarii.
C. II	τυτθὸν οἷον	τιτθὸν δὲ οἷον
	omisit περιέχει	περιέχει
V	εἴκελον	εἴκελον
	ψυχρόμενος	ψυχόμενος
VIII	τῇσι κοιλίῃσιν	τοῖσι κοιλίῃσιν
XII	πουλίς	πολύς

Cornarium codice E usum inseruisse περιέχει, cum etiam Aldina ei in promptu esset et codex Monacensis, non mirum est. Quod ψυχρόμενος in ψυχόμενος, πουλίς in πολύς mutavit nihil moror; talia enim unusquisque facile corrigit. Sed lectiones eius τιτθὸν δὲ οἷον pro τυτθὸν οἷον codicis E et τοῖσι κοιλίῃσιν pro τῇσι κοιλίῃσιν paulo difficiliores sunt ad explicandum, praesertim τοῖσι κοιλίῃσιν. Τυτθὸν δὲ οἷον est lectio codicis Vaticani, cuius exemplar Monacense ei praesto erat, sed τοῖσι κοιλίῃσιν est

1) p. 78. 2) Ilbergius in Mus. Rhen. XLII pp. 460 sq. Cf. Littraeum IV p. 76 i. c. et Petrequinium I p. 142. 3) Per Monacensem et Parisinum E in Cornarii editionem permanarunt lectiones codicis Vaticani 276. 4) Ep. nunc. p. 2.

Digitized by Google

una ex tribus illis lectionibus, quae, in Holkhamensi servatae, in Vaticano, licet reliquerint vestigia, emendatae sunt, quaeque ita emendatae in codicem E sunt receptae. Aldina quoque *τοῖσι κοιλίῃσιν* habet ex codice Holkhamensi, sed parum verisimile est Cornarium consulto hanc unam lectionem ex Aldina desumpsisse, ceteris omnibus Aldinae propriis neglectis, praesertim cum parum haec lectio se commendet. Ab altera parte illud *τοῖσι* non tanti momenti est ut ex uno illo vestigio concludere possimus Cornarium non usum esse codice Parisino E, sed codice illius vel in interpunctione simillimo, in quo una ex illis veteribus lectionibus servata esset, aliae duae perissent. Puto Cornarium, cum textum e Parisino E in editionem suam reciperet, simul tamen textum Aldinum conferret, incautum ex Aldino *τοῖσι* descripsisse aeque ac *τιτθὸν* altero illo loco pro *τυτθὸν*. Tam insigniter congruit textus Cornarii cum textu Parisini E, ut etiam lectiones vitiosae *ἤδοις* et *ἀποκλείῃ*, quas Parisinus habet pro *ἴδοις* et *ἀποκλείει*, in Cornarii textu inveniantur.

A° 1588 Hieronymus Mercurialis Foroliviensis apud Iuntas Venetiis edidit „Hippocratis Coi opera quae extant graece et latine, veterum codicum collatione restituta, novo ordine in quattuor classes digesta, interpretationis latinae emendatione et scholiis illustrata", in f°.

Mercurialis non exposuit qua ratione usus sit in textu constituendo. In titulo tamen praescripto operi profitetur, quod supra vidimus, se codices mss. contulisse. In praefatione cui inscriptum est „Censura operum Hippocratis" verba: „In codicibus graecis ante librum de sacro morbo censura quaedam apposita legitur" e. q. s. [1]) idem testantur. Praeterea in margine identidem lectiones adnotavit, e codice, quem „veterem" appellat, desumptas. Praeter haec de ratione, qua textum constituit, nihil dixit.

Littraeus [2]) contendit Cornarii textum sine ulla fere mutatione repetitum esse ab editoribus posterioribus. Quod tamen, ut videbimus, non sic se habet. Idem scribit Mercurialem molitum esse novum opus. [3]) Sed hoc iudicium, licet perhibeat Littraeus

1) p. 13. 2) I p. 545. 3) I p. 547.

Digitized by Google

Mercurialem textus constitutioni operam dedisse, magis spectare videtur Mercurialis „censuram" originis et ordinis librorum Hippocraticorum et interpretationem, in versione latina datam, quam ipsius textus tractationem. Darembergius [1]) censet aevum novum, quod attinet ad textus Hippocratici tractationem criticam, Mercurialem condidisse. Contra Trillerus arguit Mercurialem recepisse vitia codicum manuscriptorum. Petrequinius [2]) denique censet Mercurialem repetisse textum Frobenianum Cornarii nec nisi raro ab illo decessisse.

Ego quoque comperi Mercurialem in libro Π. *καρδίης*, paucis modo locis immutatis, referre Cornarii textum, ex quo etiam lectiones tam insigniter vitiosas quam *ἤδοις* et *ἀποκλείῃ* recepit [3]), cuiusque interpunctionem plerumque secutus est. Novem locis textus eius a Cornarii textu differt:

	Cornarius.	Mercurialis.
C. II	*περιέχει*	*παρέχει*
	ἐρμῆς	*ῥῦμὴς* [4])
	ἡ ἐπίτεγξις	*ἐπίτεγξις* om. *ἡ*
VII	*καὶ ζωὴν*	*καὶ τὴν ζωὴν*
	αὐανθέωσιν	*αὐανθωσιν* (sine accentu)
XI	*ποτοῖσιν ἀπὸ*	*ποτοῖσιν τοῖσιν ἀπὸ*
	ἀνακωχῇ	*ἀνακοχῇ*
	ἀποσφαγέντος	*ἀποπαγέντος*
	ἀγγεῖ	*ἀγγείῳ*

ποτοῖσιν τοῖσιν, *ἀποπαγέντος*, *ἀγγείῳ* lectiones Vaticani eiusque exemplarium sunt (C *ποτίσιν* habet). Ergo verisimile est Mercuriali unum ex his codicibus in promptu fuisse. Lectiones *παρέχει* et *ῥύμης* debentur Aemilio Porto [5]), quod Mercurialis ipse, quoad vidi, non memoravit. Ceterae variae lectiones parvi sunt momenti et haud dubie partim, fortasse omnes, vitia et omissiones fortuitae. De suo Mercurialis, quod attinet ad librum Π. *καρδίης*, nihil novi attulit.

1) p. X. 2) I pp. 148 sq. 3) Vide supra quod in Mercuriali reprehendit Trillerus. 4) Vitiose sic hoc vocabulum in Mercurialis editione accentibus est ornatum. Aem. Portus, qui traditam lectionem *ὁρμῆς* ex coniectura immutavit, *ῥύμης* scripsit. Alio loco capitis II, quo idem vocabulum iterum legitur, Mercurialis quoque *ῥύμης* habet. 5) Recensentur Aemilii Porti coniecturae in Foesii editione in additamento, quod Aem. Portus ipse confecit.

Digitized by Google

Ex „vetere" quem appellat codice [1]) ad librum Π. καρδίης Mercurialis ad vocabulum χῶσνος (C. II) annotat vocabulum βόθυνος, quod etiam codex Vaticanus in margine habet, et ad vocabulum μᾶλλον (C. VI) verba δὲ ἴσως [2]). Cuius coniecturae δὲ alibi vestigium nullum tamen inveni.

A° 1595 primum [3]) edita sunt „Τοῦ μεγάλου Ἱπποκράτους πάντων τῶν ἰατρῶν κορυφαίου τὰ εὑρισκόμενα, Magni Hippocratis medicorum omnium facile principis opera omnia quae exstant, in VIII sectiones ex Erotiani mente distributa, nunc denuo latina interpretatione et annotationibus illustrata, Anutio Foesio Mediomatrico medico authore", Francofurti apud Andreae Wecheli heredes, in f°.

In titulo Foesius profitetur editioni suae „accessisse varias in omnes Hippocratis libros lectiones graecas, ex reconditissimis manuscriptis exemplaribus summa diligentia collectas, antea quidem partim Frobeniano codici, partim verbosissimis Galeni commentariis: nunc autem ipsissimis textus paginis ac lineis summo cum labore applicatas: nec non etiam quorundam doctissimorum virorum in aliquot Hippocratis libros observationes".

In dedicationibus et praefatione, quas Foesius operi suo praemittit, primum docet se ad versionem multorum manuscriptorum fidem adhibuisse, imprimis se perlustrasse codices Vaticanos, quibus usus sit Fabius Calvus et consultasse etiam tres codices manuscriptos ex Bibliotheca Regia Fontanabellea.

---

1) De quo codice vide Gomperzium p. 74 et Nelsonium p. 77. Littraeus, quod ipse testatur I p. 547, nonnunquam lectiones „veteris" illius codicis in ordinem recepit.

2) Vocabulum ἴσως, quod, apud Mercurialem compluribus „veteris codicis" lectionibus additum, coniecturam indicare videtur, Littraeus textus vocabulum esse putat. In apparatu critico enim IX p. 84 annotat: ὑπ. μᾶλλον δὲ ἴσως τῆς Vatic. Codd.. Scripsitne praeterea Littraeus perperam *Vat. codd.* pro *Vet. Cod.*?

3) Editio repetita est Francofurti a^is 1621, 1624, 1645, Genevae a° 1657. Mihi exemplar est editionis a° 1624 Francofurti apud Aubrios et Schleichium impressae, cuius in titulo leguntur haec: „Omnia (sc. opera) nunc ab innumeris, quibus prior scatebat editio, vitiis repurgata". Petrequinius I 149, qui editiones annorum 1595 et 1621 contulit, annotat priorem editionem neglegenter impressam octo paginarum systemata habere, sed haec in editione posteriore melius administrata esse. Lindanus Praef. p. 4 videtur putasse Foesii editionem semel tantum esse recusam.

Digitized by Google

Deinde sibi in promptu fuisse exemplar Aldinum Alberti Fevrei medici Parisiensis et exemplar Frobenianum Ludovici Servini iurisconsulti Parisiensis, instructa annotationibus ex scholiis Graecis desumptis atque lectionibus codicum Bibliothecae Regiae et „M. Cordaei medici excellentissimi manuscripti exemplaris". Scribit se etiam ipsum iuvenem „reconditissimas Bibliothecae Regiae Fontanabelleae gazas" recensuisse. Memorat etiam codicem „Medicaeum" Capellani archiatri quondam regii, quem codicem ipse non vidit, ex quo tamen varias lectiones quasdam et correctiones, a Petro Laphilaeo medico Parisiensi collectas, editioni suae addidit.

Textus Foesii et Cornarii his locis inter se descrepant:

	Cornarius.	Foesius. [1])
C. I	θάλλεται	θάλληται
II	προαίρουμεθα	προσαιρούμεθα [2])
	κἂν διήσει	οὐκ ἂν διήσει
IV	δεξιοῖσιν ἐπὶ	δεξιοῖσι ἐπὶ
V	εἶκελον	εἴκελον
VIII	τοῖσι κοιλίῃσιν	τῇσι κοιλίῃσιν
	ἥδοις	ἴδοις
IX	βεβλήματα	βλήματα
X	τοῖσι κοίλοισιν	τῇσι κοιλίῃσιν
	περιφερὲς	περιφερέες
	θαυμάσιον ὡς	θαυμάζουσιν ὡς
	ἀφελόντων δὲ τὸν	ἀφελὼν τὸν
XI	ἀποκλείῃ	ἀποκλείει
	δεξαμενῆς	δεξαμένης
	ἤδη πρόφασις	ἥδε πρόφασις
	εἰς πνεύμονος αἷμα	ἐς πνεύμονος ἀγγεῖα αἷμα

Ex Aemilii Porti variarum lectionum tabella, quae Porti ipsius manu Foesii editioni adnexa est, apparet οὐκ ἂν διήσει

1) ἀρχοῦ Foesii pro ἀγχοῦ (C. VIII) vitium est typographi, quod apparet ex „notis brevibus", ubi ἀγχοῦ habet ipse Foesius.

2) In editione a^{i} 1624 littera σ parum clare expressa est ita ut legas προαιρούμεθα. Quae res etiam sic se habere videtur in editione a^{i} 1595, quam ipse non vidi. Littraeus enim, qui textum Foesianum editionis a^{i} 1595 vulgatum appellat (Li. II p. 218 in annot.), in apparatu critico habet: προαιρούμεθα vulg.. Editio a^{i} 1657, quam inspexi, manifeste expressam habet litteram σ.

Digitized by Google

conjecturam esse Porti. Eiusdem coniecturas παρέχει et ῥύμης (quas Mercurialis recepit,) tabella haec quidem memorat, in textum tamen non recepit Foesius. In „brevibus notis" in librum Π. καρδίης annotat Foesius: „Cornarius ἐς πνεύμονος ἀγγεῖα legisse videtur" et „περιφερέες malo cum Cornario". Amplius de lectionibus quas a priorum editorum lectionibus discrepantes recepit rationem non reddit. Lectionem τῇσι κοιλίῃσιν priorem habet codex Vaticanus, quam pro τοῖσι κοιλίῃσιν facile tamen Foesius ipse conicere potuit. Ceterae Foesii textus variae lectiones neque in codicibus, quae hodie nobis praesto sunt, neque in prioribus editionibus inveniuntur. Verisimile est has lectiones ipsius Foesii esse coniecturas. Fieri tamen potest ut Foesius eas desumpserit e codice, vel ex compluribus codicibus, qui postea perierint. Utut est, cum tam paulum discrepent inter se Cornarii et Foesii textus, sat constat Foesium in textu constituendo Cornarii textu usum esse fundamento. Credat quis Foesium codice Parisino E, eodem quo Cornarium, usum esse. Atqui supra recensui locos qui in Cornarii editione differunt a codice E [1]); in quibus omnibus Foesii textus cum Cornarii textu concinit, non cum codice E. Licet emendationes Cornarii in textum codicis E maiorem partem facillimae inventu essent, parum tamen verisimile videbitur nobis Foesium codicem E adhibuisse fundamentum, et eodem prorsus modo quo Cornarius lectiones codicis E emendasse his locis, quibus a codice manuscripto Cornarii editio discrepat, praesertim respicientibus lectionem Cornarii et Foesii τιτθὸν δὲ εἶσον pro lectione codicis E τυτθὸν οἷον. Nam, ut omittam voculam δὲ, in codice E τυτθὸν haud dubie exaratum est. Editio Aldina τιτθὸν habet ex codice Holkhamensi, quae lectio Aldinae Cornario suggesserit forsitan, ut item scriberet τιτθὸν, spreta codicis sui manifesta lectione. Quod idem accidisse deinde Foesio minime credibile est. Sed praeterea Foesius in „notis brevibus" scribit: „τιτθὸν δὲ εἶσον. Haec vulgata lectio omnibus exemplaribus contestata....". Quod scribere non potuisset, si in codice E τυτθὸν legisset. Mirationem movent haec Foesii in „notis brevibus" verba, quae addit ubi de hoc vocabulo τιτθὸν agit: „Mihi tamen

1) p. 20.

Digitized by Google

etiam amplectenda videtur Cornarii lectio, qui ἧττον δὲ et διὰ ῥωγμῆς legisse videtur", pro τιτθὸν δὲ sc. et διὰ ῥύμης. Ambigere videtur Foesius.

Praeter tabellam illam coniecturarum, quam supra iam memoravi, Porti manu additam Foesii editioni, Foesius etiam adiecit operi suo longas series lectionum variarum, desumptarum maximam partem ex duobus Servini et Fevrei exemplaribus et „Codice Medicaeo" et ab Joanne Martino medico oriundarum. Hae tamen ad textum libri Π. καρδίης constituendum inutiles sunt. Nam ad vocabulum modo χῶσνος (C. II) — quae lectio est Foesii — haec annotata invenimus ex exemplari Servini: χῶνος. χόανος vel χῶνος.[1])

In „brevibus notis" Foesius saepius probat et commendat varias lectiones vel coniecturas, quas tamen in textum recipere veritus est[2]). Velut se in libro suo, qui inscriptus est „Oeconomia Hippocratis"[3]) docuisse memorat pro χῶσνος (C. II) χῶνος esse scribendum, pro ἔνουρον (C. II) ἐνορῶον, pro quo etiam ἔνορον probat, quam tertiam lectionem sequitur in versione, pro τὸν οὐραχὸν (C. IV) τὸ οὐράγιον. In textum tamen has lectiones non recepit.

Alio loco mirum in modum in „brev. not." scribit: „Vitiose in omnibus codicibus κἂν διήσει pro καὶ οὐ διήσει legitur", attamen in textum recipit οὐκ ἂν διήσει (C. II), neque textu tradito conservato, neque lectione sibi probata recepta. Similiter scribit pro περιέχει (C. II) παρέχει legendum sibi videri et se πλαστικὸν pro πλατικὸν (C. VIII) malle, attamen retinet in textu περιέχει et πλατικὸν. Ante θαῦμα (C. VI) οὐ esse inserendum suspicatur, in textu tamen nihil mutat. Identidem, cuius rei exemplum iam vidimus, Foesius lectiones, quas Cornarius in textum quidem non recepit, in versione tamen secutus esse ei videtur, et memorat et plerumque probat. Semel tantum hoc modo lectionem in textum recipit, cum post vocabulum πνεύμονος (C. XII) vocabulum ἀγγεῖα inserit, versionem Cornarii secutus, ubi legitur „pulmonis vasa", ipse tamen in versione sua „pulmones" scribit. Alibi e Cornarii versione

1) Foesius p. 1311. 2) Quam rem Littraeus quoque memorat I p. 548.
3) Francofurti a° 1588.

Digitized by Google

mutuum habet vocabulum „rimam" (C. III), licet in textu lectionem ὀρμῆς retineat neque ῥωγμῆς, quod putat Cornarium in vertendo legisse, recipiat.

Iudicia de Foesii opere et studiis referre singula non est opus. Omnium consensu quae praestitit magni aestimantur. Hic sàtis est citare verba, quae nuperrime scripsit Wilamowitzius: „... die Hippokratesausgabe des A. Foesius aus Metz, noch heute für die Erklärung der von der Philologie lange sträflich vernachlässigten Werke unentbehrlich". [1])

A° 1639 [2]) et deinde, auctore Renato Chartier iam mortuo, curante genero Carolo du Gard [3]), annis 1678 et 1679 in lucem prodierunt „Hippocratis Coi, et Claudii Galeni Pergameni Archiatron opera, Renatus CHARTERIUS, Vindocinensis, Doctor Medicus Paris., Regis Christianissimi Consiliarius Medicus, ac Professor, plurima interpretatus, universa emendavit, instauravit, notavit, auxit, secundum distinctas Medicinae partes in tredecim tomos digessit, et coniunctim graece et latine primus edidit", Lutetiae Parisiorum apud Petrum Aubouïn Bibliopolam, in Area Palatii, prope aedes Senatus Principis, ad insigne Lilii, cum Privilegio Regis Christianissimi, XIII tomi in f°.

Charterii opus, aspectu magnificum et grave, sollemniter indictum est, et optimis auspiciis inchoatum et, licet Charterius rem familiarem totam ei impendisse videatur, isdem auspiciis ad finem perductum. Pollicitus enim est Charterius se Hippocratem et Galenum denuo esse editurum „habita palam oratione in scholis Medicinae superioribus" a° 1633 [4]). Patrocinata est eius opus Facultas Medicinae Parisiensis statim ab initio

---

1) Von Wilamowitz „Geschichte der Philologie" Lipsiae a° 1921, p. 21.

2) Tomi exemplaris, quod possidet Bibliotheca Universitatis Rheno-Traiectinae, exhibent a^um^ 1679 praeter tomum III qui anni numerum 1678 habet. Ex vetustiore decreto Facultatis Medicinae Parisiensis, quod invenitur in tomo I post „Ad Parisiensium Medicorum ordinem orationem" Charterii, apparet iam a° 1637 in eo fuisse ut pars „melior" quidem et „maxima" appellata, operis Charterii ederetur. De qua re Kuehnius p. CXCV haec habet: „Edere incepit Charterius Hippocratem iam anno 1639, editione demum post mortem eius absoluta. Editiones primae partis duae hinc exsistunt, altera ann. 1639, altera ann. 1679, quae aliquo modo inter se differunt". 3) Cf. „Monitum", quod editioni praescriptum est.

4) Vide decretum Facultatis Med. Par. in Charterii editionis tomo I p. 15.

Digitized by Google

usque ad finem, quin etiam post auctoris mortem, quod testantur duo Facultatis decreta a^{i} 1637 et a^{i} 1678, quorum textus in Charterii editionem insertus est. [1])

Faverunt Charterii incepto rex Franco-Gallorum et Richelieu, ut apparet e privilegio regio a^{i} 1639, cuius exemplar invenitur in fine operis. In „ad Parisiensium Medicorum ordinem oratione" quae editioni praescripta est docet Charterius se novam editionem curasse Hippocratis et Galeni operum, cum sibi appareret priores editiones, praesertim Galeni, „plurimis mendis, lacunis et erroribus scatere" [2]) Multam dedit operam ut peregre a viris doctis atque e bibliothecis indicia acciperet, sed „subsidium quam paucissimum" nanctus est [3]). Sic Charterii studia praecipue nituntur Bibliothecae Regiae Parisiensis codicibus manuscriptis monitisque et sententiis virorum doctorum praesertim Franco-Gallorum, quos ipsos consuluit vel quorum libros inspexit. In eadem illa „oratione" opere perfecto Charterius profitetur se innumerabiles locos et textus et versionis emendasse et meliore interpretatione explanasse. [4])

Sed viri docti plerique Charterii editionem haud magni aestimant. Trillerus [5]), Ackermannus-Kuehnius [6]), nuperrime Wilamowitzius [7]) et Ilbergius [8]) iudicia tulerunt severa de Charterio eiusque studiis et opere. Clementius iudicaverunt Littraeus [9]) et Petrequinius [10]). Nelsonius [11]) censet Charterii opus, quod attinet ad rem criticam, nullius esse momenti.

His locis in libro II. *καρδίης* Charterius a Foesio discrepat:

	Foesius.	Charterius.
C. II	*χῶσνος*	*χῶνος*
	προσκιρούμεθα	*προκιρούμεθα*
	διήσει	*διήσῃ*
	ὁρμῆς	*ῥωγμῆς*
VII	*γκστέρκιν*	*γκστέρσιν*
X	*ὁ (τῆς καρδίης ὑμένες)*	*οἱ (τ. κ. ὑ.)*

1) Tom. I pp. 1 et 15. 2) p. 1. 3) p. 2. 4) p. 13.
5) p. 182. 6) p. CXCV. 7) Gesch. der Phil. p. 21.
8) In annalibus, qui eduntur duce I. Ilbergio, q. t. „Neue Jahrb. f. d. klass. Altertum...." anni 1921 pp. 31 sqq. in disputatione, cui inscriptum est „Philologische Probleme der Medizingeschichte des Altertums".
9) I pp. 449 sq. 10) I p. 150. 11) pp. 79 sq.

Digitized by Google

Lectionem προχειρούμεθα ex vetustioribus Foesii editionibus [1]) protraxit Charterius, χῶνος et ῥωγμῆς ex Foesii „brevibus notis". γαστέροιν, ex codice Holkhamensi oriundum, invenitur in editione Aldina et in Aem. Porti variis lectionibus.

Lectiones διήσῃ et οἱ ante Charterium nusquam inveni [2]). Fortasse concludere licet Charterio, praeter illud meritum quod iterum magnifice edidit Foesii opus, etiam hoc alterum tribuendum esse, quod hic illic textum librorum Hippocraticorum haud inepte emendavit. Facere tamen non possumus quin statuamus, si conferamus quos ceperit Littraeus fructus e codicibus Parisinus, Charterium videri ad illos legendos parum valuisse. Crimini datum est etiam Charterio quod tam multa inveniuntur vitia typographica in eius editione. Sed, quoad vidi, in libro Π. καρδίης apud Charterium pauciora vitia hoc genus inveniuntur, haud plura utique quam in editionibus Mercurialis, Foesii (a' 1624), Mackii. [3])

Etiam quod ad formam attinet Foesii editioni Charterii liber persimilis est, praesertim in „Concisis notis ac variis lectionibus", quas dedit Charterius exemplo „Brevium notarum" et „Variarum lectionum" Foesii. Quae non solum typographice prorsus eodem modo quo in Foesii editione compositae sunt, sed etiam, quoad quidem respiciunt librum Π. καρδίης, ex ipsis Foesii verbis et exemplis excerptae sunt. Sola addita est varia lectio „μᾶλλον δὲ ἴσως", quam e Mercurialis editione haud dubie desumpsit Charterius.

A° 1665 Lugduni Batavorum in lucem prodierunt primum [4]) „Magni Hippocratis Coi opera omnia graece et latine edita, et ad omnes alias editiones accommodata industria et diligentia Ion. Antonidae Van der Linden, Doctoris et Professoris Medicinae Practicae primi in Academia Lugduno-Batava", II voll. in 8°, curante post auctoris mortem filio Henrico Antonide van der Linden.

1) Cf. supra p. 24. 2) Littraeus has lectiones Mackio ascribit, qui eas debet Charterio, licet eum non nominet. 3) Animadverti vitia typographica πως (sine accentu) et ἐνταῦτα. In „ad. Paris. Med. ord. oratione" p. 12 Charterius docet se, adiuvantibus viris literatis, ratione insolite accurata libros suos correxisse. Quoquomodo res se habet, non possumus, respicientes quidem textum librum Π. καρδίης, assentiri Trillero, qui Charterii opus „clausis paene oculis" correctum esse iudicat. 4) Iterum Venet. a° 1757 II voll. in 4°.

Digitized by Google

In dedicatione [1]) Lindanus filius de patris studiis haec scribit: „adhibitis vetustissimis manu scriptis exemplaribus, quae summo studio sibi comparaverat, aliquot millena loca restituit".

In „Praefatione ad Lectorem", cui „Typogr. Lectori S." inscriptum est, ad hanc rem pertinentia haec inveniuntur: „quae ad manum fuerunt, exemplaria, etiam manuscripta, diligentissime contulit" [2]). Sed quosnam codices manuscriptos habuerit et quo modo eos adhibuerit, nusquam dictum est.

Quod attinet ad rationem qua in textu constituendo usus est, praefatio illa ad lectorem nos certiores facit Lindanum secutum esse „κατὰ πόδας Cornarium eiusque versionem, utpote doctis familiarem" [3]). Praeterea: „doctorum animadversiones conlegit, et, quae optima ex eis iudicavit, saepe etiam cum doctis habita consultatione, in textum recepit; interpunctione plerumque sensum aperuit; ex coniectura minimum ausus est" [4]).

Illud quoque typographi praefatio nos docet, quid Lindanus praecipue spectaverit in nova Hippocratis editione paranda. Usus a Lindano quaerebatur, idque non solum quod attinet ad formam, quae multo habilior est quam priorum editionum. Primae enim editiones videbantur ei satis ingenue repraesentare manuscripta, quae plerumque scaterent mendis; eatenus utiles esse ei videntur viris doctis, quod inde iudicent, quid legendum sit. „At codices novi habeant correctionem non audacem, ad intelligentiam tironum" [5]). Ita simul censuram quodammodo Lindanus agit de editionibus illis prioribus. Nominatim Cornarium perhibet non „citra ullam reprehensionis aleam" [6]) esse.

Lindanum diligenter perlegisse editiones Cornarii, Mercurialis, Foesii et consultasse Foesii Oeconomiam et Pini Indicem statim iam apparet e systemate notarum laboriosissimo, quo assidue horum librorum paginas et etiam paginarum lineas iuxta suum textum indicat.

Textum libri Π. καρδίης apud Lindanum si examinamus, re vera comperimus eum a textu Cornarii esse profectum. Mutavit tamen nonnullorum vocabulorum orthographiam, velut cum πλεύμονος pro πνεύμονος, δυοῖν pro δυσὶ dedit.

1) p. 8. 2) p. 2. 3) p. 2. 4) p. 2.
5) Praef. ad lectorem pp. 1 sq. 6) Praef. ad lectorem p. 2.

Digitized by Google

Accentus nonnunquam emendavit: e. g. *ἐπανακλινεῖ* scripsit pro *ἐπανακλίνει* et *ἰχῶρός τινος* pro *ἰχῶρος τινὸς*. Identidem recepit lectiones, quas Foesius, quamquam ipse eas non recepit, commendat vel memorat, velut *ἐνοροῦον* pro *ἔνουρον*, *παρέχει* pro *περιέχει*, *χωρέει*. *ἐν* pro *χωρέειν ἐν*. Duodecies denique ipse aliquid novavit. Quae lectiones hic sequantur collatae cum lectionibus Cornarii:

	Cornarius.	Lindanus.
C. I	*θάλλεται*	*πάλληται* [1])
II	*ὤνθρωπος*	*ἄνθρωπος*
	Φάρυγγα	*λάρυγγα*
	μεῖζον	[*οὐδὲ*] *μεῖζον*
III	*ἀποπίει*	*ἀποπιέζει*
	οὖραχον	*οὐραγὸν*
IV	*στερεόν*	*στερεός*
VI	*μᾶλλον*	*μᾶλλον* [*δὲ*]
VIII	*μαλθακὰ σηραγγώδεα*	*μ.* [*καὶ*] *σ.*
IX	*θερμὸν*	*θερμὸν* [*καὶ*]
X	*ἀρχαὶ*	*ἀρχαὶ δὲ*
	οἱ θύρεσι	Καὶ (*θύρησι*) [2])

Unde originem ducant hae lectiones Lindanus non docuit morte praeventus. In codicibus manuscriptis, qui hodie nobis praesto sunt, harum nulla invenitur. Verisimile est omnes ipsius Lindani esse coniecturas. Si tamen vere perhiberet praefatio minimum Lindanum ex coniectura esse ausum, credendum esset eum multas aliorum coniecturas recepisse — quas mirum esset nusquam alibi memorari. Quoquomodo res se habet, coniecturae quales *πάλληται*, *στερεός*, *θερμὸν καὶ*, quamvis sit disceptandum utrum rectae sint necne, magni sunt aestimandae. Textus enim et his emendationibus et illis, quas ex Foesii notis desumpsit Lindanus, clarior fit et facilior intellectu, licet longius forsitan discedat a codicibus manuscriptis. Mihi certe Lindani opera in restituendo et interpretando textu libri Π. *καρδίης* minime irrita fuisse videtur.

Petrequinius I p. 151 refert Trilleri, Darembergii, aliorum

1) Foesius iam *θάλληται* habet in textu. 2) Foesius *θύρησι* commendat.

Digitized by Google

iudicia, quae ad Lindani opus pertinent. Quoad licet diiudicare ex iis locis, quibus bene meritus est Lindanus de textu libri Π. καρδίης, assentiri nequeo viris doctis qui ad summam Lindani opus haud magni aestimant.

Primus Lindanus libros digessit in capita.

A^is 1743 et 1749 edita sunt „Τὰ τοῦ Ἱπποκράτους ἅπαντα, Hippocratis opera omnia cum variis lectionibus ... studio et opera Stephani Mackii, Elisabethae Christinae Aug. aulae medici, Viennae Austriae, ex typographia Kaliwodiana", II voll. in f°. Programma, quo hanc editionem „indicavit" Mackius, exstat in „Nov. act. eruditor". 1741 mens. Mai. p. 286 [1]). Mackius opus ad finem non perduxit.

Mackii editio omnium magnificentissima est quod attinet ad formam. In Praefatione exponit quibus subsidiis sit usus. Codices enim mss. aliquot inspexit Bibliothecae Caesareae Vindobonensis [2]) et a Riccio, eloquentiae professore, varias lectiones accepit codicis Medicei Bibliothecae Laurentianae Florentinae [3]). Praeterea ei praesto fuerunt exemplar Aldinum, in cuius margine Ioannes Sambucus a° 1561 „mille aliquot varias lectiones", adscripserat „ex pervetusto quodam codice ms. Tarentino et ex alio quodam codice ms. Fontemblensi, nec non ex exemplari quodam, excuso quidem, sed plurimis locis Romae correcto" et exemplar Frobenianum „in cuius margine itidem plurimae exstabant variae lectiones mstae; de quibus ipsum Cornarium scripsisse testatur, se eas non exigua impensa sibi comparasse" [4]). Porro Mackius memorat se non mediocrem fructum cepisse ex Aemilii Porti emendationibus exque variarum lectionum congerie quam cumularint in suis editionibus Mercurialis et Foesius [5]).

Deinde scribit se „doctissimorum etiam virorum animadversiones adhibere operae pretium duxisse, unde aliquid lucis affulgere posset" [6]).

Quorum virorum nominatim solum Thomam Rheinesium [7]) citat.

1) Kuehn p. CXCVI. 2) pp. 1 sq. 3) p. 3. In titulo de pluribus codicibus mss. Mediceis mentionem facit, in praefatione de uno tantum.

4) pp. 1 sq. 5) p. 3. 6) p. 6. 7) „Qui in doctissimo opere: Variarum lectionum libri III, Altenburg 1640, 4, innumera loca veterum, etiam Hippocratis restituit, emendavit, illustravit". Pierer p. CV.

Digitized by Google

Scilicet post Lindanum Mackius primus editionem criticam quam appellamus molitus est, licet in textu constituendo — quod attinet quidem ad librum Π. καρδίης — parum praestiterit. Hoc eum inde ab initio spectasse inde apparet quod Lindani instar in praefatione de priorum editorum opere censuram agit, idque fusius quam ille. Velut in Mercuriali et Foesio reprehendit quod textum Cornarii vulgatum fere incorrectum reliquerunt, etiam iis locis, quibus variam aliquam lectionem potiorem ducebant vel rectam [1]). Et assentitur [2]) Ioannis Freindii Angli iudicio [3]): Charterii „Hippocratis exemplar editoris non inscitia fortasse, sed incuria saltem mendosissimum" esse. Lindano cum eodem Freindio vitio dat quod, quamquam „emendatius sane quam caeteri graecum exemplar reddidit et castigatius", nimis libere multa mutavit et detraxit ac multum admodum a vulgata lectione recessit [4]).

Systema notarum, quo Lindanus paginas et paginarum versus priorum editionum, Aldina excepta, et versionis Cornarii indicat, in sua editione repetit et ipsis Lindani verbis in praefatione explicat; capitum vero distinctionem a Charterio mutuatus est. Sed non modo talia, quae, licet sint multi sudoris, leviora videntur, sed etiam in ipsa textus constitutione multa e Lindani desumpsit editione. Nam quamquam reprehendit Mackius Lindani textus constituendi rationem, tamen, quod attinet ad librum Π. καρδίης, in textum suum multa e textu illius recepit, primum orthographica [5]), de quibus supra verba feci, deinde complures coniecturas. Prorsus enim Mackii textus Foesii et Lindani editionibus nititur [6]).

Pro βεβλήματα (C. IX) textus vulgati Cornarii Mackius περιβλήματα habet, quod de suo coniecisse videtur. Praeter

1) pp. 3 sqq. 2) p. 5. 3) „In praefatione in aliquot Epidem. libros, quos edidit". Puto hanc editionem esse Londiniensem ai 1717, quam memorant Pitcairnius p. CLI, Kuehnius p. XLII. 4) p. 6.

5) C. XII πνεύμονος in πλ. mutare neglexit.

6) Vitiose ex Foesii notis τὸν οὐράγιον (pro τὸν οὔραχον) recepit in textum, quod tamen apud Foesium τὸ οὐράγιον est. Item vitiose pro ἀποπιέζει Lindani annotat „ἀποπιέσει id est exprimet". Bis etiam accentum mendosum inveni in textu sc. φαρύγγα et μίλτῳ. Puto illum accentum vocabuli φάρυγγα apud Mackium inde ortum esse quod apud Foesium φαρ'υγγα invenitur, accentu in littera ρ posito et apud Lindanum pro φάρυγγα legitur λάρυγγα. Sic verisimile est incertam Foesii rationem scribendi accentum fefellisse Mackium. Duplex accentus vocabuli μίλτῳ absurdus est. Puto hoc vitium fortuitum esse.

Digitized by Google

hanc unam lectionem duobus et quadraginta locis, quibus a textu vulgato eum differre comperi, nihil habet novi, sed omnia a Foesio Lindano Charterio mutuatus est. In adnotationibus, quas in calcibus paginarum adiecit, perpauca de suo habet, sed fere omnia, quae ibi inveniuntur, iam in Foesii editione leguntur, cuius „breves notas" identidem ad litteram refert. Qua de re, nisi quod in praefatione Foesium et Lindanum memorat, lectorem vix usquam certiorem facit. Ne semel quidem quoad vidi in annotationibus ad librum Π. καρδίης Lindanum et Charterium nominat auctores, raro tantum Foesium. Charterium in praefatione reprehendit quidem, minime tamen lectionum duarum a se receptarum illi gratiam refert. Nonnumquam Aemilium Portum et „interpretes", — quod vocabulum ipsum est Foesii, — auctores citat. Sed etiam tunc satis habet repetere quae in Foesii editione inveniuntur.

Ubi Sambuci „codicem imperialem" citat, quem bis laudat, de libro agitur, qui Mackio ipsi ipse praesto fuit. Sed etiam horum duorum locorum altero Mackius refert lectionem, quam Foesius iam memoraverat (ὑωγμῆς pro ὀρμῆς C. II), altero lectionem iam a Lindano datam (μᾶλλον δὲ pro μᾶλλον C. VI).

Praeter unam illam lectionem, coniecturam sane laude dignam, ad textum libri Π. καρδίης emendandum nihil de suo contulit.

Studueritne efficacius aliis libris, praesertim eis, in quibus tractandis codex Vindobonensis, qui θ appellatur, adhibere poterat, non meum est hic exquirere. Iam Trillerus arbitratus est apud eum internam dignitatem et praestantiam externo nitori non respondere. [1])

Aⁱˢ 1811—1832 De Mercy edidit Parisiis et alios complures libros Hippocraticos et librum Π. καρδίης (a° 1831). Non inspexi hanc editionem. Littraeus [2]) eam memorat, sed scribit hoc opus ponderare non suum esse. Darembergius, quamquam in prima sua editione de Mercii opere minus severe disputasse videtur [3]), in altera haud dissimulat se non magni aestimare quae Mercius praestitit [4]). Petrequinius, qui iudicat Mercii textum graecum meliorem esse quam versionem, scribit Mercium maxime Lindanum secutum esse. [5])

1) p. 182. 2) I p. 553. 3) Pétrequin I 160.
4) p. XIV. 5) Pétrequin l. l..

Digitized by Google

Ais 1825—'27 edidit C. G. KÜHN, Professor Physiologiae et Pathologiae in Literarum Universitate Lipsiensi, graece et latine „Τοῦ μεγάλου Ἱπποκράτους ἅπαντα, Magni Hippocratis opera omnia", III voll. [1]) in 8°, Lipsiae apud Cnoblochium.

De ratione, qua „in editione adornanda" Kuehnius usus est, nos certiores facit in praefatione, quam vol. XXI exhibet. Non „novam recensionem" spectat, sed „tantum accuratam ad optimorum exemplorum fidem descriptionem".

„Inter editiones operum Hippocratis, quae describendae operis tradi poterant, Foesianam anni 1657 et Lindenianam an. 1665, utram alteri praeferret, haud poterat diu dubius esse ancepsque". Metuebat „ne Lindenio ulli omnino ad manus fuerint codices manuscripti". Ob nimiam „a Lindenio adhibitam emendandi licentiam" et versionem Cornarii „pessimi critici" [2]) graeco textui adiunctam „Foesii editionem ultimam, quam Trillerus suo qualicumque iudicio superiorem declaravit, operis exscribendam" tradidit. Quamquam a vitiis typographicis, adiuvante G. Dindorfio, editionem illam liberare studuit [3]). Cetera vero, quod memoraverunt etiam Littraeus [4]) Petrequinius [5]) Nelsonius [6]), Foesium tantum repetivit, omissis tamen illius notis. [7])

Attamen haec inveni, quae in Kuehnii textu a textu Foesii anni 1657 discrepant:

	Foesius.	Kuehnius.
C. II	προσαιρούμεθα	προαιρούμεθα
	περιέχει	παρέχει
IV	ἡ γὰρ πᾶσα καρδίη	om. πᾶσα. [8])

Praeterea hic illic ν paragogico deleto vel addito, ι subscripto inserto, interpunctione mutata textus inter se differunt. Non igitur prorsus sine mente ac consilio Kuehnius textum Foesii reddidisse videtur. Versionem latinam tamen, quae textui graeco subiecta est, tam stolide e Foesii editione ad

1) Sunt voll. XXI—XXIII operis, c. t. „Medicorum Graecorum opera quae extant", quorum editionem cunctam curavit Kuehnius.

2) Sunt haec verba Casauboni, quae Kuehnius citat.

3) Praef. pp. VIII—XII. 4) I p. 553. 5) I p. 152. 6) p. 80.

7) Quo factum est ut incertum maneat lectori multis locis, cur differant inter se textus graecus et versio latina. 8) Quae omissio fortasse fortuita est.

Digitized by Google

litteram desumpsit Kuehnius ut vitium typographicum absurdum „felles" pro „folles" e Foesii libro descripserit.

Annis 1839—1861 edidit E. Littré „Oeuvres complètes d'Hippocrate, traduction nouvelle avec le texte grec en regard, collationné sur les manuscrits et toutes les éditions; accompagnée d'une introduction, de commentaires médicaux, de variantes et de notes philologiques; suivie d'une table générale des matières", Parisiis apud bibliopolas J. B. Baillière et filium, X voll in 8°.

Quid molitus sit in Hippocrate edendo statim in initio praefationis nos docet Littraeus his verbis: „il a fallu revoir le texte, refaire la traduction, et donner une interprétation médicale". De ratione qua in textu constituendo usus est nos certiores facit Littraeus vol. II p. 218 in annotatione. Fundamentum ei fuit textus quem appellat vulgatum, non Cornarii, quem editores priores, sed Foesii anni 1595 [1]); quem textum deinde e codicibus mss. emendavit. Hanc rationem non probaverunt Gomperzius [2]) et Nelsonius [3]), qui recte mirantur Littraeum non testibus ipsis, quos ipse traditionis fidissimae e bibliothecarum situ in lucem produxerat, imprimis nixum esse. Inquisivit ille quidem in codices manuscriptos omnes, continentes libros Hippocraticos, quos invenire potuit in Bibliotheca Publica, quae est Parisiis, olim Regia appellata; enumerat et describit hos codices vol. I pp. 511—537. Sed constabat ei codices manuscriptos etiam aliarum bibliothecarum omnes esse examinandos [4]). Quapropter ipse confitetur nonnulla operi suo deesse. Nihilominus eum opus maximi momenti condidisse fatendum est. Insolita enim industria et acumine singulari subegit disposuit vir ingeniossimus materiam abundantem, quam praebebat ei copia codicum Parisinorum magnam partem praestantissimorum. Praeterea tamen hic illic adhibere potuit varias lectiones codicum manuscriptorum bibliothecarum aliarum, quas petebat ex aliorum collationibus in suum usum

1) Gomperzius p. 67 parum clare de hac re nonnulla scripsit ita ut putares Littraeum Cornarii ipsius textum secutum esse. Foesius quidem, quod ostendi p. 25 a Cornarii textu est profectus, sed compluribus locis eius textum immutavit.
2) l. l. 3) p. 61. 4) Praefat. p. IX.

Digitized by Google

confectis [1]) aut iam extantibus. Denique eiusmodi varias lectiones ei etiam priores praebuerunt editiones, licet plerumque parum constet ex quibus oriantur codicibus illae lectiones. Vol. X pp. LIX—LXV de aliarum bibliothecarum codicibus mss. nonnullis perscribit annotationem, quam ei praebuit Darembergius. Ab eodem accepit Littraeus collationem partis codicis manuscripti θ Vindobonensis, quam descripsit vol. X pp. LXV—LXXVII. Hunc codicem iam vol. VI p. 139 memorat, ubi simul probat Mackii collationes [2]). Praeterea vol. IV p. 76 codicem Monacensem 71 memorat, quem codicem in tribus libris Hippocraticis contulit Littraeo Thomasius, et vol. VII pp. 467 sq. codices Vaticanos 276 et 277, e quibus priorem Darembergius contulit Littraeo in libro Περὶ φύσιος παιδίου. [3])

Inquirenti mihi in textum libri Π. καρδίης, exceptis compluribus locis ubi Littraeus grammaticae, dialecti, orthographiae causa mutavit vocabula, duodequadraginta loci occurrerunt, quibus Littraei textus aliam exhibet lectionem atque textus Foesii. Septemdecim ex his lectionibus Littraeus de suo dedit, septem e codice C, duas e codd. C et E consentientibus, unam e codice E, ceteras mutuatus est e notis Foesii, ab Aem. Porto, a Calvo, ex ed. Aldina, a Coraë, a Schneidero, a Mackio (lect. διήσῃ sc. (C. II), quae lectio re vera Charterio debetur). Praecipue igitur secutus est codicem Parisinum C, quem repraesentare codicem veterem Vaticanum 276 ei notum fuit [4]). Lectio quam e codice E desumpsit in codice C perperam e Vaticano descripta est, in E tamen recte, τυτθὸν sc. (C. II), pro qua C τιτθὸν habet. Enumerentur hic septemdecim illae lectiones Littraei propriae, appositis Foesii lectionibus:

---

1) De quarum fide cf. Ilbergium Mus. Rhen. XLII p. 436.

2) Non solum enim collationes sibi paravit Littraeus earum partium codicis θ, quas non contulit Mackius, sed etiam recensendas curavit Mackii nonnullorum librorum collationes, ut eius studia examinaret.

3) Ex qua collatione iam Littraeus conclusit codicem Parisinum 2146 C descriptum esse e cod. Vaticano 276.

4) Vide supra annotationem 3am in pag. 4.

Digitized by Google

	Foësius.	Littraeus.
C. II	προ(σ)αίρουμεθα [1])	1. προσαιρόμεθα
	ἀναιδὲς	2. ἀνέδην
	τοῖχον	3. τυτθὸν
IV	τῇ ἑτέρῃ φλεβὶ	4. τῇ ἑτέρῃ
	καὶ στερεόν ἐστιν	5. στερεὸν, καί ἐστιν
V	τε καὶ	6. καὶ
VII	καρδίην	7. κορυφὴν
VIII	πλατικὸν	8. πιλητικὸν
IX	βλήματα. ἔστι	9. βέβλαπται ἔς τι
X	οἳ (θύρεσι)	10. ᾧ (θύραισι)
	ξυνιέντες	11. ξυνιόντες
	ἀφελὼν τὸν μὲν	12. ἀφελὼν τῶνδε τὸν μὲν (ex ἀφελόντων δὲ τὸν μὲν C E)
	ἀποστερήσει	13. ἀποστήσῃ
XI	νηδύος τῶν ἐντέρων	14. νηδύος καὶ ἐντέρων
	αἵματι ἡ μεγάλη	15. αἵματι δῆλον
	ἀρτηρίη δῆλον	
XII	πνεύμονος	16. πνεύμονα ὡς
	αὐτοῖς	17. αὐτῷ εἰς

Ex quibus praesertim sunt insignes lectiones notatae numeris 5, 12, 16, 17, quippe quibus, per minimam, sed acute inventam mutationem textus multo clarior factus sit. Etiam lectio πιλητικὸν pro πλατικὸν laude digna est. Parvi aestimanda est lectio κορυφὴν, quam dubitanter tamen ipse Littraeus proponit.

Mackius primus in fine singularum paginarum annotationes addidit criticas, Littraeus primus praebet apparatum criticum perpetuum [2]). Quo modo constitutus sit apparatus Littraeus docet in annotatione, quam iam memoravi, quae invenitur in pp. 218 et 219 vol. II. Ibi apparet eum, cum ad priores quos edidit libros tres varias lectiones adnotasset plurimas quidem, attamen selectas, postea consilium cepisse e collatione subtilissima omnium codicum mss. Bibliothecae Regiae omnia, quae inveniret, in apparatu suo exarare [3]). Hoc inceptum eum

1) Cf. annotationem 2am in pag. 24. 2) Usque ad vol. II p. 378 codices mss. numeris indicat, deinde litteris. 3) „La collation la plus minutieuse s'est étendue à tous les manuscrits de la Bibliothèque royale; et tout a été noté. Je

Digitized by Google

usque ad finem peregisse nos docet apparatus criticus libri Π. καρδίης, qui liber invenitur in vol. IX pp. 80—93. Menda etiam codicum annotat, e. g. ad c. V προσινίης e codice C, ψυχρόμενος e codice E.

Cum plurimorum librorum Hippocraticorum recentior editio non exstet, quae sit alicuius momenti — editio Ermerinsiana enim cunctorum librorum Hippocraticorum parvi est pretii — magni interest notare apparatum Littraei in nonnullis rebus mancum et imperfectum esse. Manifestum quidem est eum non sufficere ubi hunc vel illum codicem non vidit vel non novit, velut in libro Π. καρδίης codices Vaticanum et Holkhamensem. Hoc tamen nunc praetereo.

Sed ea, quae referre et voluit et potuit, non omnia in apparatum recepit, de nonnullis rebus mendose rettulit aut parum lucide eas indicavit [1]). Haud mirum hoc est, neque forsitan reprehendendum in tanta mole operis. Haec animadverti Littraeum e codicibus notanda in apparatu ad librum Π. καρδίης praeteriisse:

Ad C. II Cod. E om. δὲ (post τυτθὸν)
„ C. IV „ C οὔραχον (cum cod. E)
„ C κατίθυωρίην
„ C. V „ C εἴκελον
„ C ὅλμῳ
„ C. VIII „ E ἤδοις

Haec perperam citat:

Ad C. IV Cod. C οὕτω — C habet οὕτω
„ C. X Codd. C E τοῖσι κοιλίοισι — C E habent τοῖσι κοίλοισιν
„ C. XII Codd. C E πουλὺς — C habet πουλὶς

Annotavit etiam coniecturas et lectiones editorum; quas cum omnes memorare voluisse videatur, non semper cunctas congerere ei contigit. Cuius rei haec exempla afferam: ad cc. II et X lectiones διήσῃ et οἱ (ante verba τῆς καρδίης ὑμένες) Mackio soli adscribit, Charterium, cui debentur, non memorat. Non annotavit ad cc. I et II Mackium etiam habere πλεύμονος,

jugerai quels seront les résultats de ce rigoureux système, pour savoir s'il faut l'appliquer, sans restriction, aux autres volumes".

1) Cf. Ilberg Mus. Rhen. XLII pp. 436 sq., Gomperz p. 75, Nelson pp. 43 sqq..

Digitized by Google

Charterium χῶνος, Charterium et Mackium ῥωγμῆς, Foesium περιέχει, Mercurialem non habere ἡ ante vocabulum ἐπίτεγξις.

Primus etiam Littraeus in editione sua textui disputationem praemisit de dialecto librorum Hippocraticorum, ad exponendum systema, quod sequitur, orthographicum. Libros nova ratione digessit in capita.

Licet sint notanda menda, quae supra indicavi, praeclare meritus est Littraeus de libris Hippocraticis in rebus philologicis et criticis. Praeterea interpretatione medica praestitit omnibus, qui ante eum ediderunt et interpretati sunt libros Hippocraticos. Quod iam diserte dixerunt Darembergius [1]) Petrequinius [2]) Ilbergius [3]). E quibus Darembergius censet Littraeum novum aevum condidisse [4]) studiis Hippocraticis et multo plura praestitisse in edendo Hippocrate quam Cornarium, qui iactet se plus quattuor milia locorum emendasse [5]). Petrequinius, qui de Littraeo eiusque opera erudite scripsit et recte, Littraeum anteponit et Cornario et Foesio, et transfert mutato saeculi numero in Littraei ipsius opus verba, quae scripsit Littraeus de Foesii opere: „Ce travail est supérieur à tous ceux qui l'ont précédé; c'est un beau monument de l'érudition médicale au XIXe siècle" [6]). Hoc unum Littraeo vitio dat quod nonnumquam non valuit resistere illecebris artis criticae tunc recentis, praesertim cum malum exemplum sic praebuerit Ermerinsio. Mihi contra iure videtur Darembergius dixisse Littraeum cautissimum fuisse in coniciendo [7]). Darembergii et Petrequinii laudibus iure assentiuntur Ilbergius [8]) et Nelsonius [9]). Littraei enim editio superat alias omnes tamquam „monumentum aere perennius".

Annis 1859—1864 mandatu Academiae Regiae disciplinarum quae est Amstelodami F. Z. Ermerins, Medicinae Professor in Universitate Groningana, edidit „Ἱπποκράτους καὶ ἄλλων ἰατρῶν παλαιῶν λείψανα, Hippocratis et aliorum medicorum veterum reliquias", Traiecti ad Rhenum apud Kemink et filium,

1) p. CIII. 2) I p. 153. 3) Studia pseudippocratea, Lipsiae 1883, p. 6.
4) Journal des Savants 1851, p. 563. 5) Oeuvres choisies d'Hipp. l. l.
6) I pp. 152 sq.
7) Journal des Savants 1853 p. 317 „M. Littré est très sobre de conjectures".
8) Mus. Rhen. XLII l. l.. 9) p. 61.

Digitized by Google

Lipsiae apud T. O. Weigel, Parisiis apud Benj. Duprat, III voll. in 4°.

Quod eodem tempore, quo Littraeus nondum absolverat editionem suam, novam iam moliebatur editionem, excusat se Ermerinsius in praefatione. Editores priores, etiam Littraeum, parum apte textum librorum Hippocraticorum emendasse censet eiusque partes diversas discrevisse, parum attendisse ad singulorum librorum proprium sermonis genus, non satis distinxisse libros spurios a genuinis, inconsiderate in Latinum aliosve sermones vertisse etiam ea, quae non intellegerent, grammaticam non sat accurate cognosse [1]). Docet Ermerinsius „omnis interpretationis cardinem versari in textu bene descripto" [2]), imprimis igitur textu bene recensito opus esse. Non assentitur Ermerinsius eis qui queruntur de illis editoribus, qui, cum nimium sint philologi, parum confidant codicibus manuscriptis [3]).

Si his verbis hoc tantum proferre ei in animo fuisset, quod et alibi [4]) monuit, libros antiquos saepe esse contaminatos et turbatos, textum haud raro corruptum esse et interpolatum, facile Ermerinsio applauderemus. Sed plus in his verbis inesse colligimus ex eis, quae sequuntur in praefatione, ubi agit Ermerinsius de subsidiis, quae adhibuit. Usus est „editis exemplaribus omnibus, saltem iis qui hunc in finem in censum veniant" et studuit Galeni commentariis. Duos contulit codices mss. Leidenses, Vossianum et Scaligeranum, et „excerpta" e codice Marciano 269, ad nonnullos libros pertinentia, quae a Cobeto acceperat [5]). Codex Vossianus paucos continet libros Hippocraticos, Scaligeranus duos tantum. Uterque codex recentior est. „Itaque paucis tantum subsidiis manuscriptis se uti potuisse" ipse Ermerinsius confitetur. Quod hoc modo excusat: citat unum locum e libro Epidem. VI, quem et Foesius et Littraeus vitiosum esse non viderint. Tunc exclamat: „I nunc et dic mihi praeter codices multos et interpretes veteres omnes non alia quadam re insuper opus esse, ut veterum locos interpreteris. Quid igitur insuper requiritur? Id, quod si habes, vix quaeres, sin non habeas, perinde est utrum dicam, nec ne!" [6]).

---

1) Vol. I Praef. pp. III—VI. 2) p. VII. 3) p. VII. 4) p. IV.
5) pp. IX et X. 6) p. X.

Digitized by Google

Quomodo haec intellegat facile perspicitur ex Ermerinsii textu. Codicum lectiones vix curat, minime eas perpendit et inter se comparat; hic vocabula delet illic inserit, hic vocabula transponit, illic substantivorum casus transmutat; rationem facinorum suorum non reddit vel saltem minus quam par est. Hoc modo eum revera aio uti ratione, quam in praefatione profitetur his verbis: „Ceterum in textu constituendo egi quemadmodum olim in Aretaeo [1]); textum Graecum quam diligentissime ad librorum scriptorum lectiones excussi; vitia notavi; quae corrigere licebat, correxi; glossas, adnotationes lectorum recentiorum eieci, saltem ubi fieri posse videbatur" [2]).

A quonam textu proficiscatur in suo textu constituendo non profitetur. Omnino tamen Ermerinsius Littraei editione nititur [3]). Huius etiam apparatum criticum, quamvis temere excerptum, in usum suum convertit, paucis tantum rebus hic illic de suo additis [4]). Haec omnia ita se habere nusquam diserte dixit Ermerinsius.

Praeterea ubique mutationibus incubuit orthographicis ex ratione quadam, de qua in opere suo exposuit nihil. Hinc sermo exstitit quem Wilamowitzius sibi taedium movere iure scripsit [5]), quemque reprehendit iam Petrequinius [6]). Tunc identidem parum consulte indulsit mutationibus, quae ei videbantur grammaticae causa esse necessariae.

Nelsonius perhibet Ermerinsii textum ex omni parte posthabendum esse textui Littraei [7]). Facere non possumus quin assentiamur Nelsonio, si respicimus textum quem Ermerinsius habet libri Π. *κραδίης*. Adeo suo arbitrio immutavit textum Littraei et editorum aliorum, tam mancus est apparatus criticus, quem addit, ut eum, qui solam Ermerinsii legat editionem,

1) Quem edidit Ermerinsius a° 1847. 2) p. XI.

3) Cf. Ilberg, Studia pseudippocratea, p. 6. „Darembergius ... et Ermerinsius ... fundamento Littreano sua superstruere animum induxerunt."

4) Ita fit ut Ermerinsii apparatus exhibeat etiam vitia illa, quae supra in apparatu Littraei notavi. Praeterea in Ermerinsii apparatu animadverti haec menda: ad C. VI in verbis nonnullis e Littraei apparatu desumptis pro *ἴσως* habet *ὄκως*, ad C. X *θύροισι* pro *θύρῃσι*. Codices mss. indicat eisdem signis, quibus utitur Littraeus. Signa tamen non explicat, uno signo L excepto, quod explanat vol. II p. XVI. 5) In libro c. t. „Homerische Untersuchungen", qui prodiit Berolini a° 1884, p. 316. 6) I p. 154. 7) p. 61.

Digitized by Google

prorsus fugiat quae sit forma textus traditi. Praeter orthographica statui duobus et triginta locis textum Ermerinsii a Littraei textu differre. Bis restituit lectionem textus „vulgati", semel recepit lectionem e Foesii notis, bis Lindani emendationem, quam non habet Littraei textus. Ceterae coniecturae ipsi debentur, arbitrariae plerumque et quae nequeant probari.

Ex quibus quattuor tantum memoratu dignae mihi videntur, quamvis fortasse sint magis ingeniosae quam rectae: C. VII pro τῶν οὐάτων τὴν καρδίην (Littraeus κορυφὴν) textus „vulgati" legit τὰ οὔατα τῆς καρδίης et ἐντεῦθεν pro ἐνταῦθα, C X pro Littraei lectionibus ᾧ θύραισι et ἀποστήσῃ habet καὶ θύραι σφι et ἀποστηρίζῃ.

Licet hic illic in prolegomenis quae volumini cuique praemittit et in apparatu critico habeat nonnulla quae sint utilia, editionem Ermerinsianam, cunctorum librorum Hippocraticorum recentissimam, in textu constituendo minimo damno neglegere possis. Attamen respexerunt in suis editionibus locis compluribus editionem Ermerinsii Reinholdius [1]) et Kuehleweinius. Littraeus quoque, cuius volumen I Ermerinsius castigavit in ephemeride c. t. „Allgemeine Hallische Literatur-Zeitung" a. 1839, Ermerinsii monita haudquaquam aspernatus est [2]).

A. Baeckstroem [3]) Theodoro Beckio obiter vitio dedit quod in edendo libro c. t. „Hippocrates, Erkenntnisse" [4]) non inspexit Ermerinsii „pulchram editionem". Rectius Ilbergius [5]) in disputatione de Fuchsii versionis volumine II haec scripsit: „Im ganzen hat der Uebersetzer sehr recht daran gethan, sich gegen Ermerins' unverantwörtliche Willkür im Streichen verderbter oder schwer verständlicher Stellen anzulehnen. Die Leistungen des Holländers nach dieser Richtung sind oft geradezu eine Parodie auf die philologische Technik."

Nihilominus satis apparet Ermerinsium fuisse virum ingeniosissimum. Sed tempore brevissimo opus ingens conficere non est unius hominis. Et praeterea parum philologice eruditus

1) „Hippocrates, cura Caroli H. Th. Reinhold", Athenis a. 1864—1866, II voll. in 8°. 2) Cf. Littr. II pp. XLVIII—LII. 3) Lit. Zentralbl. 1908 col. 1165. Ephemeridis titulum et columnae numerum debeo Nelsonio (p. 61 ann. 7). 4) Ienae 1907 apud Diederichsium. 5) Berl. Phil. Wochenschr. 1897, col. 1059. Ephemeridis titulum et columnae numerum debeo Nelsonio (p. 62 ann.).

Digitized by Google

Ermerinsius fuisse mihi videtur. Petrequinius, in arte medica Ermerinsii collega, Ermerinsio multo magis peritus rerum philologicarum, praeclare de Ermerinsio haec dicit: „Voilà un auteur que j'aurais voulu ne pas avoir à juger, parce qu'à côté de qualités estimables il a des défauts d'autant plus regrettables que la plupart sont volontaires. Il a du savoir; il a écrit des prolégomènes pleins de curieux aperçus, des préfaces intéressantes et des notes souvent utiles, mais il n'a pas le respect du texte, il ne se fait aucun scrupule d'y introduire des changements arbitraires." Quibus verbis finire disputationem de Ermerinsio eiusque opere aptissimum mihi videtur.

De versionibus.

A° 1525 primum in lucem prodierunt „Hippocratis Coi ... octoginta volumina ... per M. Fabium Calvum ... latinitate donata ..." Romae in aedibus Francisci Minitii Calvi, in uno volumine in 4°.[1]). In praefatione Calvus scribit se multis codicibus mss. esse usum, quos tamen non nominat[2]). Priusquam libros Hippocraticos vertere coepit exemplar suum graece ut inde verteret confecit, qui est codex Vaticanus graecus 278[3]).

Darembergius diligenter, quod attinet ad librum Π. *φύσιος παιδίου*, cum hoc codice ms. Vaticano graeco 278 codices mss. Vaticanos graecos 276 et 277 contulit Calvumque his codicibus imprimis usum esse comperit. Annotat Darembergius tempore, quo Calvus versionem suam confecit, praeter hos duos codices nullum codicem, scripta Hippocratica continentem, qui fuerit alicuius momenti, in Bibliotheca Vaticana exstitisse[4]).

1) Cf. Littré, Oeuvres complètes d'Hippocrate I pp. 540 sq.. Darembergius, Oeuvres choisies d'Hippocrate traduites ..., ed. II p. X, et Petrequinius, Chirurgie d'Hippocrate, I p. 161, perperam hanc versionem „editionem principem" appellaverunt. Iure Nelsonius, Die Hippokratische Schrift Π. *φυσῶν*, p. 75 hanc appellationem tribuit editioni Aldinae graecae a^i 1526. 2) Cf. Littré l. l.

3) Daremberg p. CII in annot.. Idem memorat exemplar quoque, quod suae versionis ipse scripsit Calvus, adhuc in Bibliotheca Vaticana asservari.

4) Daremberg pp. CII sq. in annotatione: „D'ailleurs, à l'époque de Calvus, il n'y avait au Vatican que ces deux manuscrits d'Hippocrate comprenant toutes ses oeuvres ou du moins une notable partie."

Digitized by Google

Libri Calviani inspexi exemplar a[1] 1525, quod asservatur in Bibliotheca Publica Borussica, quae est Berolini.

Foesius in „brevibus notis" complures Calvianae versionis lectiones affert et saepius reputat, quasnam lectiones graecas Calvus amplexus esse videatur. Inter quas sunt τιτθὸν et ἐπίτευξις, quae etiam in codice Parisino C inveniuntur, nullam aliam ob causam quam quod, si neglegenter legas codicem Vaticanum 276, vocabula τυτθὸν et ἐπίτεγξις propter rationem qua in hoc codice sunt scripta facile sic legas. Eodem modo in codice Vaticano pro λαγαρωτέρη ob rationem qua littera γ scripta est, legas λαπαρωτέρη, quod Calvum quoque legisse videri Foesius recte scribit. Haec firmant id quod de codice Vaticano 276 a Calvo adhibito Darembergius contendit. Littraeus in apparatu critico annotat Calvum pro forma βέβλημα, quae et in codice Vaticano 276 et in codice Holkhamensi non correcto scripta invenitur, in versione habere „repagula". „Repagula" autem graece ἐπιβλῆτες est. Confuditne Calvus cum vocabulo hoc ἐπιβλῆτες vocabulum ἐπιβλήματα, quod in codice aliquo scriptum invenerit? ἐπιβλήματα enim pro tradita forma βέβλημα, quae nihili aestimanda est, auctore Vollgraffio, legendum mihi videtur. Recte putant et Foesius et Littraeus Calvum pro verbis οὐκ ὂν κατὰ φύσιν codicis Vaticani 276 legisse καὶ τοῦτο κατὰ φύσιν (Li. c. XI). Inspexitne etiam hoc loco codicem, qui nobis non iam praesto sit?[1]).

Coraes magni aestimat Calvi versionem[2]), Littraeus scribit nunquam se inde ullum cepisse fructum[3]). Sed mihi, ratione habita lectionis quae est „repagula", de qua supra verba feci, fieri posse videtur ut Calvus hic illic aliquid conferat ad textum melius constituendum. Ceteroqui eius versio nobis parvi pretii est.

A° 1545, septem igitur annis postquam edidit textum graecum, Ianus Cornarius librorum Hippocraticorum edidit versionem latinam, c. t. „Hippocratis Coi medicorum omnium facile principis opera quae exstant omnia". Venet. ap. I. Gryphium, in 8°[4]).

1) Iure Nelsonius p. 75 ut amplius inquiratur monet in codices, quibus usus sit Calvus. Attamen quae de hac re statuit Darembergius recta esse apparet ex eis, quae supra scripsi.

2) Nelson p. 74. 3) Littré I p. 541. 4) Littré I p. 546.

Digitized by Google

Hanc versionem Ackermannius-Kuehnius decies recusam esse memorant [1]). Contuli exemplar, quod asservatur in Bibliotheca Universitatis Ultraiectinae, editum a° 1546 Parisiis apud bibliopolas Guillard et Desbois in 8°. Multis autem locis haec Cornarii versio differt a textu, quem edidit [2]). Quam rem in „epistola nuncupatoria", versioni praemissa paucis tantum verbis explanat, pollicitus se amplius rationes esse redditurum, quod promissum tamen non praestitisse videtur. Scribit se in versione multa inmutasse, non pauca reiecisse, plurima apposuisse, saepe repetita Hippocratis lectione, collatis locis alibi ab Hippocrate repetitis, perlecta denuo tota Galeni graeca ac latina editione [3]).

E Mackii praefatione apparet, quod iam memoravi, in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi asservatum fuisse „Hippocratis exemplar a Iano Cornario Basileae anno 1538 graece in folio editum" cum „variis lectionibus manuscriptis", a Cornario ipso in margine annotatis [4]). Quod exemplar si adhuc exstaret, melius profecto intellegeremus quomodo de locis in versione mutatis iudicandum sit. Trillerus [5]) pessimam esse Cornarii versionem arbitratus est. Quod attinet ad librum Π. *καρδίης*, Cornarii versio tamen mea sententia certe non minoris aestimanda est quam versio Foesii. Ut exempla afferam, capita X et XI explicatu difficillima melius vertit Cornarius quam Foesius.

Mercurialis et Lindanus in editionibus suis iuxta textum graecum repetiverunt Cornarii versionem [6]).

Quod idem fecit A. de Haller in opere, c. t. „Artis medicae principes", quod Losanae edidit a^is 1769—1774 (XI voll.) in voluminibus I—IV.

---

1) Kühn I (XXI) pp. CXC sq.

2) Littraeus in apparatu critico lectiones textus graeci Cornariani significat nota: „Frob." (i. e. Frobeniana editio), lectiones quas in versione Cornarius amplexus esse videtur, verbis „legit Corn.". 3) Ep. nunc. pp. 7 sq.

4) Mackius in praefatione pp. 1 sq. 5) Epist. med. crit. p. 181.

6) Mercurialis uno loco a Cornarii versione discedit. Cornarius, ubi in textu graeco habet *ἔστι γὰρ τὸ θερμὸν ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν*, vertit: „est enim calor *non* in dextris." Mercurialis vocabulum *non* in versione non habet. Puto hoc fortuito factum esse, nam aliis locis versionem non ad textum accommodavit. In Lindani editione, cum complures coniecturas in textum suum receperit, versio etiam magis a textu discrepat quam apud Cornarium et Mercurialem.

Digitized by Google

Foesius in editione iuxta textum graecum versionem latinam collocavit suam ipsius. In qua versione identidem sequitur lectiones quas in textum recipere veretur. Quo fit ut textus et versio non concinant compluribus locis, de quibus in „brevibus notis" disputat. Mackius in editione sua Foesii versionem repetit hic illic paulum correctam; itemque Kuehnius in editione sua textui Foesii eiusdem versionem subiecit. Qui quam stolide hanc rem tractaverit, iam ostendi ubi egi de textu eius graeco. Foesii versionem seorsum edidit J. F. Pierer Altenburgi a° 1806, III voll. in 8° [1]) itemque a° 1833 Bayle in libro c. t. „Encyclopédie des sciences médicales" II voll. in 8° [2]). Piererius Foesii versionem hic illic immutavit [3]).

Ermerinsius in versione latina, quam in editione sua iuxta textum graecum collocavit, Foesii versionem sequitur, ita ut multis locis eam immutet et re vera propriam det versionem; attamen identidem ad litteram Foesii verba repetit. Ut exemplum referam, c. VII totum e Foesii versione desumpsit, nulla quidem littera mutata.

Littraeus in editione sua versionem apposuit franco-gallicam summa laude dignam. Optime haec de Littraei versione scripsit Darembergius: „M. Littré a très bien compris le double devoir du traducteur: se pénétrer du sens de l'auteur et le rendre en suivant le texte d'aussi près que possible, mais sans servilité. On pourrait peut-être reprocher à M. Littré d'avoir traduit quelquefois un peu trop au courant de la plume, d'autrefois de s'être tiré de certains textes embarassants par un calque plutôt que par une traduction. Mais ces taches, inévitables dans un travail aussi difficile et d'aussi longue haleine, sont légères, et en somme Hippocrate est veritablement translaté du grec en français; on reconnait même son allure et sa diction sous la phrase moderne" [4]).

Versiones franco-gallicas ediderunt librorum Hippocraticorum omnium Tardy et Gardeil, Parisiis a^is 1667 et 1801. De Mercy textui graeco, quem et aliorum nonnullorum librorum Hippocraticorum et libri Π. καρδίης edidit Parisiis a^is 1811—1832,

1) Addidit Piererius huic editioni prolegomena ampla pertinentia praesertim ad librorum Hippocraticorum historiam litterariam. 2) Pétrequin I p. 152.
3) Cf. Piererii praefationem p. XXIII. 4) Journal des Savants 1853 p. 317.

Digitized by Google

addidit versiones latinam et franco-gallicam. Parvi pretii esse videntur quattuor hae versiones [1]), quas ipse non vidi.

In versione celebri germanica, quam confecit J. F. C. Grimm, versio libri Π. καρδίης non invenitur. Nuper germanice edidit opera omnia Hippocratica R. Fuchs in libro, c. t. „Hippokrates, sämmtliche Werke, ins Deutsche übersetzt und ausführlich commentiert", a^is 1895—1900 Monachii in aedibus Lueneburgii, III voll. in 8°. In libro Π. καρδίης vertendo identidem Fuchsius erravit, quod amplius explanabo in commentario, ita ut nonnunquam in Fuchsii versione sint obscura, quae in textu Graeco quivis intellegat. Haud dubie nimium festinanter Fuchsius ad finem perduxit opus tot et tantis molestiis impeditum [2]).

De Commentariis.

A° 1563 Iacobus Horstius edidit Francofurti ad Viadrum commentarium in librum Π. καρδίης, in 4° [3]). Puto librum inscriptum fuisse „Enarratio libri Hippocratis de corde, una cum explicatione an intra pericardium vivi homminis vel ad alendum vel ad reficiendum cor natus humor inveniatur." Hunc enim titulum Jourdanus attribuit editioni, quam perhibet a° 1653 Francofurti ad Viadrum in 4° prodiisse [4]).

Haud dubie Jourdanus erravit in anno indicando (hanc enim editionem solam memorat), cum Horstius anno 1600 mortuus sit. Cuius ego librum frustra quaesivi: non enim invenitur in bibliothecis nostratibus neque in germanicis [5]) vel Vindobonensi Publica neque in magna bibliotheca medica

1) A. Dacier Tardii versionem „paraphrasim pessimam" appellat, cf. Pierer p. XCIII. Darembergius p. XIV scribit Gardeilium saepe et graviter errasse, versionem autem, quam confecit Mercius, abundare rebus absurdis.

2) Cf. quae scripsit Ilbergius Berlin. Phil. Wochenschr. 1897 col. 1059 Fuchsium, multis etiam aliis muneribus occupatum, volumen I tredecim mensibus confecisse. 3) Pierer p. CXIX, Ackermann-Kühn p. CLVI, Littré IX p. 79.

4) Jourdan, Bibliogr. du Dictionn. des sciences médicales, vol. V p. 293. Hunc Jourdani locum memoratum a Littraeo mihi iterum examinavit J. E. Kroon Leidensis vir doctissimus.

5) W. C. Hovens Greve Praefecta Bibliothecae Publicae Amisfurtensis in Germania mihi indagationes instituit. Institutum, cui nomen est „Auskunftsbureau der deutschen Bibliotheken", comperit Horstii librum asservatum fuisse in Bibliotheca Riviniana, quae veniit a° 1727.

Digitized by Google

Washingtoniana [1]). Littraeum Horstii librum non vidisse ex editione eius apparet.

A° 1656 Ioannes Nardius Florentinus edidit librum, c. t. „Noctes geniales", Bononiae typis Ferronii, in 8°. Paginis 685—748 Nardius exhibet „commentarium," quem ipse appellat, in librum de corde. Examinavi exemplar, quod asservatur in Bibliotheca Academiae Lugdunensis. Nardius non respexit textum graecum, sed a versione Cornariana profectus defendere studuit placita, quae liber de corde exhibet, nihil tamen, quod quidem ullius momenti sit, ad libri veram interpretationem attulit [2]).

Mercurialis Foesius Ermerinsius, praesertim Littraeus in annotationibus aliisque additamentis, quibus editiones suas ornaverunt, Fuchsius in annotationibus versioni suae subiectis et aliorum librorum Hippocraticorum plurimos et libri Π. *καρδίης* complures locos interpretati sunt.

---

1) De hac re me certiorem fecit J. E. Kroon v. d.

2) A° 1661 Georgius Segerus Thorunensis edidit „Dissertationem de Hippocratis libri Π. *καρδίης* ortu legitimo", Basileae apud Io. König, in 8°. Perlegi exemplar, quod asservatur in Bibliotheca Academiae Lugdunensis. In hoc libro paginarum duarum et triginta Segerus lucubrationibus suis parvi momenti neque ortum „legitimum" libri Π. *καρδίης* confirmavit, neque de interpretatione eius bene meritus est, cui sane ipse scribit (praef. p. 4) se non studere.

Wellmannus in vol. I° libri, c. t. „Fragmentsammlung der griechischen Ärzte", quod Berolini in lucem prodiit apud Weidmannos a° 1901, disputationem inseruit de libro Π. *καρδίης* paginis 94—107. Hac disputatione de libri ortu agit, sed hic illic etiam nonnulla in medium profert, quae ad interpretationem eius pertinent.

Digitized by Google

TEXTUS.

Textus cod. ms. Vaticani.

περὶ κραδίης: I. *καρδίη σχῆμα μὲν ὁκοίη πυραμίς· χροιὴν δὲ κατακορὴς Φοινίκεα· καὶ περιβεβλέαται χἰτῶνα λεῖον· καὶ ἔστιν ἐν αὐτέω ὑγρὸν σμικρὸν ὁποῖον οὖρον· ὥςτε δόξεις ἐν κύστει τὴν καρδίην ἀναστρέΦεσθαι· γεγένηται δὲ τούτου ἕνεκα ὅκως θάλλεται ῥωσκημένως ἐν Φυλακῇ· ἔχει δὲ τὸ ὕγρασμα, ὁκόσον μάλιστα καὶ πυρευμένη ἄκος· τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν, διουρέει ἡ καρδίη πίνουσα· ἀναλαμβανομένη καὶ ἀναλίσκουσα· λάπτουσα τοῦ πνεύμονος τὸ ποτόν·*

II. *πίνει γὰρ ὥνθρωπος τὸ μὲν πολλὸν, ἐσνηδὺν· ὁ γὰρ στόμαχος, ὁκοῖον χῶσνὸσ·* [1]) *καὶ ἐκδέχεται τὸ πλῆθος καὶ ἅσσα προαιρούμεθα· πίνει δὲ, καὶ ἐσΦάρυγγα· τυτθὸν δὲ, οἷον καὶ ὁκόσον ἂν λάθοι διὰ ῥύμης ἐσρυὲν· πόμα γὰρ ἀτρεκὲσ ἡ ἐπιγλωσὶσ κἂν διήσει* [2]) *μεῖζον ποτοῦ οὐδὲν· σημήϊον τοῦτο· ἦν γάρ τισ κυανῶ ἢ μίλτω Φορύξασ* [3]) *ὕδωρ δοίη δεδιψηκότι πάνυ πιεῖν· μάλιστα δὲ, συῖ· τὸ γὰρ κτῆνοσ, οὐκ ἔστιν ἐπιμελὲσ οὐδὲ Φϊλόκαλον· ἔπειτα δὲ εἰ ἔτι πίνοντοσ ἀνατέμοισ τὸν λαιμὸν εὕροισ ἂν τοῦτον κεχρωσμένον τῶ ποτῶ· ἀλλ' οὐ παντὸσ ἀνδρὸσ ἡ χειρουργίη· οὔκουν ἀπιστητέον ἡμῖν περὶ τοῦ ποτοῦ εἰ εὐτρεπίζει τὴν σύριγγα τῶ ἀνθρώπω· ἀλλὰ πῶσ ὕδωρ ἀναιδὲσ ἔνουρον ὄχλον καὶ βῆχα περιέχει πολλὴν οὕνεκα Φημὶ ἀπ' ἄντικρυ τῆσ ἀναπνοῆσ Φέρεται· τὸ γὰρ διὰ τῆς ὁρμῆς ἐσρέον ἅτε παρὰ τοῖχον ἰὸν οὐκ ἐνίσταται τῇ ἀναΦορῇ τοῦ ἠέροσ· ἀλλά τινῖ καὶ λείην ὁδὸν οἱ παρέχει ἡ ἐπίτεγξις·*

III. *τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν, ἀπάγει τοῦ πνεύμονοσ ἅμα τῶ ἠέρι· τὸν μὲν οὖν ἠέρα χρὴ γενόμενον θεραπείην, ἀνάγκη ὀπίσω τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἐκβάλλειν ἔνθεν ἤγαγε· τὸ δὲ ὑγρὸν τὸ μὲν εἰσ τὸν κουλεὸν αὐτέησ, ἀποπτύει· τὸ δ' αὖ ξὺν τῶ ἠέρι, θύραζε χωρέειν ἐᾷ·* [4]) *ταύτη καὶ δικίρει τὸν οὐρανὸν ὁκόταν παλινδρομέη τὸ πνεῦμα· παλινδρομέει δὲ καταδίκην· οὐ γὰρ ἔστιν ἀνθρώπου Φύσιοσ τροΦὴ ταῦτα· κῶς γὰρ ἀνθρώπου τροΦὴ ἄνεμοσ καὶ ὕδωρ τὰ ὠμὰ· ἀλλὰ μᾶλλον τϊμωρίη ξυγγενέοσ πάθησ·*

IV. *περὶ δὲ οὗ ὁ λόγοσ, ἡ καρδίη μῦσ ἐστι κάρτα ἰσχυρὸσ· οὕτω*

---

1) in marg. *βόϑυνος.*

2) in marg. Γᾱ *διῆσαι. διασεῖσαι ἐν β' περὶ γυναικείων. δηλοῖ καὶ τὸ διηθῆσαι καὶ τὸ διελεῖν:* (Gal. ed. Kühn XIX p. 93).

3) in marg. Γᾱ *φορύξαντες. φυράσαντες:* (Gal. ed. Kühn XIX p. 153).

4) ἐᾷ in rasura, cod. Holkh. a librario ipso correctus *χωρέει· ἐν.*

Digitized by Google

TEXTUS.

Textus a me constitutus. [1])

Περὶ καρδίης.

I. Καρδίη σχῆμα μὲν ὀκοίη πυραμίς, χροιὴν δὲ κατακορὲς φοινικέη. καὶ περιβεβλέαται χιτῶνα λεῖον· καὶ ἔστιν ἐν αὐτῷ ὑγρὸν σμικρὸν ὁποῖον οὖρον, ὥστε δόξειε ἐν κύστει τὴν καρδίην ἀναστρέφεσθαι· γεγένηται δὲ τούτου ἕνεκα ὅκως ἄλλεται [2]) ἐν φυλακῇ. ἔχει δὲ τὸ ὕγρασμα ὁκόσον μάλιστα καὶ πυρουμένῃ ἄκος. τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν διουρεῖ ἡ καρδίη πίνουσα, ἀναλαμβανομένη καὶ ἀναλίσκουσα, λάπτουσα τοῦ πνεύμονος τὸ ποτόν.

II. Πίνει γὰρ ὥνθρωπος τὸ μὲν πολλὸν ἐς νηδύν· ὁ γὰρ στόμαχος ὁκοῖον χῶνος καὶ ἐκδέχεται τὸ πλῆθος καὶ ἅσσα προσαίρομεθα. πίνει δὲ καὶ ἐς φάρυγγα, τυτθὸν δέ, οἷον καὶ ὁκόσον ἂν λάθοι διὰ ῥύμης ἐσρυέν· πῶμα [3]) γὰρ ἀτρεκὲς ἡ ἐπιγλωσσὶς κἂν διήσει μεῖζον ποτοῦ οὐδέν. σημήιον τοῦτο· ἢν γάρ τις κυάνῳ ἢ μίλτῳ Φορύξας ὕδωρ δοίη δεδιψηκότι πάνυ πιεῖν, μάλιστα δὲ συί (τὸ γὰρ κτῆνος οὐκ ἔστιν ἐπιμελὲς οὐδὲ φιλόκαλον), ἔπειτα δὲ, εἰ ἔτι πίνοντος ἀνατέμοις τὸν λαιμόν, εὕροις ἂν τοῦτον κεχρωσμένον τῷ ποτῷ. ἀλλ' οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἡ χειρουργίη. οὔκουν ἀπιστητέον ἡμῖν περὶ τοῦ ποτοῦ, εἰ εὐτρεπίζει τὴν σύριγγα τῷ ἀνθρώπῳ. ἀλλὰ πῶς ὕδωρ ἀναίδες ἐνοροῦον [4]) ὄχλον καὶ βῆχα παρέχει [5]) πολλήν; οὔνεκα, φημί, ἀπάντικρυ τῆς ἀναπνοῆς φέρεται. τὸ γὰρ διὰ τῆς ὁρμῆς ἐσρέον ἅτε παρὰ τοῖχον ἰὸν οὐκ ἐνίσταται τῇ ἀναφορῇ τοῦ ἠέρος, ἀλλά τε καὶ λείην ὁδὸν οἱ παρέχει ἡ ἐπίτεγξις.

III. Τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν ἀπάγει τοῦ πνεύμονος ἅμα τῷ ἠέρι. τὸν μὲν οὖν ἠέρα χρή, γενόμενον θεραπείην, ἀνάγκῃ ὀπίσω τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἐκβάλλειν ἔνθεν ἤγαγε· τὸ δὲ ὑγρόν, τὸ μὲν εἰς τὸν κουλεὸν ἑωυτῆς ἀποπτύει, τὸ δ' αὖ σὺν τῷ ἠέρι θύραζε χωρέειν ἐᾷ. ταύτῃ καὶ διάρδει τὸν οὐρανόν, ὁκόταν παλινδρομῇ, τὸ πνεῦμα. παλινδρομεῖ δὲ κατὰ δίκην· οὐ γάρ ἐστιν ἀνθρώπου φύσιος τροφὴ ταῦτα· κῶς γὰρ ἀνθρώπου τροφὴ ἄνεμος καὶ ὕδωρ τὰ ὠμά; ἀλλά μᾶλλον τιμωρίη συγγενέος πάθης.

IV. Περὶ δὲ οὗ ὁ λόγος, ἡ καρδίη μῦς ἐστι κάρτα ἰσχυρός, οὐ

---

1) In rebus orthographicis plerumque secutus sum Kuehleweinium (cf. Proleg. (III) in „Hippocr. opera, quae fer. omnia" I et II, quae recensuit H. Kuehlewein).

2) θάλλῃ Ermerinsius in Proleg. ἄλληται Schneiderus apud Littraeum, πάλληται Lindanus, βωσκημένως del. Vollgraffius.

3) πῶμα E.

4) ἐνοροῦον Foesius in „Oeconomia".

5) παρέχει Aem. Portus.

Digitized by Google

νεύρω ἀλλὰ πι λήματι σαρκὸσ· καὶ δύο γαστέρασ ἔχει διακεκριμένασ ἐν ἑνὶ περιβόλω· τὴν μὲν, ἔνθα· τὴν δὲ ἔνθα· οὐδὲν δ' ἐοίκασιν ἀλλήλῃσιν· ἡ μὲν γὰρ ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν ἐπὶ στόμα κέεται· ὁμιλέουσα τῇ ἑτέρῃ Φλεβί· ἡ δὲ δεξιὴ Φημὶ τῶν ἐν λαιοῖσ· ἡ γὰρ πᾶσα καρδίη, τουτέοισι τὴν ἕδρην ἐμπεποίηται· ἀτὰρ ἥδε καὶ πάμπαν εὐρυκοίλιοσ· καὶ λαγαρωτέρη πολλῶ τῆσ ἑτέρησ· οὐδὲ τῆσ καρδίησ νέμεται τὴν ἐσχατιὴν· ἀλλ' ἐγκαταλείπει τὸν οὔραχον· καὶ στερεόν ἐστιν ὥσπερ ἔξωθεν προσερραμμένη·

V. ἡ δὲ ἑτέρη, κέεται μὲν ὑπένερθε μὲν μάλιστα καὶ κατιθυωρίην· μάλιστα μὲν μαζῶ ἀριστερῶ· ὅπη καὶ διασημαίνει τὸ ἄλμα· περίβολον δὲ ἔχει παχὺν καὶ βόθρον ἐμβεβόθρωται τὸ εἶδοσ εἴκελον ὅλμω. ἀλλὰ γὰρ ἤδη καὶ τοῦ πνεύμονοσ ἐνδύεται μεταπροσηνίησ τε, καὶ κολάζει τὴν ἀκρασίην τοῦ θερμοῦ περιβαλλομένη· ὁ γὰρ πνεύμων, φύσει ψυχρὸσ· ἀτὰρ καὶ ψυχόμενοσ τῇ εἰσπνοῇ·

VI. ἄμφω γε μὴν δασεῖαι τὰ ἔνδον· καὶ ὥσπερ ὑποδιαβεβρωμέναι· καὶ μᾶλλον τῆσ δεξιῆσ ἡ λαιὴ· τὸ γὰρ ἔμφυτον πῦρ, οὐκ ἐν τῇ δεξιῇ ὥστε θαῦμα τρηχυτέρην γενέσθαι τὴν λαιὴν ἐσπνέουσαν ἀκρήτου· ταύτῃ καὶ παχετὸν ἐνδεδόμηται Φυλακῆσ εἵνεκα τῆσ ἰσχύοσ τοῦ θερμοῦ·

VII. στόματα δ' αὐτέησιν, οὐκ ἀνεώγασιν εἰ μή τισ ἀποκείρῃ τῶν οὐάτων τὴν καρδίην· καὶ τῆσ καρδίησ τὴν κεφαλήν· ἣν δ' ἀποκείρῃ, Φανήσεται καὶ δισσὰ στόματα ἐπὶ δυσὶ γαστέρκιν· ἡ γὰρ παχείη Φλὲψ ἐκ μιῆσ ἀναθέουσα, πλανᾶ τὴν ὄψιν ἣν ἀνατμηθῇ· αὗται πηγαὶ Φύσιοσ ἀνθρώπου· καὶ οἱ ποταμοὶ ἐνταῦθα ἀνὰ τὸ σῶμα τοῖσιν ἄρδεται τὸ σκῆνοσ· οὗτοι δὲ, καὶ τὴν ζωὴν Φέρουσι τῶ ἀνθρώπω· κἢν αὐανθέωσιν, ἀπέθανεν ὥνθρωποσ·

VIII. ἀγχοῦ δὲ τῆσ ἐκΦύσιοσ τῶν Φλεβῶν σώματα τῆσι [1]) κοιλίησιν ἀμΦιβεβήκασι μαλθακὰ σηραγγώδεα· ἃ κληΐσκεται μὲν, οὐ··ατα τρήματα δὲ οὐκ ἔστιν οὐάτων· ταῦτα γὰρ, οὐκ ἐνακούουσιν ἰαχῆσ· ἔστι δὲ ὄργανα τοῖσιν ἡ Φύσις ἁρπάζει τὸν ἠέρα· καί τε δοκέω τὸ ποίημα, χειρώνακτοσ ἀγαθοῦ· κατασκεψάμενοσ γὰρ σχῆμα στερεὸν ἐσόμενον τὸ σπλάγχνον διὰ τὸ πλατικὸν τοῦ ἐγχύματοσ· ἔπειτα, πάνεον ἑλκτικὸν, παρέθηκεν αὐτέω Φύσασ καθάπερ τοῖσι χοάνοισιν οἱ χαλκέεσ· ὥστε διὰ τουτέων χειροῦται τὴν πνοὴν· τεκμήριον δὲ τοῦ λόγου· τὴν μὲν γὰρ καρδίην, ἴδοισ ἂν ῥιπταζομένην οὐλομελῆ. τὰ δὲ οὔατα κατ' ἰδίην ἀναΦυσώμενά τε καὶ ξυμπίπτοντα·

IX. διατοῦτο δέ Φημι καὶ Φλεβία μὲν ἐργάζεται τὴν ἀναπνοὴν

1) Cod. Holkh. non correctus *τοῖσι*.

Digitized by Google

τῷ νεύρῳ, ἀλλὰ πιλήματι σαρκός. καὶ δύο γαστέρας ἔχει διακεκριμένας ἐν ἑνὶ περιβόλῳ, τὴν μὲν ἔνθα, τὴν δὲ ἔνθα. οὐδὲν δὲ ἐοίκασιν ἀλλήλῃσιν· ἡ μὲν γὰρ ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν ἐπὶ στόμα κεῖται ὁμιλέουσα τῇ ἑτέρῃ Φλεβί (ἡ δὲ δεξιὴ Φημι τῶν ἐν λαιοῖς, ἡ γάρ πᾶσα καρδίη τούτοισι τὴν ἕδρην ἐμπεποίηται)· ἀτὰρ ἥδε καὶ πάμπαν εὐρυκοίλιος καὶ λαγαρωτέρη πολλῷ τῆς ἑτέρης, οὐδὲ τῆς καρδίης νέμεται τὴν ἐσχατίην, ἀλλ' ἐγκαταλείπει τὸν οὐρίαχον στερεὸν καί ἐστιν [1]) ὥσπερ ἔξωθεν προσερραμμένη.

V. Ἡ δὲ ἑτέρη κεῖται μὲν [2]) ὑπένερθε μάλιστα καὶ κατ' ἰθυωρίην μάλιστα μὲν μαζῷ ἀριστερῷ, ὅπῃ καὶ διασημαίνει τὸ ἄλμα. περίβολον δὲ ἔχει παχὺν καὶ βόθρον ἐμβεβόθρωται τὸ εἶδος εἴκελον ὅλμῳ. ἀλλὰ γὰρ ἤδη καὶ τοῦ πνεύμονος ἐνδύεται μετὰ προσηνίης τε καὶ κολάζει τὴν ἀκρησίην τοῦ θερμοῦ περιβαλλομένη· ὁ γὰρ πνεύμων φύσει ψυχρός, ἀτὰρ καὶ ψυχόμενος τῇ εἰσπνοῇ.

VI. Ἄμφω γε μὴν δασεῖαι τὰ ἔνδον καὶ ὥσπερ ὑποδιαβεβρωμέναι, καὶ μᾶλλον τῆς δεξιῆς ἡ λαιή· τὸ γὰρ ἔμφυτον πῦρ οὐκ ἐν τῇ δεξιῇ, ὥστε οὐ [3]) θαῦμα τρηχυτέρην γενέσθαι τὴν λαιὴν ἐμπλέουσαν ἀκρήτου· ταύτῃ καὶ πάχετον ἐνδεδόμηται Φυλακῆς εἵνεκα τῆς ἰσχύος τοῦ θερμοῦ.

VII. Στόματα δ' αὐτῇσι οὐκ ἀνεώγασιν, εἰ μή τις ἀποκείρει τῶν οὐάτων τὴν ἄκρην καὶ τῆς καρδίης τὴν κεφαλήν. ἢν δ' ἀποκείρῃ, φανήσεται καὶ δισσὰ στόματα ἐπὶ δυσὶ γαστέροιν· [4]) ἡ γὰρ παχείη Φλὲψ ἐκ μιῆς ἀναθέουσα πλανᾷ τὴν ὄψιν, ἢν ἀνατμηθῇ. αὗται πηγαὶ Φύσιος ἀνθρώπου, καὶ οἱ ποταμοὶ ἐντεῦθεν [5]) ἀνὰ τὸ σῶμα, τοῖσιν ἄρδεται τὸ σκῆνος. οὗτοι δὲ καὶ τὴν ζωὴν Φέρουσι τῷ ἀνθρώπῳ, κἢν αὐανθέωσιν, ἀπέθανεν ὁ ἄνθρωπος.

VIII. Ἀγχοῦ δὲ τῆς ἐκΦύσιος τῶν Φλεβῶν σώματα τῇσι κοιλίῃσιν ἀμΦιβεβήκασι μαλθακά, σηραγώδεα, ἃ κλησίσκεται μὲν οὔατα, τρήματα δὲ οὐκ ἔστιν οὐάτων· ταῦτα γὰρ οὐκ ἐνακούουσιν ἰαχῆς, ἔστι δὲ ὄργανα τοῖσιν ἡ Φύσις ἁρπάζει τὸν ἠέρα. καί τε δοκέω τὸ ποίημα χειρώνακτος ἀγαθοῦ· κατασκεψάμενος γὰρ σχῆμα στερεὸν ἐσόμενον τὸ σπλάγχνον διὰ τὸ πιλητικὸν [6]) τοῦ ἐνδύματος, ἔπειτα πάνυ οὐκ ἐλκτικὸν, παρέθηκεν αὐτῷ Φύσας καθάπερ τοῖσι χοάνοισιν οἱ χαλκέες, ὥστε διὰ τούτων χειροῦται τὴν πνοήν. τεκμήριον δὲ τοῦ λόγου· τὴν μὲν γὰρ καρδίην ἴδοις ἂν ῥιπταζομένην σὺλομελῇ, τὰ δὲ οὔατα κατ' ἰδίην ἀναΦυσώμενά τε καὶ συμπίπτοντα.

---

1) στερεὸν, καί ἐστιν Littraeus. 2) μὲν om. E.
3) οὐ add. Foesius in notis. 4) γαστέροιν cod. Holkh. non correctus.
5) ἐντεῦθεν Ermerinsius (*hinc* Foesius in versione). 6) πιλητικὸν Littraeus.

Digitized by Google

ἐστὴν ἀριστερὴν κοιλίην· ἀρτηρίη δ'ἐστὴν ἄλλην· τὸ γὰρ μαλακὸν, ἑλκτικώτερον καὶ ἐπιδόσιας ἔχον· ἐχρη δὲ ἡμῖν μᾶλλον τὰ ἐπικείμενα τῆσ καρδίησ διαψύχεσθαι βέβλημα·[1] ἔστι γὰρ τὸ θερμὸν ἐν τοῖσι δεξιοῖσι· ὥστε διὰ τὴν πάθην οὐκ ἔλαβεν εὐπετὲσ ὄργανον· ἵνα μὴ πάμπαν κρατηθῆ ὑπὸ τοῦ ἐσιόντοσ·

X. λοιπόσ ἐστιν ὁ λόγοσ ὁ τῆσ καρδίησ ὑμένεσ ἀΦανέεσ ἔργον ἀπηγη ἀξιαγαπητότατον· ὑμένεσ γὰρ καὶ ἄλλοι τινὲσ ἐν τοῖσι κοίλοισιν ὀκοῖον ἀράχναι διαπετέεσ ζώσαντεσ πάντη τὰ στόματα κτηδόνασ ἐμβάλλουσιν ἐστὴν στερεὴν καρδίην· οὗτοι μοι δοκέουσιν οἱ τόνοι τοῦ σπλάγχνου καὶ τῶν ἀγγείων ἀρχὴ τῆσιν ἀορτῆρσιν· ἔστι δὲ αὐτέων ζεῦγοσ· αἳ θύρεσι μεμηχάνηνται τρεῖσ ὑμένεσ ἑκάστη περιΦερὲσ ἐξ ἄκρου περ ὀκόσον ἡμίτομα, κύκλου· οἵ τε ξυνιέντεσ θυμάσιον ὡσ κλείουσι τὰ στόματα τῶν ἀορτέων πέρασ καὶ τὴν καρδίην ἀποθανόντοσ ἤν τισ ἐξεπιστάμενοσ τὸν ἀρχαῖον κόσμον· ἀΦελόντων δὲ, τὸν μὲν ἀποστερήσει· τὸν δὲ, ἐπανακλίνει· οὔτε ὕδωρ ἂν διέλθοι εἰσ τὴν καρδίην, οὔτε Φύσα ἐμβαλλομένη· καὶ μᾶλλον τῶν τῆσ ἀριστερῆσ· τοιγὰρ ἐμηχανήθησαν ἀτρεκέστερον καταδίκην· γνώμη γὰρ ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέΦυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ· καὶ ἄρχει τῆσ ἄλλησ ψυχῆσ·

XI. τρέΦεται δὲ, οὔτε σιτίοισιν, οὔτε ποτοῖσι τοῖσιν ἀπὸ τῆσ νηδύοσ· ἀλλὰ καθαρῇ καὶ Φωτοειδεῖ[2] περιούσῃ γεγονυίῃ ἐκ τῆσ διακρίσιοσ τοῦ αἵματοσ εὐπορέει δὲ τὴν τροΦὴν, ἐκ τῆσ ἔγγιστα δεξαμενῆσ τοῦ αἵματοσ διαβάλλουσα τὰσ ἀκτῖνασ· καὶ νεμομένη ὥσπερ ἐκνηδύοσ τῶν ἐντέρων τὴν τροΦὴν οὐκ ὂν κατὰ Φύσιν· ὅκωσ δὲ μὴ ἀνακωχὴ τὸ σιτίον τὰ ἐνέοντα ἐν τῇ ἀρτηρίῃ ἐν ζάλῃ ἐὸν, ἀποκλείῃ τὴν ἐπ' αὐτὴν κέλευθον· ἡ γὰρ μεγάλη ἀρτηρίη βόσκεται τὴν γαστέρα καὶ τὰ ἔντερα· καὶ γέμει τροΦῆσ οὐχ' ἡγεμονικῆσ· ὅτι δὲ οὐ τρέΦεται βλεπομένω αἵματι ἡ μεγάλη ἀρτηρίη δῆλον ὧδε ἀποπαγέντοσ τοῦ ζώου· σχασθείσησ τῆσ ἀριστερῆσ κοιλίησ ἐρημίη Φαίνεται πᾶσα· πλὴν ἰχῶροσ τινὸσ καὶ χολῆσ ξανθῆσ καὶ τῶν ὑμενέων περὶ ὧν ἤδη μοι πέΦανται· ἡ δὲ ἀρτηρίη οὐ λειΦαιμοῦσα· οὐδὲ ἡ δεξιὴ κοιλίη· τουτέω μὲν οὖν τῷ ἀγγείῳ κατ' ἐμὸν νόον ἤδη πρόΦασισ τῶν ὑμένων·

XII. τὸ δ' αὖ Φερόμενον ἐκτῆσ δεξιῆσ ζυγοῦται μὲν καὶ τοῦτο τῇ ξυμβουλῇ τῶν ὑμένων· πλὴν οὐ κάρτα ἔθρωσκεν ὑπὸ ἀσθενείησ· ἀλλ'

---

1) Calvus *repagula*.

2) -ει videtur scriptum esse a correctore in -η, cod. Holkh. non correctus Φωτοειδῇ.

Digitized by Google

IX. Διὰ τοῦτο δέ, Φημί, καὶ Φλεβία μὲν ἐργάζεται τὴν ἀναπνοὴν ἐς τὴν ἀριστερὴν κοιλίην, ἀρτηρίη δ' ἐς τὴν ἄλλην· τὸ γὰρ μαλακὸν ἑλκτικώτερον καὶ ἐπιδόσιας ἔχον. ἔχρη δὲ ἡμῖν μεῖον τὰ ἐπικείμενα τῆς καρδίης διαψύχεσθαι ἐπιβλήματα [1])· ἔστι γὰρ τὸ θερμὸν οὐκ ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, ὥστε διὰ τὴν πάθην οὐκ ἔλαβεν εὐπετὲς ὄργανον, ἵνα μὴ πάμπαν κρατηθῇ ὑπὸ τοῦ ἐσιόντος.

X. Λοιπός ἐστιν ὁ λόγος οἱ [2]) τῆς καρδίης ὑμένες ἀφανέες, ἔργον ἀξιαπηγητότατον. ὑμένες γὰρ καὶ ἄλλαι ἶνες, ἐν τῇσι κοιλίῃσιν [3]) ὀκοῖον ἀράχναι διαπετέες ζώσαντες πάντη τὰ στόματα, κτηδόνας ἐμβάλλουσιν ἐς τὴν στερεὴν καρδίην. οὗτοί μοι δοκέουσιν οἱ τόνοι τοῦ σπλάγχνου καὶ τῶν ἀγγείων, ἀρχαὶ τῇσιν ἀορτῇσιν. [4]) ἔστι δὲ αὐτῶν ζεῦγος καὶ [5]) θύρῃσι μεμηχάνηνται τρεῖς ὑμένες ἑκάστῃ, περιφερέες [6]) ἐξ ἄκρου περ ὀκόσον ἡμίτομα κύκλου· οἵ τε συνιόντες [7]) θυμάσιον ὡς κλείουσι τὰ στόματα, τῶν ἀορτῶν πύλας. καὶ τὴν καρδίην ἀποθανόντος ἤν τις ἐξεπιστάμενος τὸν ἀρχαῖον κόσμον ἀφελὼν τῶνδε [8]) τὸν μὲν ἀποστηρίζῃ [9]), τὸν δὲ ἐπανακλίνῃ, οὔτε ὕδωρ ἂν διέλθοι εἰς τὴν καρδίην, οὔτε φῦσα ἐμβαλλομένη, καὶ μᾶλλον τῶν τῆς ἀριστερῆς. τοιγὰρ ἐμηχανήθησαν ἀτρεκέστερον κατὰ δίκην· γνώμη γὰρ ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ καὶ ἀρχὴ [10]) τῆς ἄλλης ψυχῆς.

XI. Τρέφεται δὲ οὔτε σιτίοισιν οὔτε ποτοῖσι τοῖσιν ἀπὸ τῆς νηδύος, ἀλλὰ καθαρῇ καὶ φωτοειδεῖ [11]) περιουσίῃ γεγονυίῃ ἐκ τῆς διακρίσιος τοῦ αἵματος. ἐκπορεύει δὲ τὴν τροφὴν ἐκ τῆς ἔγγιστα δεξαμενῆς τοῦ αἵματος διαβάλλουσα τὰς ἀκτῖνας καὶ νεμομένη ὥσπερ ἐκ νηδύος τῶν ἐντέρων τὴν τροφήν, οὐκ ὂν κατὰ φύσιν. ὅκως δὲ μὴ ἀνακωχῇ τὸ σιτίον τὰ ἐνέοντα ἐν τῇ ἀρτηρίῃ ἐν ζάλῃ ἐόν, ἀποκλείει τὴν ἐπ' αὐτὴν κέλευθον· ἡ γὰρ μεγάλη ἀρτηρίη βόσκεται τὴν γαστέρα καὶ τὰ ἔντερα καὶ γέμει τροφῆς οὐκ ἡγεμονικῆς. ὅτι δὲ οὐ τρέφεται βλεπομένῳ αἵματι [12]) δῆλον ὧδε· ἀποσφαγέντος [13]) τεο ζῴου, σχασθείσης τῆς ἀριστερῆς κοιλίης, ἐρημίη φαίνεται πᾶσα πλὴν ἰχῶρός τινος καὶ χολῆς ξανθῆς καὶ τῶν ὑμένων περὶ ὧν ἤδη μοι πέφανται, ἡ δὲ ἀρτηρίη οὐ λειφαιμοῦσα, οὐδὲ ἡ δεξιὴ κοιλίη. τούτῳ μὲν οὖν τῷ ἀγγείῳ κατ' ἐμὸν νόον ἥδε ἡ [14]) πρόφασις τῶν ὑμένων.

XII. τὸ δ' αὖ φερόμενον ἐκ τῆς δεξιῆς, ζυγοῦται μὲν καὶ τοῦτο

---

1) ἐπιβλήματα Vollgraffius. 2) οἱ Charterius.
3) τῇσι κοιλίῃσιν Foesius. 4) ἀορτῇσιν E. 5) καὶ Lindanus.
6) περιφερέες cod. Holkh. correctus Foesius. 7) ξυνιόντες Littraeus.
8) ἀφελὼν τῶνδε Littraeus. 9) ἀποστηρίζῃ Ermerinsius. 10) ἀρχή Vollgraffius.
11) cod. Holkh. non correctus φωτοειδῇ. 12) ἡ μεγάλη ἀρτηρίη del. Littraeus.
13) ἀποσφαγέντος E. 14) ἥδε ἡ Littraeus, ἥδε Foesius.

Digitized by Google

ἀνοίγεται μὲν ἐσ πνεύμονος αἷμα παρασχεῖν αὐτοῖσ τὴν τροφήν· κλείεται δὲ ἐσ τὴν καρδίην οὐχ ἁρμῶ· ὅκωσ ἐσίη μεν ὁ ἠὴρ· οὐ πάνυ δὲ πουλύσ· ἀσθενὲσ γὰρ ἐνταῦθα τὸ θερμὸν δυναστευόμενον χρήματι ψυχροῦ· τὸ αἷμα γὰρ οὐκ ἔστι τῇ Φύσει θερμόν· οὐδὲ γὰρ ἄλλό τι ὕδωρ, ἀλλὰ θερμαίνεται· δοκέει δὲ τοῖσι πολλοῖσι Φύσει θερμὸν περὶ δὲ κραδίησ, τοιαῦτα εἰρήσθω: — περὶ κραδίησ: —

VERSIO.

I. Cor forma est qualis pyramis, colore autem saturate purpureum. Amictum autem est tunica levi, in qua paulum humoris est qualis urina ita ut existimes in vesica cor versari; quod ideo factum est ut bene servatum palpitet. Habet autem fere tantum humoris quantum etiam medela est cordis ardori. Hunc humorem cor excernit, bibens, assumens et consumens, lambens potum e pulmone.

II. Bibit enim homo plerumque potionis in stomachum: nam oesophagus quale infundibulum est et potus copiam excipit et quaecumque assumimus. Bibit autem etiam in laryngem, sed paululum, quale et quantum clam per impetum influit: operculum enim exactum epiglottis est neque plusculum potionis ullo modo transmiserit. Cuius rei hoc documentum est: si quis aquam cyano vel minio inquinatam bibendam porrigat animali siti omnino confecto, maxime sui (id enim animal fastidiosum non est neque munditiae amans), deinde, dum adhuc bibit, laryngem ei resecet, inveniat hunc potu coloratum. Quamquam hoc modo pecori manus adferre non viri est cuiuslibet. Non dubitandum igitur est nobis quin potus ille homini laryngem habilem reddat. Sed qui fit (inquies), ut aqua vehementer irruens molestiam struat et multam concitet tussim? Ideo, inquam, quod ex adverso fertur spiritui. Id enim, quod per impetum illum influit, utpote quod secundum parietem eat, aëris exhalationi non officit, sed adeo levem viam ei praebet humectatio illa.

III. Hunc humorem a pulmone simul cum aëre cor abducit. Atque aërem quidem, cum medelae fuit, necessario cor opus est rursus per eandem viam reiciat qua inhalavit; humorem vero partim in vaginam suam exspuit, partim cum aëre foras

Digitized by Google

τῇ συμβολῇ [1]) τῶν ὑμένων, πλὴν οὐ κάρτα θύρουσκον ὑπὸ ἀσθενείης. ἀλλ' ἀνοίγεται μὲν ἐς πνεύμονα ὡς [2]) αἷμα παρασχεῖν αὐτῷ εἰς [3]) τὴν τροφήν, κλείεται δὲ ἐς τὴν καρδίην, ἁρμῷ, ὅκως ἐσίῃ μὲν ὁ ἠήρ, οὐ πάνυ δὲ πολύς· ἀσθενὲς γὰρ ἐνταῦθα τὸ θερμὸν δυναστευόμενον κρήματι [4]) ψυχροῦ. τὸ αἷμα γὰρ οὔκ ἐστι τῇ Φύσει θερμόν, οὐδὲ γὰρ ἄλλο τι ὕδωρ, ἀλλὰ θερμαίνεται. δοκέει δὲ τοῖσι πολλοῖσι Φύσει θερμόν. περὶ δὲ καρδίης τοιαῦτα εἰρήσθω.

---

ire sinit. Hac ratione etiam palatum irrigat spiritus, quando remeat. Remeat autem recte: non enim naturae humanae alimenta illa sunt. Quomodo enim hominis alimenta essent ventus et aqua, cruda illa elementa? Inmo vero medela sunt mali innati.

IV. Sed de qua re agimus, cor musculus est validissimus, non nervo, sed toro carnis. Habet autem duos ventriculos discretos, in uno amictu, alterum hic, alterum illic. Qui nequaquam inter se similes sunt: alter enim, qui in dextera parte est, pronus iacet communionem habens cum vena altera (dexter, inquam, e ventriculis, qui in laeva parte sunt (corporis): nam totum cor in hac parte sedem habet). Hic ventriculus tamen omnino amplus est et altero multo laxior, neque extremam partem cordis occupat, sed apicem solidum relinquit et tamquam extrinsecus adsutus est.

V. Alter infra maxime situs est et directe post papillam sinistram, ubi palpitatio quoque deprehenditur. Parietem autem habet crassum, et intus excavatus est caverna forma mortario simili. Sed enimvero etiam molliter induitur pulmone, quo quidem amictu castigat caloris intemperantiam. Nam pulmo cum natura frigidus est, tum refrigeratur etiam spiritus ductu.

VI. Ambo quidem asperi sunt intus et tamquam paululum arrosi, et dextero magis sinister: ignis insitus enim non in dextro est ventriculo, ita ut non sit mirum asperiorem factum esse sinistrum, cum ignis intemperati plenus sit. Hanc ob rem etiam spisse involutus est, praesidii causa adversus vim caloris.

VII. Ostia ventriculi non habent nisi quis resecet atriorum

---

1) ξυμβολῇ E.
2) πνεύμονα ὡς Littraeus.
3) αὐτῷ ἐς Littraeus.
4) κρήματι Coraes apud Littraeum.

Digitized by Google

summam partem et caput cordis. Quae si quis resecuerit, bina quidem ostia se ostendent in utroque ventriculo (crassa enim vena, quae ex una oritur, si resecatur, oculos decipit). Hi sunt fontes naturae humanae, unde diffluunt per corpus flumina, quibus animi habitaculum irrigatur: haec vitam afferunt homini, his arescentibus homo commoritur.

VIII. Prope exortum autem venarum ventriculos ambiunt corpuscula mollia cavernosa, quae aures appellantur quidem, sed aurium foramina non habent: haec enim non excipiunt sonitum, sed instrumenta sunt, quibus natura aërem corripit. Et fabri quidem sciti opus esse puto: nam considerans viscus solide conformatum fore ob indumenti densitatem, inde omnino non attractivum, ecce folles ei apposuit, ut fabri fornacibus, ita ut iam eorum ope respirationem temperet. Cuius rei documentum hoc sit: cor totum videas iactari, atria seorsum sufflari et concidere.

IX. Hanc ob rem etiam venulas aio spiritum ducere in ventriculum sinistrum, arteriam in alterum: mollia enim sunt magis attractiva et relaxata. Oportebat autem nobis minus refrigerari superiores cordis panniculos. Nam calor non in dextra cordis parte est, ut ob hoc malum non acceperit instrumentum habile, ne omnino aëre intrante domaretur.

X. Restat ut agamus de membranis cordis latentibus, opere dignissimo quod enarretur. Membranae enim itemque fibrae, in ventriculis velut aranearum telae expansae, ostiis undique cinctis, filamenta immittunt in solidum cor. Hae mihi videntur quae tendunt cor et ventriculos, principia arteriis. Arteriarum autem est par et foris utrique membranae tres fabrefactae sunt, ab extrema sua parte rotundae ut circuli dimidiati, quae si coeunt mirum est quam claudant ostia, arteriarum portas. Et si quis bene sciens ritum antiquum exempto corde hominis mortui harum valvularum aliam declinet aliamque ei inclinet, neque aqua penetret in cor neque flatus immissus. Idque eo magis, si quis aliam declinet aliamque ei inclinet earum, quae ventriculi sunt sinistri. Exactius igitur fabrefactae sunt iure: mens enim hominis in ventriculo sinistro insita est et reliqui animi principium.

XI. Non alitur mens cibis neque potionibus quae ex ventre

Digitized by Google

prodeunt, sed materia pura ac lucida quae e sanguinis dissolutione provenit. Protrahit illud alimentum e sanguinis receptaculo proximo, radios transmittens et pascens alimentum, velut ex ventre intestinorum, quae res non est secundum naturam. Alimentum autem ne vehementer motum retineant ea, quae in arteria sunt, occludit viam, quae in illam ducit. Magna enim arteria pascitur stomachum et intestina et plena est alimenti haud imperatorii. Mentem non ali sanguine, qui videatur, hoc modo apparet: iugulato animali, rescissus ventriculus sinister totus vacuus invenitur, excepto sero aliquo et bile flava et membranis, de quibus iam egi, sed arteria non sanguine vacua neque ventriculus dexter. Illi vasi mea sententia valvularum haec est causa.

XII. Quod autem proficiscitur a dextro ventriculo, ipsum quoque clauditur membranarum commissura, quamquam non prorsus id claudunt membranae propter infirmitatem suam. Sed aperitur in pulmonem versus, ut ei sanguinem praebeat quo alatur, clauditur in cor versus, paulum, ut intret quidem aër, non tamen plurimus. Infirmus enim ibi calor est, cum dometur frigore admixto. Sanguis enim natura non est calidus, neque alius quis humor, sed calefit. Quamquam plerisque natura calidus esse videtur. Sed de corde hactenus.

Commentarius.

Cc. I—III. De forma et colore cordis. De pericardio. De humore quem continet pericardium et aëre medelis ignis insiti.

Χροιὴν δὲ κατακορὲς φοινικέη videtur mihi legendum esse, recepta coniectura Ermerinsii κατακορὲς pro lectione codicis Vaticani κατακορής. Adverbium enim κατακορές coniunctum cum adiectivo, quod colorem indicat aliquem, satis est usitatum. Sed adiectivum κατακορής sensu „fuscus" adhibitum nusquam inveni. In Galeni „Τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξηγήσει" s. v. κατακορέα haec scripta inveniuntur: ... Φάρμακον μέντοι κατακορὲς ἢ διὰ τὸν κενούμενον ὑπ' αὐτοῦ χυμὸν ἢ διὰ τὴν ἰδίκν χρόαν .... Galeno igitur res incerta erat. Cum tam facile in codicibus ε et η commutentur, nihil obstat quominus sequamur sermonem usitatum, quem commendat Ermerinsius.

Digitized by Google

Ad *περιβεβλέαται* Littraeus haec adnotat: „Je serais disposé à lire *περιβέβληται*. *Περιβεβλέαται* est un pluriel qui ne se comprend qu'autant qu'on suppose que l'auteur a changé de nombre en esprit, et sous-entendu *καρδίαι*".

Sed veritus est Littraeus *περιβέβληται* in textum recipere, quod facere non dubitavit Ermerinsius.

Fuchsius annotat, si *περιβεβλέαται* sit lectio vera, hic exemplum inveniri mutationis numeri, minime hinc alienae, cum mentio fiat de corporis humani parte, quam bipartitam esse putent antiqui. Idem citat tres locos, ubi consimilem mutationem numeri in scriptis collectionis Hippocraticae extare putat.

Primus est *Περὶ σαρκῶν* c. XIX, ubi de feminis concipientibus agitur his verbis: *Εὔδηλον δὲ καὶ ὅταν λάβῃ ἐς γαστέρα τῇσιν ἐπισταμένῃσιν, αὐτίκα ἔφριξε* ...[1]). Quae Fuchsius sic vertit: „Für die Kundigen ist es aber auch leicht zu merken, wenn sie concipieren: die Frau schaudert es sogleich ...". Quae versio, quamquam fere recta, attamen verbis *τῇσιν ἐπιστ.* non suum locum attribuit. Manifestum enim est hunc esse sensum: evidens est, cum femina concipit, *scientibus nempe*, tunc enim statim horret. Fuchsius ad hunc quoque locum adicit annotationem de mutatione numeri Graecis propria et Foesio et Cornario crimini dat quod in editionibus suis tales mutationes expulerunt. Atqui hic locus nihil praebet quod nostri *περιβεβλέαται* simile sit, neque quod ad constructionem, quod supra apparebat, neque vero quod ad sensum attinet. Mentio fit modo de feminis concipientibus huius rei sibi consciis universis, modo de quaque tali femina, ita ut mirari non possis tum numero singulari, tum plurali uti auctorem. Contra in capite nostro auctor docere incipit de parte corporis, quae bipartita quidem, ut post apparebit, ei videtur, quam hic tamen pro una habet et a legentibus haberi vult. Haudquaquam verisimile est auctori nostro hoc loco adeo iam ventriculos cordis, de quibus c. IV° demum agere incipit, ob oculos versatos esse ut *κατὰ σύνεσιν* construens hic numero plurali uteretur. Deinde Fuchsius memorat Π. *ἀδένων* c. XIV, ubi de genere

1) Aliorum librorum Hippocraticorum titulos et locos cito secundum Littraei editionem, cuius orthographiam quoque et interpunctionem in citando sequor.

Digitized by Google

quodam aegrotantium haec dicuntur: *μαραίνεται ὁ ἄνθρωπος... ζώειν οὐκ ἐθέλει... πονέει τὴν σπάθην, καὶ ἅμα τὼ πόδε καὶ μηρὼ παρέποντται, καὶ αἰεὶ τελέως ὄλλυνται χρόνῳ πολλῷ μελεδαινόμενοι, καὶ οὕτως ἀπηύδηκε καὶ θνήσκει.* Si subjectum, ad verbum *ὄλλυνται* mente supplendum, sit *οἱ ἄνθρωποι*, quod Littraeus negat, Fuchsius tamen perhibet sic se habere, prorsus eadem res hic inveniatur quae supra Π. *σαρκῶν* c. XIX°, dico rursus mentionem fieri generis cuiusdam hominum, scilicet aegrotantium, quorum quisque iisdem morbi cuiusdam malis obnoxius sit. Neque aliter res se habet Π. *φύσιος ἀνθρώπου* c. VI° ubi describuntur ea, quae accidunt hominibus qui nimium medicamenti bilem ducentis potaverunt: *χολὴν ἐμέει... ἔπειτα ...ἐμέουσι χολὴν μέλαιναν ἀναγκαζόμενοι, τελευτῶντες δὲ αἷμα καθαρόν, καὶ ἐν τῷδε ἀποθνήσκουσιν.* Fuchsius igitur loci difficultatem non explanavit.

Iam vero perpendendum est, possitne forma *βεβλέαται* orta esse e doctrina grammaticorum, qui exitus *-νται* et *-ατο* numero singulari tribuerint. Quin etiam Herod. IX, 100 tradita est forma *παρεσκευάδατο* pro singulari. Fac vero hanc formam mendose esse traditam: hoc tamen constat iam ineunte tertio saeculo exitus *-ατται* et *-ατο* pro singularibus usurpata esse. Cf. Callimachi frg. 32: *Δειπνιὰς ἔνθεν μιν δειδέχαται* et frg. 521: *κούρη δὲ παρείατο δακρυχέουσα*, Euphorionis frg. 162 Meineke = frg. 182 Scheidweiler *Φλεγεθοίατο*, quod ibi numerus singularis est [1]); v. Kühner-Blass, Gr. Gramm. I, 2, p. 78. Ergo, cum tempus quo liber Π. *καρδίης* est scriptus sit incertum, fieri potest ut forma *βεβλέαται* sit forma singularis. Quam ob rem tutanda esse mihi videtur.

Οὖρον. Dubitavi essetne fortasse legendum *οὐρός*, quod Ionice dici solet pro *ὀρός* vel *ὀββός*, serum. Praesertim cum infra in capite nostro, admoniti haud dubie Foesii versione, Littraeus Ermerinsius Fuchsius *διοββοῖ*, *in serum vertit*, legunt pro *διουρέει*, quod codices praebent, ut dicat auctor noster humorem, quem e pulmone hauriat, cor in serum aliquod vertere. Optime enim inter se congruere mihi videbantur *οὐρός*, *serum*, et *διοββοῖ*, *in serum vertit*, dum in *διοββοῖ* illud *οὖρον*, urina, minime convenit.

1) Cf. Schol T V Hom. Il. XXIII, 197; Meineke, Anal. Alex. p. 158.

Digitized by Google

Praeterea primo aspectu alienum videtur quod doctus medicus cum urina comparat serum, quod „pericardium" continet. Sed vetant legi *οὐρός* verba, quae sequuntur, *ὥστε δόξεις ἐν κύστει τὴν καρδίην ἀναστρέφεσθαι*. Omitto quod vocabulum *κύστις* vix alium utrum vel saccum significare potest atque vesicam „urinariam" [1]), sed illud *ὥστε δόξεις*, *ita ut existimes*, indicat auctorem comparationem spectare, non rem describere quodammodo se habentem. Re vera igitur cum urina serum illud comparat [2]) et *ἐν κύστει* hic nihil aliud est nisi: in vesica „urinaria".

Videamus nunc statim quid statuamus de *διοῤῥοῖ* illo, quod viri supra nominati pro *διουρέει* legunt. Auctor noster serum, quod in „pericardio" invenitur, cum urina comparat, „pericardium" ipsum cum vesica „urinaria". Quid igitur mirum eum in eadem comparatione persistere atque cor inducere velut transmingens (sive exsudans) in „pericardium" humorem illum, quem e pulmone hauriat. Sic *διουρέει* non modo non opus est nos mutare, sed etiam melius hoc vocabulum in contextum capitis convenit.

Θάλλεται. Hanc vocem Foesius grammaticae causa mutavit in *θάλληται* [3]). Lindanus coniecit *πάλληται*, Schneiderus *ἅλληται*, quod in textum recepit Littraeus itemque Ermerinsius, qui tamen in Proleg. II, XXXVIII proposuerat *θάλλῃ*. Fuchsius quoque in versione Schneideri lectionem sequitur [4]). Fuchsius adnotat verbum *θάλλειν* non inveniri passive praeter quod lexicographi ex Hippocrate citant *τεθηλημένα δένδρα*. Sed locum non memorat Fuchsius et ampliora de hac re non habet. Si re vera haec forma *τεθηλημένα* in alio libro Hippocratico inveniretur, putare possemus, comparata forma nostra *θάλλεται*, in libris Hippocraticis *θάλλειν* etiam passive usurpari et loco nostro lectionem *θάλλεται* vel *θάλληται* esse tutandam. Sed videamus illud *τεθηλημένα*. Locum, quem lexicographi illi haud

1) Significat etiam vesicam „felleam".

2) Cf. de huius seri colore citreo Zwaardemaker, Leerboek der Physiologie, Harlemi ais 1920—'21, I p. 246. 3) In Foesio citando sequor editionem ai 1624.

4) Fuchsius I p. 147 haec annotat: „Darauf kommt es aber nicht an, dass das Herz an einem gesicherten Orte in üppiger Blüte steht, sondern dass es kräftig *arbeitet* und trotzdem durch den serösen Doppelsack, das „Pericardium", geschützt, keinen Schaden leidet, noch anstiftet".

Digitized by Google

dubie spectant, inveni in libro Π. ἐνυπνίων (Π. διαίτης τὸ τέταρτον) c. XC°, ubi Littraeus in textu habet haec: Δένδρων δὲ ἡ ἀκαρπία σπέρματος τοῦ ἀνθρωπίνου διαφθορὴν δηλοῖ· ἢν μὲν οὖν φυλοβρύοντα ᾖ τὰ δένδρα, ὑπὸ τῶν ὑγρῶν καὶ ψυχρῶν βλάπτεται· ἢν δὲ τεθήλῃ μὲν, ἄκαρπα δὲ ᾖ, ὑπὸ τῶν θερμῶν καὶ ξηρῶν (L. VI, p. 654). Littraeus in apparatu critico adnotat: τεθηλημένα, ἄκαρπα δὲ vulg. — ... τεθηλημενακαρπα δὲ θ. Cum codices Parisinos, quos in libros Π. διαίτης contulit (cf. L. VI, p. 463 sq.), non memoret, apparet eum legisse in his codicibus idem, quod habet textus, quem appellat vulgatum, sc. Foesii. (Cf. de hac Littraei ratione quae annotat II, p. 218.) Videmus statim lectionem, quam praebet codex vetustissimus Vindobonensis θ, rectam esse. Ita evanuit forma illa τεθηλημένα, quae quodammodo formam θάλλεται vel θάλληται loco nostro tutari potuisset. Videamus nunc de Lindani coniectura πάλληται. Verbum πάλλεσθαι a scriptoribus antiquioribus usurpatur tantum ubi de vehementiore cordis motu fit mentio, velut Il. X, 452 et 461, Aesch. Suppl. 566 sq., Cho. 410. In libro Π. ἱερῆς νούσου c. VI haec leguntur: Ἢν δ' ἐπὶ τὴν καρδίην ποιήσηται ὁ κατάῤῥοος τὴν πορείην, παλμὸς ἐπιλαμβάνει καὶ ἄσθματα. Παλμός igitur etiam in libro hoc Hippocratico est cordis motus vehementior.

Foesius in „not. brev." annotat Rufum Ephesium de corde agentem haec habere: παλλομένη συνεχῶς σφυγμοῦ κίνημα τι.

Rufus tamen verbo πάλλεσθαι eodem sensu utitur quo libri Hippocratici. Cf. Ruf. Eph. ed. Daremberg—Ruelle (Paris a° 1879) pp. 65 et 220. Foesius Rufi verba perperam refert.

Credo ἅλλεται legendum esse cum Schneidero [1]). Theocr. III, 37 legitur: Ἄλλεταί ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός, palpitat mihi oculus dexter. Π. ἱερῆς νούσου c. XVII° ἅλσιν παρέχειν usurpatur de motu praecordiorum („diaphragmatis") sic: εἴ τι ὤνθρωπος ὑπερχαρείη ἐξ ἀδοκήτου ἢ ἀνιηθείη, πηδῶσι καὶ ἅλσιν παρέχουσιν (οἱ φρένες). Quamquam hic ἅλσιν παρέχειν mihi videtur nihil aliud significare nisi *contremiscere* et haud scio an fortasse apud Theocritum l. l. haec significatio potius spectetur, tamen haec sententia verbi ἅλλεσθαι transitum ad significationem micandi, palpitandi praebet. Iuvat hic conferre Marsyae deglupti

1) Coniunctivus hic est brevi vocali ornatus.

Digitized by Google

„salientia viscera" Ovid. Met. VI, 390. Conferenda sunt etiam πηδᾶν, πήδημα (πήδησις), quae de cordis motu usurpari solent. De qua re vide Groeneboomii commentarium ad Herodam IV, 61 [1]). Sed praesertim notandum est c. IV libri nostri vocabulo ἅλμα motum cordis solitum significari.

Ῥωσκημένως. Hanc vocem nihili ortam esse suspicatur Vollgrafius e glossemate ad vocem ἅλλεται adscripto hoc modo: θρώσκῃ ἅλλεται. Inde orta sunt monstra illa θἀλλεται ῥωσκη(μένως); notum enim est in scriptura minuscula terminationem -μένος per compendium scribi.

Ἐν φυλακῇ. Wellmannus [2]) sumit libellum nostrum Π. καρδίης, Platonis scriptum c. t. Timaeus, fragmentum Vindiciani ex eodem fonte hausisse. Verba ἐν φυλακῇ enim sensu activo intellegit Wellmannus et locos citat Platonis et Vindiciani, quibus haec verba inveniuntur: τὴν δὲ δὴ καρδίην ... εἰς τὴν δορυφορικὴν οἴκησιν κατέστησαν ... (Plat. Tim. 70 A) et „... ob hoc sub ea parte subiacente corde et semper *vigilante* ..." (Fragm. Vind. c. 49). Ut his locis cor inducitur tamquam vigil, sic nostro quoque loco rem se habere putat Wellmannus. Nusquam tamen inveni verba ἐν φυλακῇ sensu activo, ut significent „custodis instar". Invenitur quidem locutio ἐν φυλακῇ ἔχειν, *custodire*, *conservare*, praesertim apud Herodotum, e. g. Herod. I, 160 Πακτύην οἱ Πέρσαι εἶχον ἐν φυλακῇ, I, 57 τοῦτον (sc. τὸν γλώσσης χαρακτῆρα) ἔχουσι ἐν φυλακῇ, VII, 207 τὸν Ἰσθμὸν ἔχειν ἐν φυλακῇ. Tropice ἐν φυλακῇ(σι) usurpatur in locutionibus ἐν φυλακῇσι εἶναι e. g. Herod. III, 152 et ἐν φυλακῇ ἔχειν e. g. Pind. Pyth. IV, 75 (τὸν μονοκρήπιδα πάντως ἐν φυλακᾷ σχεθέμεν μεγάλᾳ), quae locutiones *cavere* significant. Sed persuasum mihi est id, quod vult Wellmannus, graece verbis ἐν φυλακῇ dici non posse. Si hoc voluisset auctor noster, scripsisset ὡς φύλαξ vel tale quid. Recte vertit Littraeus „en bonne garde" et Fuchsius „an geschütztem Orte": cor bene custoditum palpitare potest. (Cornarius vertit: „ut sanum in custodia florescat", Foesius: „ut validum in custodia vigeat.")

---

1) P. Groeneboom, „Les mimiambes d'Hérodas", Groningae a° 1922, p. 143.
2) Fragmentsammlung der griech. Ärzte pp. 98 sqq.

Digitized by Google

Verba ἔχει δὲ τὸ ὕγρασμα ὁκόσον μάλιστα καὶ πυρουμένῃ ἄκος Cornarius vertit: „Habet autem humiditatem *tantam quanta* satis est aestuanti in medelam." Similem versionem exhibent etiam alii interpretes omnes. Sed iniuria in his versionibus omissum est καὶ. Alteram enim rationem auctor affert, ob quam in sero illo cor versetur, nempe ut ardor cordis humore illo restinguatur. Ideo illud καὶ minime neglegendum mihi videtur. Illud quoque notandum est ὁκόσον μάλιστα non esse *tantam quanta* sed: *fere tantam quanta*. Eodem sensu, ut omnes sciunt, adverbium quod est μάλιστα nominibus numeralibus addi solet.

C. II. Hoc capite auctor primum docet hominem bibentem plurimum potionis demittere in ventriculum, tenuem tamen partem humoris fallere „epiglottidis" custodiam et illabi in „laryngem". Νηδύν enim nihil aliud est nisi „ventriculum" Nam στόμαχος hic est *gula* (Foës. Erm.), „oesopaghus". Opponitur enim φάρυγγι, quam hodie medici „laryngem" vocant. Littraeus igitur iure vertit „le larynx".

Quod Ermerinsius et Fuchsius vertunt: „in pharyngem", „in den Pharynx", nihili est. Eorum versionem ne sic quidem defendere posses ut contenderes eos pharyngem nuncupasse sensu, qui graece valet, nam in versione hodierna eiusmodi vocabulum sensu hodierno adhiberi consentaneum est. Quomodo enim quis linguae graecae imperitus — si medicinam graecam e versione hodierna cognoscere velit — scire possit Fuchsium „in den Pharynx", vel Ermerinsium „in pharyngem" vertentes eam partem corporis spectare quam hodie „laryngem" vocant medici eosque huic voci sensum tribuere quem habet apud Graecos? Verisimile non est hos viros doctos hic vocabulum quod est pharynx sensu hodierno usurpasse. Omne scilicet quod bibimus in „pharyngem" quodammodo descendit, deinde in gulam vel „oesophagum". Sed auctor noster perhibet aliquid potionis a nobis haustae e „pharynge" etiam in „laryngem" penetrare. Iam ex eis, quae protulimus, facile intellegi potest, quod supra iam memoravimus, „στόμαχον" idem esse quod „oesophagum".

Recte Littraeus, littera σ transposita, χῶνος habet et προσχιρόμεθα pro χῶσνος et προχιρούμεθα textus traditi. Nam et

Digitized by Google

forma χῶσνος non est toleranda et προαιρούμεθα non potest intellegi. Προσαιρόμεθα tamen, *assumimus*, *edimus* (cf. Ath. III, 81*b* τὰς δὲ πλείους — sc. ἀπίους — προσαράμενοι μᾶλλον πέττομεν) optimum praebet sensum. Verba καὶ ἅσσα προσαιρόμεθα explicative addita sunt ad τὸ πλῆθος.

Διὰ ῥύμης. De his verbis multum inter viros doctos disputatum est. Cornarius „per rimam" vertit. Quam ob causam Foesius in „brevibus notis" annotat Cornarium videri διὰ ῥωγμῆς legisse. Ipse vertit: suo impetu, Ermerinsius: per impetum, Littraeus: à travers la fente, Fuchsius: durch den Spalt. Iniuria igitur videtur Foesius coniecturam ῥωγμῆς tribuisse Cornario, cum etiam alii viri docti vocabulo ῥύμη significationem rimae attribuerunt. Fuchsius in calce annotat: „Die Bedeutung „enge Gasse" ist für das Wort (ῥύμη sc.) an und für sich vollkommen gesichert." Quam rem, quae amplius a Fuchsio non explanatur, missam facio. Sed haec Fuchsius addit: „Würde man ῥύμη als „gewaltsamen Andrang" erklären, so gäbe die Stelle keinen Sinn. Gerade das gewaltsam Andrängende ist es ja, welches sich dem ausgeatmeten Pneuma widersetzt, es steht aber da οὐκ ἐνίστατα*ι* d. h. „es widersetzt sich nicht."" Sed confundit Fuchsius τὸ διὰ τῆς ῥύμης ἑσρέον, quod idem mihi videtur atque postea τὸ διὰ τῆς ὁρμῆς ἑσρέον, et ὕδωρ ἀναιδὲς ἐνοροῦσον. Distinguit enim auctor vim, quae, in demittendo cibos et potum in „oesophagum", simul infertur „epiglottidi", qua vi humoris aliquid penetret in laryngem, a vi multo vehementiore, quae infertur, si quis „corpus alienum" vel, quod hic spectat auctor, nimium aquae temere et proterve irruentis, non in oesophagum, sed perperam in laryngem demittit. Ῥύμη enim et ὁρμή in capite nostro synonyma esse mihi videntur, sensu usitato „impetus" hic usurpata. Qua ex re sequitur ut putem reiciendam esse Porti coniecturam qui pro lectione codicum ὁρμῆς legit ῥύμης.

Τυτθόν. Foesius (in „not. brev.") [1]) iure annotat Cornarium, cum hunc librum latine verteret, ἧττον coniecisse pro τιτθὸν: scripsit enim „minus". Τιτθὸν (quod sensum nullum praebeat)

1) p. 322.

Digitized by Google

am Calvus perperam legisse videtur et deinde editores, donec Littraeus τυτθὸν restituit.

Πῶμα. Pro πόμα Vaticani esse legendum πῶμα, quam emendationem iam habet codex Parisinus E, sat manifestum est.

Κἂν διήσει. De futuro cum particula ἄν v. Kühner-Gerth, Griech. Gramm. II, 1, p. 209; Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. p. 621. Iniuria Charterius, quem secuti sunt Mackius et Littraeus, διήσει in διήσῃ mutavit. Aem. Portus οὐκ ἂν διήσει coniecit. Sed nil opus hac negatione. Foesius in „not. brev." καὶ οὐ διήσει commendat, in textu tamen habet οὐκ ἂν διήσει. Ermerinsius habet καὶ διήσει, quae lectio magis mihi placet. Sed cum in codicibus tam clare κἂν scriptum sit, parum verisimile mihi videtur vocabulum tam usitatum quam est καί abisse in κἄν, quae vocabula crasi coniuncta multo minus in promptu essent librariis. Vertendum autem est, ut iam recte Cornarius: „ne permiserit quidem aliquid amplioris potus penetrare".

Δεδιψηκότι πάνυ. E contextu satis apparet haec verba intelligenda esse ut vertit Littraeus: „à un animal très altéré".

Τὸν λαιμὸν interpretes vertunt latine „guttur" vel „iugulum", Littraeus: „la gorge", Fuchsius: „die Kehle". Quae versio subtiliter legentibus non placebit. Nam haud dubie, si quis experimentum, quod auctor noster spectat, exsequetur, guttur animalis resecti tali modo coloratum inveniet. De gutture colorato tamen hic non agitur: „laryngem" enim quem hodie vocant tingi dicit auctor. Ergo λαιμὸν hic est i. q. φάρυγγα („laryngem") supra.

Τὴν σύριγγα. Σῦριγξ, proprie fistula, hic nihil aliud potest esse nisi „larynx" vel „trachea", ut docet contextus. Cornario σῦριγξ est „guttur", Foesio „arteria". Vocabulum hoc „arteria", quod etiam Ermerinsius hoc loco in versione usurpat, hic idem est quod „fistula". Littraeus σύριγγα vertit per: „canal", Fuchsius per „Speiseröhre". Sed omnis auctoris nostri oratio huc spectat ut ostendat potionis aliquid clam ingredi in „laryngem" et „tracheam", in fistulas homini ad spiritum ducendum servientes, et ut explicet quem ad finem hoc fiat. Videtur Fuchsium fugisse quae sit eius ratiocinatio. Ideo fortasse etiam initio capitis nostri „Pharynx" scripsit pro „Larynx", itemque infra τὸ γὰρ διὰ τῆς ῥύμης ἑτρέσν vertit: „Denn das-

Digitized by Google

jenige, was durch die enge Gasse hindurch in *die Speiseröhre* hineinfliesst". Quae versio etiam magis mirationem movet cum videmus eum sic pergere: („dasjenige, was ... in die Speiseröhre hineinfliesst,) tritt, da es längs der Wand hinläuft, dem *Aufsteigen des Luftstromes* nicht in den Weg" e. q. s.; eumque in annotatione ad vocem ῥύμης, quam supra memoravimus, haec etiam scripsisse: „Was hingegen durch den Spalt, welchen die Epiglottis mit den Wänden der *Speiseröhre* bildet, hindurchläuft, das ist in feine Strahlen zerteilt und stört, da es sanft hinabgleitet, *den ausströmenden Atem* nicht" [1]).

Verbum εὐτρεπίζει verterunt perperam Cornarius per „vergat", Foesius per „convertatur", liberius Littraeus, quem Ermerinsius et Fuchsius sunt secuti, per „lubrifie"; εὐτρεπίζει hic est „habilem reddit".

Verba tradita: ἀλλὰ πῶς ὕδωρ ἀναιδὲς ἔνουρον ὄχλον καὶ βῆχα περιέχει πολλὴν sensum nullum praebent. Cornarius, quamquam in textu nil mutat, vertit: „sed quomodo aqua acervatim irruens, turbationem ac tussim multam exhibet?" ut iure annotet Foesius Cornarium procul dubio ἐνοροῦσον legisse. Idem haec addit: „etsi ἐνόρον ὕδωρ, incidens aqua, legi potest. Sic enim melius quam quod ἔνουρον ὄχλον quidam ex hoc loco „molestiam in urina" annotant. Ceterum pro περιέχει, παρέχει legendum videtur, sicque legisse videntur Interpretes, etsi vulgata lectio ferri potest" [2]). Equidem ἐνόρον graecum esse vocabulum non puto; ἔνουρον ὄχλον re vera nihil aliud nisi „molestiam in urina" significare posse mihi videtur. Ita ἐνοροῦσον illud, quod Cornarius videtur coniecisse, recipiendum esse censeo. Quod Foesius notare neglexit — etiam παρέχει iam Cornario ante oculos versatum esse videtur, (quod vocabulum editores posteriores debent conjecturae Aemilii Porti [3])), cum „exhibet" scripserit in versione sua latina, quod περιέχει significare non potest. Quae lectio παρέχει mihi quoque recipienda esse videtur, cum vocabulum περιέχει hic prorsus futile sit. Mercurialis iam παρέχει in textum recepit [4]), Foesius, quam-

1) Quod ad rem attinet vide de „epiglottide" et de „potu ad pulmones pervadente" locos scriptorum antiquorum, quos citat Foesius in „not. brev." p. 322.

2) Quomodo Foesius ipse hanc rem tractaverit vide in capite de editionibus p. 26.

3) Cf. p. 22. 4) Cf. p. 22.

Digitized by Google

quam „exhibet" habet in versione, in textu *περιέχει* retinet [1]). Ceteri editores in textu et in versione lectiones *ἐνοροῦον* et *παρέχει* amplexi sunt.

Vocabulum *ἀναιδὲς* Littraeus in *ἀνέδην* mutavit, quod vocabulum haud dubie desumpsit ex Foesii „Hippocratis Oeconomia", ubi ille de voce *ἀναιδέϊ* agit et hoc vocabulum memorat. Sed hac mutatione nil opus est, cum optime conveniat in contextum significatio, quae in vocabulo *ἀναιδές* inest, quae est germanice „rücksichtslos", irreverenter, proterve, inclementer. *Ἀναιδής* iam apud Homerum non solum usurpatur de personis, velut A, 158 de Agamemnone, *ρ*, 449 de Ulixe mendico, in Od. passim de procis, sed etiam de rebus, velut de lapidibus Δ, 52, λ, 598. Theocr. XXIV, 23 *ἀναιδέας* appellat *ὀδόντας* serpentium, quos Hercules infans strangulat, Bianor, Anth. Pal. IX, 278 *χεῦμα ἀναιδές* habet. Iam si meminimus, quod supra scripsi, inter se opponi *τὸ διὰ τῆς ῥύμης* (*ὁρμῆς*) *ἐσρυέν* (*ἐσρέον*) et *ὕδωρ ἀναιδὲς ἐνοροῦον*, satis patet quid hic sibi velit vocabulum *ἀναιδές*. Ita, lectionibus *ἐνοροῦον* et *παρέχει* receptis, sensus verborum *ἀλλὰ-πολλήν* clarus esse mihi videtur.

Littraeus *τυτθὸν* substituit pro *τοῖχον* textus traditi et vertit *παρὰ τυτθὸν* „peu à peu". Iure tamen Ermerinsius et Fuchsius redierunt ad lectionem traditam. Minime enim probanda est coniectura, quae non meliorem praebeat sensum. Quid autem hoc loco manifestius et aptius dici potest quam quod praebet lectio tradita: potionem, fluentem *παρὰ τοῖχον*, secundum *parietem* „tracheae", eo ipso nullum malum efficere non modo, sed etiam commodi quid praebere spiritus ductui.

Huc accedit quod is, qui putat aliquid humoris invita epiglottide descendere in „laryngem" et „tracheam", non potest credere id descendere alio modo quam secundum parietem harum fistularum. Sed praesertim videamus quae sit ratiocinatio auctoris: aqua, temere irruens, molestiam praebet et tussim concitat. Quam ob rem? Quia *ἀπάντικρυ*, ex adverso spiritus ductui fertur. Potio tamen illa, quae „epiglottidem" fallens influit, non obsistit aëri exspirato: quo modo melius, quam si influit secundum *parietem?*

1) Cf. p. 26.

Digitized by Google

Τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν ἀπάγει τοῦ πνεύμονος ἅμα τῷ ἠέρι. Recte iam Cornarius vertit: „Hunc itaque humorem cor de pulmone una cum aëre abducit." Verbis enim τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν auctor redit ad τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν διουρέει ἡ καρδίη πίνουσα e. q. s. c. I, velut in parenthesi positis omnibus rebus, quas docuit de origine humoris, qui in pericardio invenitur, deque eius usu in fistulis spiritum ducentibus. Vel potius sic explicem: dum disserit de origine humoris illius, quem c. I° tutelam et medelam aiebat esse cordis, deque eius vi quod attinet ad fistulas spiritum ducentes, velut abduci se passus est ab argumento, quod c. I° tractabat. Eo iam redit verbis τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν ἀπάγει τοῦ πνεύμονος ἅμα τῷ ἠέρι; quapropter verbi quod est ἀπάγει subjectum esse sumendum est τὴν καρδίην. Versionem Cornarii secuti sunt etiam alii interpretes praeter Littraeum et Fuchsium. Quorum ille ἀπάγει intransitive intelligit: „ce liquide s'en va du poumon avec l'air" (quo?). Verba igitur τοῦτο — ἠέρι arcte cum praecedentibus coniungit, quae quidem initio capitis III[i] attribuere praestat. Fuchsius vertit: „Diese letztere Feuchtigkeit aber treibt das Aufsteigende mitsammt der Luft von der Lunge hinweg." Haec omnino non intellego; sunt enim absurda.

C. III. Subjectum verborum ἐκβάλλειν, ἤγαγε, ἀποπτύει, ἐᾷ(ἐᾷ) (quod cum Vaticano correcto legendum esse mihi constat) haud dubie καρδίη est. Cornarius iam hoc vidit et in versione post verba „Hunc itaque humorem cor de pulmone una cum aëre abducit" sic pergit: „Aërem quidem igitur ubi in medelam cessit, necessario oportet retro per eandem viam qua adduxit reicere. Verum humorem partim in culcum ac vaginam suam exspuit, partim rursus una cum aëre foras propellit." Alii interpretes aliter rem se habere non putaverunt praeter Littraeum et Fuchsium. Quorum ille sic vertit: „Ainsi, nécessairement, l'air, ayant rempli son office de remède, reprend la route par laquelle il est venu; et quant au liquide, une part est expulsée dans la gaîne du coeur (*péricarde*), qui laisse l'autre part s'en retourner avec l'air au dehors."

Subiectum verborum ἐκβάλλειν et ἤγαγε, quae intransitive posita esse putat, igitur ἠέρα esse arbitratur. Quodnam apud eum subiectum sit verbi ἀποπτύει non apparet; subjectum

Digitized by Google

verbi ἐᾷ ei κυλεός est. Fuchsii versio haec est: „Die Luft, welche ein Heilmittel war, muss die Respiration nun notwendigerweise auf demselben Wege austreiben, auf welchem sie sie hineinzog, die Feuchtigkeit aber speit sie zum Teile in seinen Beutel, zum anderen Teile hingegen lässt sie dieselbe zusammen mit der Luft nach aussen gehen." Fingit igitur subiectum novum „die Respiration". Ermerinsius χρὴ delet et ἀνάγκη pro ἀνάγκῃ scribit [1]). Cuius haec sunt verba: „Aërem itaque cum medela fuerit, retro et per eandem viam, per quam adduxit, ex necessitate reiicit. Humoris vero partem quidem in suam (i. e. cordis) vaginam exspuit, partem etiam rursus una cum aëre foras ferri permittit." Ex verbis „i. e. cordis" satis apparet Ermerinsio καρδίην subiectum esse quattuor verborum. Iniuria tamen vocabulum χρὴ tollit et ἀνάγκη scribit. Quam coniecturam defendit his verbis: „χρὴ ἀνάγκη ἐκβάλλειν ne in hoc quidem scriptore tolero; χρὴ abundat et eximendum est." Perperam in verbis χρὴ ἀνάγκη Ermerinsius suspicatur inesse ταὐτολογίαν. Nuda iam versio sententiae nostrae hoc manifestum reddit: „*Necessario* opus est cor aërem, cum medelae fuerit, retro eadem via, qua adduxit, eicere." Sed praeterea in fine capitis III[1] auctor expedit rationem ob quam *necessario* opus sit id fieri: cruda, intemperata, qualia sunt spiritus et aqua, hominis alimenta esse non possunt. Non sunt ista cibus hominis [2]). Iusta igitur ratione aër retro vadit.

Θερμπείην [3]). Cf. i. f. capitis nostri τιμωρίη συγγενέος πάθης et item c. I.

Post vocabulum κυλεὸν omnes codd. mss. et edd. habent κὐτέης,

---

1) Cui coniecturae assentitur W. A. Heidel, Harvard Studies in classical Philology XXV a[1] 1914 p. 188.

2) Heidel, l. l. annotat auctorem igitur nostrum putare ἄνεμον et ὕδωρ πέψει esse temperanda ut alimenta sint, quod placitum non quadret in doctrinam librorum Hippocraticorum. Quam rem Heidel putat argumento esse librum nostrum esse scriptum posterius.

3) Cum vocabulo hoc θερμπείην Heidel l. l. confert τὴν ἕλξιν, Π. ἀδένων c. 7, quod est i. q. τὸ ἑλκόμενον. Annotat etiam hoc esse argumentum originis recentioris libri Π. καρδίης. Idem cum verbis capitis nostri παλινδρομεῖ δὲ κατὰ δίκην — τιμ. συγγ. πάθης et cum capitis V[1] parte posteriore comparat Anaximandri sententiam: ἐξ ὧν δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι, καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γένεσθαι κατὰ τὸ χρεών (Diels, Die Fragm. der Vorsokratiker ed. III I 15, 26 sq.).

Digitized by Google

quod interpretes omnes per pronomen possessivum reflexivum verterunt, recte quidem quod ad sensum attinet, nam αὐτέης hic nihil aliud atque καρδίης esse potest; sed mirari subit quod non viderunt ἑαυτέης legendum esse, quam formam haud dubie librarius aliquis pro forma genuina ἑωυτῆς substituit [1]).

Pro ἀποπτύει cod. E et editiones vetustiores ἀποπίει habent, de qua re in prolegomenis meis egi. Hanc lectionem Lindanus coniectura sanare conatus est; scripsit enim ἀποπιέζει, haud illepide, praesertim cum hoc vocabulum bene congruat cum διουρέει c. I[i]. Sed revera lectio ἀποπίει nihili facere nos oportet. Solum ἀποπτύει bonum praebet sensum.

Lectio vetustissimi textus, quam adhuc habet codex Holkhamensis et cuius vestigia exhibet Vaticanus, sc. χωρέει· ἐν ταύτῃ [2]) recte videtur mihi in Vaticano emendata esse in lectionem χωρέειν ἐῇ. Si legeremus χωρέει, subjectum esset τὸ (ὑγρόν). Quod fieri possit, licet τὸ δ' ὑγρὸν, τὸ μὲν accusativi sint. Huiusmodi inversionis exempla etiam apud Herodotum occurrunt. Quid vero censeamus de vocibus ἐν ταύτῃ? In praecedentibus nullum inveniri potest vocabulum, ad quod pertineat pronomen illud demonstrativum. Et quid praepositio ἐν? Vetusta lectio illa haud dubie est corrupta. Quae corruptio emendatione cod. Vaticani optime tollitur. Ταύτῃ est „eo modo". Quam versionem etiam Foesius spectare videtur, qui latine haec habet: „Istaque via cum spiritus retrofertur palatum dividit". In verbis ταύτῃ καὶ διαίρει τὸν οὐρανόν, ὁκόταν παλινδρομέῃ, τὸ πνεῦμα, in quibus post οὐρανὸν cum cod. Paris°. C distinguit Littraeus, offendo in vocabulo διαίρει. Si enim medicus noster ostendere vellet palatum („molle"?) *attolli* (διαίρεσθαι), vi aëris id fieri dicendum erat. Sed aërem, de quo in initio capitis mentio fit, iam missum fecit et nunc de humore exhalato agit. Mihi rem perpendenti vox διάρδει in mentem venit. Medicus noster docet humorem a pulmone redeuntem palatum *irrigare*. Verbum ἄρδειν auctor noster etiam alibi usurpavit; cf. c. VII: ἄρδεται. (Cornarius vocem διαίρει vertit per: „elevat", Foesius per: „dividit", quasi corrigens: διαιρεῖ.)

---

1) Cf. Kuehlewein Proleg. pp. XC sq..

2) Cf. in capite de codicibus mss. pp. 3 et 13.

Digitized by Google

Cc. IV—VII. De corde musculo. De cordis ventriculis [1]) *eorumque situ, structura, orificiis.*

C. IV. Auctor ad descriptionem cordis, quam initio capitis I[i] incepit, redit. Primum docet musculum cor esse firmissimum *οὐ τῷ νεύρῳ, ἀλλὰ πιλήματι σαρκός*. Vocabulum *νεῦρον*, ut latine *nervus*, apud antiquos tres habet significationes: primum est idem quod hodie dicunt et item antiqui posteriorum temporum dixerunt „musculum", deinde idem quod hodie „tendo" vocatur, tertium quodammodo etiam quod nunc „nervum" appellamus. *Πίλημα* est lana coacta, deinde quaevis res constipata in modum lanae coactae, ut verbis utar Henrici Stephani. Patet igitur quomodo res se habeat. Auctor noster acute distinguit propria musculorum corpora a nervis, quos vocant antiqui, hodie „tendinibus" appellatis. Atque cor quidem videtur ei esse musculus firmissimus non „tendinibus" sed „spissamento" (ut aiunt nonnulli interpretes) vel potius: *toro* carnis „muscularis". Littraeus luculenter locum franco-gallice vertit hisce verbis: „Le cœur est un muscle très fort, non par les nerfs (*parties tendineuses*), mais par le feutrage de la chair". Interpretes antiquiores, velut Cornarius, Foesius, cum *νεῦρον* vertunt per: „nervum", nulla explicatione qualem inseruit Littraeus addita, non satis declarant utrum intellexerint rem necne. Porro auctor docet cor duos habere ventriculos discretos, sed in uno amictu tamen contentos. Vix miramur auctorem hic vocabulum *γαστέρας* usurpare quo nominet ventriculos, reputantes vocabulo *γαστήρ* non solum ventriculum stomachi sensu, sed etiam ventrem, uterum, clipei convexum (Tyrt. 2, 24) notari.

Hi ventriculi nulla ex parte inter se similes sunt: *ἡ μὲν γὰρ ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν ἐπὶ στόμα κεῖται*. His verbis designari ventriculum dextrum, *γαστέρα*, sive quae postea vocatur *κοιλίη*, *δεξιήν* sat manifestum est. Sed quid significant verba: *ἐπὶ στόμα κεῖται*? Cornarius vertit: „ad osculum situs est", quam versionem et ceteri interpretes posteriores secuti sunt et Littraeus, qui vertit: „gît sur l'orifice". Apud Ermerinsium legitur „adiacet", verbis *ἐπὶ στόμα*, ut mihi quidem videtur, plane

1) Voc. *ventriculum* hoc sensu Cicero habet De Nat. Deor. II 55: „pars (animae) concipitur cordis parte quadam, quem *ventriculum* cordis appellant."

Digitized by Google

neglectis, Fuchsius: „liegt am Orificium". Sed neque Littraeus neque Fuchsius explicavit quodnam orificium hic sit intelligendum; neque e contextu apparet orificium hoc vel illud spectari. Sed nihil aliud est illud ἐπὶ στόμα κεῖται nisi: pronus iacet.

Cf. Archilochi fragmentum Reitzensteinianum:

κροτέοι δ' ὀδόντας ὡς κύων ἐπὶ στόμα
κείμενος ἀκρασίῃ
ἄκρον παρὰ ῥηγμῖνα κυμάτων ὁμοῦ.

et Menandri frg. 21:

παχὺς γὰρ ὅς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα.

Optime autem „pronus iacere" dicitur ventriculus dexter. [1]) Addo quod auctor noster paulo infra docet ventriculum sinistrum ὑπένερθεν μάλιστα iacere ventriculumque dextrum velut adsutum (ὥσπερ ἔξωθεν προσεῤῥαμμένη) ei esse.

Verba ὁμιλέουσα τῇ ἑτέρῃ φλεβὶ Cornarius vertit: „contingens alteram venam", quam versionem posteriores secuti sunt, sed Littraeus φλεβὶ delendum esse putat et apud ἑτέρῃ mente supplendum κοιλίῃ vel γαστέρι. Ermerinsius et Fuchsius Littraeo assentiuntur. Ita tamen statim offendit ratio qua auctor narrat ventriculis inter se commeatum esse, praesertim cum initio dicat cor duos discretos ventriculos habere. Si vellet docere ventriculos ductum aliquem vel orificium inter se habere, non velut in parenthesi poneret aliquid tam memorabile et specie cum praecedentibus non concinens. Praeterea e vocabulo γὰρ apparet auctorem transire ad explicandam differentiam, quam notavit verbis οὐδὲν δὲ ἐοίκασιν ἀλλήλῃσιν, et situm describere velle ventriculi dextri. Littraeus quidem adnotat: „φλεβὶ ne signifie rien ici; que serait cette autre vène?" Sed fallitur. Etenim tria „vasa" sanguinem ducentia maxima, quae e corde proficiscuntur, sunt „aorta" proficiscens e ventriculo sinistro et „venae cavae" proficiscentes ex atrio dextro [2]), quas antiqui pro una habent. Haec in libro Π. σαρκῶν c. V inter se opposita appellantur ἀρτηρίη („aorta") et κοίλη φλέψ („vena cava").

1) Vide Corning, Lehrb. der topographischen Anatomie, ed. X—XI ai 1920 p. 287 et Rauber-Kopsch, Lehrb. der Anatomie des Menschen, vol. III, ed. XI ai 1919, pp. 247 sq. figg. 200 et 201.

2) Rauber-Kopsch III pp. 242 sqq.

Digitized by Google

Deinde in eodem capite — cum „ἀρτηρίη" etiam habeatur in numero „φλεβῶν" sensu communi — „ἀρτηρίη" vocatur „κοίλη φλέψ" et quae alias „κοίλη φλέψ" „κοιλοτάτη φλέψ" [1]). Ita res ipsa loquitur: ἀρτηρίη hic ab auctore pro φλεβί habetur et verbis τῇ ἑτέρῃ φλεβὶ nihil aliud significatur nisi „vena cava", quae e dextra parte cordis oritur. Quod tamen maximi momenti hic est et propter quod Littraei lectio ὁμιλέουσα τῇ ἑτέρῃ (sc. κοιλίῃ) prorsus reicienda est, ventriculis cordis re vera inter se commeatus non est [2]). Dicat quis auctorem nostrum non tam peritum fuisse ut sciret „septum cordis" non perforatum esse. Sed qui librum nostrum vel strictim perlegit statim intellegit auctorem peritiorem fuisse quam ut res tam facilis perspectu eum fugeret. Fuchsius ad lectionem illam Littraei, quam sequitur vertens: „communiciert mit dem anderen", haec adnotat: „Das trifft lediglich für den menschlichen Embryo (sog. ovales Loch) zu, nicht aber für den geborenen Menschen." Quin etiam adnotare potuisset „foramen ovale" hoc nonnunquam in corde adulti quidem hominis nondum prorsus esse clausum [3]). Parum verisimile tamen iam statim videtur virum tam peritum quam auctorem nostrum cor hominis nondum nati tantum inspexisse, virum qui talia observaverit qualia e. g. c. X° memorat, ubi praeterea manifeste apparet eum ipsum vel magistrum eius aliquem cor resecuisse e corpore hominis mortui et explorasse. Adde quod Fuchsius animum non attendit ad duas has res: quod hoc „foramen ovale" non invenitur in „septo", quod ventriculos, sed quod „atria" cordis discernit [4]), et quod auctor noster haec „atria" accurate distinguit a ventriculis (c. VIII). Quapropter fieri non potest ut hoc „foramen ovale" ei serviat, qui censeat auctorem nostrum contendere ventriculis cordis inter se commeatum esse.

E verbis ἡ μὲν γὰρ ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν ἐπὶ στόμα κέεται ὁμιλέουσα τῇ ἑτέρῃ φλεβί, ἡ δὲ δεξιὴ φημὶ τῶν ἐν λαιοῖς...., quae habent omnes codd. mss., verba δεξιὴ φημὶ τῶν in versione sua neglexit Cornarius, apud quem leguntur haec: „Alter enim in dextris ad osculum situs est, contingens alteram venam.

1) Cf. Fredrich, Hippocr. Untersuch., Berol. a° 1899, p. 70.
2) Rauber-Kopsch III p. 242. 3) Rauber-Kopsch III p. 250 sq.
4) Rauber-Kopsch III p. 250.

Digitized by Google

Alter in sinistris." Foesius tamen textum codicum habet et in versione sequitur, quamquam in vertendo articulum τῶν neglegit. Ermerinsius sic locum legit: ἡ μὲν γ. ἐπὶ στ. κέεται ὀμ. τῇ ἑτ. — ἡ δεξιὴ Φημι τῇ ἐν λαιοῖσι, putans verba ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν „emblema" esse. „Certum est", sic Ermerinsius „δέ ante δεξιή otiosum esse" e. q. s. Sed non est cur eum sequamur. Nihil est in textu quod offendat. Auctor disserere incipit de ventriculo dextro, quem designat vocabulis ἡ ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν. Cum simul ei in mentem veniat ventriculi sinistri, de quo deinde acturus est, adicit μὲν. Tum secum repente reputans confusionem inde posse oriri quod cor totum in laevam partem corporis versum est statim addit verba: ἡ δὲ δεξιὴ Φημι τῶν ἐν λαιοῖς, ubi particula δὲ non oppositum est particulae μέν cuiquam praecedenti. Est illud δέ, quod saepius in parenthesi invenitur, e. g. Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

Vocabulum οὔραχον codicum mss. Foesius (qui οὐραχόν scribit in „not. brev.") „in Oeconomia" docet „sumi pro extremo cordis mucrone, nonnullos οὐρίαχον non male legere, sibi vero τὸ οὐράγιον videri recte scribi posse, quod ἔσχατον exponit Hesychius, ut summus cordis mucro accipiatur" [1]). Foesius in textu habet οὔραχον, in versione „postremum mucronem". Littraeus οὐραχὸν legit et haec adnotat: „Quoique οὐραχός veuille dire l'ouraque, cependant il a pu très bien être pris par un auteur aussi ancien dans le même sens que οὐραγός, la composition s'y prêtant; aussi n'y a-t-il, je crois, rien à changer." Sed οὐραχός nusquam invenitur alio sensu quam „meatus urinarii" hominis nondum nati. Ermerinsius οὐραγὸν recepit, eam haud dubie ob causam, vertens: extremum mucronem. Pape [2]) tamen s. v. οὐραγός, postquam notavit significationem; „is, qui extremum agmen ducit", deinde scribit „Uebh. das letzte Ende, οὐραγοὶ τῶν καρπίμων, die Spitzen der Halme, woran die Aehren sitzen, Ael. H. A. 1, 43, wenn nicht die Lesart der mss. οὐραχούς auf οὐριάχους führt." Οὐρίαχος autem est i. q. „pars extrema et infima" e. g. ἔγχεος οὐρίαχος Il.. Haec significatio loco nostro flagitatur. Ergo οὐρίαχον legendum esse mihi constat.

1) p. 323. 2) Pape-Sengebusch, Griechisch-Deutsches Handwörterbuch, a[i] 1914.

Digitized by Google

Verba καὶ στερεόν ἐστιν codicum mss. nullum praebent sensum. Recte Littraeus ordinem verborum mutavit legens στερεὸν, καί ἐστιν. Cuius rei argumentum comperi etiam praebere codicem Vaticanum, nam vocabulum στερεόν in codice Vaticano accentum gravem habet, per quem scriptus est accentus acutus. Haud dubie librarius in archetypo legit στερεὸν καί ἐστιν, unde in describendo primum accentum gravem scripsit; deinde, cum animadverteret vel ipse vel corrector aliquis posterior ordinem verborum esse mutatum, aut ipse aut corrector scripsit accentum illum alterum.

Hoc igitur capite auctor, fusius de cordis ventriculis disserens, ventriculum dextrum amplissimum multoque altero laxiorem esse docet, extremam partem cordis solidam relinquere, ipsum alteri ventriculo velut assutum esse. Iam ostendere pergit alterum illum praesertim subter iacere et recta situm esse post mammam sinistram. (Alius enim sensus in verbis καὶ κατ' ἰθυωρίην μάλιστα μὲν μαζῷ ἀριστερῷ inesse non potest.) Eo quoque loco palpitationem igitur ventriculius illi insigniri [1]). Re vera ita fere se habent res anatomicae quas memorat auctor. [2])

C. V. Περίβολον δὲ ἔχει παχὺν e. q. s.. Littraeum et Fuchsium si audis, subjectum verborum ἔχει ἐμβεβόθρωται ἐνδύεται κολάζει est: ἡ καρδίη. Cornarius aliique interpretes, qui librum de corde latine verterunt, in versionibus suis non satis manifeste ostenderunt, quamnam vocem arbitrarentur subiectum esse. Foesius in „brev. not." docet subjectum esse ventriculum sinistrum. Atque verisimile mihi videtur eo ipso quod subjectum non indicant, etiam alios arbitratos esse subjectum idem esse quod in sententia praecedenti, ventriculum sinistrum. Nam sic res se habet et magnopere miror Littraeum et Fuchsium id fugisse. Diligenter enim cc. IV, V, VI perlegentibus nobis c. V° de ventriculo sinistro agi fatendum est. Solum enim capitis IV[1] initio ἡ καρδίη subiectum est usque ad verba: τὴν δὲ ἔνθα; deinde in verbis: ἡ μὲν γὰρ ἐν τοῖσι δεξιοῖσιν — προσεῤῥαμμένη subiectum est ventriculus dexter (verba: ἡ γὰρ

1) Quam rem auctor fortasse coniunctam esse putat cum igne insito, quem in sinistro ventriculo inesse vult. 2) Cf. Rauber-Kopsch III pp. 263, 255, 264.

Digitized by Google

πᾶσα καρδίη — ἐμπεποίηται in parenthesi collocata sunt). Unde ventriculum sinistrum subiectum sententiarum: ἡ δὲ ἑτέρη — ἐσπνοῇ esse apparet, praesertim, cum statim c. VI° sequantur verba: ἄμφω γε μὴν δασεῖαι etc., quibus auctor, postquam de cordis ventriculis singulis egit, de ambobus coniunctim disserere pergit. Quapropter verba ἡ δὲ ἑτέρη — ἐσπνοῇ potius attribuenda sunt capiti quinto quam quarto.

Sed etiam alia quaedam de hac re mihi dicenda sunt. Auctor c. IV° docet ventriculo dextro multo *laxiorem* parietem esse quam sinistro. Iam c. V° huic dextro sinistrum, parietem crassum habentem, opponit: περίβολον δὲ ἔχει παχύν. Iure ille quidem. Nam re vera paries ventriculi sinistri multo [1]) crassior est quam dextri.

C. I° cor dicitur formam habere pyramidis. Parum apta quidem huic cordi fossa esset, quae conferri posset cum pila. Itaque verba καὶ βόθρον ἐμβεβόθρωται τὸ εἶδος εἴκελον ὅλμῳ non ad cor totum referri possunt. Ventriculum sinistrum tamen extrinsecus et intus formam ovatam habere constat. [2]) Praeterea ventriculus sinister magis post positus est magisque inter pulmones insertus [3]), quod optime congruit cum eo quod auctor noster docet: ἀλλὰ γὰρ ἤδη καὶ τοῦ πνεύμονος ἐνδύεται μετὰ προσηνίης e. q. s.. (Errat Foesius, adnotans in „brev. not." [4]) hic spectari „venas pulmonales".) Si quis igitur adhuc dubitaret quodnam subjectum mente sit supplendum in c. V°, tamen observatio anatomica omne dubium tolleret. Male igitur vertit Littraeus: „Le coeur est logé dans une fosse". Quid enim? Exstat hic accusativus qualis invenitur in locutionibus τοιοῦτο πτῶμα πίπτειν, κινδυνεύειν τὸν ἔσχατον κίνδυνον, hoc loco ad verbum passivum adhibitus. Itaque vertendum est: „intus excavatus est fossa pilae simili".

Τοῦ πνεύμονος ἐνδύεται. Nusquam inveni exemplum verbi ἐνδύεσθαι hoc modo cum genitivo coniuncti. Sed puto in hoc genitivo sensum quendam „partitivum" inesse: non enim toto pulmone ventriculus cordis sinister indutus est. [5])

1) Rauber-Kopsch III p. 255: ter. 2) Rauber-Kopsch III p. 255.
3) Corning p. 288, cf. Rauber-Kopsch III p. 271 fig. 225. 4) p. 323.
5) Cf. de situ cordis inter pulmones, (quem auctorem nostrum haud ignorasse apparet,) praesertim quod attinet ad ventriculum sinistrum, Corning pp. 287, 288, 291, p. 460 fig. 370, Rauber-Kopsch III pp. 268 et 271.

Digitized by Google

C. VI. Textus capitis VI[1] quem praebet cod. Vaticanus obscuru est neque interpretes vetustiores difficultates expedire valuerunt. Littraeus recepit coniecturam Foesii, qui *οὐ* inserendum esse dixit ante *θαῦμα*, quod ipse tamen in textum non recepit. Sed etiam sic caput intellegere nequeo neque credo Littraeum neque magis Ermerinsium et Fuchsium, qui Littraeum sequuntur, satis perpendisse quaenam sit sententia verborum, quae in capite nostro legere illis placuit. Auctor primum dicit ventriculos ambos arrosos esse, sinistrum magis quam dextrum [1]). Deinde explicat quare res sic se habeat: ignem insitum (si Littraeum audis) non in ventriculo dextro esse autumat, ita ut non mirum sit ventriculum sinistrum asperiorem factum esse, cum ducat intemperatum, sc. aërem; aliud enim quam „aërem" hic intelligi non potest, retenta lectione *ἐσπνέουσαν*. Etiam Ermerinsius vertens: „cum intemperatum inspiret" et Fuchsius vertens: „durch die Einatmung untemperierten Stoffes" nihil aliud spectare possunt. Ignis enim per vocabulum *ἀκρήτου* significari non potest, si legitur *ἐσπνέουσαν*. Nam ignis in ventriculo sinistro naturaliter innatus est, non vero ab illo extrinsecus hauritur.

Diversis modis locum sanare conatus sum. Praeberet sensum si legere possemus *τὸ γὰρ ἔμφυτον πῦρ ἐν τῇ δεξιῇ* e. q. s., ita ut doceret auctor ignem insitum esse in ventriculo dextro ideoque sinistrum ventriculum magis arrodi ducentem aerem intemperatum, igne ibi non resistente aëri. Fit tamen etiam mentio de igne insito c. IX° et c. XII°. Atque fatendum quidem est minima opera etiam c. IX ita legi posse, ut ignis insitus inesse dicatur in ventriculo dextro. Sed omnino obstat c. XII, quominus hanc viam ingrediamur.

Denique haesi in vocabulo *ἐσπνέουσαν* et mecum reputavi, num quod vocabulum substitui posset *plenam* vel *abundantem* significans. Nicander habet Alex. 613 *ἐμπλείουσαν* quod vocabulum est i. q. *ἔμπλεα*. Videtur mihi hoc vocabulum pro *ἐσπνέουσαν* esse recipiendum. Propter similitudinem enim facile confundi poterant haec vocabula. Tunc in loco nostro nil restat

1) Spectat auctor „trabeculas carneas", in „ventriculorum" parietibus insertas (Rauber-Kopsch III p. 245), quae plures inveniuntur in ventriculo sinistro quam in dextro (R. K. III p. 255), et fortasse etiam „musculos papillares".

Digitized by Google

obscurum: ventriculus sinister elemento illo intemperato ignis, quo plenus est, magis arroditur quam dexter, qui eiusmodi detrimento non obnoxius est. Forsitan miretur quis auctorem ignem insitum in disputationem de corde strictim tantum et obiter introducere. Sed ego inde apparere censeo aetate auctoris nostri opinionem multis hominibus notam fuisse ignem insitum in corde vivere, et quidem in ventriculo eius sinistro. Ad quam rem infra ad c. IX^{um} redibo.

Codex noster ante θαῦμα non habet particulam οὐ. Quam si inserere nobis non placeret, locus interpretandus esset sic: ignis insitus non est in ventriculo dextro ita ut „mirum subeat sinistrum asperiorem fieri, cum intemperatum aërem inspiret" (Foes.), nam ignem in se habet quo inhaustum aerem temperet. Sed tunc mirum subiret auctorem scripsisse illud „οὐκ ἐν τῇ δεξιᾷ" pro „ἐν τῇ λαιᾷ". Sed praeterea cum vocabulo quod est ἀκρήτου conferri iubeo verba c. V^{i}: ἀκρησίην τοῦ θερμοῦ. Ἀκρησίη τοῦ θερμοῦ illa ventriculi sinistri est. Iure ergo Foesius coniecit οὐ, „l'addition de la négation est indispensable" (Littr.).

Verba ταύτῃ καὶ πάχετον ἐνδεδόμηται e. q. s. Cornarius sic vertit: „Quapropter etiam roboris caloris custodiendi gratia crassius intus constrictus (constructus?) est", Foesius: „Sed hac parte, ut calidi robur custodiat, crassitudo intus exstructa est". Ermerinsius iure haec adnotat: „Illud καὶ πάχ. ἐνδ. Foesius interpretatur „crassitudo intus exstructa est". — At ἐνδεδόμηται dicitur de ipso ventriculo sinistro; antecedens ταύτῃ mihi est pro διὰ τοῦτο; ἐνδεδόμηται est ἐνδεδόμηται ἐν τῷ σώματι; et πάχετον est adjectivum neutrum relatum ad substantivum femininum". Littraeus autem ad παχετὸν (oxytonon est in eius editione) haec habet: „παχετὸν est regardé comme un mot douteux par Schneider dans son Dict.; cependant il est ici sans variante, comme ailleurs *des Mal. des Femmes* § 110". Sed πάχετον mihi accusativus adverbialis esse videtur: crasse. Ergo, quoniam Ermerinsius recte Foesii interpretationem damnare mihi videtur, versio haec est: eam ob rem ventriculus sinister crasse involutus est.

Auctor noster docet ventriculum sinistrum crassum habere parietem, crassiorem quam ventriculum dextrum. Et id quidem ad vim ignis insiti aut conservandam aut coercendam. Nam

Digitized by Google

genitivus φυλακῆς hic et active et passive possit intellegi. Quamquam mihi verisimilius videtur sensum subesse passivum.

Iam apparet verba ταύτῃ καὶ πάχετον e. q. s. omne dubium tollere quod attinet ad interpretationem prioris partis cap. VI[i], de qua supra egimus.

C. VII. Auctor describit aspectum, quem praebet cor „atriis" resectis. Τὰ σύατα enim nullae aliae partes cordis esse possunt nisi quas hodie medici „atria" vocant, qua de re ad c. VIII[um] amplius agam. Littraeus lectionem codicum mss. καρδίην in κορυφὴν mutavit, „sans être sûr que ce soit le mot véritable". Iure perhibet καρδίην nullum sensum hic praebere, sed non minus recte sensit emendationem suam κορυφὴν incertam esse. Ermerinsius scripsit τὰ οὔατα τῆς καρδίης, adnotans in verbis τῶν σὐάτων τὴν καρδίην casus esse inversos. Quae inversio casuum admodum mira esset. Attamen, quod ille non vidit — nihil enim de ea re annotavit — iam Calvus Coruarius Foesius in versionibus suis hanc lectionem sequuntur. Sed credo multo minore mutatione locum sanari posse. Videtur mihi optime legi posse ἄκρην, quod vocabulum librario, cum totiens scriberet formas vocabuli quod est καρδίη, facile hoc ipsum vocabulum suggerere potuit. Si roges fueritne auctori in promptu vox ἄκρη, conferas velim verba ἐξ ἄκρου c. X°. Perpendi etiam possetne legi κάρη, quod vocabulum facillime in libro nostro abire potuisset in καρδίην. Vocabulum κάρη saepe invenitur apud poëtas posteriores, e. g. apud Callimachum, frg. 125. Sed vereor ne sim audacior vocabulum poëticum posteriorum temporum e coniectura ascribens auctori nostro oratione soluta Ionica utenti, quamquam verba poëtica haud aspernatur et ipse fortasse vixit non ita diu ante illorum poëtarum tempora. Resectis autem summis partibus „atriorum" (τῶν σὐάτων τὴν ἄκρην) atque „basi" cordis (τῆς καρδίης τὴν κεφαλήν), bina ostia revera ventriculi singuli ostendunt [1]), quisque suum introitum, alter (dexter sc.) „lumen" arteriae pulmonalis, alter (sinister sc.) „aortae". Quam rem Nardius recte explicuit [2]), uno hoc vitio excepto, quod (aeque ac Littraeus) verba ἡ γὰρ παχείη φλέψ e. q. s. „adversative" intellexit. Quae contra „explicative" intel-

1) Vide Rauber-Kopsch III p. 247 fig. 199. 2) p. 708.

Digitized by Google

ligenda esse patet. Ex „atrio" dextro proficiscuntur „venae cavae superior" et „inferior" [1]). Auctori nostro hae duae venae pro una sunt; huic igitur attribuit partem „atrii" dextri, quae hodie „sinus venarum cavarum" appellatur [2]). Ne quis miretur venam cavam illam duo non relinquere orificia, auctor noster memorat venam illam oriri velut ex una vena, quae, cum sit proprie quod nunc vocatur „atrium dextrum" [3]), hoc atrio, quod ad summam attinet partem, resecto, nullum suum orificium relinquat [4]). Sic enim intelligenda sunt verba ἡ γὰρ πάχ. φλ. — ἀνατμηθῇ. Littraeus hoc loco atque toto fere capite usque ad αὖται πηγαὶ ... erravit. Primum enim eum fugit διττά proprie esse *gemina*, *duplicia* et sensum distributivum hic habere, itaque non de duobus, sed de quattuor ostiis mentionem fieri. Super caput nostrum ergo pro argumento in versione sua scripsit: „*Orifices artériels des deux ventricules* . . ." Tunc sic vertit „Ils n'ont point d'orifices apparents, à moins qu'on n'excise le sommet des oreillettes ou la pointe du coeur; par cette excision apparaissent les deux orifices des ventricules; au lieu que, si l'on coupe la grosse veine (artère pulmonaire ou aorte) qui provient de l'un des deux, la vue sera trompée." Deinde fallitur cum censet ad μιᾶς mente supplendum esse κοιλίης. Minime enim auctor docere voluit πάχειην φλέβα ex uno ventriculo proficisci, quae res ipsa loquitur, sed, quod supra demonstravi, ex una velut vena cava duas proficisci. „*Ou* la pointe du coeur", legitur apud Littraeum. Unde vero ista particula disiunctiva, cum graece legatur καί? Quomodo κεφαλήν, quae vox manifeste summum cor, „basin" significat, per verba „la pointe" Littraeus vertere potest? Quomodo putare potest aliquem resecturum esse „apicem" cordis ut eius orificia ostendat? Quomodo πάχειην φλέβα pro „arteria pulmonali" vel „aorta" habere potest? Hae singulae e suo quaeque ventriculo proficiscuntur directe ita ut necesse sit resecanti summam partem cordis utramque ostendere „lumen" suum.

1) Vide Rauber-Kopsch III p. 254 fig. 298.

2) Rauber-Kopsch III p. 250.

3) „Auricula dextra" enim re vera pro atrio est et „atrium dextrum" proprium est „sinus venarum cavarum", Rauber-Kopsch III pp. 249 sq..

4) Cf. Rauber-Kopsch III p. 254 fig. 208.

Digitized by Google

Attamen Foesius iam recte verterat: „Eorum vero oscula aperta non sunt, nisi quis cordis auriculas eiusque caput praecidat tuncque *duplicia* oscula in duobus ventriculis erunt conspicua. *Vena* enim *crassa* ex *una* decurrens, si secetur, visum fallit." Cornarius quoque iam „duplicia" scripsit [1]), pro „una" tamen habet „altero" (sc. ventriculo). Ermerinsius in versione Foesium ad litteram secutus Littraei errores vitavit. Fuchsius locum vertit in hunc modum: „Die Mündungen der Kammern sind nicht geöffnet, ausser wenn man etwa die Herzohren und die Herzspitze abschneiden wollte; schneidet man sie aber ab, so werden sich bei beiden Ventrikeln zwei Orificien zeigen; denn die dicke (grosse) Ader, welche aus einem Stücke entspringt, täuscht das Auge, wenn man sie zerschneidet." Vidit igitur voci διττὰ inesse sensum distributivum et ad μιᾶς non κοιλίης sed φλεβός vel tale quid mente supplendum esse. In verbis tamen παχείη φλεὶ in Littraei errorem delabitur, cum dicat [2]) hanc „aortam" esse; quam scilicet secundum Fuchsium auctor noster stolide memorasset oriri „aus einem Stücke". Iure Fredrichius [3]) hunc Fuchsii errorem notavit.

In altera parte cap. VII[i] auctor de circuitu sanguinis in corpore agit. Prorsus ignorat differentiam qua sanguis arteriis circumactus a sanguine quem venae ducunt distinguitur. Quo modo circumagatur sanguis, alat corpus, vitiatus e corpore reliquo ad pulmones redeat, haec et talia omnia anatomicus noster nescit. Hoc tamen intellegit corpus sanguine ali et verbis magnificis πηγαί, ποταμοί, σκῆνος depingit grande opus naturae.

Per vocabulum quod est φύσις hoc loco designatur vis naturalis.

Pro ἐνταῦθα Ermerinsius ἐντεῦθεν scripsit, quod Foesii versio haud dubie ei suggessit, quae „hinc" habet, (itemque Calvus). Quamquam in textu graeco Foesius vocem ἐνταῦθα non tentavit. Licet fortasse vocabulo ἐνταῦθα sensus qualiscumque extorqueri possit, ἐντεῦθεν multo meliorem praebet sensum. Fugit interpretes verbis αὗται πηγαὶ auctorem ad γαστέρας cordis proprias redire, vel, si hoc animadverterunt, parum clare in versionibus suis hoc significaverunt. Ad ventriculos igitur redit,

1) Calvus „gemina". 2) In annotatione. 3) p. 73 in ann. 1[a].

Digitized by Google

hisce verbis simul peroratione oratoria concludens quae de iis docuit. Ventriculi ei fontes sunt, unde „vasa" sanguinem ducentia velut flumina corpus irrigantia proficiscuntur, qui cum exarescunt homo vivere non potest. Fieri enim non potest ut aliter intelligantur verba *αὗται πηγαὶ — ἀπέθανεν ὥνθρωπ.*, quamquam non prorsus concinunt cum c. XI°, ubi auctor docet ventriculum sinistrum non continere sanguinem.

C. VIII. *De atriis.*

Ad hoc caput bene interpretandum necesse est primum inquiramus, quaenam partes cordis voce *οὔατα* [1]) ab auctore designentur. Hodie „auriculae" vocantur partes anteriores minores „atriorum" cordis [2]). Suntne *οὔατα* hae „auriculae"? Interpretes, qui librum de corde latine verterunt, „auriculae" (Cornarius) et „aures" (Calvus Foes. Ermer.) scripserunt, explicatione nulla addita, ut putare cogamur eos arbitratos esse hic de „auriculis" quae hodie dicuntur mentionem fieri. Si autem re vera hi interpretes „auriculas" spectaverunt, erraverunt. Certe erravit Fuchsius, qui habet „Herzohren", [3]) quo nomine anatomici hodierni Germani „auriculas" designare solent. Sed Littraeus „oreillettes" vertit, qua voce Francogalli „atria" cordis notant [4]). Ceterum haud difficile est ad demonstrandum *οὔατα* in libro nostro „auriculas" esse. Si enim quis perlegat librum nostrum arbitratus *οὔατα* meras „auriculas", non „atria" esse, non possit fieri ut non miretur eas partes cordis, quas hodie „atria" vocamus, in descriptione cordis plane neglegi, memorari vero „auriculas", quae partes tantum sunt „atriorum" illorum. Deinde videbit in fine capitis auctorem nostrum docere *τὰ οὔατα* seorsum sufflari et collabi,

---

1) Fraenkel, Indogerm. Forschungen XXVIII pp. 239 sqq., agit de vocabulo *οὖατα*, quod in libros Hippocraticos irrepserit e dialecto Coa.

2) Rauber-Kopsch III p. 242. 3) In annotatione, in versione „Ohren".

4) Quod testatur ipse Littraeus in lexico, quod confecit, c. t. „Dictionnaire de la Langue Française", Parisiis apud Hachette a° 1878, s. v. „oreillettes." Cf. etiam locum de vocabulo „oreillettes" in Littraei altero lexico c. t. „Dictionnaire de Médicine" e. q. s., cuius ed. XXI curante A. Gilbert in lucem prodiit Parisiis apud Baillière a° 1908, p. 1172. Etiam Wellmannus p. 105 *οὖατα* „auriculas" esse putat.

Digitized by Google

iterumque seorsum cor iactari „totum". Hoc prorsus convenit in „atria", quorum „systole" praecedit „systolen" „ventriculorum" [1]). „Atria" tota, cum „auriculis" suis, sufflantur et collabuntur, neque „auriculae" ipsae iterum seorsum [2]), ita ut constet in c. VIII° de „atriis", non de „auriculis" mentionem fieri, et „atria" illa *οὔατα* nominari. Quae „atria" etiam verbis *μαλθακά* [3]), *σηραγγώδεα* [4]) recte describuntur et, cum „auriculis" suis amplectantur „arteriam pulmonalem" et „aortam ascendentem" primam [5]), optime dici possunt *ἀμφιβαίνειν τῇσι κοιλίῃσιν ἄγχου τῆς ἐκφύσιος τῶν φλεβῶν.*

Memorabile est medicum nostrum Graecum nosse motum seiunctum atriorum cordis. Procul dubio cordis motus medici antiqui observaverunt in bestiis vivis resectis, quos deinde „per analogiam" transtulerunt in cor humanum. Fieri enim non potest ut alio modo motum seiunctum „atriorum" cognoverint. „Atria" in corde hominis mortui facile discernere potuerunt a „ventriculis" pariete „atriorum" multo tenuiore, quem supra in annotatione iam memoravi [6]).

Arbitratur autem auctor noster haec *οὔατα* — „quae aures quidem nominantur, sed in quibus foramina aurium non insunt; sonitum enim non audiunt" — esse velut folles fabriles, quibus natura aërem haurit in cordis ventriculos. Cor enim ipsum (i. e. ventriculi) — sic docet auctor — solidius est factum quam ut ipsum satis aëris attrahere possit. Atque laudat artificem, qui haec instrumenta cordi addidit. Sed adspiciamus nunc accuratius textum nostri capitis qualem praebet codex Vaticanus. Protinus haeremus in verbis: *κατασκεψάμενος γὰρ σχῆμα στερεὸν ἐσόμενον τὸ σπλάγχνον διὰ τὸ πλατικὸν τοῦ ἐγχύματος· ἔπειτα, πάνεον ἑλκτικὸν, παρέθηκεν αὐτέῳ φύσας.....* Cornarius in versione sua haec scribit: „Quum enim consi-

1) Zwaardemaker I p. 134.

2) Licet in „systola" „auriculae" prorsus, „atria" proprie dicta non prorsus comprimantur, Zwaardemaker, I, p. 138.

3) Rauber-Kopsch III p. 242. „Die... Vorhofabteilung ist dünn und schlaff."

4) Quod ad „atriorum" „auriculas" pertinet, qui „musculis pectinatis", in parietibus suis insertis, aspectum praebent spongiosum et cavernosum, Rauber-Kopsch III pp. 249 sq. et 255, cf. p. 254 fig. 208.

5) Rauber-Kopsch III, pp. 242, 249, 255, cf. p. 243 fig. 196, p. 253 fig. 207.

6) Cf. Rauber-Kopsch III p. 254 fig. 209.

Digitized by Google

derasset figuram solidam futuram ipsius visceris, propter sanguinis ex venis effusi collectionem ac concretionem, deinde attractorium ipsum esse totum vidisset, folles ipsi apposuit...."

Foesius sic vertit: „qui cum speculatus fuisset, viscus ipsum ex sanguinis, extra venas effusi, distensione forma solida futurum, totumque trahendi facultate praeditum, huic folles admovit". Foesius in textu πλαστικὸν habet, quod etiam in versione sequitur, πλαστικὸν adnotavit in „not. brev.", quod receperunt Lindanus et Mackius. Ermerinsius ante τὸ σπλάγχνον „de coniectura", ut ipse adnotat, inseruit verba ἐποίησε τοιοῦτο et post ἑλκτικόν mediam distinctionem posuit et καὶ adiecit de suo, sic: ἑλκτικόν· καὶ παρέθηκε .... Idem locum latine vertit hoc modo: „Nam quum circumspexisset formam, quae solida esse deberet, viscus formavit eiusmodi propter substantiam suam ad fingendum aptam; tum totum ad attractionem natum, et ei adposuit folles...". Fuchsius autem locum vertit sic: „denn da er danach Umschau hielt, dass die Ausgestaltung des Herzens eine solide sei, hat er das Eingeweide wegen der Schöpfungskraft des sich in dasselbe Ergiessenden derartig geschaffen, dann hat er es ganz mit Anziehungskraft ausgestattet; weiter hat er ihm Blasebälge angesetzt...". Legit ergo πλαστικὸν. Haec omnia mihi contorta et obscura, apud Ermerinsium praesertim additamentis non necessariis vitiata videntur. Meliora Littraeus praebet, qui πιλητικὸν pro πλατικὸν coniecit et locum sic vertit: „car, ayant reconnu que ce viscère serait de structure solide à cause du feutrage du parenchyme, et ensuite qu'il était tout entier attractif, il lui adjoignit des soufflets ...." Sed quomodo possent tunc inter se conciliari opposita illa στερεόν et ἑλκτικόν, praesertim cum auctor pergat docere artificem folles addidisse ad corpus solidum cordis — numne ob vim attrahentem iam ei innatam? Equidem plaudo coniecturae Littraei πιλητικὸν, nam vocabulum πλατικὸν (vel πλαστικὸν) hic nihili est, sed non assentior versioni eius vocabuli ἐγχύματος. Etenim vox ἔγχυμα significationes alias nullas habet nisi: 1° id quod *infunditur vel infusum est* et 2° *infusio*. Littraeus ei praeterea significationem ascribit vocis παρέγχυμα, quae significat: fartum viscerum et intestinorum. Ingeniosum hoc esse nemo negabit. Sed obstare

Digitized by Google

videtur quod non vere neque naturae convenienter *fartum* cordi esse diceretur densissimum. Sed redeamus ad πιλητικόν, quod Littraeus coniecit, recte mea sententia. Minima opus est immutatione vocabuli traditi si pro πλατικὸν legimus πιλητικὸν, quod optime cum πιλήματι cap. IV[1] concinit. C. IV° auctor docuit cor musculum esse validissimum toro carnis, πιλήματι σαρκός. Nunc eo revertitur et ostendit Artificem mundi, considerantem (nam haec significatio est hoc loco verbi κατασκεψάμενος) „viscus" forma solida futurum esse propter torum τοῦ ἐνδύματος (nam sic legere velim pro ἐγχύματος), cordi folliculos addidisse. Sed haeremus adhuc in verbis sibi contrariis στερεόν et ἑλκτικόν, quae eo magis inter se opposita esse videntur, quod sequitur: παρέθηκεν αὐτῷ φύσας.

Haud dubie illud πάνεον Vaticani ortum est e πάνυ οὐκ. Nunc res clara est: artifex ille praeclarus, considerans cor solidum [1]) esse futurum propter torum indumenti atque ideo omnino nullam vim habiturum esse attrahentem, folles ei addidit.

C. IX. *De venis et arteria pulmonalibus.*

Quomodo autem cor auriculis, follibus illis, adiutum aërem in ventriculos haurit? Huius rei auctor hoc capite rationem reddit. C. V° exposuit ventriculum sinistrum parietem habere crassum, c. IV° ventriculum dextrum multo esse laxiorem. Hac re determinantur instrumenta quibus in utrumque ventriculum cor aërem ducit. „Venae", quamquam elementa minus lenta in parietibus habent quam „arteriae" [2]), tamen parietem habent tenuiorem et debiliorem, ita ut sanguine carentes prorsus comprimantur. Contra arteriae sanguine non repletae „lumen" qualecumque retinent [3]). Quo fit ut venae videantur auctori nostro instrumenta esse laxiora, ideoque magis attractiva et relaxata. In ventriculum igitur sinistrum, qui, cum crassiore pariete sit praeditus, minus attractivus est suapte natura — sic auctor noster — φλεβία, i. e. venae, aërem inspirant: τὸ γὰρ

1) Cf. Π. νούσων IV 38 στερεὸν γάρ τι χρῆμα καὶ πυκνόν ἐστιν ἡ καρδίη, 40 ἡ καρδίη στερεὴ καὶ πυκνή ἐστιν.

2) Rauber-Kopsch III, p. 230.

3) Rauber-Kopsch III, p. 220.

Digitized by Google

μαλακὸν ἐλκτικώτερον καὶ ἐπιδόσιας ἔχον. In ventriculum dextrum, qui quidem facilius contrahitur, aërem ducit arteria, quae et ipsa utpote crassiore pariete praedita minus facile contrahi potest. Haec clara et facilia intellectu sunt.

Verba tamen ἔχρη-δεξιοῖσι semper magnas molestias editoribus praebuerunt. Inprimis autem mira videntur verba: ἔστι γὰρ τὸ θερμὸν ἐν τοῖσι δεξιοῖσι. C. V° enim auctor τὴν ἀκρησίην τοῦ θερμοῦ in ventriculo sinistro collocat et cap. VI° contendit: τὸ γὰρ ἔμφυτον πῦρ οὐκ ἐν τῇ δεξιῇ. Eodem placito, ut post videbimus, c. XII° ratiocinatio tota nititur. Libri Π. σαρκῶν c. V° (L. VIII p. 591) leguntur haec: καὶ πλεῖστον ἔχει τοῦ θερμοῦ ἡ καρδίη, ᾗ ἡ κοίλη φλέψ, καὶ ταμιεύει τὸ πνεῦμα. (Fredrichius [1]) rogat sintne forsitan verba „ᾗ ἡ κοίλη φλέψ" delenda tamquam additamentum aetatis posterioris. Mihi videntur haec verba esse retinenda, sed pro ᾗ cum Littraeo ᾗ scribendum esse. Quod ni faciam, nescio quo modo locus intelligi possit). Ἡ κοίλη φλέψ ad dextram partem cordis sita est, ita ut hoc loco libri Π. σαρκῶν calor collocetur in ventriculo cordis dextro. Idem locus docet ventriculum dextrum ταμιεύειν τὸ πνεῦμα sedemque igitur esse τῆς γνώμης. Hoc autem in libro nostro Π. καρδίης proprium est ventriculi sinistri (c. X). Concludendum igitur est locum quem invenimus in Π. σαρκῶν placitum exhibere discrepans a sententia auctoris nostri, non solum quod attinet ad sedem τοῦ πνεύματος et τῆς γνώμης, ut Fredrichius iam memoravit, sed etiam si spectamus sedem ignis insiti. Itaque hic locus in constituendo textu capitis IX[1] libri Π. καρδίης nobis non respiciendus est. Sed miror viros doctos tam diu neglexisse discrepantiam, quam exhibet caput nostrum, si comparatur cum tribus capitibus V°, VI°, XII°. Res aliter se haberet si in codicibus mss. legeretur θερμόν τι vel tale quid, sed scriptum est τὸ θερμόν, quibus verbis aliud nil significari potest nisi ignis ille insitus c. VI[1]. Iam Cornarius duas res attulit ad sanandum nostrum locum, alteram invitus, alteram de industria. Cum enim sequeretur codicem Parisinum E, in textum suum pro βέβλημα recepit βεβλήματα, pro quo vocabulo deinde in versione sua scripsit „tegmina".

1) p. 78.

Digitized by Google

Et praeterea in versione ante verba „in dextris" inseruit vocabulum „non". Itaque ante verba graeca *ἐν τοῖσι δεξιοῖσι* legere voluit *οὐκ*. Utrum per „tegmina" re vera verterit vocabulum *βεβλήματα* an pro hoc vocabulo aliud quoddam substituendum esse duxerit, incertum manet. Cornarii igitur versio loci nostri haec est: „Oportebat autem nobis magis incumbentia cordis tegmina perfrigerari. Est enim calor non in dextris . . .". Foesius, procul dubio a lectione *βεβλήματα* codicis C et Cornarii profectus *βλήματα* coniecit et in textum recepit, sed reiecit lectionem Cornarii: *οὐκ ἐν τοῖσι δεξιοῖσι*. De qua re in „not. brev." haec scribit: „*ἔστι γὰρ τὸ θερμὸν* sic legunt exemplaria omnia quae vidimus. Interpretes tamen omnes negationem addiderunt, quod sinister cordis ventriculus calidi nativi fons ac sedes esse dictus sit. *θερμὸν* tamen in dextro ventriculo inesse dicitur, hoc est, calidus humor, nempe sanguis, unde sanguineus dicitur, ut et sinister spirituosus." Quae explicatio tamen minus idonea est. Etiam coniectura *βλήματα* parum proficimus, cum *βλῆμα* aliud quid atque „iactus" vel „stratus" significare non verisimile sit[1]). Apud Foesium igitur locus noster et in textu graeco et in versione latina obscurus manet. Lindanus lectionem sequitur Foesii, nisi quod insuper post *θερμὸν* coniunctionem *καὶ* inserit. Quo facto mitigavit quidem difficultatem, sed locum non sanavit. Restat enim articulus *τὸ* et praesertim difficultas, quae inest in verbis praecedentibus inde ab *ἔχρη*. Mackius *περίβλημα τὰ* coniecit.

Littraeus lectionem codicum *βέβλημα* vel *βεβλήματα* commutavit in *βέβλαπται* et pro *ἔστι* scripsit *ἔς τι*. Ingeniose ille quidem, sed frustra. Omitto, quod est dubium, possitne Graece

---

1) Littraeus ad caput nostrum adnotat Struveum in Supplemento lexici, quod Schneiderus edidit, voci *βλῆμα* significationem tegumenti attribuisse, loco nostro documenti instar adhibito. Quod iure Littraeus perhibet verum esse non posse, cum *βλήματα* hoc sensu loco nostro coniectura sit viri docti temporum posteriorum. In lexico, quod olim Pape, postea Sengebusch edidit (in editione ai 1914) praeter significationes „iactus" et „ictus" „tegumentum" quoque memoratur, ad quam demonstrandam lexicon illud affert ex Antipatro Sidonio *βλῆμα κοίτης*. Sed iam Stephanus s. v. *βλῆμα* recte dicit: „*βλῆμα κοίτας χαμαιλεχέος* i. q. *κοίτη βεβλημένη χαμαί*", qua interpretatione eiusmodi *βλῆμα* nihil aliud fit nisi *iactus, stratus*.

Digitized by Google

dici *βέβλαπται ἔς τι*, quod venustum utique non est. Sed ratiocinatio auctoris nostri Littraeo haec esse videtur: „venae aërem ducunt in laevum ventriculum, arteria in alterum; quodcumque enim molle est, magis attractivum et relaxatum est. Necesse erat nobis magis adiacentia cordis refrigerari, *nam* detrimenti aliquid accepit calor in dextris...". Sed Littraeus ipse sensit rem nondum recte se habere et tueri conatus est lectionem suam hac interpretatione: „il fallait pour nous que les parties adjacentes fussent plus refroidies que le coeur...". Sed locus, quem *μᾶλλον* in sententia tenet repugnat huic interpretationi, quae, etiamsi hunc scrupulum ex animo nostro evellere possemus, parum haberet probabilitatis. Quae vero sunt ista adiacentia? Res manet obscura. Ermerinsius, qui parum textum traditum respicere solet, lectiones codicum *βέβλημα* et *βεβλήματα* et coniecturas Mackii et Foesii reiecit, *τὸ* mutavit in *τι*, inseruit *δέ* ante *τι* et cum Lindano coniunctionem *καί* post *θερμὸν*. Iam locus apud eum sic legitur: *Ἐχρῆν δὲ ἡμῖν μᾶλλον τὰ ἐπικείμενα τῆς καρδίης διαψύχεσθαι· ἔστι δέ τι θερμὸν καὶ ἐν τοῖσι δεξιοῖσι....* Hoc temere fecit; quod attinet tamen ad explicationem loci rem provexit in calce adnotans: „*τὰ ἐπικείμενα τῆς καρδίης* sunt ventriculus dexter, *τὰ ὑποκείμενα* sinister". Fuchsius in versione sua Ermerinsium sequitur et iure collaudat eius adnotationem quod attinet ad *τὰ ἐπικείμενα τῆς καρδίης*. Sed miror ambos viros doctos acquiesse in sensu, quem hoc modo adepti sunt. Quomodo enim auctor dicere posset necesse esse ventriculum dextrum *magis* refrigerari, simulque in hoc ventriculo *aliquid* tantum caloris inesse? Obliti sunt, opinor, cum hoc capite comparare c. XII^{um}, ubi auctor implicite id ipsum ostendit minimum caloris, quod insit in ventriculo dextro, summa cura esse asservandum. Attamen lectio *βεβλήματα* codicis E et Cornarii emendata in *βλήματα* a Foesio, deinde in *περιβλήματα* a Mackio, negatio inserta in versione Cornarii, annotatio Ermerinsii, qua ostendit *τὰ ἐπικείμενα τῆς καρδίης* esse ventriculum sinistrum, subsidia sunt maximi momenti ad sanandum et intelligendum locum nostrum. Si conferimus Ermerinsii annotationem cum verbis auctoris nostri: *ὥσπερ ἔξωθεν προσεβλημένη*, ad ventriculum dextrum pertinentibus (c. IV), et simul attendimus ventriculum dextrum

Digitized by Google

pallii instar amplecti ventriculum sinistrum [1]), statim videmus Mackii emendationem minime esse spernendam. Nam in monstro illo *βέβλημα* codicis Vaticani vocabulum sanum latere neque *βέβλημα* emblema esse, quod irrepserit in textum et deinde corruptum sit, verisimillimum est. Sed manet adhuc absurda ista ratiocinatio: venae, instrumenta magis apta ad aërem inspirandum, aërem ducunt in ventriculum sinistrum, arteria contra, minus apta ad inspirandum aërem, aërem ducit in ventriculum dextrum; *nam* opus erat nobis ventriculum dextrum *magis* refrigerari. Iam vero levissima emendatione mihi locus noster prorsus sanari posse videtur: si pro *μᾶλλον* legimus *μεῖον*, in loco nostro nil difficile vel obscurum superest. Atque vox *περιβλήματα* quidem, si praepositio *περι* tachygraphice scripta esset, facile abire potuisset in *βεβλήματα* vel *βέβλημα*, et aptum praebet sensum. Attamen perpendi essetne etiam aliud vocabulum, quod vel magis commendandum esset. Venit mihi in mentem vocabuli *ἐμβλήματα*. Cum tamen *ἔμβλημα* proprie dicatur „id, quod inseritur", parum hoc vocabulum congruit cum rebus anatomicis, quas supra memoravi, et cum auctoris nostri verbis *ὥσπερ ἔξωθεν προσερραμμένη* (c. IV). Sed suggessit mihi Vollgraffius vocabulum *ἐπιβλήματα*. Ἐπίβλημα est pannus, qui assuitur, cf. Ev. Matth. 9, 16. Optime convenit significatio vocabuli quod est *ἐπίβλημα* in verba: *ὥσπερ ἔξωθεν προσερραμμένη* et forma eius concinit cum forma vocabuli praecedentis *ἐπικείμενα*. Deinde signum tachygraphicum, quo praepositio *ἐπί* scribi solet, facile formam suggerit litterae *β*. Sed maximi momenti est quod Calvus in versione sua vocem graecam de qua agimus, reddit per vocem latinam quae est: *repagulum* (cf. Littraei apparatum criticum). „Repagulum" autem graece audit *ἐπιβλής*. Mihi persuasum est Calvum non solo codice Vaticano 276 [2]) usum esse in vertendo libro Π. *καρδίης*, sed etiam alio codice ms.. Vel forsitan codice Vaticano omnino non sit usus, sed eius archetypo. Quomodocumque res se habet, non dubito quin Calvus in codice aliquo legerit

1) Cf. Gegenbaur „Lehrbuch der Anatomie des Menschen" ed. VI vol II p. 214: „Die rechte Kammer legt sich mantelförmig um die linke".

2) Cf. in prolegomenis meis in capite de versionibus p. 45.

Digitized by Google

ἐπιβλήματα, quod vocabulum, cum confuderit cum voce quae est ἐπιβλής, per *repagula* verterit.

Cc. X—XII. *De valvulis.*

C. X. *De valvulis aliisque adnexis in ventriculis insitis. De valvulis ad ostia arteriarum insertis. De ventriculo sinistro mentis sede.*

Inter „atria" (οὔατα) et „ventriculos" insertae sunt „valvulae atrio-ventriculares" [1]), quibus in „ventriculorum" „systola" secluduntur „ventriculi" ab „atriis" [2]). Hae valvulae fila tenuia, „chordas tendineas", emittunt in ventriculos, quae inserta sunt ab altera parte in „musculis papillaribus", in parietibus ventriculorum insitis. Haec fila serviunt motibus valvularum. Praeterea infixae sunt in ventriculorum parietibus „trabeculae carneae", quarum alterae totae ad parietes sunt adnexae, alterae ab extrema sua utraque parte tantum adfixae mediam partem fili instar exhibent [3]). „Valvulas atrioventriculares" „chordas tendineas" „musculos papillares", „trabeculas carneas", haec omnia novit auctor noster. Usum tamen „valvularum" non novit. Unde fit ut omnibus his cordis adnexis munus idem ascribat. Sunt ei τόνοι, i. e. ea, quae tendunt et firmant cor (τὸ σπλάγχνον cf. c. VIII) et ventriculos (τὰ ἀγγεῖα cf. c. XI) et tamquam principia ἀορτῶν, quas „arterias" hodie appellamus, a corde proficiscentium. „Valvulas atrio-ventriculares" membranas, ὑμένας, appellat, extremas autem „trabeculas carneas" designat verbis ἄλλαι ἶνες, quae verba mihi legenda esse videntur pro verbis ἄλλοι τινές, quae non intellego.

Descriptionem harum rerum anatomicarum incipit auctor his verbis: λοιπός ἐστιν ὁ λόγος οἱ (quod pro ὁ Vaticani primus Charterius correxit [4]) τῆς καρδίης ὑμένες ἀφκνέες, ἔργον ἀξιαπηγητότατον. In codicibus mss. pro vocabulo ἀξιαπηγητότατον vocabulum ἀξιαγαπητότατον scriptum invenitur, cui in Vaticano varia lectio απηγη superscripta est. Superlativus ἀξιαπηγητότατος apud Herodotum identidem invenitur; cf. e. g. Her. I, 16, 177.

1) Rauber-Kopsch III p. 245. 2) Zwaardemaker I pp. 136 sq.
3) Rauber-(Kopsch) III p. 245.
4) Hanc correctionem Littraeus IX p. 87 perperam Mackio tribuit.

Digitized by Google

II, 99, 137. Vocabulum ἀξιαγάπητος exstat apud Clementem Alexandrinum. Verisimile mihi videtur variam lectionem Vaticani lectionem esse genuinam, monachum vero aliquem sero natum ἀξιαγαπητότατον pro ἀξιαπηγητότατον substituisse. Coraes [1]) quoque et Littraeus ἀξιαπηγητότατον legendum esse viderunt. Quae lectio etiam Cornario menti obversata esse videtur vertenti: „Opus dignissimum cognitione". Pro τοῖσι κοίλοισιν, quod legitur in codice Vaticano τῇσι κοιλίῃσιν legendum mihi videri iam dixi ubi egi de codicibus mss..

Ad illustranda verba ὁκοῖον ἀράχναι διαπετέες ζώσαντες e. q. s. satis est citare quae Rauber-Kopsch [2]) habent de „trabeculis carneis": „Beide Arten können förmliche Netze bilden . . .".

Ad ostia „aortae" et „arteriae pulmonalis" (quas ἀορτάς appellat auctor noster, quarum est ζεῦγος, par,) insertae sunt „valvulae semilunares". Sunt hae valvulae altero margine curvo adnexae ad parietes „arteriarum"; altero margine fere directo parietibus illis non adhaerescunt. Formam igitur habent circuli dimidiati, unde scilicet nomen ducunt [3]). His valvulis in ventriculorum „diastola" a corde secluduntur „arteriae" [4]). Describuntur hae valvulae in capite nostro verbis αἳ θύρεσι — πέρας. Hoc in textu tradito satis iam apparet, licet in codice ms. nonnulla ex his verbis parum sint clara.

αἳ iam Foesius in οἳ mutavit [5]), postea Lindanus in καὶ, quae lectio mihi vera esse videtur. Pro θύρεσι(ν) codicum mss. Littraeus θύραισι recepit, qua emendatione haud dubie nixus Ermerinsius coniecit θύραι σφι. Sed legendum mihi videtur θύρῃσι, foris: ad ostia „arteriarum" valvulae insertae sunt.

περιφερὲς, quod sensum nullum praebet, iure Foesius in περιφερέες mutavit.

Οἵ τε ξυνιέντες θαυμάσιον. Haec verba intelligi non possunt. Ideo Foesius legit οἳ τε ξυνιέντες θαυμάζουσιν „qui rem intelligunt, mirantur", quam lectionem utpote aptam posteriores sunt secuti. Multo vero minore opera et recte mea sententia Littraeus coniecit: οἵ τε ξυνιόντες θαυμάσιον.

---

1) Littr. IX p. 87. 2) III p. 245. 3) Rauber-Kopsch III p. 249.
4) Zwaardemaker I p. 137.
5) Rursus Littraeus perperam Mackio ascribit lectionem οἳ.

Digitized by Google

Πέρας et alii interpretes et Littraeus vertunt „fines", „limites", Ermerinsius: „e regione". Ermerinsii interpretationem non intellego; illi sic vertere potuissent, si legissent πέρα, quae forma pro πέρατα inveniri videtur; habent tamen in textu πέρας. Illud vero absurdum est στόματα „limites" appellari. Equidem suspicor in vocabulo πέρας latere πύλας, ut legatur: ἔστι δὲ αὐτῶν (i. e. ἀορτῶν) ζεῦγος, καὶ θύρῃσι μεμηχάνηνται τρεῖς ὑμένες ἑκάστῃ, περιφερέες ἐξ ἄκρου περ ὁκόσον ἡμίτομα κύκλου, οἵ τε συνιόντες θαυμάσιον ὡς κλείουσι τὰ στόματα, τῶν ἀορτῶν πύλας. Quibus verbis optime describuntur „valvulae semilunares" earumque munus. Cf. Ruf. Ephes. ed. Dar. p. 175.

In iis, quae sequuntur, pro verbis traditis ἀφελόντων δὲ, τὸν μὲν, quae intelligi non possunt, Foesius scripsit: ἀφελὼν, τὸν μὲν, Littraeus melius ἀφελὼν [1]), τῶνδε τὸν μὲν.

Pro ἀποστερήσει Littraeus ἀποστήσῃ habet, et annotat et alia et haec: „ἀποστερήσει ne peut rien signifier ici. J'avais songé à ἀποστορέσῃ, qui s'éloigne moins de la leçon des mss.; mais on ne trouve que dans les lexiques ἀποστορέννυμι". Ermerinsius legit ἀποστηρίζῃ, quod optime loco convenit. Nam si quis in ostio „aortae" vel „arteriae pulmonalis" hominis mortui declinet „valvulam" unam „semilunarem" a pariete, ad quem se applicuit, et deinde in hanc inclinet alias valvulas, re vera valvulis aqua, quae in arteriam infunditur, retinetur [2]).

Bene observasse auctorem nostrum vel eius magistros minores etiam cordis partes apparet e verbis: καὶ μᾶλλον τῶν τῆς ἀριστερῆς. τοιγάρ ἐμηχανήθησαν ἀτρεκέστερον . . ." Valvulae enim „arteriae", quam nos „aortam" appellamus, a sinistro ventriculo proficiscentis, densiores et firmiores sunt [3]). Auctor putat κατὰ δίκην hoc modo accuratius claudi „valvulas semilunares" ventriculi sinistri: ventriculus enim sinister ei sedes est mentis, quae reliquo animo imperat [4]).

---

1) Quod attinet ad τὸν ἀρχαῖον κόσμον Littraeus in annotatione peculiare artificium memorat, quo haruspices „thoracem" aperire solebant.

2) Cf. Nauwerck, Sektionstechnik, Ienae a° 1905, p. 74, ubi ceteroquin experimentum hoc alio modo perpetratum describitur. Praeterea hoc loco animadvertendum est has valvulas in corpore hominis mortui ad arteriarum parietes inclinatas inveniri. 3) Rauber-Kopsch III p. 256.

4) Wellmannus p. 104 de hoc auctoris nostri placito agens citat verba Dioclis Carystii „τὴν ἡγεμόνα τοῦ σώματος . . ., τὴν καρδίαν, ἀφ' ἧς τὸ ψυχικὸν πνεῦμα τοῦ σώματος ὥρμηται κατ' αὐτόν" (Fuchs anecd. 5, 543).

Digitized by Google

C. XI. *De modo quo mens alitur in ventriculo sinistro deque valvulis ei rei servientibus.*

Ἡ γνώμη non alitur cibis et potionibus, qui in ventrem descendunt et inde alunt ceterum corpus, verum residuo aliquo puro et lucido proveniente ex sanguinis dissolutione. Radiis ignis insiti in ventriculum dextrum sanguinem continentem transmissis residuum illud inde sibi parat. „Arteria magna", (quam nos „aortam" vocamus) adnexa est ventriculo sinistro. Sed „ventrem et intestina depascitur" [1]) et sic repleta est sanguine, parato e cibis et potionibus, quos venter recepit. Quo sanguine ne impediatur nutrimentum illud purum τῆς γνώμης, valvulae orificium clausum tenent, quo alioqui „ventriculus sinister" et „art. m." commeatum inter se haberent. Itaque „ventriculus sinister" sanguine caret. Quod apparet, si cor animalis mortui resecatur. Sic auctor noster.

Περιούση, quae est lectio cod. Vaticani, iam Paris. E in περιουσίᾳ mutavit, quod vocabulum Foesius et Ermerinsius vertunt per: „abundantiam", Cornarius: per „substantiam". Sed περιουσίη proprie est id, quod superest. Quae significatio optime huic loco convenit. Περιουσίη hic est quod hodie „residuum" vocamus.

Εὐπορέει δὲ τὴν τροφὴν ἐκ τῆς ἔγγιστα δεξαμενῆς τοῦ αἵματος διαβάλλουσα τὰς ἀκτῖνας. Littraeus haec adnotat: „Schneider, dans son Dict., remarque que εὐπορεῖν veut le génitif, et qu'il ne se construit avec l'accusatif que chez des écrivains postérieurs. Cependant le voilà avec l'accusatif dans un auteur très-ancien." Hanc ratiocinationem non rectam esse sat manifestum est. Idem Littraeus, quem Fuchsius sequitur, vertit: „Il se procure en abondance cette nourriture", Foesius: „Alimentum autem ei abunde suppetit", Ermerinsius: „Abundat autem nutrimento", Cornarius tamen: „Adsumit autem alimentum". Legendum mihi videtur ἐκπορεύει: ἡ γνώμη, e sanguinis receptaculo proximo (i. e. ventriculo dextro) vi radiorum ignis insiti, quos in receptaculum illud inmittit, sanguinis residuum illud haurit. Lectionem traditam δεξαμενῆς Littraeus mutavit in δεξαμένης (sc. κοιλίης). Sed nil opus. δεξαμενῆς, genitivus substantivi δεξαμενή, receptaculum, hic aptissimum est.

1) Foesius in versione.

Digitized by Google

Verba codicum mss. *καὶ νεμομένη ὥσπερ ἐκ νηδύος τῶν ἐντέρων τὴν τροφὴν οὐκ ὂν κατὰ φύσιν* Littraeo obscura videntur. *τῶν* in *καὶ* mutavit et pro *οὐκ ὂν* recepit *καὶ τοῦτο*, quod legisse Littraeo videtur Calvus, qui revera haec habet: „distribuensque ceu de ventre intestinorum nutrimentum, hocque naturaliter".

Concedo verisimile esse Calvum cum locum hoc modo latine verteret, legisse *καὶ τοῦτο*. Sed verbis *οὐκ ὂν* retentis facilius intelligi posse mihi videntur verba *καὶ νεμομένη — κατὰ φύσιν*. Haec enim mihi videntur auctoris nostri esse ratiocinatio: omnes corporis partes ex alveo, qui intestina continet, aluntur. Est igitur *κατὰ φύσιν*, si quae corporis pars ex hoc alveo alitur. Ἡ *γνώμη* tamen, tamquam si pascatur ex alveo intestinorum, e ventriculo dextro alimentum sibi petit, *οὐκ ὂν* (acc. abs.) igitur *κατὰ φύσιν*. Cornarius locum latine vertit in hunc modum: „Adsumit autem alimentum ex proxima sanguinis cisterna, radios suos eo inmittens, et depascens, velut ex ventre intestinorum alimentum non naturale exsistat". Si mediam distinctionem posuisset post „intestinorum" et scripsisset: „exsistit", recte fere rem administrasset. Versio Foesii, qui cum Calvo *νεμομένη* per vocem quae est „distribuens" reddidit, obscura est. Item Ermerinsius et Fuchsius in eundem errorem delapsi perperam hunc locum interpretati sunt. Littraeus tamen *νεμομένη* vertit per „se repaissant". Recte, nam *νεμομένη* hic nihil aliud est nisi „pascens".

Verba *ὅκως δὲ μὴ ἀνακωχὴ(-ῇ) — ἡγεμονικῆς* Cornarius latine vertit sic: „Quo vero non in mora sit, qui in arteria est in fluctuatione constitutus cibus, viam in ipsam occludit. Magna enim arteria ventrem depascitur ac intestina, plenaque est alimento non principali". Verba igitur priora nescio quo modo correxit; sed obscuritatem eorum non discussit. Iam audiamus Foesium: „Ne vero quae in arteria insunt, cibum in fluctuatione constitutum remorentur, viam quae ad ipsam tendit conclusit. Arteria enim magna ventrem et intestina depascitur et alimento non primario referta est". Hanc versionem interpretes posteriores secuti sunt, praeterquam quod Ermerinsius et Fuchsius *ἐόντα* pro *ἐὸν* legunt et verba *ἐν ζάλῃ ἐόντα* pertinere putant ad *τὰ ἐνεόντα ἐν τῇ ἀρτηρίῃ*; quae res est mino-

Digitized by Google

ris momenti. Omnes igitur interpretes in vocabulo ζάλη significationem „fluctuationis" (Littraeus: „fluctuation") inesse censent et vocem quae est ἡγεμονικός per adiectiva qualia sunt „principalis", „primarius" reddunt. Inspiciamus primum verba ὅκως δὲ μὴ ἀνακωχὴ τὸ σιτίον τὰ ἐνεόντα ἐν τῇ ἀρτηρίῃ ἐν ζάλῃ ἐόν. Lectionem codicis Vaticani ἀνακωχὴ iam Parisinus E in ἀνακωχῇ mutavit [1]). Verbum ἀνακωχέω significat „retinere", exempli gratia „retinere navem in alto" (Herod. VI, 116). Ζάλη motus vehemens est maris, procellae, imbrium. Re vera, licet mirum sit, auctor his verbis desumptis e nautarum sermone utitur ut dicat: ne alimentum τῆς γνώμης, quod movetur vehementer, retineant ea, quae in „arteria" sunt. Adjectivo ἡγεμονικός, ut vidimus, interpretes significationem attribuerunt adiectivorum quae sunt „principalis", „primarius". Sed ἡγεμονικός potius est „ducis proprius", „duci aptus". Ut bene hic interpretemur vocabulum ἡγεμονικῆς, animum attendamus ad verba c. X[1]: γνώμη ...καὶ ἀρχὴ τῆς ἄλλης ψυχῆς, et ad locum Diogenis Carystii, quem modo citavi, ubi τὴν καρδίαν appellat τὸν ἡγεμόνα τοῦ σώματος. Conferendum est etiam τὸ ἡγεμονικὸν philosophorum, quod etiam Wellmannus memorat [2]). Iam apparet quid rei sit; non ἡγεμονική est ἡ τροφή, qua impleta est arteria magna, i. e. non apta τῷ τῆς ἄλλης ψυχῆς ἡγεμόνι, i. e. τῇ γνώμῃ. Auctor noster putat deteriora et crassiora alimenta illa „aortae", si admittantur in „ventriculum sinistrum", prohibitura esse motum quo concitetur alimentum tenue τῆς γνώμης. Haud dubie hunc motum vehementem effici putat vi τοῦ ἐμφύτου πυρός.

In verbis ὅτι δὲ οὐ τρέφεται βλεπομένῳ αἵματι ἡ μεγάλη ἀρτηρίη verba ἡ μεγάλη ἀρτηρίη emblema esse manifestum est. Tota huius capitis ratiocinatio hoc spectat ut ostendatur τὴν γνώμην in ventriculo sinistro non ali sanguine, sed „residuo" sanguinis puro et lucido, „arteriam magnam" tamen sanguine ipso esse repletam. Mirum est ante Littraeum, qui primus haec verba delevit, nullum editorem hoc animadvertisse. His verbis in textu retentis Cornarius, Foesius, alii interpretes

1) Littraeus in apparatu critico e codice Parisino lectionem ἀνακωχὴ notare neglexit. 2) p. 104.

Digitized by Google

caput nostrum interpretantes prorsus erraverunt. Ermerinsius haec verba in textu delevit, in versione tamen latina retinuit. Si cor resecatur hominis mortui, ventriculus sinister sanguine vacuus est. Hoc auctori nostro documentum est earum rerum, quas in priore capitis parte docuit.

Lectionem codicis Vaticani ἀποπαγέντος iam codex ms. Parisinus E in ἀποσφαγέντος emendavit. Iure, ut mihi videtur, nam ἀποπαγέντος intellegi non potest. Ceterae correctiones Parisini E in hac capitis XI^{i} parte, σχισθείσης et ἀγγεῖ pro σχασθείσης et ἀγγείῳ, non sunt recipiendae, nam σχάζειν et ἀγγεῖον vocabula sunt satis usitata, praesertim in medicorum sermone (cf. ἀγγείων c. X.). Verbis τούτῳ τῷ ἀγγείῳ ventriculum sinistrum designari, non cor totum, quae est sententia Fuchsii [1]), satis iam apparet ex tota capitis XI^{i} ratiocinatione. C. X° praeterea ventriculi τὰ ἀγγεῖα appellantur, cor τὸ σπλάγχνον, quod haud dubie spectat ipse Fuchsius, cum dicit alias cor vocabulo ἀγγεῖον non designari.

C. XII. *De arteria pulmonali. De ventriculo dextro refrigerato sanguine natura frigido.*

A ventriculo dextro unum „vas" sanguinem ducens proficiscitur, „arteria pulmonalis" sc. [2]), qui sanguinem venosum in pulmones ducit ut purgetur. Ubi e corde oritur, insertae sunt illae „valvulae semilunares", de quibus supra egimus, quae minus tamen firmae sunt quam quae in ventriculo sinistro ad ostium „aortae" sunt insertae [3]). Hae „valvulae semilunares" aperiuntur in pulmones versus, clauduntur in cor versus [4]). Haec omnia novit auctor noster, excepto quod nescit sanguinem illum in pulmonibus purgari. Contra sanguinem πνεύμονι esse alimentum putat. Τὸ φερόμενον ἐκ τῆς δεξιᾶς, cum aliud „vas" sanguinem ducens nullum e ventriculo dextro oriatur, nihil aliud esse potest nisi „arteria pulmonalis", quam c. IX° ἀρτηρίην vocat auctor et aerem aspirare docet e pulmone in ventriculum dextrum. Novit auctor eam etiam sanguinem ducere in pulmonem. Docet ideo modo „valvulas" „arteriae pulmonalis" aperiri ut transmittant

1) p. 151. 2) Rauber-Kopsch III pp. 242 et 252.
3) Rauber-Kopsch III p. 256.
4) Rauber-Kopsch III p. 249, cf. p. 257 fig. 212.

Digitized by Google

aliquid sanguinis, quod in pulmonem ducatur, modo, cum transmissum sit aliquid sanguinis, claudi ita, ut aliquamdiu sanguine careat „arteria pulmonalis" et attrahere possit e pulmone aërem. Tunc aërem intrare in ventriculum, „valvulis" ob infirmitatem paulum tantum clausis. Eo modo paulum tamen aëris admitti. Eam rem sic esse institutam ne opprimatur calor, qui infirmus sit in ventriculo sinistro.

Pro *ξυμβουλῇ* iam Parisinus E habet *ξυμβολῇ*, quae emendatio in promptu erat.

Multo difficilius emendatu est verbum *ἔθρωσκεν*. Cornarius vertit: „salit", Foesius: „magno cum assultu impetit", Ermerinsius: „salit", Littraeus: „a des pulsations", Fuchsius: „pulsiert". Non tamen de vi sanguinis in arteriam influentis vel de arteria „pulsante" hic mentio fit, quod satis apparet e contextu et praesertim ex verbis sequentibus. Desideratur hic vocabulum, quo indicatur infirmitate valvularum non valde claudi arteriam. Persuasum est mihi in *ἔθρωσκεν* latere formam verbi *θυροῦν*, claudere. Inchoativum illud *-σκ-*, cum haud facile irrepserit, videtur mihi iam ab auctore ipso scriptum esse, non igitur esse delendum. Puto textum principalem *θύρουσκον* exhibuisse, cui formae postea librarius quidam *ἀττικίζων* augmentum addidit, et praeterea *(ἐ)θύρουσκον*, cum parum respiceretur contextus vel non intellegeretur, in *ἔθρωσκεν* abiisse, quod, si quis putet vel arteriam vel sanguinem esse subjectum, verbum aptum videri necesse sit. *Θύρουσκον* pro aoristo secundo habendus est, quo consuetudo aliqua denotatur quique adhuc apud Herodotum invenitur.

Verba codicis *ἀλλ' ἀνοίγεται μὲν ἐς πνεύμονος αἷμα παρασχεῖν αὐτοῖς τὴν τροφήν* Littraeus sic correxit: *ἀλλ' ἀνοίγεται μὲν ἐς πνεύμονα, ὡς αἷμα παρασχεῖν αὐτῷ εἰς τὴν τροφήν*. Optime, ut mihi videtur, nam minima emendatione elucidavit quae in textu codicis intellegi non poterant. Cornarius textum codicum mss. exscribit, sed in versione sua scribit: „in pulmonis *vasa*...", unde Foesius in textu post *πνεύμονος* inseruit *ἀγγεῖα*. Sed sic molestus videtur infinitivus *παρασχεῖν*, nullo modo cum ceteris verbis coniunctus, et cum praeterea vocem *ἀγγεῖα* inserere multo minus in promptu sit, Littraei subtilia medicamina ad sanandum locum nostrum ceteris longe sunt praeferenda.

Digitized by Google

Vocabulum ἁρμῷ Erotianus in onomastico explicat: ἡσυχῇ, μικρῶς. Conferamus locos alios, ubi in libris Hippocratis hoc vocabulum invenitur. In Γυναικείων libro I°, 4 (Li. VIII pp. 24 sq.) haec leguntur: Ἢν δὲ τὰ ἐπιμήνια γυναικὶ χωρέῃ μέν, ἐλάσσονα δὲ τοῦ δέοντος χωρέῃ, ἅτε τοῦ στόματος τῶν μητρέων παρακεκλιμένου ὀλίγον τοῦ αἰδοίου ἢ ἁρμοῖ μεμυκότος ἐς τοῦτο, ὥστε χωρέειν μὲν... et Περὶ ἀφόρων c. 213 (Li. VIII p. 408) haec inveniuntur:... οὐ γὰρ δέχονται αἱ μῆτραι τὴν γονήν, ἀλλ' ἔξω αὐτίκα ἔρχεται. Γίνεται δὲ τοῦτο καὶ ἢν ὀλίγον παραστραφῇ τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ἀπὸ τοῦ αἰδοίου παρὰ φύσιν· καὶ ἢν μεμύκῃ τὸ στόμα τῶν μητρέων πάμπαν, οὐδ' οὕτω δέχονται, οὐδ' ἢν ἁρμοῖ μεμύκῃ μᾶλλον ἢ δεῖ. Δῆλον δὲ τουτέων ἕκαστόν ἐστι τῶν εἰρημένων· ἢν μὲν γὰρ ἀπεστραμμένον ᾖ πάμπαν ἢ μεμυκὸς, τὰ καταμήνια οὐκ ἔρχεται τὸ παράπαν, ἢ ἔρχεται βιαίως ξὺν νούσῳ... ἢν δὲ ὀλίγον παρακεκλιμένον ᾖ ἢ ἁρμοῖ μεμύκῃ, χωρέει μὲν τὰ καταμήνια, χωρέει δὲ βιαίως καὶ κατ' ὀλίγον ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας. Et his locis et nostro agitur de parte corporis interna, quae aliquo modo clauditur. Ex duobus locis quos laudavi, praesertim ex loco libri Π. ἀφόρων, satis apparet ἁρμῷ esse „paulum", quae significatio haud dubie huic vocabulo etiam loco nostro attribuenda est. Optime enim haec significatio hic convenit, deleta tamen negatione οὐχ.

Verbis ἀσθενὲς γὰρ — δοκέει δὲ τοῖσι πολλοῖσι Φύσει θερμόν, in quibus pro χρήματι iure Littraeus auctore Corae recepit κρήματι, causa exponitur ob quam infirmus est calor qui inest in ventriculo dextro: domatur enim ibi sanguine, qui natura friget. Ultimis his nostri libri verbis paucis affertur nova res, maximi tamen momenti. Egit auctor de calore, qui inest in ventriculo sinistro, firmissimo, cum sit ignis insitus, egit de calore in ventriculo dextro, exiguo, cum ibi non sit insitus. Omnis auctoris disputatio hac ratiocinatione nititur. Post verba ἀσθενὲς γὰρ ἐνταῦθα τὸ θερμὸν, verba quae sequuntur non desideraremus, si non scripta essent. Praesertim hoc mirum est causam, quae hic debilitatis caloris affertur, non ut causam alteram induci, quae ad alteram illam prius memoratam accedat, inserto e. g. post δυνασταυόμενον vocabulo καί, sed velut si causa sit una. Praetereo nunc quod qui haec verba scripsit dissentit, quod ipse memorat, ab aliis plerisque sui

Digitized by Google

temporis viris doctis. Verba δυνάστευόμενον — δοκέει δὲ τοῖσι πολλοῖσι φύσει θερμόν ideo posterius ab aliena manu libro nostro addita esse mihi videntur [1]). Si quis velit ea ab auctore nostro ducere originem, attamen concederé debeat inopportuno loco et parum cum cetero libro cohaerentia auctorem haec verba scripsisse.

1) Cf. Wellmann pp. 97 sq.: „Es ist kaum ein Zweifel, dass es (i. e. liber Π. καρδίης) kein Ganzes darstellt." Ceterum non assentior Wellmanni iudicio, quod de libro Π. καρδίης eiusque auctore edit l.l. et p. 106, quod iudicium sane non concinit cum iis, quae Wellmannus ipse scripsit p. 94.

Digitized by Google

DE EURIPIDIS SUPPLICIBUS.

CONRADI KUIPERI DISPUTATIONEM AD PERPETUAM VIRI PRAESTANTISSIMI SERVANDAM MEMORIAM LATINE VERTIT ET HIC INSERENDAM CURAVIT

I. I. HARTMAN.

Praefatio. Kuiperi, nuper acerbo fato cum universae philologiae tum Batavorum philologorum amicitiae atque adeo venerationi — habet enim venerationem iustam quidquid excellit — erepti, scripta cum vel oculis perlustrarem vel mente mecum recolerem, et in hanc incidi disputationem. Quae cum indigna prorsus mihi videretur quam ceteri mortales omnes ignorarent, pauci tantum modo Batavi cognitam haberent, e latebris suis eam protraxi — pronuntiata enim fuit in Academiae Regiae Amstelodamensis consessu et ab ipsa Academia Annalibus suis inserta — et veste indutam Latina Mnemosynen nostrum legentibus (ii enim in quavis paulo cultiore regione inveniuntur haud pauci) contemplandam exposui. Fuit enim Kuiperus vir haud spernendae doctrinae: quaecumque a principibus Graecis olim scripta vel cantata fuerant, ea sedulo perlegerat omnia multaque fideli retinebat memoria; fuit idem haud vulgari praeditus acumine: multa multis locis quae ab aliis, quamvis scitu dignissima, fuerant neglecta, primus observaverat, et si qua posteriore aetate mota fuerat insignior controversia, quae ad vitam Graecorum — et praesertim ad eorum literas, philosophiam, rem sacram — pertineret, eam diligenter prudenterque perpenderat. Levitatem et temeritatem oderat omnem. Sui ingenii contemptor potius quam admirator cum esset, haud facile novis plaudebat inventis aliorum rariusque εὖ γε quam σκεπτέον novis, quos multos legit, libris adscripsit. Et praeter ceteros ipse ἐσκέπτει. Quam mirum ergo, immo vero

Digitized by Google

quam incredibile foret, si nihil — atque adeo si non multa — inessent in eius commentationibus quae grata posteritas in suum posset convertere usum et emolumentum. At pleraque Kuiperus scripsit vernacule neque quidquam eorum emanabit ad exteros. Et nunc, eheu, occidit: solemni eum laudabit oratione aliquis e nostro, Academicorum, numero, facunde fortasse et diserte sed ille quoque sermone nostro usurus erit. Inde altum erit de Kuipero silentium, nisi si quis ad aliquam Mnemosynae nostrae paginam legentes relegare velit. Cui ego incommodo prospiciens hance de Supplicibus Euripideis disputationem e sepulcro suo Academico in claram, qua digna erat, lucem revocavi, Kuiperumque eo sermone utentem feci quo nemo facilius elegantiusque uti poterat solebatque quotiescumque de cathedra professoria ingenuam iuventutem Graecas docebat literas. Nam habet haec quoque permulta digna quae non adolescentes modo discant sed et provectiores. Vix ipse ille spissus de Euripidis theologia et philosophia liber plura ex eo genere habet magisque laudabilia. Omnia ibi sunt firmissimis stabilita argumentis, omnia limpida lucidaque, magni momenti omnia, nequedum satis illustrata pleraque. Sed iam tempus est praefandi finem facere. Sit ergo hoc parvum et humile monumentum viro optimo et optime merito non plane indignum!

Tragicos Athenienses a primis inde temporibus adstrictos fuisse vinculo quod iis in materia sua eligenda iniecerat certus Bacchanalium usus, licet iis libertas quaedam in antiqua adhibenda mythologia numquam fuerit denegata, res est notissima. Quid quod neque historicis argumentis iis fuit interdictum. Multa dicta est antiquo illi Phrynicho, non quod *τὴν Μιλήτου ἅλωσιν* in scenam introduxisset, sed quod eam sic tractaverat *ὡς ἀνιαμενήσας οἰκήια κακά*, nam postea a. 476 historicum drama *τὰς Φοινίσσας* spectandum dedit, quemadmodum quatuor annis post Aeschylus Persas suos Atheniensibus exhibuit. Sed haec quidem Phrynichi Aeschylique exempla perpauci sunt imitati Graecorum tragici.

At obstabat nihil quin iam apud Aeschylum multoque magis apud Sophoclem, licet uterque aut semper aut tantum non sem-

Digitized by Google

per contentus fuerit ea quam antiqua mythologia praeberet materia, tragoedia hic illic proderet aliquid novi quod mutatas hominum de re sacra et de moribus opiniones referret. Et in Aeschyli Eumenisin et in Sophoclis Antigone gravissimam illam de qua agitur controversiam ea illustrari luce quae propria fuerit eius qua uterque poeta vixerit aetatis neminem fugere potest. Quid quod saepe in uniûs eiusdemque poetae arte mutata deprehendimus tempora. Sic in Sophoclis Oedipode non eadem intercedit inter regiam potestatem et auctoritatem sacerdotis ratio quae conspicitur in eiusdem Antigona viginti annis antea in scenam producta.

Nemo tamen ob eas, quas iam diximus, discrepantias accuratum ipsius veritatis pictorem fuisse putaverit Sophoclem, nemo usquequaque ab eo alludi ad res ex historia notas coniiciat. Sic, ut hoc utar, Oedipodem a Sophocle ita depingi ut alter evadat Pericles quicumque sibi fingit, is falsam sibi informat Sophocleae artis imaginem.

Euripides vero hac quoque in re totam innovasse tragoediae rationem dici potest, quod totam illam farraginem quaestionum ad religionem, ad mores, ad civitatem et ad rempublicam pertinentium, quibus ipsius movebatur aetas, tamquam speculo repercussam coniecit in tabulam quae suam exhiberet tragoediam mythologicam. Haud dubie qui in eam partem inclinat suam ipse artem in periculum haud leve inducit ne prave a posteris de ea iudicetur: quicumque de Euripide scripserunt ii omnes illud suo quisque modo declararunt. Sed multo graviora ea fiunt crimina si quis non — id quod rectum fuerat aequumque — in universum statuere studet qua fuerit animi condicione poeta cum hanc vel illam fabulam tractaret sed in quovis versu allusionem aliquam ad rem quae poetae aetate evenerit odoretur vel sub quavis persona tragica aliquem poetae aequalem subesse coniiciat. Ut de illis locis taceamus, quibus ipsum sibi obloquentem poetam haec faciat ratio, totum poetam illa reddet non tragicum philosophantem, sed historicum aliquem utcumque versus conflantem, quorum pretium ne comparari quidem cum comoedia Aristophanea potest, quae praesentes res ludibrio quidem habet sed simul easdem veritati convenienter renarrare nititur.

Digitized by Google

Paucae tamen sunt Euripidis fabulae, in quibus ea quae notavimus pericula manifestius apparent quam *Supplices*. Haec enim tragoedia magis quam ipsi eius *Heraclidae* dici potest fabula ex ipsa poetae vita sumpta; nullum Euripidis drama tot et tam expressa dat signa quo sit natum tempore et quid tum reipublicae Atheniensi evenerit. Inde natum est illud investigandi studium quod nullum non verbum celare crediderit aliquam poetae opinionem de aliqua parte reipublicae. Certatim Theseum fabulae protagonistam Periclem aliquem esse vel Alcibiadem clamarunt. Certatius ipso dramate ad arma, vocari et pacem commendari affirmarunt.

Opus non videtur haec omnia exemplis confirmare. Sed quamvis manifesto apparuerit saepe in *Supplicibus* illustrandis viros doctos nunc excessisse modum, nunc certae alicui rationi, quamvis ea aliquam haud dubie partem veri haberet, nimis fuisse deditos, utique hoc docuerunt numquam cessantes philologorum perquisitiones Euripidem, cum fabulam nostram componeret, non fuisse alienum a communi quodam animorum affectu, qui tunc temporis Athenis regnaverit. Quod equidem hic sine ira et studio in clara ponere luce conabor.

Non adsunt certa argumenta ad demonstrandum quo anno hoc *ἐγκώμιον Ἀθηνῶν* chartae mandaverit Euripides, licet metrica quaedam nos ad illud ducant tempus quod *Hippolyto* iam absoluto secutum est. Dubitari tamen vix potest quin scripta sit tragoedia recenti etiamtum memoria rerum quae inter annos 424 et 421 evenerunt. Et funesta illa ad Delium pugna et crudelitas Boeotorum corpora Atheniensium, qui ibi ceciderant, tolli vetantium, certe vetare incipientium, denique variae deliberationes, quae foedus attulerunt quod Athenienses cum Argivis pepigerunt, haec omnia — de ea enim re plerique historici consentiunt — poetam moverunt ut argumentum, iam ab Aeschylo in Eleusiniis tractatum, denuo elaboraret, idque ita ut rationem haberet rerum quarum ipse fuisset testis [1]).

1) Contraria est crudelitas in hoc genere Boeotorum Niciae Atheniensis religioni, qua pietatem observavit in expeditione Corinthiaca a. 425, de qua Plutarchus narrat in vita Niciae c. 6: *εἰς δὲ τὴν Κόρινθον ἀποβὰς ἐνίκησε μάχῃ καὶ διέφθειρε Κορινθίων πολλοὺς καὶ Λυκόφρονα τὸν στρατηγόν. ἔνθα δὴ συνέβη τῶν οἰκείων δύο νεκροὺς ἀπολιπεῖν διαλαθόντας περὶ τὴν ἀναίρεσιν· ὡς οὖν ταῦτ' ἔγνω, τάχιστα*

Digitized by Google

Sed magna est diversitas eorum qui statuere conantur quo ipsa fabula anno sit composita: ante an post foedus cum Argivis initum. *Hoc* ut statuamus nihil in fabula — sic certe mihi videtur — nos admonet. Ipse poeta qui paulo antea in *Erechtheo* tam laeta voce cecinerat carmen quod mox in ore populi versabatur:

κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν ἀράχναις

nunc hilaris sit minus, pacem tamen amare pergit, neque desperat de commodis, quae invisum istud bellum urbi suae denegat [1]). Vix est credibile ne tunc quidem eum exspectationem illam missam fecisse cum iam initum esset foedus cum Argivis. Nam, id quod Atheniensium neminem fallere poterat, foedus illud a bello Spartanis indicto nihil differebat. Sed si revera tragoedia nostra iam ante mensem Maium a. 420 in scenam est prolata, quantum spatium inter utramque rem intercessit?

Ut ad hanc quaestionem recte respondeatur, opus est denuo — saepe enim factum iam illud est — Supplices Euripideas una cum rebus quae annis quos diximus (annos volo a 424° usque ad 421um) peractae sunt, consideremus. Hic pro certo, si fieri posset, statuere vellemus quatenus poeta propter res praesentes, quas in mente habebat ipse, ipsam mythologiam consulto immutaverit [2]). Novimus eum in re haud parvi momenti ab Aeschylo discrepuisse. Narrat enim Plutarchus de Theseo (in

---

τὸν στόλον ἐπιστήσας ἔπεμψε κήρυκα πρὸς τοὺς πολεμίους περὶ ἀναιρέσεως. καίτοι κατὰ νόμον τινὰ καὶ συνήθειαν ἐδόκουν οἱ νεκρῶν ὑποσπόνδων λαβόντες ἀναίρεσιν ἀπολέγεσθαι τὴν νίκην, καὶ τρόπαιον ἱστάναι τοὺς τούτου τυχόντας οὐκ ἔνθεσμον ἦν, νικᾶν γὰρ τοὺς κρατοῦντας, μὴ κρατεῖν δὲ τοὺς αἰτοῦντας, ὡς λαβεῖν οὐ δυναμένους. ἄλλ ὅμως ὑπέμεινε μᾶλλον προέσθαι τὸ νίκημα καὶ τὴν δόξαν ἢ καταλιπεῖν ἀτάφους δύο τῶν πολιτῶν.

1) Ipsum fetialem ab hostibus Thebanis missum facunde disserentem inducit de belli ardore qui in populi tumultuantis regnet contionibus. Idem ille pacem Μούσαις προσφιλεστάτην vocat vs. 481—492. Cf et 119 τλήμων πόλεμος et vs. 232 de stulto τῶν νέων studio qui suae gloriae causa bellum suadeant.

2) *Consulto*, nam Euripidem licet in hac quoque tragoedia, praesertim ubi laudat septem duces quo loco aemulatur Aeschyli laudationem τῶν ἑπτά, indulgeat studio censuram agendi de artis tragicae magistro praeclaro, tamen hic eius premit vestigia. Recte Manningen *Study of Archaism in Euripides* N. York 1916 inter se comparat Theseum haesitantem in Euripidis Supplicibus et Pelasgum dubitantem in Aeschyli Supplicibus.

Digitized by Google

vita c. 29): *συνέπραξε δὲ καὶ Ἀδράστῳ τὴν ἀναίρεσιν τῶν ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ πεσόντων οὐχ, ὡς Εὐριπίδης ἐποίησεν ἐν τραγῳδίᾳ, μάχῃ τῶν Θηβαίων κρατήσας ἀλλὰ πείσας καὶ σπεισάμενος.... κατεμαρτυροῦσι δὲ τῶν Εὐριπίδου ἱκετίδων οἱ Αἰσχύλου Ἐλευσίνιοι.*

Nemo mirabitur, Plutarcho Boeotio solam Aeschyleam narrationem veram visam esse, sed commemorare neglegit Chaeronensis, iam ante Euripidem aliter atque Aeschylo Atheniensibus visum esse. Narrat enim Herodotus ante proelium ad Plataeas eo argumento Athenienses postulasse ut sibi assignaretur locus in dextero cornu, quod olim armati Thebanos coegissent corpora septem ducum tradere [1]) qui insepulti iacerent in terra Thebana. Hoc ergo iam ante annum 479 Athenienses inter se tradebant, ita post Herodotum laudabant Athenas quicumque eam urbem in caelum tollere studebant.

Suas sibi habuisse causas Euripidem cur antiquae fabulae formam hanc, Boeotiis inimicam, praeferret aliis, procedente hac disputatione demonstrare conabor. Simul apparebit cur cum prioribus poetis dramatis scenam Eleusine posuerit. Sed quatenus praeterea *Ἐλευσινίων* inventionem, quae Aeschylum auctorem habet, immutaverit ignoramus.

Cuiusvis tamen est tota hac tragoedia properanter egisse novum poetam observare. Parum accurata est oeconomia, non ea qua opus erat diligentia agentium partes inter se sunt distributae, quae habentur orationes saepe non huic fabulae scriptae videntur.

Haec omnia saepe iam sunt observata. Sed nostrum est paulo diutius in Aethrae persona subsistere.

Thesei matrem in fabulae initio rem divinam Cereri parantem videmus. Morantur eam supplices quae ei *ἱκετήρια* manibus imponunt, haud ignarae non esse *ὅσιον* illud [2]). Sed necessitate coactae. Nam poeta, quamvis sit ceteroquin ad dubitandum propensus, tamen et hic ostentat studium illud suum quam

---

1) Herod. IX, 27 *τοῦτο δὲ Ἀργείους τοὺς μετὰ Πολυνείκεος ἐπὶ Θήβας ἐλάσαντας τελευτήσαντας τὸν αἰῶνα καὶ ἀτάφους κειμένους στρατευσάμενοι ἐπὶ τοὺς Καδμείους ἀνελέσθαί τε τοὺς νεκροὺς καὶ ὑπάψαι τῆς ἡμετέρας ἐν Ἐλευσῖνι.*

2) vs. 63 *ὁσίως οὐχ, ὑπ' ἀνάγκας δὲ προσπίπτου —*
σα προσκαιτοῦσ' ἔμολον
δεξιπύρους θεῶν θυμέλας.

Digitized by Google

accuratissime describendi quaecumque sunt νόμιμα in cultu deorum. Theseum facit iure mirantem quid sibi velint matronae illae lugubri veste indutae [1]). Apparet et Theseum ipsum et matronas impium illud esse intellegere quod ἱκετήρια Eleusinem ferant itaque, sicut et vestimentis luctum testantibus, molestias exhibeant Aethrae rem divinam facienti. Aethra ipsa (vs. 102) sic loquitur:

ἱκεσίοις δὲ σὺν κλάδοις
Φρουρεῦσί μ', ὡς δέδορκας, ἐν κύκλῳ, τέκνον.

Egregie haec concinunt cum iis quae legimus in Andocidis oratione de mysteriis (§ 116): ἡ δὲ στήλη πρὸ ἧς ἕστηκας χιλίας δράχμας κελεύει ὀφείλειν, ἐάν τις ἱκετηρίαν θῇ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. (an ὀφλεῖν?)

Tam Thesea quam supplices poeta tantum non diserte declarantes inducit, dedecori esse loco illi sancto praesentiam illarum et vestem lugubrem. Tamen, Aeschylum in Eleusiniis secutus, tamquam dramatis scenam Eleusinem retinet remque ita spectantibus proponit ut mulieres Athenas petentes Eleusine Aethram inveniant eamque precibus suis adeant.

Probe haec omnia intelligimus. Simul cum quaestione de corporibus ducum tradendis magni est in nostro dramate momenti cremandorum illorum et componendorum cura: ergo non potuit scena dramatis Eleusine alio transferri, si quidem poeta manifesto operam dat ut liqueat quantam habeant vim Eleusinia illa sepulcra et quantam religionem.

Sed quid sibi vult Aethra illa? Ad hanc quaestionem ipse poeta haud obscurum dat responsum sic Thesei persona tractanda. Ille enim ab Aethra arcessitus primo tam parum Adrasti preces curat ut non possimus lentitudinem eius non mirari. Septem ducum in Thebanos expeditionem severae submittit censurae, Adrasti consilium reprehendit, contra laudat Polynicem quod pacis cum fratre servandae causa sponte Thebis abire coeperit, at graviter vituperat Adrastum, qui dissuadenti Amphiarao non obediens spreta vaticiniorum ratione infaustum illud moverit bellum Thebanum, prave et inconsulto.

Atque urgente Adrasto et hoc praesertim utente argumento

1) vs. 97 κουρὰ δὲ καὶ πεπλώματ' οὐ θεωρικά.

Digitized by Google

quod non possit auxilium exspectare nisi ab Atheniensibus, denuo recusat longa praemissa oratione, qua quae bona culti afferant mores enumerat et quam excelsum in hoc genere Athenae, illa omnium urbium cultissima, locum teneant exponit. Hic ipsam Euripidis vocem audimus, audimus hic quoque eum immutantem quae prius fuerat elocutus Aeschylus. Denique hic poetam illum pacis amantissimum audimus conquerentem (vs. 214):

ἆρ᾽ οὐ τρυφῶμεν θεοῦ κατασκευὴν βίου [1])
δόντος τοιαύτην, οἷσιν οὐκ ἀρκεῖ τάδε;

Sed Adrastum, ut ego arbitror, praecipue movit id quod denique declarat Theseus: „apud populum Atheniensem non possum in me recipere culpam foederis vobiscum initi".

Non magis quam Adrasti verba regem ad misericordiam adducunt chori preces. Solae Aethrae lacrimae eam habent vim. Pergit quidem Theseus adversus matrem quoque Adrasti damnare consilia (vss. 334 sqq.), instanti tamen cedit... atque paulo celerius quam exspectaveramus intellegit se esse κολαστὴν τῶν κακῶν ideoque sui esse officii τὰ νόμιμα τῆς Ἑλλάδος defendere; quique paulo ante (vs. 246) dixerit:

κἄπειτ᾽ ἐγώ σοι σύμμαχος γενήσομαι;
τί πρὸς πολίτας τοὺς ἐμοὺς λέγων καλῶς

nunc, tamquam si a Pericle τὸ ἐνδόσιμον λαμβάνει, quo principe, quemadmodum iudicat Thucydides (II, 65) ἐγίγετο λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή, sic loquitur: „Spero meam auxilii ferendi voluntatem probatum iri populo Atheniensi et probabit me volente" (350).

Nobis quo tempore et quo consilio drama scriptum sit definire volentibus non opus esse videtur accurate exponere quomodo illud deinde decurrerit: bene re adversus Thebanos gesta cremantur ducum corpora et iussu Minervae fit foedus inter Athenienses Argivosque (hoc argumentum notum habere sufficit). Sed haec se sponte nobis offert quaestio: quid movere potuerit Euripidem ut Thesea depingeret quemadmodum hic depinxit? Nec dubitamus quin nobis liceat ita ad hanc quaestio-

1) Estne ipsius Kuiperi bona haec lectio? Opinor. Nauckius minus recte βιῷ edidit.

Digitized by Google

nem respondere ut res ipsas consulamus inter quas vixerit poeta ipse dum scribebat. [1])

Inter illas nihil magis nos movet quam Creontis adversus corpora ducum crudelitas. Vetusto enim more barbarorum ea ἑλώρια κύνεσσιν vult tradere. Cui non poetae aequalium ea in mentem venire debuit cogitanti de rebus quae mense Novembri anni 424 ad Delium evenerunt". [2])

Hic de rebus bellicis accuratus est Thucydides et uberrimus. Minus clare apparet in eius enarratione quis eo tempore animorum status Athenis fuerit. Neque tamen indicia quaedam desunt. Sic dubium non est quin fuerint qui non probarent rationem qua Athenienses re ad Pylum bene gesta (a. 425) bellum gerere perrexerint. Pacis fautores, qui et a. 426 et post res ad Pylum gestas identidem caput sustulerint, et mense Februario a. 425 Acharnensium poetam facetum defensorem nacti erant, verisimile est eiusdem anni mense Martio prohibuisse ne iterum dux crearetur Hippocrates, fidelis Demosthenis adiutor in bello et cupiendo et suadendo. Iidem illi pacis fautores haud dubie gavisi sunt, cum viderent quam strenue Spartani post Pylicam Atheniensium victoriam paci reconciliandae dederint operam. Afferebant tum Spartani condiciones illas pacis oratione, quam luculenter refert Thucydides. Non celat hic historicus iudicium suum de minore parte populi, qui, bellum cupientes, illas respuebant condiciones τοῦ πλέονος

---

1) Hanc opinionem confirmare videntur hi tragoediae versus:

159 *Thes.* οὕτω τὸ θεῖον ῥᾳδίως ἀπεστράφης;
Adr. νέων γὰρ ἀνδρῶν θόρυβος ἐξέπλησσέ με.

2) In eiusmodi comparationibus instituendis retinendum est — quod saepe tamen a recentioribus artis Euripideae interpretibus neglegitur — in mythologica tragoediae parte (aliter enim se habet res in epilogo illo „politico" — sic enim appellare eum mihi liceat) non usquequaque poetam operam dedisse ut Argivos vel Thebanos cum depingeret novum Argos novasque Thebas ante oculos haberet. Fetialem Thebanum dicentem facit ea quae non dedecuissent Thesea. Thesei iudicio de expeditione Adrasti non damnantur Argivi aequales, sed multo magis, quemadmodum mox sum demonstraturus, cum septem ducibus ipsi Athenienses. Sed fit error inextricabilis, si quis dubitatione Thesei, de qua supra egimus (praesertim ad vs. 246 κἄπειτ' ἐγώ σοι σύμμαχος γενήσομαι), opinionem Euripideum Argos idem esse quod historicum illud tenaciter retinens, alludi credit ad aliquam *Atheniensium* dubitationem de symmachia cum Argivis ineunda. Praecipue sic refellitur sententia eorum, qui Theseum alterum esse Alcibiadem finxerunt.

Digitized by Google

ὀρέγοντες (IV, 21). Quod in epitaphio a Pericle in Atheniensibus fuerat laudatum (quod tradere liberis patriam maiorem quam ipsi acceperant studerent) quodque in Corinthiorum oratione Spartae habita fuerat commemoratum tamquam indicium quanta esset Atheniensium mobilitas et quantum illa periculi afferret adversariis, nec tamen tamquam vitium notatum, (I, 70, 7 ἃ μὲν ἂν ἐπινοήσαντες μὴ ἐπεξέλθωσι οἰκεῖα στέρεσθαι ἡγοῦνται, ἃ δ' ἂν ἐπελθόντες κτήσωνται ὀλίγα πρὸς τὰ μέλλοντα τυχεῖν πράξαντες), id nunc Thucydides, de rebus cogitans quae postea evenerunt quasque vidit ipse, iis dat opprobrio. Simulque indicat eum quem principem malorum auctorem esse putat: μάλιστα δ' αὐτοὺς ἐνῆγε Κλέων ὁ Κλεαινέτου, ἀνὴρ δημαγωγὸς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον καὶ τῷ πλήθει πιθανώτατος [1]). Hic est Cleon ille quem Aristophanes in Equitibus (a. 424) notavit tamquam ipsam demagogiam humano corpore indutam, quam totiens ipse quoque tamquam summam malorum causam notaverat et alibi et in Supplicibus, idque Thebanorum hostium fetiale auctore usus; is enim suam urbem laudat utpote in qua rex, non plebecula regnet (vs. 412).

οὐδ' ἔστιν αὐτὴν ὅστις ἐκχαυνῶν λόγοις
πρὸς κέρδος ἴδιον ἄλλος ἄλλοσε στρέφει·
ὁ δ' αὐτίχ' ἡδὺς καὶ διδοὺς πολλὴν χάριν
εἰσκῦθις ἔβλαψ', εἶτα διαβολαῖς νέαις
κλέψας τὰ πρόσθε σφάλματ' ἐξέδυ δίκης.

Sua tamen factio Hippocratem in annum $42^4/_3$ denuo ducem (στρατηγόν) facit. In occupanda Nisaea fortuna secunda utitur,

---

1) Conferatur oratio placida qua fetialem Thebanum utentem facit Euripides (vs. 481):

ὅταν γὰρ ἕλλῃ πόλεμος εἰς ψῆφον λεώ,
οὐδεὶς ἑῷ' αὑτοῦ θάνατον ἐκλογίζεται,
τὸ δυστυχὲς δὲ τοῦτ' ἐς ἄλλον ἐκτρέπει·
εἰ δ' ἦν παρ' ὁμμα θάνατος ἐν ψήφου φορᾷ,
οὐκ ἄν ποθ' Ἑλλὰς δορίμαχὸς ἀπώλυτο

et Thesei iudicium de iunioribus (vs. 232):

οἵτινες τιμώμενοι
χαίρουσι πολέμους τ' αὐξάνουσ' ἄνευ δίκης
φθείροντες ἀστούς·

qui locus concluditur solita illa apud Euripidem laudatione τοῦ μέσου δήμου prae iis qui vel ὄλβιοι sint vel οὐκ ἔχοντες.

Digitized by Google

sed Megara expugnare non potest. Eam urbem defendit Brasidas suis copiis et magnis *Boeotorum* auxiliis.

Auxilium illud Brasidae a Boeotis praestitum impulisse Demosthenem et Hipprocratem videtur ut denique perficerent quod diu ante, ut videtur, agitaverant et, adiuvantibus factionibus popularibus tota Boeotia caput tollentibus contra Thebanorum impotentiam, vim frangerent Boeotorum qui hostili erant animo in Athenienses. Ad eam rem triplici opus erat expeditione eodem tempore in Boeotiam suscipienda, sed prorsus omni successu res caruit partim proditione partim funesto errore de tempore constituto. Demosthenes uno die ante illud advenit vel Hippocrates uno die post. Thucydides, qui hic quoque omne iudicium inhibet, licet de re narret quae satis fuerit anceps neque, quod admodum verisimile est, probata Atheniensibus omnibus, ne hoc quidem dicit utrum Hippocrates, dum suam partem consilii perficeret communis — erat autem ei occupandum et muniendum Delium, Apollinis fanum, prope fines Atticae situm —, gnarus fuerit an non, irritum fuisse Demosthenis conatum, quo Siphas occupaturus fuerat. Ne hoc quidem declarat suo iudicio ab Hippocrate rem esse tentatam periculosae plenam aleae. Aut nusquam aut tecte illam improbat IV, 76, 4 *τοὺς δὲ Ἀθηναίους ἔδει Δήλιον καταλαβεῖν τὸ ἐν τῇ Ταναγραίᾳ πρὸς Εὔβοιαν τετραμμένον Ἀπόλλωνος ἱερόν*, nam *improbari* ab eo rem inde suspiceris quod et postea eadem repetiverit vocabula eo ordine qui levem movet admirationem IV, 90, 1: *καὶ καθίσας τὸν στρατὸν Δήλιον ἐτείχισε τῷδε τῷ τρόπῳ, τὸ Ἀπόλλωνος ἱερόν*, ubi ceteroquin rem ipsam, ita ut decet virum rei militaris minime ignarum, accurate describit.

Non miramur tam cautum in iudicando Thucydidem. Neque tamen quid censeat ipse plane reticet. Accurate primum, et ita ut neque laudet neque vituperet, Hippocratem cum toto qui aderat Atheniensium exercitu — *πανδημεί*, additis etiam mercenariis et metoecis — in Boeotiam irrupisse narrat, sed deinde, id quod in magni momenti proeliis describendis facere amat, antequam enarret funestam illam ad Delium Atheniensium cladem, utrumque ducem tam Atheniensem quam Thebanum orationem inducit habentem ad milites. Ibi Pagondas,

Digitized by Google

dux Thebanus (92, 7). Sic suos alloquitur: „bono animo proelium incipite πιστεύσοντες τῷ θεῷ πρὸς ἡμῶν ἔσεσθαι οὗ τὸ ἱερὸν ἀνόμως τειχίσαντες νέμονται." Hic profecto satis clare Thucydides suum de illa occupatione prodit iudicium.

Dubium non est quin quae deinde facta sunt Athenis gravem moverint in expeditionis illius auctores indignationem: flebili morte interiit in campo Deliensi Hippocrates, corpora caesorum -- id quod Atheniensibus hominibus vix fuit ferendum — iacuerunt insepulta (sepeliendi enim facultatem dare Thebani noluerunt nisi Athenienses omitterent Delium). Nonne ipsa Hippocratis mors documento iis esse debebat non εὐνοίᾳ θεῶν Delium fuisse munitum [1]). Nonne vel verba illa quibus aliquot saeculis post Pausanias (III, 6, 1) Delii facit mentionem, quodammodo produnt scriptorem rei literariae peritissimum, qui sic se non immemorem testatur quae fuerit olim Athenis pervulgata opinio? Sic enim ille de Leuctris et Crannone loquens scribit: μάλιστα δέ πως ἐπὶ πταίσμασι μεγάλοις ἐθέλει προαφαιρεῖσθαι τὸν ἡγεμόνα ὁ δαίμων καθὰ δὴ καὶ Ἀθηναίων ἀπῆγεν Ἱπποκράτην τὸν Ἀρίφρονος στρατηγοῦντα ἐπὶ Δηλίῳ.

Non, ut equidem opinor, somniis indulget si quis iudicia de rebus personisque, quae in ipsa historia narranda reticet Thucydides, in orationibus eius quaerit. Cum Thebani legato Atheniensi, qui corpora caesorum reposcebat sepelienda, responsum dabant, id tum demum fieri posse si Delium reddidissent Athenienses, haud dubie duros se praebebant homines, qui non curarent pietatem communem toti Helladi. Sed soline tunc erant iniusti atque adeo soline tunc ἀνοσίως agebant? Ut equidem opinor, ita de illa legatione narrat Thucydides ut satis aperte declaret, a se in hac causa non absolvi Athenienses. Ipsa narratio (c. 97 sqq.), e qua egregie discitur quae fuerit Atheniensium, ut sic appellem, ἡ πολεμικὴ σοφιστική, longior est quam quae hic referatur; observato tamen dignum est quod hic quoque Boeoti primum ostentant impie agere coepisse Athenienses qui Apollinis templum violaverint [2]), tum

1) Adrastum in Suppl. 157 Theseus sic alloquitur:
οὐκ ἦλθες, ὡς ἔοικεν, εὐνοίᾳ θεῶν.

2) Thuc. IV, 97, 2 ἔλεγε τὰ παρὰ Βοιωτῶν ὅτι οὐ δικαίως δράσειαν παραβαίνοντες τὰ νόμιμα τῶν Ἑλλήνων· πᾶσι γὰρ εἶναι καθεστηκὸς ἱόντας ἐπὶ πὴν ἀλλήλων

Digitized by Google

Atheniensium responsum ad illud crimen, quo eos utentes facit Thucydides, infirmum esse et parvam habere persuadendi vim, tum admodum acute a Boeotis sic refelli Athenienses: „Si vos campi Deliaci dominos esse arbitramini et illud ius putatis vos armis vindicare posse, nil obstat quominus ipsi corpora caesorum tollatis et auferatis"; denique, id quod negari non potest, Boeotos simulatque vi armata fanum recuperassent, Atheniensibus permisisse ut de more i. e. ὑποσπόνδους mortuos tollerent.

Non perversam interpretandi rationem sequi mihi videntur qui Thesei adversus Adrasti preces dubitationem referunt ad animorum habitum qui multorum Atheniensium esse debuit quo tempore Boeoti propter sepulturam negatam vulgo impietatis crimine accusabantur. Haud dubie nititur ea coniectura hoc argumento quod nostra tragoedia certe post Delium sit composita. Sed quoniam sepultura illa negata ipsam mythologiam testem habet nec ab Euripide de nihilo ficta est, quin etiam proelium inter Creontem et Theseum iam, quemadmodum supra vidimus, pugnae ad Plataeas tempore in ore hominum versabatur, sola rerum similitudo non certum praebet argumentum, licet metricae quaedam minutiae observatae Supplicibus illud fere assignent tempus. Quod enim iam vix quisquam vir doctus est qui dubitet quin fabula acta sit post pugnam ad Delium commissam et de eo tantum est controversia *quantum* spatium inter utramque rem intercesserit, me iudice bene explicatur ultima scena qua Minerva prodit quae — quod haud raro fit apud Euripidem — fabulae mythologiam convertit ad res in quibus ipse poeta versatur. Habeo quod de scena illa proferam in medium; sed prius propter res supra tractatas liceat mihi de ipsa Aethrae persona dicere aliquid hinc non alienum.

Profecto venuste poeta Aethram illam elegit quae Thesei vinceret dubitationem. Vehementer commovet animos nostros tragicus qui sic μητέρα εὔτεκνον opponit matronis Thebanis prolem suam lugentibus. Ipsae illae ad maternam eius provocant felicitatem (vide vs. 54: ἔτεκες καὶ σύ ποτ', ὦ πότνια,

---

ἱερῶν τῶν ἐνόντων ἀπέχεσθαι, Ἀθηναίους δὲ Δήλιον τειχίσαντας ἐνοικεῖν, καὶ ὅσα (ins. ἄλλοι?) ἄνθρωποι ἐν βεβήλῳ δρῶσι πάντα γίγνεσθαι αὐτόθι κτέ.

Digitized by Google

κοῦρον Φίλα ποιησαμένη λέκτρα πόσει σῷ), tum matris illius ad Thesea oratio lacrimas movet estque eo poeta digna qui tanto artificio depingere possit anum suam humanorum malorum misericordiam eloquentem. Et tamen saepe in eius allocutione deprehenditur aliquid quod iure miremur, ne improbemus dicam; tum praesertim cum declamantem eam audimus de sancto Athenarum officio (vs. 321 sqq.):

ὁρᾷς, ἄβουλος ὡς κεκερτομημένη
τοῖς κερτομοῦσι γοργὸν ὡς ἀναβλέπει
σὴ πατρίς; ἐν γὰρ τοῖς πόνοισιν αὔξεται

facile obliviscimur mulierem esse quae sic loquatur. Nam sunt sine dubio verba haec magnopere cuivis poetae aequali ad magna tendenti placitura, nonne tamen aptiora sunt regi secum deliberanti de via sibi insistenda quam matri eius grandaevae?

Languidior, quis neget? foret eiusmodi monologia minusque δραματική, non tamen credo poetam ad adsumendam Aethram eo tantummodo adductum quod sic tragoedia procederet melius. Videtur mihi Euripides in clariore ponere luce voluisse non solum cum Argis sed etiam cum Troezene Athenas amicitiae quodam vinculo iunctas esse debere. Hoc iam fecerat cum belli initio (a. 431) Medeam suam exornaret memorabili illa scena, quae agitur inter Aegea Pitthei generum et Medeam, sic in medio bello (428) egerat in Hippolyto. Sic et nunc. Aethra in primis suis precibus Troezena cum Athenis iungit [1]), matronae Argivae, Thesei petentes auxilium (263), et hoc utuntur argumento quod rex Athenarum per matrem, Pitthei filiam, cognata sit Pelopi progenitori Argorum [2]).

Hoc argumentum quid sibi vellet non potuit fugere spectatores Athenienses. In honore iis erat Troezen, urbs Athenis cognata; testabatur id demos quem ipsi Pittheidem nomina-

1) Pro utraque civitate opem implorat Cereris Eleusiniae vs. 3 sqq.: εὐδαιμονεῖν με Θησέα τε παῖδ' ἐμὸν, πόλιν τ' Ἀθηνῶν τήν τε Πιτθέως χθόνα.

2) 263 sqq.

ὃς Πέλοπος ἦν παῖς, Πελοπίας δ' ἀπὸ χθονὸς
ταὐτὸν πάτρωον αἷμα σοὶ κεκτήμεθα.

Ante vs. 260 lacuna est in qua procul dubio Pittheus Aethrae pater fuit nominatus (cf. Heracl. vs. 207 Πιτθεὺς μέν ἐστι Πέλοπος, ἐκ δὲ Πιτθέως Αἴθρα, πατὴρ δ' ἐκ τῆσδε γίγεται σέθεν Θησεύς); Troezene ergo vinculo Athenae et Argos inter se erant iunctae civitates.

Digitized by Google

verant, et illius vinculi ne postea quidem fuisse immemores Troezenios ipsa eos historia docere poterat. An non ante Salaminiam pugnam ad se receperant qui arma ferre non possent (Herod VIII, 41)? Quid quod Plutarcho teste (Them. 10) multo etiam longius Troezenis progressa est benignitas: *καὶ γὰρ τρέφειν ἐψηφίσαντο δημοσίᾳ δύο ὀβολοὺς ἑκάστῳ διδόντες, καὶ τῆς ὀπώρας λαμβάνειν τοὺς παῖδας ἐξεῖναι παντα χόθεν, ἔτι δὲ ὑπὲρ αὐτῶν διδασκάλοις τελεῖν μισθούς.*

Olim haec fuerunt et iam ista parum civitatum languescere coeperat caritas propter Athenarum studium novas sibi regiones adnectendi; pro amicitia venerat dominatio. Sic certe iam ante 445 res se habebat. Cum enim eius anni pace Spartani postularent ut Athenienses praeter Nisaeam Pagis quoque et Troezene cederent (*ταῦτα γὰρ εἶχον Ἀθηναῖοι Πελοποννησίων* Thuc. I, 12. 5) probantibus, ut opinor, Troezeniis id postulabant. Ab eo inde tempore respublica Atheniensis non iam tamquam amicos consideraverat Troezenios; immo vero secundo belli anno (Thuc. II, 56) Pericles eam regionem vastabat. Sed non omnes immemores erant facti quodnam sanguinis vinculum has civitates olim inter se iunxisse diceretur. Euripidem iam antea videmus diserte eam rem in memoriam revocasse spectatoribus, idque in Medea quae tragoedia tam plena est odii in Corinthios atque bellum, neque cives eius sentire desinebant Troezena ab ipsis non esse alienam. Cum a. 425 de pace agebatur, Troezena reposcebant eo argumento quod ante viginti annos eam urbem reliquissent Spartanis, sed rebus coacti et ne in maioris alicuius damni venirent discrimen [1]). Sed hac spe falsi sunt: deliberationes de pace bono caruerunt eventu, neque adest ullum signum vel eo tempore vel post pacem Niciacam, a Troezeniis manifesto studium esse ostentatum artioris cum Atheniensibus ineundi foederis. Immo procedente bello videmus eos, tamquam socios tribules obnoxios Athenarum hostibus, naves praebentes classi Peloponnesiacae (Thuc. VIII, 3, 2 anno 413). Sed a. 420 cum spes foederis cum Achivis Athenis

1) Thuc. IV, 21, 3: *ἃ οὐ πολέμῳ ἔλαβον (οἱ Λακεδαιμόνιοι) ἀλλ' ἀπὸ τῆς προτέρας ξυμβάσεως Ἀθηναίων ξυγχωρησάντων κατὰ ξυμφορὰς ἐν τῷ τότε δεομένων τι μᾶλλον σπονδῶν.*

Digitized by Google

allucesceret, fuisse qui augurarentur etiam Troezena denuo Athenis accessuram haud incredibile est. Sic si res se habuerunt, facile perspicitur cur reginam Troezena oriundam praeter ceteras elegerit poeta quae Thesea et regem Argivum inter se conciliaret.

At enim sicine res revera se habuerunt, cum Euripides tragoediam suam composuit? Ad hanc quaestionem respondere nobis potest *Supplicum* scena ultima, licet ne illud quidem responsum plenum sit et absolutum.

Ea scena aliquatenus admirationem quandam nobis movet. Nam primum Adrasto et matronis Argivis permittit Theseus (vs. 1165 sqq.) ossa ducum secum Argos ferre, sed ita ut quam maxima gravitate eum moneat ne umquam huius benevolentiae quam ab Athenarum rege acceperint sint immemores. Nonne habebat hoc consilium quod spectantes rei novitate percelleret? [1]) Eius mentionem non faciunt auctores, neque Herodotus, qui (IX, 27) diserte declarat: *καὶ θάψαι τῆς ἠμετέρας ἐν Ἐλευσῖνι* neque Pausaniae fontes qui itidem (I, 39) scribit: *τοὺς νεκροὺς ἐνταῦθα ἔθαψαν.*

Fabulam, quae ad cultum pertineat, sine causa ab ipso Euripide sic esse mutatam vix credibile videtur. *Fuit*, ut opinor, *traditum* aliquid quod eum permoveret ut ista sic fingeret: Adrastum a Creonte impetrasse ut ducum corpora traderet. Iure observatum est Pindarum (Nem. IX, 24) tantummodo commemorare corpora illa in campo Thebano *cremata* (*Ἰσμηνοῦ δ' ἐπ ἔχθισι γλυκὺν νόστον ἐρυσσάμενοι λευκανθέϊ σώμασι πίαναν καπνόν*). Idem poeta Adrastum inducit orationem habentem ad Amphiaraum laudandum in campo Thebano insignem verbis illis: *πόθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς.*

En fabulam quae vixit in ore populi quae 1° non noverit [2]) Creontis crudelitatem corpora reddere nolentis, aut fortasse nitatur altera fabula Adrastum *precibus* suis Creontis animum

1) Eiusmodi ossium translatio non est inusitata. Satis est hic legentibus in memoriam revocare Orestis corpus Tegea Spartam (monente oraculo) translatum; translatum et Thesei (a Cimone) Scyro Athenas.

2) Cf. Paus. I, 39, 2. *Θηβαῖοι δὲ τὴν ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν ἐθελοντὶ λέγουσι δοῦναι καὶ συνάψαι μάχην οὐ φασι.*

Digitized by Google

flexisse. Nonne enim et Tyrtaeus eius γλῶσσαν μειλιχόγηρυν laudat? 2° Adrastum compotem illorum facit ossium, quae — quid enim aliud fieri potuit? — Argos secum tulerit.

Alterane illa fabula nitatur vetere Thebaide ignoramus, quamquam scholiasta ad Ol. VI aliquatenus id sumere nos sinit. Ad notissima enim illa ποθέω κτέ. annotat: ὁ Ἀσκληπιάδης φησὶ ταῦτα εἰλῆφέναι ἐκ τῆς κυκλικῆς Θηβαΐδος.

Certe est vetustissima et licet nulla Argis noverimus sepulcra, quae τῶν ἑπτὰ esse pro certo sciamus, sumere nobis licet eam ibi fuisse in honore. Pausanias certe in Argorum descriptione (II, 20, 4) statuas commemorat septem ducum ibi stantes et paulo post (23, 2) ἱερὸν Ἀμφιαράου [1]) quod fuerit prope regiam Adrasti. Profecto notatu dignum Euripidem qui, quemadmodem mox demonstrabo, quaecumque in Eleusinio cultu ad septem duces pertinent accuratissime descripserit, quodammodo inter se conciliare studere Argivorum et Atheniensium postulata, sepulcra illa sibi vindicantium. Primum hoc nos movet quod non ipse Theseus orationem habet funebrem, licet Atheniensium opinione de ritibus sepulcralibus oratio sepulcralis a Thesea instituta dicatur, sed eum honorem transfert in Adrastum (vs. 837 sqq.). Simul hoc non fugere nos potest Thesea primo aperte et confidenter declarare θάψω Βίᾳ (vs. 560), sed postremo (1167) condendos duces committere regi Argivo, ossaque eorum ei tradere tamquam a se et populo donata

τούτοις ἐγώ σφε καὶ πόλις δωρούμεθα.

Digna est haec poetae, qui tam religiose cavere solet ne quidquam capiant detrimenti Athenae, aequitas quam suo aestimemus pretio; ea enim testatur suam erga Argos benevolentiam, eamque ideo testatur quod eodem esse adversus illum populum cives suos animo aut scit aut cupit. Fingit πυρκαϊάς (1207) Eleusine esse, sed corpora permittit Argis: hoc vero in literis Atticis nemo ab eo sumsit. Etiam qui scripsit „epitaphium", qui falso Lysiae tribuitur, denuo ἔθαψαν ἐν τῇ αὑτῶν

1) Socius noster C. W. Vollgraff, qua est humanitate, me propter hanc fabulam Argolicam admonuit lapidis a se Argis effossi, arae similis in quo legitur E(τ)εοκλεο[υ], certe ante annum 400 a. Chr. insculpti. Non dubito quin hoc fragmentum lapideum nostram confirmet coniecturam de cultu sepulcrali quo Argis οἱ ἑπτά fuerint honorati.

Digitized by Google

Ἐλευσῖνι ait. Quo magis Euripidis narratio ut aiebam digna est quam suo aestimemus pretio tamquam mutationem consulto invectam.

Ad artem tragicam quod attinet, finiri hac scena fabula poterat. Quod ἐπιφάνειαν addidit poeta, ipse corrupit drama, sed causa est in „Supplicum" ingenio. Est enim drama plenum cogitationum de reipublicae statu praesenti.

Epilogi ex hoc genere, quod propter argumentum supra iam, haud inepte ut opinamur, „politicum" appellavimus, Euripidi sunt in deliciis, videnturque populo Atheniensi magis quam nostris aequalibus placuisse. In hac tamen „Supplicum" scena ultima, quamvis luce clarius appareat poetam, cum eam scriberet, de suo cogitasse tempore, quaestio *quasnam* tandem res praesertim spectet, ab aliis alio solvitur modo. Quapropter ut lis finiatur, facere non possumus quin eos, qui nostram legunt disputationem, admoneamus quam variae res, quam intricatae Graeciae populos post Niciae pacem tenuerint occupatos.

Otium vel quietem, qualia anno 421 in sua Pace depinxit Aristophanes, nusquam ea Pax attulit: Athenis iam primo tempore indignatio est facta quod Spartani tam subdole et imperfecte pacis condiciones exsequerentur. Peloponnesi civitates mediae stare nolebant pacis legibus seque adiungere novo foederi Spartanorum Atheniensiumque et in Boetia φανερὰ ζαμία videbatur illud quia reddere cogebat terram in bello occupatam. Praeterea irruptionis, quam fecerat Hippocrates, memores Boeotii optimates non sine causa timebant ne aura quaedam popularis Athenis ad se perflaret.

Mutuis istis suspicionibus factum est ut nova subinde fierent foedera. Elis, Corinthus, Argos se cum Chalcidice iungebant quo melius Spartae resistere possent, et, quod gravius erat, a. 420 Sparta et parum Athenis amica illa Boeotia ad communia defendenda commoda foedus inierunt, insciis Atheniensibus et contra pacis condiciones.

Quod cum innotuisset, Argis praesertim magna perturbatio nata est metusque magnus. Spartae foedus cum Boeotis multos socios Peloponnesiacos denuo ad Spartae amicitiam reddebat propensiores et metuere incipiebant Argivi, ne omni ope destituti soli relinquerentur inter Athenas et Spartam, magna illa

Digitized by Google

imperia. Quin et operam dabant ut se coniungerent cum Spartanis et per breve tempus periculum esse videbatur ne prius illud foedus inter Argivos Spartanosque novaretur cum magno Athenarum detrimento. Sed nunc quoque Spartani reipublicae suae negotia incaute gerebant. Quamvis cuperent contra crescentem semper indignationem, quam Athenis moverat ipsorum inconstantia, Argivos sibi facere amicos, numquam ad foedus cum Argivis rite stabiliendum pervenerunt et sic Atheniensibus qui duce Alcibiade bello studebant facultatem praebebant maiore vi sua contra Spartanos consilia exsequendi. Id tum facilius fieri potuit cum subito Athenis innotuerat foedus quod Spartani cum Boeotis fecerant — nam antea latuerat illud. Quemnam inde res habuerint cursum, quam inexspectatum, vividis depingit coloribus Thucydides. Legati Spartanorum, qui Athenas venerant ad placandos animos, ab Alcibiade, belli illo auctore, qui mense Martio στρατηγὸς fuerat creatus, subdole in irreparabilem adducti sunt invidiam statimque nullo exspectante foedus illud Atheniensium cum Argivis eorumque sociis factum est. (Thuc. V, 36—46).

Parvi dramatii, quo Thucydides hunc rerum decursum inexspectatum exponit, praecipui sunt actores Nicias et Alcibiades. „Paxne an bellum cum Spartanis erit?" haec est controversia, cumque semel, eo modo quo narrat historicus, foedus cum Argivis ictum esset, nemo Athenis paulo prudentior erat homo qui de illius foederis sententia in dubio esse posset. Bellum cum Spartanis mox fore foedus illud clamabat.

Sed quamvis egregie sit picta illa Thucydidis tabula, raptim illa est picta, neque admittit colores sensim alium in alium transeuntes. Dubium non est quin spes illa, socias futuras mediae Peloponnesi civitates, non statim in solo Attico egerit radices cum dolo suo usus erat Alcibiades. Neque ab initio res apparuit omnibus ea illustrata luce ut nunc intellegerent non posse non redintegrari bellum cum Spartanis. Ii qui cum Euripide pacis erant tenaces, iis mensibus qui effluxerunt priusquam foedus cum Argivis ratum factum est, poterant etiam illam adversus mediae Peloponnesi civitates amicitiam accipere tamquam arcem quandam contra perfidae Spartae consilia bellica. Non tamen tam candida, atque adeo puerilis, erat

Digitized by Google

eorum fides ut Spartanorum laudarent veracitatem; sicut fecit Nicias.

Huic sententiae locus patebat cum nondum Alcibiadis socii Spartae suam eripuerant personam, hostiumque patriam in communem adduxerant invidiam et contemptionem. Consummato iam foedere particeps eius esse poterat nemo.

Hic fuit ille animorum status qui, me quidem iudice, ex Euripidis Supplicibus clare elucet. Intellegi ille potest si poeta hieme anni 421/20 tragoediam suam composuit et ad Dionysia anni 420 obtulit magistratibus, ergo ante aestatem qua Symmachia cum Argivis est consummata. Hoc est tempus quo spectatores Attici non solum plaudere potuerunt sententiis animum Boetiis parum amicum testantibus, quibus haec abundat tragoedia [1]), sed etiam agnoscere mire inter se concinere Adrasti et aequalium Argorum condicionem (vss. 184 sqq.):

τάχ' οὖν ἂν εἴποις· Πελοπίαν παρεὶς χθόνα
πῶς ταῖς Ἀθήναις τόνδε προστάσσεις πόνον;
ἐγὼ δίκαιός εἰμ' ἀφηγεῖσθαι τάδε·
Σπάρτη μὲν ὠμὴ καὶ πεποίκιλται τρόπους
τὰ δ' ἄλλα μικρὰ κἀσθενῆ.

Sed praecipue digna est ultima scena, quam accurate consideremus, proper lucem quam ei affundit Minerva de caelo delapsa. Sic enim Thesea alloquitur: „permittere noli caesorum filiis ut sic ossa ista transferant in terram Argivam sed tamquam animi grati testimonium iusiurandum ab iis postula. Iuret Adrastus, penes quem utpote regem illud ius est, numquam Argivos bellum in nostram illaturos regionem. Quod iusiurandum si violaverit, illorum patria clade feriatur. Iusiurandum sacrosanctum fiat tripode, quam praedam Troia reportavit Hercules, qui domi tuae est; tres oves immola ita ut sanguis in tripodis influat cavitatem; incide iusiurandum in ipsum tripodem eumque tamquam documentum in templo pone Delphico. Tum cultrum quo victimas mactasti humabis eo loco ubi rem fecisti divinam, ubi ducum rogus stetit; sic

1) Bene significatur Boeotorum quae tunc temporis fuit potentia vs. 124: εὐτυχοῦντες οὐκ ἐπίστανται φέρειν.

Digitized by Google

locus ille Argivos deterrebit si umquam ea in Atheniensem agrum irrumpere voluerint".

Haud dubie numquam nobis continget ut pro certo demonstrare possimus Euripidem hic mythologice significare res quae Eleusine fieri sint solitae. Nam et alibi apud eum homines admonentur ne inconsulto vastent terram Atticam. Sed quis non sentit parum aptum tali admonitioni ad Argivos futurum hoc fuisse tempus, si pronuntiata fuisset, postquam semel Athenae Argosque rite inter se dedissent et verbis conceptis scripsissent iusiurandum perpetui foederis et amicitiae?

Sed aliud accedit: Minerva in nostra tragoedia Thesea iubet tripodem cum iureiurando, quod ab utraque parte datum esset, committere curae et custodiae dei Delphici. Hic poeta certum usum Graecum sequitur. Etiam Niciae pace composita, acta pacis lapidi insculpta Delphis sunt posita (Thuc. V, 18). Sed Athenarum et Argi symmachia praeterquam in illis urbibus ipsis etiam Olympiae posita est, non vero Delphis. Hoc si scivisset Euripides, numquam Adrasti iuriiurando addidisset exemplum eius Delphis esse custodiendum. Quin et hoc dici potest (atque adeo dictum iam est): „illud Adrasti iusiurandum non significat foedus aliquod Argivum quod ineunte anno 420 Athenis vel sperabatur vel exspectabatur, sed neque memoriam renovat icti iam ante foederis, non est enim obligatio bilateralis". Haud dubie vere sic ratiocinari possit iure consultus aliquis, neque qui hanc *Supplicum* scenam, ubi Theseus nihil promittit et ab Adrasto exspectat omnia, conferat cum foederis actis quae refert Thucydides, simile quidquam inveniat. Sed qui vetustam mythologiam exornat rebus nuper exspectari coeptis, non curare solet plenam et perfectam rerum similitudinem. Tota dramatis compositio nullam habet causam cur Minerva ab eo qui beneficia dedit idem exigat quod postulat ab eo qui accepit. Tamen qui victimas mactat non est Adrastus sed Theseus; ergo et hic adversus deos obligatur.

Praeterea una res est quam minime negligere oporteat. Euripides in illa scena ultima duas res diversas inter se iungit. Non adeundas Argivis τὰς πυρκαιάς res erat antiquitus tradita. Cum ea Adrasti iungit promissum, quod ipsum cohaeret cum rebus quarum ipse fuit testis, porro cum illo promisso iungit

Digitized by Google

mentionem loci, ubi defossus fuit culter ad sacrificium adhibitus, et tripodis in quo insculpitur iusiurandum. Hic non bis eadem res vetatur. Sepulcra hic commemorata — nam similia sunt monita quae habemus in Heraclidis et in Aeschyli Eumenisin — procul dubio referunt rem revera fieri solitam e vetusto ritu Eleusiniaco.

Contra Adrasti iusiurandum, praesertim propter ea quae de tripode dicuntur, manifesto speciem prae se fert rei de industria fictae. Quod ad tripodem attinet non nimis audacter ille fictus est. Delphi enim abundabant eiusmodi donariis, eorumque, „vetustorum" scilicet, numerum procedente tempore semper esse auctum res ipsa loquitur.

Phanias enim Eresius, nobilis historicus e schola Aristotelis, (F. H. G. II, 297) observat antiqua illa donaria ex aere fuisse et esse debuisse. Ipse Delphis vidit aeneum pugionem Amythaonis, qui fuit filius Antenoris, et tripodem quem reportavit Diomedes ἐκ τῶν ἄθλων τῶν ἐπὶ Πατρόκλῳ, utraque inscriptionibus confirmata. Quidni ergo et tripus, qui iusiurandum Adrasti inscriptum habebat, Delphis conspiciebatur? Usquam terrarum eum fuisse sed tunc Delphis non fuisse vix est quod credere — licet haud praefracte negare audeamus — possimus. Herodotus cum Delphos viseret, multa· eiusmodi vidit anathemata — genuina autem esse putabat et descripsit inscriptiones quas habebant illorum antiquissima. Huncine nobilissimum neglexisset tripodem, si stantem eum vidisset prope τρίποδα Ἀμφιτρύονος (V, 59—61)? Hoc minime verisimile, sed suspicamur totum locum de tripode ab ipso esse excogitatum Euripide, quo maiorem haberet fidem amicitia illa inter Athenienses et Argivos nata.

Aliter se res habet in loco ubi describitur sedes sacrosancta τῶν πυρκαιῶν. Hic poetae res est cum rebus in ipsius patria etiam viventibus. Nemo, ut opinor, Atheniensis ab antiqua religione non alienus non noverat τὰς ἐν τῇ τριόδῳ πυρκαιάς. Cogitat hic Euripides locum situm extra τέμενος Eleusinium. Eleusis autem prope mare sita est ad angustam rupem sesqui „kilometro" non longiorem. Ad initium eius iacebat oppidum nec longe inde — revera ibi scinduntur viae quae Megara et Thebas ducunt — etiamnunc exstant vestigia pervetustae

Digitized by Google

νεκροπόλεως, quae aetatem testatur palae-Mycenaicam. Ibi etiam Pausanias invenit τὰς τῶν ἑπτὰ ταφάς.

Unum restat quod de sanctis illis sepulcris notemus. Euripidem semper *septem* commemorare duces, licet probe sibi sit conscius non septem ibi esse crematos, obiter commemorare sufficit. Excipiendi certe sunt Amphiaraus, quem terra hausit Thebana, et Capaneus, de cuius proprio sepulcro mox erit agendum. Similiter de *septem* matrum loquitur choro, licet bene norit neque Iocasten, Polynicis matrem, neque Tydei matrem, quae fuit Aetolis, inter Supplices Argolicas adesse potuisse fingi. Illas non distinguit, quique chorum quaerit quinque matrum quae binas habeant ancillas singulae, poetae negotio se immiscet. Itidem se res habet in illis septem πυρκαιαῖς. Non potuit poeta fingere Polynicem vel Amphiaraum Eleusine esse sepultum. Ergo et in oratione funebri Adrastum facit loquentem de Capaneo, Eteocle, Hippomedonte, Parthenopaeo, Tydeo, sed pauca quaedam ei tribuit verba in honorem Amphiarai et Polynicis. Non adsunt illi in pompa mortuorum qui auferuntur: pro illis vacuas sandapilas esse substitutas verisimile est, quemadmodum describitur a Thucydide (II, 34): μία δὲ κλινὴ κενὴ φέρεται ἐστρωμένη τῶν ἀφανῶν οἱ ἂν μὴ εὑρεθῶσιν ἐς ἀναίρεσιν. Ergo ad Polynicen quod attinet Euripides tacitus perstat in pervulgata opinione, quae sepultum eum Thebis tradit. Hoc enim agit ut in quam clarissima ponatur luce Athenarum adversus duces Argivos εὔνοια. Praeterea elucet sine nominibus fuisse sepulcrum τῶν ἑπτά.

Etiamne Capanei sepulcrum suo caruit nomine? Hic tenendum est Euripidem, licet in cetero componendo dramate festinanter egisse videatur, saepe etiam — ut in certamine inter legatum Thebanum et regem Thesea — fragmenta vel conatus alii consilio destinatos in chartam coniecisse, semper ubi de illis sepulcris agitur diligentiam adhibere docto viro dignam. Adrastus nuntium, qui de victoria quam Theseus de Creonte reportavit, rogat atque adeo ex eo quaerit quae regis fuerit cura adversus eos qui in proelio ceciderant:

AD. ὧν δ' οὕνεχ' ἁγὼν ἦν, νεκροὺς κομίζετε;
ΚΗ. ὅσοι γε κλεινοῖς ἔπτ' ἐφέστασαν λόχοις.
AD. τί φής; ὁ δ' ἄλλος ποῦ τεθνηκότων ὄχλος;;

Digitized by Google

ΚΗ. τάφῳ δέδονται πρὸς Κιθαιρῶνος πτυχαῖς.
ΑΔ. τἀκεῖθεν ἢ τοὐνθένδε, τίς ἔθαψέ νιν;
ΚΗ. Θησεύς, σκιωδὴς ἔνδ' Ἐλευθερὶς πέτρα.

Hic quoque poeta dat operam ut Atticae vindicias defendat et antiquas narrationes novis illustret rebus. Verba enim τοὐκεῖθεν ἢ τοὐνθένδε revera huc redeunt. „Utrum in Boeotia an in Attica?" Responsum de industria temporum violat rationem, nam olim Eleutherae Boeotiae erant; urbs, ubi erat vetustum Bacchi ξόανον, Attica facta est κατ' ἔχθος τῶν Θηβαίων; sed simul ista σκιωδὴς ἔνθ' Ἐλευθερὶς πέτρα spectatoribus Atticis et illud Panactum, quod reposcebatur tamquam Atticum, et Dryoscephales in memoriam revocabant: hanc enim per iuga Cythaeronis viam quicumque Atheniensis arma tulerat, propter suas in Boeotiam expeditiones probe noverat.

Sed Capanei sepulcrum commemorans poeta procul est a sui temporis rebus, hic de cultu quodam agit, de quo nihil novimus nisi quod hoc nos docet drama; sed quae ibi de eo legimus non potuerunt ullo modo ab eo fingi.

Etiam nunc non mirari non possumus quantopere vulgaris ille Capaneus quem humano corpore indutam ὕβριν appellaveris, discrepet ab eo Capaneo qui hic depingitur. Et Aeschylus et Sophocles eum tantummodo tamquam summae temeritatis summaeque impietatis imaginem notum habuisse videntur: est enim apud illos murorum expugnator, quem a proposito detinere possit nihil. Quid vero de eo Adrastus? „Erat sine fastu dives; superbiae non plus in eo erat quam in quovis paupere; opiparas cenas luxui deditorum oderat. Erat fidelis amicus amicorum quos secum habebat et adversus absentes firmus, comis, arrogantiae liber. Estne hoc specimen Capanei a pictore Argivis blandiente depicti? An praeceptum in sua oratione funebri illud sequitur poeta quod monet: „de mortuis nil nisi bene"? Neutra placere potest explicatio. Capaneus in Supplicibus tamquam heros laudatur, quia *est* heros, qui sepulcrum habet Eleusine. Potuit hic Euripidi rarior quaedam scientia literarum auxilio venire, si — id quod ignoramus — etiam vetus Thebais tantummodo novit Capaneum ab omni temeritate impia remotum? Sed primaria causa cur Euripides sic eum depinxerit me quidem iudice sita est in re hac minus

Digitized by Google

nota: Capaneus heros Eleusine suas sibi accipiebat inferias.

Decem annis postea Euripides cum Phoenissas scribebat ad antiquum de Capaneo iudicium redierat (1172):

Καπανεὺς δὲ πῶς εἶποιμ' ἂν ὡς ἐμκίνετο;
μακρᾷ ὑχενος γὰρ κλίμακος προσαμβάσεις
ἔχων ἐχώρει, καὶ τοσόνδ' ἐκόμπασε
μήδ' ἂν τὸ σεμνὸν πῦρ νιν εἰργαθεῖν Διὸς
τὸ μὴ οὐ κατ' ἀκρᾶν περγάμων ἑλεῖν πόλιν.

Sed in Eleusinia nostra tragoedia solus qui ita de Capaneo iudicat est nuntius Thebanus (vs. 495 sqq.); Theseus se eum seorsum ab aliis sepulturum declarat „quoniam corpus eius utpote Iovis igne tactum sanctum (ἱερόν) est."

Male hic credatur haec Capanei a ceteris separatio impuritatem eius prodere: ἱερόν hic „sacratum" significat, non „devotum". Sacer est διόβλητος et divinus, sacra et divina simul utpote de caelo tacta. Sed illa de Capaneo opinio sic demum suum sibi habet fundamentum si Eleusine exstabat aliquod „bidental" ut aiunt Romani, Graeci ἐνηλύσιον, quam vocem sic illustrat Pollux (9, 41): „ἐνηλύσιον οὕτως ὀνομάζεται εἰς ὃ κατασκήψειε βέλος ἐξ οὐρανοῦ... καὶ τὸν Δία τὸν ἐπ' αὐτῷ κατταιβάτην".

Et est cur sumamus sub Capaneo heroe — cuius nomen ipse Euripides ludens derivat a verbo καπνοῦν — latere aliquem Δία καπνώτην i. e. deum inferum, θεὸν χθόνιον quem mox nihil non fingens mythologia Promethea vel Luciferum fecerit. Hoc ut sumamus ipse locus hortatur sepulcri eius Eleusinis. Mox pone rogum stantem videbimus Euadnem in rupe. Sepulcrum ergo est ab orientali parte templi eo ipso loco ubi effossum est ἱερὸν πλουτώνιον (cf. Supp. 938).

Euripidi vero eiusque aequalibus illius sepulcri incolam τὸν ἱερὸν νεκρόν eundem visum esse atque oppugnatorem Thebarum res ipsa loquitur. Sed ipsa tragoedia, quae sola e literis Graecis, quae nobis innotuerunt, huius sepulcri facit mentionem, nostrae coniecturae de Eleusinio Capaneo temere cum bellatore isto confuso atque permixto aliquid certe praebet firmamenti. Cogito hic de Euripidea Euadne, Iphidis filia, Capanei uxore. Inter mulieres Euripideas quae semet ipsas voluntariae dant morti haec ceteris minus commovet legentes. Huius in Capanei

Digitized by Google

rogo mors omni caret pietate simplici propter quam Iphigeniam tanti facimus. Quodsi eam comparamus cum Macaria, quae se morti dat ut Herculis proli salutem afferat, Iphidis factum inutilis nobis videtur vanaque virtutis ostentatio. Solet tamen Euadne recipi in chorum mulierum egregie ab Euripide depictarum nec nego fieri potuisse ut scena Euadnea, quam composuit Euripides ut drama suum quod nimis exile ei visum esset aliquo modo expleret, Atheniensibus eliceret lacrimas — *ἀριδάκρυες ἀνέρες ἐσθλοί*.

Sed estne verisimile, si sepulcrum in Plutonis Eleusinensi revera sacer fuit locus, ab Euripide fictam esse Euadnae mortem voluntariam? Equidem opinor quocumque tandem modo eam Eleusine in ore fuisse populi; si in Plutonia est bidental dei *χθονίου* Capanei, iuxta maritum in illud debuit uxor eius Euadne descendere.

Neque, hercle, obscurum illud nomen est. Ut Ariadne-Ariagne, Euadne est Euagne, est *ἁγνὴ Περσεφόνεια* quae tam multas sumit species. Quam nominum cognationem quod ne suspicatus quidem est Euripides, documento non est eam numquam exstitisse.

Nam tragico — et hoc est gravissimum — Capaneus est heros Argivus. Quo maior aderat causa cur suas supplices et regem Adrastum secundum vetustam narrationem congressas cum Theseo faceret in sacra illa urbe Eleusine.

Hic cultus herois Argivi Athenienses Argivosque vinculo quodam iunxit religioso.

Hactenus Kuiperus de Supplicibus Euripideis. Quam sunt haec lepide acuteque disputata! Quanta inest doctrina, quam solida, quam prompta quamque parata! Quam elegans est sermo, quam perspicuus, quam clarus! Quem ego iterum iterumque considerans tandem a me impetrare non potui quin totam disputationem latine verterem. Quod enim Cobetus de sermone Graeco dicere solebat: „si scire volo sitne bene an absurde scriptum quod modo legi, id omne Graece vertere soleo", nescio an haec laus in sermonem Latinum vel magis conveniat. Sed praecipue hic viri docti miratus sum verecundiam. Nullum verbum inest arrogantius duriusve, qualia multa dedecorant ceterorum scripta, de rebus intricatioribus praesertim.

Digitized by Google

Hoc est quod ante omnia mihi gratum fecerit hunc laborem facilemque. Nam semper mihi visus sum Kuiperi videre vultum comem atque benevolum et audire vocem eius facundam qui aliquot ante mortem annis alios audire vix posset.

Ave pia anima!

STATII GOETHIIQUE CONCENTUS.

STATIUS (Silv. V 4, 3 sqq.):

tacet omne pecus volucresque feraeque
et simulant fessos curvata cacumina somnos,
nec trucibus fluviis idem sonus, occidit horror
aequoris, et terris maria adclinata quiescunt.

GOETHIUS:

paulisper maneas, prope adest ut et ipse quiescas!

P. H. D.

Digitized by Google

PLAUTINA.[1]

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J. f.

Brevi auspiciis illius societatis, quae disciplinis in cives uniuscuiusque ordinis vulgandis operam dat, Plauti comoedia c. t. Menaechmi Hagae Comitum agetur. Rursus mihi mandatum est, ut huic rei praeessem, praeterea ut de illa fabula disputarem deque versione Batava a Ludovico Coupero facta censuram agerem. De Mercatore quoque ut dissererem a nonnullis rogatus sum. Ita factum est ut observationes meas criticas ad duas illas pertinentes comoedias in lucem emitterem.

In dialogo inter Menaechmum I et Peniculum parasitum legimus vs. 148—150

ME. Dic modo hoc quod ego te iubeo. PE. Dico: homo lepidissume.
ME. Ecquid audes de tuo istuc addere? PE. Atque hilarissume.
ME. Perge ⟨*perge*⟩. PE. Non pergo hercle, uisi scio qua gratia.

Mihi persuasum est Menaechmum non dixisse: Perge ⟨*porro*⟩, ut volebant Leo et Niemeyer, sed perge, ⟨*perge*⟩ [2].

Eadem emendatione usus scribo Mercat. 977

LY. Optume hercle: perge ⟨*perge*⟩: adsistam hinc altrinsecus, ubi Leo duobus admissis hiatibus edidit:

Optume hercle perge ⟨*tu*⟩, ego adsistam hinc altrinsecus. Lindsay traditis vocibus servatis omnibus legit:

optume hercle perge, ego adsistam hinc *alterinsecus*.

---

1) Cf. Mnemos. Vol. XLVII (1919) pag. 301 sqq. et IL (1921) pag. 380 sq.
2) Nunc video in editione curata a Lindsayo Schwabium idem coniecisse.

Digitized by Google

Geminationem duobus illis locis a nobis assumptam tuentur multi loci Plautini. Satis habeo afferre:

Mercat. 474 Mane, mane opsecro, Charine.

Mercat. 928 Mane, mane, Charine.

Mercat. 765 Non non te odisse aiebat, sed uxorem suam.

Menaechm. 180 Mane mane, obsecro hercle.

Eadem ratione Gruterus correxit Menaechm. 333

ME. Iamne abiit? ⟨abiit⟩ edepol haud mendacia
tua verba experior esse.

et Ritschelius Mercat. 214

Hoc quod te rogo responde, ⟨quaeso⟩ AC. Quaeso, quid rogas?

Peniculus in contione a patrono, quocum cenaturum se esse speraverat, relictus est. Ideo exsecratur ut improbum hominem eum, qui omnino comitia habere coepit, vs. 451—452

Qui illum dei omnes perduint, quei primus commentust ⟨*scelus*⟩ contionem habere, qui homines occupatos occupat.

Ritschelius parum apte vs. 451 supplevit *male*, at Lindsay Vahleno auctore finem versus sic refinxit: quei primus ⟨*hoc*⟩ commentus est.

Mihi videor poetae manum restituisse addita voce *scelus*, quale vocabulum a parasito exspectem.

Cum hoc substantivo pronomen masculinum Plautus coniungit etiam Bacchid. 1095

Chrysalus med hodie laceravit, Chrysalus me miserum spoliavit: *is* me *scelus* auro usque attondit dolis doctis indoctum ut lubitumst.

In Rudente Charmides lenonem sic alloquitur vs. 505—506

Pol minume miror, navis si fractast tibi
scelus te et sceleste parta quae vexit bona.

Plauti exemplum secutus est Terentius in Andria vs. 607

Ubi *ille* est, *scelus*, *qui* me perdit.

Menaechmo II ex Erotii aedibus egresso obviam venit Peniculus, qui illum pro patrono suo habens vehementer obiurgavit. Ubi parasitus abiit, Erotii ancilla accedit et ad peregrinum mirantem, quid sibi acciderit, erae suae mandata defert vs. 524—525

Digitized by Google

Menaechme, amare ait te multum Erotium,
ut hoc una opera ⟨*hodie*⟩ ad aurificem deferas.

Addidi *hodie*, quia idem Menaechmus paulo ante proficiscens Erotium sic allocutus est vs. 466—467

Potine ut quiescas? ego tibi hanc [1]) *hodie* probe
lepïdeque concinnatam referam temperei.

Leo et Niemeyer Ussingio praeeunte inseruerunt *sibi*, quod Lindsayo non magis placuit quam mihi carens verisimilitudine palaeographica.

Pater senex a Menaechmi uxore arcessitus in monologo et alia dicit et haec vs. 770—771

nec pol filia unquam patrem accersit ad se
nisi aut quid commissi ⟨*scit*⟩ aut iurgist causa.

Ut versus 771 constaret ex quattuor bacchiis, sicut praecedens versus, *scit* inserui post *commissi*, at Leo post *iurgist iusta*. Lindsay edidit

nisi aut quid commissi aut iurgi *est* caussa.

Plautus Menaechmum II cum sene (patre uxoris Menaechmi I) sic, concertantem facit vs. 820—822

ME. Tun, senex, ais habitare med in illisce aedibus?
SE. Tun negas? ME. Nego hercle vero. SE. Immo *hec eludere* negas:
nisi quo nocte hac exmigrasti.

Niemeyer in fine versus 821 scribit: immo hercle *non vere* negas, at Lindsay: immo hercle *invere* negas. Equidem non vereor revocare: Immo haec *ludicre* negas.

Adverbium *ludicre* adhibet Ennius, cf. Annal. 73 (Luc. Muell. 63) pars *ludicre* saxa | iactant, inter se licitantur.

Eandem vocem cascam usurpat Apuleius, quo nemo Plautum imitatus est saepius, nempe Metam. IX 7 maritum suum astu meretricio tractabat *ludicre*.

Menaechmus II furentem se simulando matronam, quae eum pro marito suo ducebat, fugavit, sperat nunc se eius patrem eodem modo aspellere posse. Poeta illum sic secum fabulantem inducit vs. 853—854

1) sc. pallam.

Digitized by Google

Haud male illanc amovi, ⟨*opto*⟩ nunc hunc inpurissimum,
barbatum, tremulum Tithonum, qui cluet Cycino patre....

Inserui *opto* (sc. amovere), quod post *amovi* facile intercidere potuit. Lindsay ibidem *amoveo* supplevit metrum nihil curans, at Leo *Apollo* post *male* de industria anacoluthon quaerens.

Legimus vs. 1039:

Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt *miris modis*.

Illa locutio *miris modis* per totam latinitatem videtur vixisse, non solum invenitūr apud Lucretium (I 124) et Vergilium (Georg. I 477, Aen. I 354 cet.) sed etiam apud Prudentium (Perist. II 314 *miris modis* | per tot figuras Indimur.) Apud Plautum ipsum redit Mercat. 225, Rud. 593. Cas. 625.

Ad Mercatorem.

Charino adulescenti, quamdiu amori atque desidiae se dedebat, tamdiu pater succensebat. Tandem aliquando iuvenis meliorem vitam probavit secutusque est. Haec ipse in prologo exponit:

80 Ego me ubi invisum meo patri esse intellego
atque odio me esse quoi placere aequom fuit,
amens amansque *ut* animum offirmo meum:
dico esse iturum me mercatum, si velit,
amorem missum facere me, dum illi obsequar.

Ussingius *vi* scribens pro *ut* veram emendandi viam monstravit, sed hic opus est notione *aegre, ad postremum*; legendum igitur censeo: *vi*⟨*x*⟩ animum offirmo meum. Saepe hoc adverbio Plautus utitnr, praeter vs. 114 conferri potest vs. 958 *vix* vivo miser.

Currentem, quem dicunt, servum Plautus sic narrantem inducit vs. 114—117

vix suffero anhelitum.
simul autem plenis semitis qui advorsum eunt aspellito,
detrude, deturba in viam. haec disciplina hic pessumast:
currenti, properanti haud quisquam ⟨*tibi*⟩ dignum habet decedere.

Ut vs. 117 tetrameter iambicus fieret, addidi pronomen *tibi*,

Digitized by Google

quod convenit imperativis *aspellito*, *detrude*, *deturba*. Buecheler eodem loco *usquam* inseruit.

Idem servus currens pergit multa garrire, quamquam Charinus dominus ante aedes versatur vs. 128—129

Domin an foris dicam esse erum Charinum? CHA. Ego animi
. . . pendeo.
Quid illud sit negoti lubet scire me ex hoc metu ut sim certus.

Versus 129 pessime traditus sic videtur in integrum restitui posse:

Quid illud sit negoti scire, ut sim certus *collubet*.

Verba *ex hoc metu* manifesto glossema sunt locutionis *ut sim certus*. Cum *conlubet*, quod revocavi, conferendum est: vs. 258 *conlubitumst* illuc mihi nescioqui visere.

Lindsay codicum lectionem servans de metro tamen dubitat, at Leo edidit satis licenter mea quidem sententia:

quid illud sit negoti lubet scire, ex hoc metu *ut eximar*.

Charinus interrogat Eutychum, qualis homo mulierem a se amatam emerit abduxeritque: vs. 637—639

CHA. At saltem hominis faciem exquireres.
EV. Feci. CHA. Qua forma esse aiebant? EV. Ego dicam tibi:
canum varum ventriosum bucculentum breviculum....

Ut septenarium trochaicum restitueret Bothe, quem secutus est Lindsay, post *aiebant* addidit *Eutyche*, at Ritschelius, quem secutus est Leo, *igitur*. Praestat autem verba post diaeresim tribuere Eutycho et scribere

EV. Feci. CHA. Qua forma esse aiebant? EV ⟨*ilico*⟩ ego
dicam tibi.

Observandum est *ilico* eodem septenarii loco legi Mercat. 946

Navem conscendo, proficiscor *ilico*: iam sum domi.

Charinus quasi iter faciens facunde et lepide Eutychum alloquitur vs. 946—950

Navem conscendo, proficiscor ilico: iam sum domi,
iam redii de exilio. salve, mi sodalis Eutyche.
ut valuisti? quid parentes mei? valent mater pater?

Digitized by Google

bene vocas, benigne dicis. cras apud te, nunc domi.
sic decet, sic fieri oportet. EV. *eloqueni* somuias.

Eutychi responsum, quamquam facile est correctu, Ussingio praeeunte Leo et Lindsay sic ediderunt: *eia, quae mi* somnias? Ego Plauto reddo: *eloquenter* somnias.

De Mercat. vs. 977 supra disputavi ad Menaechm. vs. 150.

Ad Thucydidem L. VI c. 11.

Ingentem classem in Siciliam mittere decreverunt Athienses, quae Segestanis auxilium ferret; paucis diebus post de ipsa mittendi ratione deliberant. Hic unus ex iis, qui duces erant designati, Nicias, mutato consilio totam rem dissuadet et aliis usus argumentis et hocce, quo Segestanos refutat:

Σικελιῶται... ἔτι ἂν ἧσσον (mihi videntur) δεινοὶ ἡμῖν γε. νέσθαι, εἰ ἄρξειαν αὐτῶν Συρακόσιοι, ὅπερ οἱ Ἐγεσταῖοι μάλιστα ἐκφοβοῦσι. νῦν μὲν γὰρ ἂν ἔλθοιεν ἴτως Λακεδαιμονίων ἕκαστοι χάριτι, ἐκείνως δ' οὐκ εἰκὸς ἀρχὴν ἐπ' ἀρχὴν στρατεῦσαι. Strenuus fuit bellator Nicias et patriae amantissimus, sed hic eum tamquam „plumbeum in republica" derideat quicumque ex Actis Diurnis „imperialismi" qui dicitur, didicerit pericula, Neque iniuria. Nonne enim pugnaces et bellicosi populi eo sunt metuendi magis quo plures in suam dicionem gentes redegerint? Nonne adversus illos „divide" illud monendi sunt ceteri omnes, infirmiores praesertim? Haud dubie absurde hic disputat Nicias. Sed hoc ipsum vult Thucydides. Depingit enim virum probum qui, cum quod semel iam, ipso non invito, est decretum vult impugnare, ad incitas redactus nusquam non confugit. Si usquam, hic certe historicum nostrum egregium habemus artificem.

I. I. H.

Digitized by Google

SPICILEGIUM IN SILVIS STATIANIS.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Annis vertentibus e Silvarum lectione saepe intermissa, resumpta saepe multum profecto suavitatis ac delectationis percepi, sed, quod in carminibus tam mendose traditis mirum videri possit, vix vel ne vix quidem id umquam egeram ut unum alterumve e tot locis corruptis pro viribus meis data opera restituere studerem. Ipsa poematum argumenta adeo semper me detinuisse suspicor, ut litterarum apices parum curarem atque avidius in legendo procederem quam ut singulos locos vitiosos vel lacunosos diu multumque pensitare luberet. At enim non paucos versus manum emendatricem etiam post Heinsium, Gronovium, Marklandum adhuc desiderare, cum nullus sit IX^{mi} vel X^{mi} saeculi liber (qualis fuisse putatur ille Poggianus), in quo non Latinitas multa ab indoctis multa a semidoctis passa sit, Phillimorius verissime monet. Denique iam Silvas omnes ab introitu usque ad exitum oculis vigilantibus attentoque animo perlustrare decrevi, sperans fore ut nonnusquam poetae suum reddere tamquam grati animi documentum liceret. Iam iter meum peregi et poemata iucundissima, raptim hucusque a me percursa, tandem κριτικῶς perquisivi, iamque spicas passim inventas collectasque viris doctis offerre iuvat. Non opus est ut ingenue profitear, vires meas sarciendis vulneribus, quae longa dies aut librariorum incuria huic corpori inflixerunt, persaepe impares fuisse, sed tamen spem illam non prorsus me frustratam esse confido. Ceterum id iudicent Vollmerus, Klotzius, Postgatius, Phillimorius, viri

Digitized by Google

de Statio optime meriti, quorum scripta magna cum utilitate mea consului, e quibus Commentarium illum maxime egregium, quem Vollmerus editioni a. 1898 adiunxit, satis laudare nequeo. Normam rei criticae in Silvis agendae Postgatius ante multos annos statuit: „In emending the numerous corruptions of the Silvae we must start from the Matritensis, but employ the testimony of the Excerpts wherever there is no reason for disbelieving that it rests upon the primal text of the Vetus. Wherever there is serious discrepancy between the two authorities, our choice must, as in all such matters, be determined by intrinsic considerations".

I 1.

Eqvs Maximus.

Cum equo Domitiani equus Thracius comparatur, qui Martem vehit.

18 exhaustis Martem non altius armis
Bistonius portat sonipes magnoque superbit
pondere nec tardo raptus prope flumina cursu
fumat et ingenti propellit Strymona flatu.

Paulo diligentius hanc comparationem quaeso attendas: nonne pro *superbit* poeta procul dubio scripsisse putandus est *superbus*? Vollmerus verba *nec tardo* recte interpretatur = *et celeri.*

Quid igitur Statius nunc quidem dicit? Aequo tenore indicat, equum *Martem non altius portare*, *magno pondere superbire*, *fumare*, *Strymona propellere*, h. e. omni discrimine sublato res gravioris et minoris momenti iungit, id quod Vollmerum non fugisse videtur, cum monendum esse existimaverit cardinem comparationis esse in *superbit* („der Vergleich, der in *superbit* gipfelt"). At vero *superbit* prorsus idem exprimere atque adeo frigide repetere censeo notionem, quae inest verbis antecedentibus, qua de causa comparationis summam non in *superbit*, sed in *non altius-portat* a poeta positam iam esse opinor, qui deinde rei primariae, quasi obiter et varie illustratae verbis *magnoque superbus pondere*, more Homerico res levioris momenti venustissime adiunxit. Superbus nimirum est, qui super alios elatus est vel animo vel re, ablativus autem

Digitized by Google

rem significat, qua quis extollitur, qua quis superbit. Cf. IV 6, 77: periuroque ense superbus / Hannibal. Si Phillimorio hanc emendationem probare potuero, scripturam traditam *tardo* sanam esse neque in *tantum* immutandam fuisse agnoscet.

Equus dum in sede sua collocatur,
63 strepit ardua pulsu
machina; continuus septem per culmina m o n t i s
it fragor et magnae vincit vaga murmura Romae.

Lectionem *montis*, utpote e fine versus 59, qui et ipse in verba *culmina montis* exit, huc male illatam esse inter editores fere constat, unde varia supplementa viri docti proposuerunt: *Martis* Gronovius, quod Phillimorius recepit, *mutus* Doellingius, *multus* Marklandus, *molis* Halmius, *caelo* Handius, *longe* Krohnius, quod Klotzio probavit. Vollmerus, cui nulla ex istis coniecturis placeat, *montes* propter eundem versus exitum vs. 59 in *montis* mutatum esse credit aut *montis* ipsum accusativum esse regionis, et interpretatur: „ununterbrochen dringt der Lärm zu dem 7 Bergen, über alle Kuppen sich verteilend", at quamquam non nego Statium verbum eundi non nusquam cum accusativo posuisse non addita praepositione, haud facile adducar ut eum scripsisse credam, fragorem, qui inter ipsos montes oritur, ire in eosdem montes, in quorum radicibus exstitit. Non ita inscita est nostri oratio. Confiteor tamen, mihi quoque nullam e coniecturis propositis satis placere, sed vix ac ne vix quidem dubito, quin reponendum sit: *septem per culmina m u n d i*. Hoc enim vocabulum cum magniloquentiae Statianae, cui de Roma, capite orbis terrarum, agens indulgere solet, tum huic loco maxime accommodatum est.

In carminis fine poeta ita imperatorem alloquitur:
105 certus ames terras et quae tibi templa dicamus,
i p s e colas; nec te caeli iuvet aula, tuosque
laetus huic dono videas dare tura nepotes.

Pro *ipse* corrigendum esse arbitror: *u s q u e*, quod tam verba quae antecedunt *certus ames terras* quam quae subsequuntur *nec te caeli iuvet aula* flagitare videntur. Cf. III 5, 28.

Digitized by Google

I 2.

Epithalamion.

De rationibus quae inter Stellam et Violentillam ante hasce nuptias exstiterint inter viros doctos controversia est, quae versibus nititur quos deinceps percensebo. Iam adest dies nuptiis destinatus,

26 cedant curaeque metusque,
cessent mendaces obliqui carminis astus,
Fama, tace: subiit leges et frena momordit
ille solutus amor: consumpta est fabula vulgi
et narrata diu viderunt oscula cives.

Vollmerus verba *curaeque metusque* interpretatus est „der Liebenden für ihren Ruf" atque e verbis *obliqui carminis* effici posse contendit, Stellam ante nuptias cum aliis mulierculis habuisse libidinis commercium; deinde respuit Wissowae sententiam, consuetudinem illicitam intercessisse inter Stellam et Violentillam per huius matrimonii prioris tempora.

Utriusque autem opiniones falsas esse demonstrabo.

Vollmeri interpretationi plane obloquuntur vs. 76 sqq., ubi Venus affirmat:

quamvis Ausoniis multum gener ille petitus
matribus, edomui victum dominaeque potentis
ferre iugum et longos iussi sperare per annos,

nec non vs. 195 sqq., ubi Volentillae

redeunt animo iam dona precesque
et lacrimae vigilesque viri prope limina questus,
Asteris et vati totam cantata per urbem, e. q. s.

Unde autem orta sit Vollmeri falsa explicatio nunc aperiam. Non perspexit, poetam a verbis *cedant curaeque metusque*, quae perperam interpretatus est „der Liebenden für ihren Ruf", unum Stellam compellare, quod alloquium usque ad vs. 45 persecutus est. Quod si semel agnoveris, plana ac perspicua iam fient omnia. Stella amore Violentillae penitus haerenti dudum flagrabat iam tempore conubii eius prioris, unde ad varios rumores fenestram patefecerat, Violentilla vero neque vivo adhuc marito neque diu post huius mortem morem ei

Digitized by Google

gerere voluerat. Ad istos autem rumusculos verba pertinent, quibus poeta Stellam alloquitur:

cedant curaeque metusque,
cessent mendaces obliqui carminis astus,
Fama, tace!

ad istos aeque referenda sunt:

consumpta est fabula vulgi
et narrata diu viderunt oscula cives.

Quamquam me rem satis iam explanasse reor, Wissowae opinionem, quam et ipsam refutavi, paucis considerare lubet. Vollmerus quidem contendit, si Stella cum Violentilla adulterium commisisset, poetam eius rei quamvis indicationem verecunde evitaturum fuisse. At, hercle, non tanta erat animi Romani mollitia atque fieri potuit ut prior Violentillae maritus talis fuisset homo ut venia parata foret tam poetae, cum praesertim obliqui carminis astus mendaces esse dixisset, quam ipsi adultero. Ceterum verum est, Statium de adulterio facto nihil intulisse: nil mali Violentillae attribuit: hoc tantum significat, Stellae, cum dudum amore eius incensus fuisset, iam denique licere viduam aetate florentem amare atque etiam in matrimonium ducere. Quin verba

amplexu tandem satiare petito —
contigit! — et duras pariter reminiscere noctes

satis etiam comprobant, Stellam etiamtum voti non compotem fuisse.

Quoniam igitur Violentillam culpa omni vacasse elucet, nihil obstat quominus in verbis

iam nusquam ianitor aut lex
aut pudor,

quibus Wissowae interpretatio perversa nititur, voc. *lex* intellegamus legem Iuliam de adulteriis, dummodo probe teneamus, verba esse in allocutione, a poeta ad Stellam habita, neque Statium perhibere, Stellam eam legem migrasse, sed hoc tantum monere, nihil amplius obstare neque ianitorem neque legem neque pudorem quominus iam tandem muliere tam diu frustra amata potiatur.

Re igitur ad liquidum iam perducta lectorem ad verba duo revocare velim quae nescio an emendatione egere videantur.

Digitized by Google

28 subiit leges et frena momordit
ille solutus amor.

Vollmerus haec sic explicat: „Der *amor solutus* Stellas, der sich an keine Pflichten band, hat sich unter die Gesetze der Ehe begeben und Zügel angenommen". At cum iam scimus qualis fuerit Stellae amoris ratio, res ipsa prohibet ne *amor solutus* cum Vollmero in malam partem accipiamus: non intellegendus est amor dissolutus viri libidinosi, sed amor tuus liber adhuc neque ullis legibus vinctus, atque *ille* = quem nemo in urbe non novit s. qui diu fuit in ore hominum. Pronomen ita explicari posse concedo, verum quotiens locum relego, adducor ut poetam scripsisse credam: *lege solutus amor*, h. e. amor tuus, lege Iulia, quae tamdiu te retinuit, iam solutus nunc alias leges, nuptiales sc., subiit. Ita voc. *solutus* apte definitur et nascitur venusta *leges* — *lege* oppositio.

Alter locus in eadem allocutione hic est:

31 tu tamen attonitus, quamvis data copia tantae
noctis, adhuc optas permissaque numine dextro
vota paves.

Nemo umquam mihi persuadebit, illud *adhuc optas* non insipide enuntiatum atque Statio indignissimum esse, cui nescio an reddendum sit:

tu tamen attonitus, quamvis data copia, tantae
noctis adhuc horas permissaque numine dextro
vota paves.

Venus cum Violentillae venustates et pulchritudinem laudat et alia dicit et haec:

117 haec et caeruleis mecum considere digna
fluctibus et nostra potuit considere concha,
et si flammigeras potuisset scandere sedes
hasque intrare domos, ipsi erraretis, Amores.

Pro *potuit* tamquam e vs. 119 huc illato Klotzius recepit Korschii coniecturam *meruit*, Phillimorius quamquam in editione sua (a. 1917) lectionem traditam retinuit, postea in Mnemosyne (a. 1920) p. 222 emendandum esse censuit *mecum*. Mihi restituendum videtur:

Digitized by Google

haec et caeruleis mecum consurgere digna
fluctibus et nostra potius considere concha.

Cf. vs. 45 supra:

nec si alma per auras
te potius pensa veheret Tithonia biga.

Ad *digna* nimirum *est* omissum est, ut alibi saepe et I 4, 125:

tu Troica dignus
saecula et Euboici transcendere pulveris annos.

Quod ad rem attinet, cf. III 4, 4 sq.:

fors et de puppe timenda
transferet inque sua ducet super aequora concha.

Deinde sic dea pergit:

121 huic quamvis census dederim largita beatos,
vincit opes animo. querimur iam Seras avaros
augustum spoliare nemus Clymenaeaque deesse
germina e. q. s.

In hisce Vollmerus pro *querimur* recte iam correxit *queritor*, sed *augustum* vel *angustum*, quod cum Italis editores nonnulli maluerunt, non extrico. Neque Plin. N. H. VI 54, XII 17, 38 neque Domitii verba 'conqueritur Seras esse avaros in depectendis lanas' quicquam afferunt ad hoc mirum vocabuli *nemus* epitheton sive *augustum* sive *angustum* explicandum. Qua de causa poetam scripsisse conicio: *ad cultum*.

Venus cum summis laudibus Violentillam extulit, eam visit atque ad novas nuptias impellit, in qua allocutione hic versus est

183 quas ego non gentes, quae non face corda iugali?

Verbum deest, quod suppleverunt Itali eo quod pro *iugali* posuerunt *iugavi* itaque Vollmerus recensuit. Helmius vero assentiente Postgatio ellipsin sive aposiopesin statuendam esse monuit, quibus auctoribus editores posteriores lectionem traditam tueri maluerunt. Diu multumque haesitavi atque dubito num Veneris sermo quietus et ad persuadendum comparatus istam figuram admittere videatur, cum praesertim exigua illata mutatione rogatio atque adeo exclamatio integra absolutaque evadere possit:

quas iugo non gentes, quae non face corda iugali?

Cf. Hor. C. S. 17 sqq.:

Digitized by Google

Diva, producas subolem patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis.

Ne quis tempore praesenti offendatur, moneo haec sequi:

ipsum in conubia terrae
aethera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo.

Violentilla sub nomine Asteris a Stella cantata esse dicitur,

197 Asteris et vatis totam cantata per urbem,
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu,
quantum non clamatus Hylas.

Etsi vereor ne *ante dapes* genuina sit lectio, facere non possum quin eam meo qualicumque poetico sensui vehementer repugnare confitear neque miror propter eiusmodi insulsitates Paulum Thomasium pronuntiasse Statium esse 'presque un grand poète'. Quanto dignius elegantiusque foret: *ante faces.* Cf. II 6, 35 sqq.:

illius unus
ante decor, quantum praecedit clara minores
luna faces quantumque alios premit Hesperos ignes.

Cf. etiam Serv. ad Aen. III 587: noctis VII tempora ponuntur: crepusculum, quod et vesper, fax quo lumina incenduntur etc..

I 3.

Villa Tiburtina Manilii Vopisci.

Quid mirer, poeta ait, res singulas, quae in hac villa egregiae sunt?

59 quid te, quae mediis servata penatibus arbor
tecta per et postes liquidas emergis in auras,
quo non sub domino saevas passura bipennes?
et nunc ignaro forsan vel lubrica Nais
vel non abruptos tibi demet Hamadryas annos.

Klotzius traditam lectionem servavit, quam ut lectores intellegerent in apparatu monendum esse putavit, *ignaro* esse ablativum et cogitatione supplendum esse *domino*, *tibi* autem esse *arbori*. Quis vero poetam talia aenigmata legentibus proposuisse credet? Aequo iure Vollmerus coniecturas *ignarae* Heinsii et

Digitized by Google

ignaros Kaibelii („niemand weiss wie viele") tamquam non nisi contortam interpretationem admittentes improbavit. Ipse Politiani lectionem *ignoro* recepit, unde corruptela facillime posset explicari: videat tamen an non *forsan* sic moleste abundare videatur! Accedunt Polsterii propositum *ignorans* et Phillimorii *unigenae*, quae mihi quidem haud magis arrident.

Ut V 1, 152 sq.:

qualiter alta comam silvarum gloria pinus
seu Iovis igne malo seu iam radice soluta
deficit

Statius causam divinam iunxit cum causa a natura profecta, ita eum hic ordine inverso primum humanam, deinde divinam originem, qua tandem arbor marcescere ac mori possit, significasse opinor atque scripsisse:

et nunc indago forsan vel lubrica Nais
vel non abruptos tibi demet Hamadryas annos.

Indago h. e. inclusio quae annis labentibus artior iam facta arborem complectendo tandem necaverit. Cf. II 5, 8: curvaque indagine clausus. Hac emendatione simul vindicasse videbor lectionem traditam *demet* ab Heinsii coniectura *debet*, quam Phillimorius recepit.

Poeta carmen eo claudit quod Vopiscum, tantae villae dominum, beatum praedicat.

105 digne Midae Croesique bonis et Perside gaza,
macte bonis animi, cuius stagnantia rura
debuit et flavis Hermus transcurrere ripis
et limo splendente Tagus!

Ad *ripis* Vollmerus ascripsit „weil die Goldkörner sich am Ufer ablagerten" et Klotzius coniecturam Bischofskyi *rivis* dignam habuit quam in apparatu commemoraret. Utrumque fugisse videtur, poetas Latinos vocabulum pro ipso flumine nonnumquam posuisse, cuius rei illi quoque immemores fuerunt qui II 3, 17: 'niveae posuit se margine ripae' voc. *niveae* coniecturis innumeris sollicitarint quique IV 3, 90: 'qualis Cinyphius tacente ripa | Poenos Bagrada serpit inter agros' voc. *tacente* emendatione egere immerito crediderint. Ceterum cf. Verg. Aen. IX 104 sq.:

Digitized by Google

idque ratum Stygii per flumina fratris,
per pice torrentes atraque voragine ripas
adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.

I 4.

Soteria Rutilii Gallici.

Apollo Aesculapium exhortatur ut Gallicum gravi morbo implicitum secum curet.

61 nunc mecum, Epidauria proles,
hinc, ait, i gaudens: datur — aggredienda facultas! —
ingentem recreare virum. teneamus adorti
— tendatis iam fila! — colos.

Haec lectio omnino improbanda videtur, quamquam tuentur eam editores Germani, quorum Vollmerus sic locum interpretatur: „Wir wollen uns daran machen und die Rocken — spannt ihr (Rocken) nur die Faden! — zum Stillstand bringen", Klotzius ad *tendatis* in apparatu appingere opus esse duxit: *o Parcae.* Quid enim? Adhortationes ad Aesculapium factas Apollo nunc compellando Parcas, quarum significationem magis definitam insuper aegre desideramus, mire interrumpit. Qua de causa Marklandi coniectura, quam Phillimorius recepit, melior videtur:

teneamus adorti
tendentes iam fila colos,

sed ne haec quidem lectio omni numero satisfacit, cum non coli, sed Parcae fila tendant. Ergo cl. V 1, 155 sqq.:

furvae miseram circum undique leti
vallavere plagae, tenduntur dura sororum
licia et exacti superest pars ultima fili

corrigendum esse puto:

teneamus adorti
— tenduntur iam fila — colos,

h. e. viri vita in summo iam discrimine versatur.

Porro eum admonet ut medicamenta secum domo auferat.

98 si qua salutifero gemini Chironis in antro
herba, tholo quodcumque tibi Troiana recondit

Digitized by Google

Pergamus aut medicis felix Epidaurus harenis
educat, Idaea profert quam Creta sub umbra
dictamni florentis opem, quoque anguis abundat
s p u m a t u: iungam ipse manus atque omne benigne
virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis
aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi.

Causae duae iustaeque hunc locum suspectum reddunt, e quibus prior ac praecipua est, quod protasis, quae formam sententiae condicionalis nunc exhibet (*si qua... spumatu*), verbo caret, altera, quod subst. *spumatus* tota Latinitate nusquam alibi invenitur. Illud vitium editores aut male explicant eo quod lacunam sive ante vs. 98 sive vs. 102 post *spumatu* statuerunt, aut clementer obumbrant, veluti Klotzius 'Apollo dum properat, quid filio imperet non exsequitur, sed ipse auxilium se laturum dicit' neque aliter Vollmerus: 'Mit *spumatu* bricht St. den Satz ab und überlässt es dem Leser, aus dem durch die Stellung betonten *iungam* ein passendes Praedikat wie z. B. *afferas* zu ergänzen; Apoll. spricht eifrig'.

Antequam quomodo mutatione exigua illata locus in integrum possit restitui aperiam, paucis indicabo unde factum sit ut non pridem patefacta sit emendatio manifesta atque sine dubio necessaria.

Editoribus adeo semper persuasum fuisse reor, pronomini relativo *quo* in verbis *quoque anguis abundat* opus esse vocabulo ad quod referretur, ut voc. *spumatu* suspicionem nullam umquam iis moverit, quamquam ἅπαξ εἰρημένον est vocabulum atque tota sententia manca imperfectaque propter verbum omissum. At vero ad verba *quo anguis abundat* antecedens, ut grammatici loquuntur, nullum desideratur; sin minus, verba, quae supra sunt, *quodcumque tibi Troiana recondit Pergamus* aeque suum antecedens flagitarent. Verum èt *quodcumque Pergamus recondit* èt *quo anguis abundat* per se ipsa satis diserta sunt et significant: quicquid medicaminis saluberrimi Pergamus et anguis continent.

Quae cum ita sint, sub voce *spumatu* praedicatum latere credo atque emendandum esse *s p u m a t o*, quae forma imperativi apud Statium frequens est, quin etiam litteras traditas ad unam omnes retinere possis, dummodo vocabulum perseces

Digitized by Google

scribasque: *spuma tu*; nempe exempla usus transitivi verbi spumandi non desunt et conferri potest formula: audi pater patrate, a u d i t u populus Romanus!

Apollo cum Aesculapio ubi ad lectum aegrotantis accesserunt, eum curare incohant.

107 ritu se cingit uterque
Paeonio monstrantque simul parentque volentes,
donec letiferas vario medicamine pestes
et s u s p e c t a mali ruperunt nubila somni.

Pro vitiosa atque etiam ineptissima hac lectione tandem, quaeso, mecum reponas: *suscepta*. In iisdem vocabulis inverso ordine confundendis librarii peccarunt V 2, 40, ubi Politianus eos redegit in ordinem. Cf. Lucret. III 459 sqq.:

hūc accedit uti videamus, corpus ut ipsum
s u s c i p e r e inmanis morbos durumque dolorem,
sic animum curas acris luctumque metumque.

Cic. in Vat. 19: ut quicumque te aspexisset duplicem dolorem gemitumque s u s c i p e r e t, Tusc. I 111: nostrum enim et nostra causa s u s c e p t u m dolorem modice ferre debemus.

I 5.

Balneum Claudii Etrusci.

10 iunge, puer, cyathos † et enumerare labora
cunctantemque intende chelyn.

Hanc scripturam lacunosam multi variis coniecturis resarcinare conati sunt: *atque enum.* — *sed ne num.* — *i, ne num.* — *octo num.* — *septem num.* — ⟨*nec*⟩ *et enum.* — ⟨*set*⟩ *et enum.* — *heia enum.*, aliis. Unus Phillimorius postremum quoque vocabulum suspectum habuit proposuitque: *etenim numerare labori* (sc. *est*). Vestigia Postgatii secutus, qui *nec et* coniecit, maluerim:

iunge, puer, cyathos — nec et enumerare l a b o r o —
cunctantemque intende chelyn,

h. e. neque moror, te in iungendis poculis ea etiam enumerare. Cf. III 5, 82. IV 2, 34. Voc. *nec* cum excidisset, prompta

Digitized by Google

erat verbi *laboro* in imperativum mutatio, qui responderet verbis *iunge* et *intende*.

Caldario laudibus celebrato poeta frigidarium describere incipit.

51 extra autem niveo qui margine caerulus amnis
vivit et in fundum summo patet omnis ab imo,
cui non ire lacu pigrosque exsolvere amictus
suadeat?

Haec est scriptura codicis M evidenter corrupta.

Vollmerus veterem nescio cuius coniecturam recepit: *in summum fundo patet omnis ab imo* verbo non addito, Klotzius Krohnii iussu recensuit: *in fundum summa patet omnis ab unda*, Phillimorius cruces verbis *in fundum... imo* appinxit et ipse in apparatu proposuit: *visu p. o. ab uno*.

Nimirum perspicua est verborum notio: dicere voluit poeta quod I 2, 155 sic expressit: 'perspicui vivunt in marmore fontes' neque hoc fugit editores, quos tamen veram loci medelam fefellisse credo. Coniecturae, quas receperunt editores Germani quamque Britannus proposuit, primum propter hanc causam iam improbabiles videntur, quod in textu tradito omnes duo vocabula mutant. Deinde finge te piscinam aqua pura pellucidaque impletam spectantem idque circumstantibus impertire volentem: num umquam tua notatio rei atque animadversio a fundo piscinae proficisceretur? Immo, ab aquarum superficie! Qua de causa lectio a Vollmero recepta magis etiam respuenda est, cum verba *in fundum* neutiquam sollicitanda sint. Ne multa, velim Statio reddas:

caerulus amnis
vivit et in fundum summo patet omnis ab omni,

ita *summo ab omni* = a nulla non parte summae superficiei aquarum. Videbis, quam efficaciter eleganterque sic exprimatur rei mirabilitas. Exempla 'summi' substantive adhibiti afferre vix opus est: cf. Cic. Div. I 17: a summo inflexum bacillum, Caes. B. G. VII 73: scrobes paulo angustiore ad summum fastigio, Plin. Ep. II 17, 25: sunt enim in summo.

Digitized by Google

I 6.

Kalendae Decembres.

Saturnus cum suis comitibus mihi adsit, poeta ait,
7 dum refero diem beatum
laeti Caesaris ebriamque parcen.

Editores nostri, communi consensu locum desperatissimum esse confessi, crucem lectioni perplexae *parcen* praefixerunt et satis habuerunt coniecturas nonnullas in apparatu commemorare, quales sunt *noctem* Ric. Thomsoni, *pacem* Politiani, *Romam* Bentlei, *heorten* Krohnii et Saftieni, *aparchen* Phillimorii, alias violentiores et improbabiliores. Ut viam ad locum restituendum aperiam, liceat mihi ea referre quae Vollmerus in Commentario disseruit:

„Was in dem überlieferten *parten* steckt, weiss ich nicht; *noctem* (so Thomson und die neueren Ausgaben) kann dem Sinne nach richtig sein, unmöglich wäre dem Sinne nach aber auch ein Wort wie *plebem*, *urbem* nicht. *partem*, wozu Gronov (rel. 368) bemerkt: 'simplicissime partem ebriam diei Caesaris intelligamus. Tota quidem illa dies beata fuit laeto Caesare, sed pars eius cum ipsi tum populo etiam ebria convivio et vino affluens' würde schwerlich in *parten* verderbt sein. Höchst wahrscheinlich steckt ein griechisches Wort in der Corruptel. Auch Buecheler dachte an ein modisches Lehnwort, z. B. an πάθνην, hellenist. Form für φάτνην (statt τράπεζα bei Eurip. und att. Kom.), Sudhaus an Φοίβην, kein unebener Scherz".

Demiror viros doctos, cum Graecum vocabulum sub corruptela latere recte suspicati essent, quale esset non perspexisse. Tandem igitur librarium oscitantem cum ebria sua Parce valere iubeamus atque prima litterae *p* lineola ad iustam mensuram imminuta vocabulum revocemus, ei quidem minus quam *parce* notum sed tamen verum:

dum refero diem beatum
laeti Caesaris ebriamque narcen.

Nempe convivae Caesaris ad vesperam ebrii erant ad unum omnes, cf. vs. 96 sq.:

iam iam deficio tuoque Baccho
in serum trahor ebrius soporem.

Digitized by Google

Voc. *narce* autem = torpor. Cf. Plin. N. H. XXI 128: Narcissi duo genera in usum medici recipiunt, purpureo flore et alterum herbaceum. hunc stomacho inutilem et ideo vomitorium alvosque solventem, nervis inimicum, caput gravantem et a narce narcissum dictum, non a fabuloso puero.

Similiter Is. Vossius lectionem genuinam *cliviae* IV 3, 59 e Plinio restituit.

Prima iam luce vis magna ac varia bellariorum in multitudinem effundebatur,

12 quicquid nobile Ponticis nucetis,
fecundis cadit aut iugis Idymes;
quod ramis pia germinat Damascos,
et quod percoquit aebosia Caunos,
largis gratuitum cadit rapinis.

Lectionem obscuram *aebosia* multi tam temptarunt, sed locus adhuc corruptus manet, qua de causa mihi quoque permissum sit, quid in mentem mihi venerit aperire. Suspicor enim fortasse exaratum fuisse: *ominosa Caunos*, rei memor a Cicerone De Divin. II 84 narratae, quae Romae videlicet nota erat lippis et tonsoribus: „Cum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens 'Cauneas' clamitabat. dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum 'caveret ne iret'; non fuisse periturum, si omini paruisset: quae si suscipiamus, pedis offensio nobis et abruptio corrigiae et sternumenta erunt observanda".

Cf. Plin. Ep. III 14, 6: ominosa res accidit, Gell. XIII 14, 6 (e Messala): montem quasi avibus obscenis ominosum.

II 1.

Glaucias.

Patronum paucis consolatus poeta ipsum puerum morte praematura abreptum affatur.

52 o ubi venturae spes non longinqua iuventae
atque genis optatus honos iurataque multum
barba tibi? cuncta in cineres gravis intulit hora
hostilisque dies.

Digitized by Google

Cum alii loci in Silvis Statianis tum hic locus docere potest, ad quam portentosas explicationes confugere illi interpretes non vereantur, quibus Bentleio invito codex unus potior sit quam ratio et res ipsa. Vollmerus scilicet ascripsit: „Melior liebte den Sklavensohn so sehr, dass er bei seinem künftigen Barte schwor, als ob er sein Sohn gewesen; *tibi* wendet die Anrede also wieder an den Adressaten des Gedichtes", atque conferri iussit Verg. A. IX 300 et Suet. Nero 34. Locus Suetonianus quid ad nostrum pertineat me minime videre confiteor, sed iudicent alii. Sermo est ibi de amita Neronis „quam cum ex duritie alvi cubantem visitaret, et illa tractans lanuginem eius, ut assolet, iam grandis natu per blanditias forte dixisset: Simul hanc excepero, mori volo: conversus ad proximos confestim se positurum velut irridens ait". Versus autem Maronis, quo Vollmerus verba *iurata barba* illustrare sibi visus est, hic est:

per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat.

Hic mirum non est si per filium Aeneas iuravit; solebant enim per id iurare homines quod carum habebant, et patrem per filiorum caput iurasse apud Graecos quoque invenitur, sed iterum rogo quid ad locum nostrum haec pertineant. Hominem mentis compotem iurasse per pueri barbam, cuius nec vola nec vestigium etiamtum appareret, nemo umquam mihi persuadebit, neque magis credo, Statium adeo mente turbata fuisse, ut media ad puerum mortuum allocutione subito Meliorem rursus compellaret et deinde statim ad puerum reverteretur.

Pro inepta lectione *iurata* mecum reponere ne dubita: *curata*.

Postquam altores nonnullos enumeravit, qui in fovendis alumnis ipsos patres vicerant, poeta pergit:

96 quid referam altricum victas pietate parentes?
quid te post cineres deceptaque funera matris
tutius Inoo reptantem pectore, Bacche?

Si verba *decepta funera matris* cum Vollmero interpretanda sunt: 'statt *deceptam matrem mortuam*' — neque video quomodo aliter explicari possint —, equidem quid tandem poeta voluerit non intellego. Primum miror, eum morti Semeles deceptae versum integrum vovisse, cum id ageret ut altricum

Digitized by Google

virtutes extolleret; deinde offendit me ordo praeposterus *post cineres* (matris) — *post funera* (matris deceptae); denique in versu nunc frustra aliquid quaero quod ad Bacchum infantem pertineat. In Marklandi coniectura *fulmina* nullum est auxilium: difficultates meas tantummodo mutat, non tollit.

Immo emendandum est: *munera matris.*

Quid te, Bacche, referam, qui post matris mortem et postquam munera materna te frustrata sunt, in altricis tuae gremio tutius invenisti refugium.

Ad patrem adoptivum rursus conversus poeta dicit:

104 tu tamen et vinctas etiamnunc murmure voces
vagitumque rudem fletusque infantis amabas.

Hanc codicis scripturam manus secunda correxit in *iunctas*, quod editores receperunt: Baehrens *truncas* — Otto *mancas* coniecit. Statio reddendum esse puto: *vivas*; similiter vs. 232, ubi puerum mortuum rogat ut mitiget Melioris dolorem saepe ei se ostendendo, hortatur:

noctesque beatas
dulcibus alloquiis et vivis vultibus imple.

Cf. V 5, 39: qui vivos potui mulcere dolores.

Ceterum moneo, poetam, si *iunctas* posuisset, non *etiamnunc* scripturum fuisse, sed *etiamtum*; dixit autem: tu tamen amabas voces eius, quae murmure suo etiamnunc vivunt in animo tuo.

II 3.

Arbor Atedii Melioris.

Corruptela laborat ipsum carminis initium.

1 Stat, quae perspicuas nitidi Melioris opacet
arbor aquas complexa lacus, quae robore ab imo
† curvata vadis redit inde cacumine recto
ardua, ceu mediis iterum nascatur ab undis
5 atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem.
quid Phoebum tam parva rogem? vos dicite causas,
Naides, et faciles, satis est, date carmina Fauni.

Editores cum Italis doctis recensere solent *incurvata* — Politianus *accurvata* maluit. Versus vero 6 et 7 demonstrant,

Digitized by Google

poetam interrogationem supra posuisse, quam frustra nunc quaerimus.

Emenda:

Stat, quae perspicuas nitidi Melioris opacet
arbor aquas complexa lacus, quae robore ab imo
cur curvata vadis redit inde cacumine recto
ardua, ceu mediis iterum nascatur ab undis
atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem?

Voc. *cur* nimirum per haplographiam omissum est. Verbum curvandi et alibi fortasse est et II 1, 110.

II 6.

Consolatio ad Flavium Ursum.

famulum (quia rerum nomina caeca
sic miscet Fortuna manu nec pectora novit),
sed famulum gemis, Urse, pium e. q. s.

Corrigendum esse suspicor:

quid rerum nomina caeca
sic miscet Fortuna manu nec pectora novit?

Cf. vs. 93; III 2, 90; III 5, 1.

Dicit poeta, imaginem pueri mortui etiamnunc ante oculos sibi obversari:

vidi et adhuc video, qualem nec bella caventem
litore virgineo Thetis occultavit Achillen,
nec circum saevi fugientem moenia Phoebi
Troilon Haemoniae deprendit lancea dextrae.

Vollmerum rectissime observasse arbitror, invito Marklando lectionem traditam *caventem* servari non posse, cum non Achilles caveret bella, sed Thetis, sed assentiri ei nequeo, quod Gevartium et Gronovium Italorum coniecturam *canentem* merito recepisse contendit. Verum quidem est, Achillem musicum fuisse et solitum esse bella canere, a Chirone praeceptore edoctum, cf. V 3, 193:

quique tubas acres lituosque audire volentem
Aeaciden alio frangebat carmine Chiron,

sed hoc non accommodatum est huic loco: requiritur enim

Digitized by Google

causa, propter quam mater eum occultavit: haec vero non fuit ut bella caneret, verum *caleret*, h. e. arderet, vehementer amaret, atque ita scribendum esse opinor.

Statius cum *bella calentem* posuit, memor Vergiliani *ardebat Alexin* (B. I, 1) et Horatiani *comptos arsit adulteri crines* (C. IV 9, 13), ut saepe, novam dictionem affectasse videtur synonymo introducendo, cuius rei exempla Vollmerus ad III 2, 134 congessit. Ceterum cf. I 6, 55: credas... Thermodontiacas calere turmas, II 2, 137: iuvenile calens.

Non tibi femineum vultu decus erat, ait poeta,
41 nec petulans acies, blandique severo
igne oculi, qualis bellis iam casside visu
Parthenopaeus erat, simplexque horrore decoro
crinis, et obsessae nondum primoque micantes
flore genae.

Vollmerus pro *bellis iam* recensuit *bellis in* — Klotzius auctore Krohnio *bellus iam* — Phillimorius verba *bellis i. c. v.* inter cruces collocavit. Praeterea coniecerunt: Adrianus *bellis sine*, Otto *bellis cum*, Postgatius *bellans iam e* vel *bellans iam casside missa*, Phillimorius *vultus i. c. clausus*, denique Ziehen pro *visu*: *nudus*.

Quamquam Baehrensium coniecturam meam iam praeoccupasse postea vidi, facere non possum quin ipse quoque eam commendem, quam in loco conclamato lectionem maxime probabilem atque etiam necessariam esse persuasum mihi habeo.

Nempe locus omnino flagitat:

qualis liber iam casside visu
Parthenopaeus erat,

id quod haec argumenta firmissime comprobare mihi quidem videntur:

Primum quod continuo sequitur: *simplexque horrore decoro crinis*. Num credibile est, poetam, cum crines pueri laudibus ornare vellet, hunc cum Parthenopaeo galeato comparaturum fuisse? Obiter moneo, lectionem *horrore* sollicitandam non esse: optime dictum est de capillis inconditis perturbatisque eius, qui post certamen magna intentione multoque sudore commissum cassidem deposuit: ipse vero horror ille iuvenem

Digitized by Google

decebat. Deinde similitudo, quae inter nostrum locum et alterum illum ubi forma Parthenopaei a Statio laudatur exstat, scripturam *liber* vehementer confirmat, Theb. IX 699 sqq.:

ast ubi pugnae
cassis anhela calet, resoluto vertice nudus
exoritur: tunc dulce comae radiisque trementes
dulce nitent visus et, quas dolet ipse morari,
nondum mutatae rosea lanugine malae.

Denique Martialis pro Baehrensii correctione suum dicit testimonium, qui IX 56, 7 sq.:

non iaculo, non ense fuit laesusve sagitta,
casside dum liber Parthenopaeus erat,

h. e. tutus ab hostibus erat, dum pulchritudinem eius cernere poterant. Quousque tandem, rogo, poetae suum reddere atque scribam codicis Matritensis in litteris vocabuli *liber* traiciendis peccavisse, ut saepe peccavit, agnoscere editores dubitabunt?

II 7.

Genethliacon Lucani.

Ad Lucani diem natalicium celebrandum Statius non solum poetas evocat, sed etiam deos deasque canendi.

ipsi, quos penes est honor canendi,
vocalis citharae repertor Arcas
et tu Bassaridum rotator Euhan
et Paean et Hyantiae sorores,
† taepurpureas novate vittas,
crinem comite, candidamque vestem
perfundant hederae recentiores.

Ita exaratum est in codice Laurentiano saec. X, in quo haec una Silva propter Lucani honorem nobis tradita est: scriba codicis Matritensis saec. XV depravatam scripturam in *laetae purpureas* mutavit, quod editoribus omnibus satis placuisse videtur. At nihilominus praepostere explicavit ille mendosam Laurentiani scripturam, nam praeterquam quod Musae solae sic impelluntur ad vittas novandas, crinem comendum, cet., desideramus etiam legitimam invitationem, qua poeta deos quos requirit exhortari soleat ut ad se accedant. Cf. I 5, 15:

Digitized by Google

ite, deae virides, liquidosque advertite vultus
et V 3, 284: ite, pii manes, Graiumque examina vatum,
inlustremque animam Lethaeis spargite sertis.
Quae cum ita sint, dubitare noli quin scripserit Statius:
i t e e t purpureas novate vittas.

Porro amnes quoque et silvae ad diem festum celebrandum incitantur.

12 docti largius evagentur amnes,
et plus Aoniae virete silvae,
et si qua patet aut d i e m recepit,
sertis mollibus expleatur umbra.

Iure haec lectio Marklandum offendit, qui argumentatus est: „Nullum opus disiunctiva particula *aut*, cum res eadem exprimatur; quippe *patere* et *diem recipere* idem sunt, cum umbra quae *pateat* necessario etiam *diem recipiat*. melius itaque si dixisset *patet ET diem recepit*, quo pacto τὸ αὐτὸ bis tantum diceretur, quod poetae sibi interdum indulgent: isto vero modo, *patet AVT diem recepit*, disiunctivum *AVT* vitiose usurpatur: numquam enim disiunguntur nisi verba aut res diversae significationis: ridicule enim diceres *Non possum aut bibere AVT liquorem haurire*".

Egregie disputata haec sunt neque Vollmeri interpretationem, quam Klotzius probat (ascripsit: „*locum expedivit Vollmer*"), possum mente comprehendere: „Das von Markland angefochtene *aut* mag sich dadurch erklären, dass man die Lücken teils beim Aufblick nach oben, teils am Boden sehen kann".

Prae membranae atque adeo eius scribae somniculosi auctoritate rationem et rem ipsam rursus contemptam vides!

Immo, locum corruptum esse Marklandus rectissime observavit, sed improbanda est medela, ab eo prolata, quam Phillimorius recepit: *si qua p a t u l a m diem recepit*, utpote qua minime explicetur scriptura tradita *patet aut*; hanc vero tuendam omnino puto atque id primum considerandum, num in verbis *diem recepit* aliquid latere possit quod τῷ *patet* apte opponatur.

Quaerendum est igitur, quibus de causis fieri possit ut in

Digitized by Google

silvis umbra ita desit aut sit exilior, ut ad eam explendam qualicumque supplemento opus sit. Illud nimirum fiet, sicubi arbores prorsus deerunt atque umbra *patebit* — hoc autem, siqua arbor annosa vel morbida erit et frondes eius exsiccatae contabuerint, quo facto umbra detrimentum ceperit. Ergo rescribas velim:

et, si qua patet aut l u e m recepit,
sertis mollibus expleatur umbra.

Cf. Verg. A. III 138: miserandaque venit
arboribusque satisque lues et letifer annus.

Rei culpam rursus in ipso vocabulo esse vides, quod insontis speciem quam maxime prae se ferre videretur.

Denique sic invocationem suam poeta claudit:

19 Lucanum canimus, favete linguis,
vestra est ista dies, favete, Musae,
dum qui vos geminas t u l i t per artes,
et vinctae pede vocis et solutae,
Romani colitur chori sacerdos.

Vollmerus ad *tulit* annotavit: „ein ähnliches, für die Musen passives Bild kenne ich nicht; Statius meinte wohl die tragbaren Götterbilder", sed verba *geminas per artes* isti explicationi manifeste repugnant. Emenda:

dum qui vos geminas c o l i t per artes,
et vinctae pede vocis et solutae,
Romani c o l i t u r chori sacerdos.

Ut alibi saepe, sic hoc loco librarius noster litteras *c* et *t* confudit. Tempus praesens similiter est vs. 53.

Fingitur Calliope Lucano puero opera omnia enumerare, quae aliquando compositurus sit.

54 ac primum teneris adhuc in annis
ludes Hectora Thessalosque currus
et supplex Priami potentis aurum,
et sedes reserabis inferorum;
i n g r a t u s Nero dulcibus theatris
et noster tibi proferetur Orpheus.

Postrema opuscula qualia fuerint e vita Vaccae discimus,

Digitized by Google

quos locos Vollmerus in Commentario dedit, alterum de Nerone qui agit: *certamine pentaeterico acto in Pompei theatro laudibus recitatis in Neronem fuerat coronatus*, alterum de Orpheo: *ex tempore Orphea scriptum in experimentum adversum complures ediderat poetas*. Idem igitur voc. *dulcibus* recte illustravit: „weil das Gedicht mit Beifall aufgenommen wurde", sed rursus membranarum fidei nimis credulus fuit, cum voc. *ingratus* explicandum esse putaret: „vom Standpunkte der Calliope".

Haud dubie Statius scripsit:

iam gratus Nero dulcibus theatris
et noster tibi proferetur Orpheus.

Nomine scilicet *Nero* hoc loco non persona principis designatur, sed est titulus poematis, quod gratum fuit dulcibus theatris. Ita bene sequuntur: *ac primum* vs. 54 (ubi Klotzius sine iusta causa *at* posuit) — *iam gratus* vs. 58 — *hinc castae* vs. 62 — *mox coepta* vs. 64. Insuper moneo, eundem errorem a Buechelero correctum esse IV 5, 8 neque poetam tam leni attributo quale est *ingratus* notaturum fuisse Neronem, cui vs. 61 Romae incendium, vs. 118 matris necem imputavit quemque V 2, 33 'ferum' dixit et in nostro carmine vs. 100 etiam 'rabidum tyrannum'.

In Lucani futuris operibus enumerandis Calliope ad Pharsaliam pervenit. Locum totum describo, quem, quamvis multis coniecturis a viris doctis sollicitatum, optime se habere sed hucusque non intellectum esse me demonstrare posse confido.

64 mox coepta generosior iuventa
albos ossibus Italis Philippos
et Pharsalica bella detonabis,
quo fulmen ducis inter arma divi,
libertate gravem pia Catonem
et gratum popularitate Magnum.
tu Pelusiaci scelus Canopi
deflebis pius et Pharo cruenta
Pompeio dabis altius sepulcrum.

Est haec communis interpretum existimatio, sententiam, quae vocabulis *quo fulmen... Magnum* continetur, integram non esse absolutamque; recentiorum haec citabo iudicia:

Digitized by Google

Vollmerus: „*quo* scil. ruerit; da eine Ellipse unzweifelhaft ist, so scheint mir *quo* als das viel prägnantere beizubehalten".

Domitius enim *et* — Marklandus *quod* scribi iusserat.

Phillimorius: „Hic versus (67 sc.) non ipse corruptus, sed excidit certe subsequens qui sententiam explebat".

Klotzius, qui Marklandi coni. *quod* recepit: „*quo* servato talem fere versum excidisse post vs. 67 arbitratur Saenger ⟨*heu Romam feriens, volarit igni*⟩ admodum probabiliter".

At neque ellipsis accipienda est neque versus ullus excidit.

Id vero adhuc obstitit ne locus recte intellegeretur, quod interpretes fideli concordia voc. *pia* adiectivum esse crediderunt: est autem imperativus verbi piandi. Quod ut inferret, poetam consulto hunc verborum ordinem praetulisse credo neque scripsisse:

libertate pia gravem Catonem.

Sane in prosa oratione potius exspectaveris: *quo ... pies*, sed ne haec quidem constructio quicquam offensionis habet et continuo sequitur *deflebis pius*. Ergo sic locum interpretor:

Pharsalica bella detonabis, quo facto piabis viros ictos
fulmine Caesaris, qui iam inter arma divum se praestabat,
Catonem libertate gravem et Magnum gratum popularitate.

Ad *fulmen* cf. II 1, 30; III 3, 158; IV 7, 50; V 1, 133; 2, 102; 5, 50.

Ad *pia* cf. Ov. M. XIII 515: hostilia busta piasti, Verg. Aen. VI 379: tua finitimi ... ossa piabunt. Est igitur *pia* = placa, expia.

Praeterea cf. vs. 102 sq. infra:

dum pugnas canis arduaque voce
das solacia grandibus sepulcris,

nec non vs. 114 sq.:

te nobile carmen insonantem
Pompei comitantur et Catones.

Finito Calliopes alloquio poeta ipse denuo ad Lucani umbram se convertit.

107 At tu, seu rapidum poli per axem
Famae curribus arduis levatus,
qua surgunt animae potentiores,

Digitized by Google

terras despicis et sepulcra rides;
seu p a c i s merito nemus reclusi
felix Elysii tenes in oris, e. q. s.

Quod ad sensum attinet, cum hoc loco multum congruit V 3, 19 sqq.:

at tu seu membris emissus in ardua tendens
fulgentisque plagas rerumque elementa recenses,
— — — — — — — — — — — — — —
seu tu Lethaei secreto in gramine campi
concilia heroum iuxta manesque beatos
accolis.

Ceterum attendas quaeso, quam importunum huic loco sit voc. *pacis*, quod sanam interpretationem nullo modo admittere mihi videtur. Diu multumque ubi locum pensitavi, collato loco Vergiliano qui est Aen. VI 744:

exinde per amplum
mittimur Elysium et p a u c i laeta arva tenemus

revocanda iam videtur lectio:

seu p a u c i s merito nemus reclusi
felix Elysii tenes in oris.

Nec male conferas IV 7, 42: perque non multis iter expeditum, et V 1, 193: Elysias felix admittar in oras. Denique monendum est, voc. *merito* apud Statium et alibi ita absolute positum saepe occurrere et V 1, 238: hac merito visa pietate mariti | protinus exclames.

III 1.

Hercules Surrentinus.

Cena sub divo apparata caelum subito nubibus obscuratur,
76 diffugimus, festasque dapes redimitaque vina
abripiunt famuli: n e c quo convivia migrent,
quamvis innumerae gaudentia rura superne
insedere domus et multo culmine dives
mons nitet. instantes sed proxima quaerere nimbi
suadebant laesique fides reditura sereni.

Iure Vollmerus Gronovii interpretationem huius loci refutavit, quae est: „proximum verbum repetendum intellectu:

Digitized by Google

abripiunt nec tamen eo abripiunt quo possint aut soleant convivia migrare, scilicet in sacellum vel aediculam Herculis", sed ipsius explicatio non probabilior est: „man überlegt, aber non est, quo convivia migrent, quamvis u. s. w." neque aliter Klotzius: „intellege: nec *est* quo cet". Rothsteinius lacunam post vs. 77 statuit.

Exigua mutatione illata et recta sententiarum distinctione revocata sic locum restituo:

diffugimus, festasque dapes redimitaque vina
abripiunt famuli: sed quo convivia migrent?
quamvis innumerae gaudentia rura superne
insedere domus et multo culmine dives
mons nitet. instantes sed proxima quaerere nimbi
suadebant laesique fides reditura sereni.

Vide quam apte iam sequantur:

stabat dicta sacri tenuis casa nomine templi
— — — — — — — huc omnis turba coimus,
huc epulae ditesque tori coetusque ministrum
stipantur e. q. s.

Voc. *quamvis* igitur non coniunctionis, verum adverbii vice fungitur, cum ad adi. *innumerae* solum pertineat.

Denique credo, Phillimorium optimo iure Politiani *arripiunt* pro *abripiunt* recepisse.

III 2.

Propempticon Maecio Celeri.

Lamentatur poeta amici profectionem et aliis verbis et hisce:

78 fugit ecce vagas ratis acta per undas
paulatim minor et longe servantia vincit
lumina, tot gracili ligno complexa timores,
quaque super reliquos te, nostri pignus amoris,
portatura, Celer.

Mire ac praeter necessitatem hunc locum critici coniecturis sollicitarunt, immo male mulcarunt: pro *quaque* Marklandus *teque* coniecit, quod Phillimorius recepit, Domitius *quaeque* edidit, quod recensuit Vollmerus, Krohnius *quamque* — Postgatius *quemque* maluit; Klotzius vero et Domitii lectionem *quae-*

Digitized by Google

que èt Leonis coniecturam *portat dura* pro *portatura*, quod alii quoque temere mutari iusserunt, recipere non est veritus.

Locus tamen sanus est, dummodo post *Celer* interrogationis signum pingatur. Nempe *quaque* (= et qua) adverbium interrogativum est.

III 3.

Consolatio ad Claudium Etruscum.

Filius patrem provecta aetate mortuum plangitur,

17 tenet ecce seniles
leniter implicitus vultus sanctamque parentis
canitiem spargit lacrimis animaeque supremum
frigus amat.

Editores alteram lectionem *implicitos*, quae et ipsa Italis doctis debetur, praetulerunt, ad quam vindicandam haec Vollmerus disseruit: „*implicitos*; das Part. Pass. wird sonst vom Umarmenden gesagt (II 1. 46 Theb. X 314. 719), steht aber hier vom Umarmten, was bei den activen, wenn auch anders übertragenden Beispielen Theb. I 65 *implicui regem*, XI 521 *rates... Auster implicuit* nicht anzuzweifeln ist".

Non credo. Quoniam in libris mss. nihil est praesidii, ratio una et res ipsa nobis pro duce sit: in codice enim exaratum est *implicitor*. Ergo èt usus legitimus participii èt asyndeton duriusculum, quod scriptura *implicitos* efficit, èt vs. 177 infra:

heu quantis lassantem bracchia vidi
planctibus et prono fusum super oscula vultu!

me inducunt ut *implicitus* veram lectionem esse credam. Cf. etiam V 1, 200: nunc ore ligato incubat amissae.

III 4.

Capilli Flavi Earini.

Precatur poeta ut Aesculapius crines Earini benigne accipiat.

6 accipe laudatos, iuvenis Phoebeie, crines,
quos tibi Caesareus donat puer, accipe laetus
intonsoque ostende patri. sine dulce nitentes
comparet atque diu fratris putet esse Lyaei.

Illud *diu* neminem umquam offendisse demiror: equidem

Digitized by Google

Statium ita pueriliter locutum esse vix crediderim ut hoc tantum modo Apollinem errare vellet ut saltem post aliquantum temporis errorem suum agnosceret.

Ni fallor, pro *diu* reponendum est: *decus.*

Earinus eunuchus factus erat antequam Domitianus 'castrari mares vetuit' (Suet. 7): illo enim tempore

73 nondum pulchra ducis clementia coeperat ortu
intactos servare mares; nunc frangere sexum
atque hominem mutare nefas, gavisaque solos
quos genuit natura videt, nec lege sinistra
ferre timent famulae natorum pondera matres.

Lectio *lege sinistra* omnino intoleranda est. Vollmerus quidem ad locum annotavit: „Die Worte des Dichters lassen darauf schliessen, dass vor Domitian die Castrierung von Sklavenkindern ausdrücklich erlaubt war", sed poeta si ista scripsisset, non significasset castrationem ante Domitianum licitam fuisse, sed exstitisse legem, quae manifestis expressisque verbis eam praescripsisset ac iussisset, quod absurdum est. Cum de lege sermo est, poeta nimirum voluit legem Domitiani prohibitoriam (cf. IV 3, 13—15), qua de causa emendandum est: *lege sequestra.* Cf. Theb. II 425: nec sceptra fide nec pace sequestra poscitis, et Verg. Aen. XI 133.

IV 1.

XVII Consulatus Imp. Aug. Germanici.

Ianus postquam novum consulatum Domitiano gratulatus est, 'clauso libens se poste recepit'.

45 tunc omnes patuere dei laetoque dederunt
signa polo.

Nescio an fuerit: *totoque... polo.*

IV 2.

Eucharisticon.

Poeta domum Domitiani in monte Palatino laudibus cumulat.

20 stupet hoc vicina Tonantis
regia, teque pari laetantur sede locatum

Digitized by Google

numina: nec magnum properes excedere caelum:
tanta patet moles e. q. s.

Pro *excedere*, quod Klotzius tuetur, Vollmerus et Phillimorius Gronovii coniecturam *escendere* receperunt. Maluerim: *accedere*, cl. III 3, 29:

eat horrendumque silentis
accedat domini solium,

et Verg. Aen. V 731: Ditis tamen ante | infernas accede domos.

IV 3.

Via Domitiana.

Quot manus pariter laboraverunt in via munienda!
56 hae possent et Athon cavare dextrae
et maestum pelagus gementis Helles
intercludere ponte non natanti.
his parvus, nisi cliviae vetarent,
Inous freta miscuisset Isthmos.

Voc. *parvus*, quod editores nunc utcumque interpretantur: parvi laboris esset Isthmum perfodere, corruptum duco nec tamen Postgatio credo, poetam scripsisse *his parens*, sed reddendum ei esse mihi est persuasissimum: *his raptus*. Cf. vs. 79 infra:

qui terras rapere et rotare silvas
assueram — pudet! —, amnis esse coepi.

Simile scribae peccatum ad II 6, 42 et V 2, 60 indicavi.

Viae Domitianae velut ianua ac limen est
98 arcus, belligeris ducis tropaeis
et totis Ligurum nitens metallis,
quantus nubila qui coronat imbri.

Vollmerus locum sic explicat: „*totis*... *metallis* (gemeint sind die weissen [*nitens*] Marmorbrüche von Luna) entspricht einem *tantus*, darum schliesst sich *quantus* an — *imbri* bei Regenwetter".

At vero non conspicuus est arcus caelestis, quotiens imber effunditur, sed etiam opus est ut sol splendeat: adverso sole demum colores trahit utque noster V 1, 104 scripsit:

Digitized by Google

picturato pluvium ligat aera gyro,

et Theb. I 311 (de Mercurio): ingenti designat nubila gyro. Videntur iam Itali docti perspexisse locum esse vitiosum, cum pro *imbri* substituerint *Iri* et, quamquam ita in integrum eum non restituerunt, viam monstraverint ad veram ac genuinam scripturam revocandam, quam talem esse aio:

quantus nubila quo coronat Iris,

h. e. arcus tantus quantus ille est, quo Iris nubila coronat. Cf. Ov. Met. XI 589:

induitur velamina mille colorum
Iris, et arcuato caelum curvamine signans
tecta petit e. q. s.

IV 4.

Epistula ad Vitorium Marcellum.

Est hic finis epistulae:

101 Iamque vale et penitus voti tibi vatis honorem
corde exire veta. nec enim Tirynthius almae
pectus amicitiae: cedet tibi gloria fidi
Theseos, et lacerum qui circa moenia Troiae
Priamiden caeso solatia traxit amico.

In hoc loco extricando viri docti multum desudarunt necdum ad liquidum perductus est, quamquam Vollmerus scripturam eo tueri conatus est quod interrupto sermone poetam ab exemplo minus noto mutata constructione ad notiora transiisse contendit. Phillimorius crucem ante *nec enim* collocavit et in apparatu critico Gevartii coni. *ad me* pro *almae* respuens ascripsit: „*melius Markland qui aut mutilum locum aut* tibi enim Tirynthius almae p. a. cedit, tibi *etc. legendum censet*". Klotzius denique cum Marklando et Leone lacunam statuit inter verba *Tirynthius* et *almae* et monuit minime esse probabile, nomen *Tirynthius* ex quolibet adverbio corruptum esse: male igitur Grotium *retinentius*, Ungerum *intemeratius*, Saengerum *servantius*, Ottonem *tibi vinctius*, Polstérum *tibi notius*, alios alia proposuisse. Mihi unus Slaterus vulnus loci detexisse, haud tamen verum medicamen adhibuisse videtur, cum pro *pectus* legi iussit *parcus*; Statium scripsisse credo:

Digitized by Google

nec enim Tirynthius almae
spretor amicitiae: cedet tibi e. q. s.

IV 5.

Ad Septimium Severum.

Poeta beatum se praedicat in villula sua Albana, quae non ampla quidem est,

21 sed terra primis post patriam mihi
dilecta curis; hic mea carmina
regina bellorum virago
Caesareo peramavit auro,
cum tu sodalis dulce periculum
conisus omni pictore tolleres, e. q. s.

Pro *peramavit* Itali *peraravit*, Marklandus *decoravit*, Baehrens *redimivit*, Cruceus *reparavit* (sc. post repulsam) coniecerunt. Vollmerus verbum retinuit explicans: „Ganz singulär, aber kaum zu beanstanden ist *peramavit*: Pallas hat ihren Gefallen an den Gedichten durch Verleihung des goldenen Olivenkranzes bethätigt".

At mihi constat Statium scripsisse: *properavit*.

De hac victoria Vollmerus scripsit (Einleitung p. 19 n. 10): „Es entspräche also wohl der Schnelligkeit seiner Art zu dichten, wenn er a. 90 am 19. März, also vier Monate nach dem Doppeltriumphe den zeitgemässen Stoff erfolgreich bearbeitet hätte".

Cf. I 2, 266: heia age, praeclaros Latio properate nepotes.
II 1, 128: cum tibi quas vestes, quae non gestamina mitis | festinabat erus!
IV 1, 22: et properata tuae manibus praetexta Minervae.

IV 6.

Hercules Epitrapezios.

Statius artem Lysippi admiratur, qui sigillum Herculis, hoc carmine celebratum, finxisse creditur.

44 quis modus in dextra, quanta experientia docti
artificis curis pariter gestamina mensae
fingere et ingentes animo versare colossos!

Digitized by Google

Vollmerus et Phillimorius comma post *artificis* — Klotzius post *curis* posuit. Pro hoc autem vocabulo, quod intolerabiliter languere nemo non videt, Marklandus *curtae* — Phillimorius *cui ius* vel *cuius* coniecerunt. Vollmerus traditam lectionem rursus defendit atque meo quidem iudicio frustra explicare studuit, sic locum vertens: „welche Fähigkeit der Hand, die Masse zu treffen, welche hohe Technik des vielerfahrenen Künstlers bekundet sich in dem Vermogen, wirklich nur einen Tischaufsatz zn formen und dabei die Wirkung des ihm vorschwebenden Kolossalbildes zu erreichen".

Lysippus enim ipse colossum Herculis Tarentinis fecerat.

Pro *curis* vero aliquid desideratur quod vocabulo *animo* apte opponatur, qua de causa sic legendum censeo:

quanta experientia docti
artificis, digitis pariter gestamina mensae
fingere et ingentes animo versare colossos!

IV 7.

Ad Vibium Maximum.

Statius amico ignoscit quod tamdiu absens manet, cum praesertim natus ei sit filius, nam

33 orbitas omni fugienda nisu,
quam premit votis inimicus heres,
optimo poscens — pudet heu! — propinquo
funus amici.

Stropham descripsi qualis in codice est: iam olim obscuram lectionem Itali docti corrigere temptarunt scribendo: *propinquom f. amico*. Klotzius cum Krohnio recensuit: *propinquo f. amice* reiecta Postgatii coniectura *propinqui* (cum *pudet heu* coniunctum) *f. amico*, cum *optimo... propinquo* coniungendum sibi persuasum esset.

Vollmerus, traditam lectionem servans, post *funus* comma posuit ita ut *amici* vocativus fieret, addens: „die Anrede *amici*... giebt dem Ganzen vielleicht einen persönlichen Hintergrund" atque in carminis argumento quod commentario praemisit: „ob die eingefügte Declamation gegen die *orbitas* einen persönlichen Hintergrund hat, entzieht sich unserer

Digitized by Google

Kenntnis; die Anrede *amici* vs. 36 macht es allerdings wahrscheinlich. Vielleicht hat St. die Adoption (s. *omni nisu* v. 83) des eigenen Lieblings (s. V 5) damit verteidigen wollen".

At vocativum ab hoc loco alienissimum esse puto neque quicquam praesidii esse videbis in locis (V 2. 11 V 5. 12, 43), quos Vollmerus ad eum confirmandum attulit, quippe qui cum nostro minime conveniant. Per totum carmen poeta Vibium Maximum solum alloquitur: unde igitur subito amici illi incerti dubiique?

Equidem editores quid poeta dicere voluerit hucusque prave intellexisse eoque vocabula quae nullo laborarent vitio immutasse, vocabulum vero corruptum non suspectum habuisse credo. Emendandum enim est:

optimo poseens — pudet heu! — propinquo
munus amici.

Est autem haec loci sententia: heres ille, qui nimirum unus e propinquis est, ad orbum accedit, se in eius amicitiam insinuat, dum poscit sibi, optimo scilicet propinquo, munus amici h. e. ut amici officia orbo aegrotanti praestet. Deinde strophe quae sequitur apte agit de orbi funere deque propinqui superstitis aviditate.

IV 8.

Gratulatio ad Iulium Menecraten.

Statius deos precatur ut Neapolim, urbem patriam, servent.

54 hos cum plebe sua patrii servate penates.
sint qui fessam aevo crebrisque laboribus urbem
voce opibusque iuvent viridique in nomine servent.

Est *patrii* mendosa lectio, quam editores Germani retinuerunt, Phillimorius Gronovio auctore *patriae* recepit, Politianus *patrum* olim protulerat.

Immo, id quod poeta deos multos, quos deinceps invocavit, comprecatur hoc est:

hos cum plebe sua pariter servate penates!

IV 9.

Ad Plotium Grypum.

Statius Grypo miserat libellum a se compositum, magnifice

Digitized by Google

pretioseque ornatum, pro quo hic remisit ἀντίδωρον, librum vilissimum, Bruti orationes taedii plenas continentem. Id queritur hendecasyllabis iocosis, quorum finis hic est:

53 irascor tibi, Grype. sed valebis;
tantum me mihi, quo soles lepore,
et nunc hendecasyllabos remittas.

Pro *me*, quod manifeste corruptum est, docti Itali substituerunt *ne*, quod editores posteriores receperunt — dubito num recte. Venit enim mihi suspicio, poetam hoc loco rettulisse ad vs. 7 sqq.:

noster purpureus novusque charta
et binis decoratus umbilicis,
praeter me mihi constitit decussis,

nec non ad vs. 14, ubi librum a Grypo tamquam rem nullius pretii despicit

nec saltem tua dicta continentem.

Quae cum ita sint, nescio an rescribendum sit:

tantum te mihi, quo soles lepore,
et nunc hendecasyllabos remittas.

Intellego: Librum libro, par pari referre soles — ergo age remittas te mihi, ut ego me tibi misi (vs. 9: praeter me) et nunc quidem hendecasyllabos tuos, non librum nescio quod sordidissimum.

V 1.

Epicedion in Priscillam.

Poeta, Priscillae manes allocutus, dicit imperatorem virtutes eius mariti mature perspexisse atque gravissima ministeria ei iniunxisse.

83 ille iubatis
molem immensam umeris et vix tractabile pondus
imposuit.

Politianus *iubatis* interpretatur = puerilibus, quod Vollmero et Klotzio placet. Phillimorius Avantii coniecturam *subactis* (h. e. exercitatis) recepit, Krohnius *probatis* proposuit.

Credo corrigendum esse: *notatis*.

Cf. vs. 37 supra:

Digitized by Google

macte animi! notat ista deus, qui flectit habenas
orbis et humanos propior Iove digerit actus.

et porro II 6, 102; III 3, 98 sq.; V 1, 139; V 3, 167.

Imperator cum primo honore coniugem tuum dignatus est, tu, Priscilla,

110 vicisti gaudia paene
ipsius, effuso dum pectore prona sacratos
ante pedes avide domini tam magna merentis
volveris.

Pro *avide* Saengerus *sancte* voluit. Maluerim: *valide*, cl. vs. 173: illum aegris circumdat fortiter ulnis.

Mox haec sequuntur:

117 nec tamen hic mutata quies probitasve secundis
intumuit: tenor idem animo e. q. s.

Itali docti pro *hic* coniecerunt *hinc*, quod editores Germani receperunt. Mihi praestare videtur: *his... secundis*.

Cum tota domus prospero fortunae flatu semper usa esset, subito Priscilla gravi ac periculoso morbo correpta est.

146 sic plena maligno
adflantur vineta noto, sic alta senescit
imbre seges nimio, rapidae sic obvia puppi
invidet et velis adnubilat aura secundis.

Pro *adnubilat*, quod alibi nusquam legitur, Marklandus voluit *obnubilat* vel *obsibilat*, e quibus hoc Phillimorio probavit.

Nonne poeta scripsisse putandus est: *obnuntiat*?

Exsequiae Priscillae describuntur, in quibus alia multa sunt admiratione dignissima,

216 sed toto spectatur in agmine coniunx
solus; in hunc magnae flectuntur lumina Romae
ceu iuvenis natos suprema ad busta ferentem:
is dolor in vultu, tantum crinesque genaeque
noctis habent.

Utique perversa haec lectio est. Quasi Abascanti dolor maior fuisset si filios suos extulisset quam nunc, cum uxori carissimae, ad quam celebrandam hoc carmen unice compositum est, iusta

Digitized by Google

solvebat! Immo, poeta luctum mariti orbati nimirum comparavit cum dolore etiam vehementiore quem percepturus fuisset, si homo mortuus vel uxore sibi carior efferretur, imperator scilicet. Ergo reponas quaeso:

ceu iuvenis sancti suprema ad busta ferentem.

V 2.

Laudes Crispini.

Aliis adulescentibus, poeta ait, Decii et Camilli tamquam eximia virtutis exempla monstrentur, tibi pater tuus gloria rerum a se in Armenia, Britannia, Asia gestarum exemplum statuit.

58 bibe talia pronis
auribus, haec certent tibi conciliare propinqui,
haec iterent comites praecepta senesque paterni.

Irrita hucusque fuit virorum doctorum opera, qua hunc locum aut extricare aut emendare conati sunt, at tamen haud difficilis est eius curatio.

Vollmerus haec iudicat: „Unter *senes paterni* ist wohl der vom Vater bestellte tutor oder der paedagogus verstanden".

Klotzius quoque lectionem traditam retinuit reiecta Housmani traiectione verborum, quam Phillimorius recepit: *praecepta senes comitesque paterni*, addens: „at recte monet Saenger adi. *paterni* esse ἀπὸ κοινοῦ. Idem etiam sprevit Marklandi propositum *patenti* et Postgatii *paterna*, quod his verbis redarguit: „sed tunc languet vox *senes*".

Abige iam tandem senes illos commenticios fictosque et mecum rescribe:

haec iterent comites praecepta ensesque paterni.

Cf. IV 7, 45:

tu tuos parvo memorabis enses

et III 3, 116: Ausonios enses mandataque fidus | signa tulit. Vide Vollm. ad V 1, 94 „*euses* wie *vitis* (Iuv. XIV 193) für das Ambt (*primum ensem* V 2, 177 vom Legionstribunat, vgl. auch V 2, 154) also Commandostellen" et ad V 2, 154: „das Tribunat, als dessen Abzeichen St. wiederholt *ensis* gebraucht".

Digitized by Google

Scriba codicis Matritensis rursus eo peccavit quod litteras transposuit, ut saepius eum peccavisse ad II 6, 42 monui: cf. I 3, 62; 4, 110; 5, 52; e. a.

Quondam Crispini mater eum veneno necare conata erat, quam imperator supplicio affecerat. Poeta vel nunc indignatus exclamat:

81 infestare libet manes meritoque precatu
pacem auferre rogis; sed te, puer optime, cerno
flectentem iustis et talia dicta parantem:
'parce, precor, cineri e. q. s.

Klotzius Heinsii coniecturam *a iustis* iure reiecit, idem valere abl. *iustis* dicens, itemque lectionem *visus*, quam ex exemplari Bodleiano Phillimorius recepit, argumentatus non liquere, unde oculos Crispinus avertat, denique id quod Vollmerus intellegere maluit *et iustis* minus placere adiecit, propterea quod *dicta parare* absolute dici soleat. Quidni legimus:

sed te, puer optime, optime, cerno
flectere me bustis et talia dicta parantem:
'parce, precor, cineri e. q. s.

Atque hanc admonitionem Crispinus his verbis claudit:

94 quin saevas utinam exorare liceret
Eumenidas timidaeque avertere Cerberon umbrae
immemoremque tuis citius dare manibus amnem'.

Vollmerus quidem ad *tuis* observat: „die Anrede macht die Fürbitte wärmer", sed Crispinus tota correctione ad Statium se vertit: credibile non est, cum hic subito ipsam matrem compellasse, id quod ei ingratum, immo odiosum non esse non poterat. Pro *tuis* igitur emendandum esse arbitror: *istis*.

In fine carminis sic Crispinum adhortatur:

175 vade, puer, tantisque enixus suffice donis,
felix qui magno iam nunc sub praeside iuras
cuique sacer primum tradit Germanicus ensem!

Emenda: *curas*.

Verbum curandi hac notione absolute positum in re militari terminus legitimus et apud historiae scriptores imprimis frequens est, ut Tac. A. XI 22: qui (quaestores) Romae curarent,

Digitized by Google

Sallust.: c. in ea parte, in postremo, apud dextumos, ubi quisque legatus aut tribunus curabat. Cf. etiam vs. 127 supra:

surge animo et fortes castrorum concipe curas.

V 3.

Epicedion in Patrem.

Dolor ob patrem amissum poetam etiamnunc versus pangere vetat.

14 stant circum attonitae vatem et nil dulce sonantes
nec digitis nec voce deae.

Sensus sonusque huius versus *et* expungi iubent.

Paulo inferius patris tumulo acclinis umbram eius sic compellat:

41 hic ego te — nam Sicanii non mitius halat
aura croci, dites nec si tibi rara Sabaei
cinnama, odoratas nec Arabs decerpsit aristas —
inferni cum laude laci sed carmine plango
Pierio; sume et gemitus et vulnera nati
et lacrimas, rari quas umquam habuere parentes.

Phillimorius verba *inferni... sed* inter cruces posuit, Vollmerus locum ita comparavit, ut parenthesin, quae verbis *nam Sicanii* incipit, demum post voc. *laci* finem habentem significaret.

Recte Klotzius de loco difficillimo disputavit, haec fere certa esse dicens: 1) non agi de sepultura, sed de carmine solo, quod patri offert poeta, ergo de epicedio ipso; itaque nec Domitii coniecturam *inserui cum laude loci sed* ferri posse nec Krohnii *inferiis cum laude datis et*, 2) verba *inferni cum laude laci* non posse ad Arabas pertinere, quibus tus colligentibus inferorum cura non sit, qua de causa improbanda sit Vollmeri explicatio. Haec optime observata esse credo, sed non credo quod addidit, Leonem post vs. 43 recte lacunam statuisse videri.

Equidem sic fere versum refingendum esse puto:

inferiis nunc haud tacitis sed carmine plango
Pierio,

cf. III 3, 31—40:

macte pio gemitu! dabimus solatia dignis

Digitized by Google

luctibus Aoniasque tuo sacrabimus ultro
inferias, Etrusce, seni! tu largus Eoa
germina, tu messes Cilicumque Arabumque superbas
merge rogis; ferat ignis opes heredis et alto
aggere missuri nitido pia nubila caelo
stipentur cineres: nos non arsura feremus
munera, venturosque tuus durabit in annos
me monstrante dolor. neque enim mihi flere parentem
ignotum, similis gemui proiectus ad ignem.

Dives si essem, pater optime, certamen musicum in tuum honorem conderem, in quo

58 ipse madens oculis, umbrarum animaeque sacerdos,
praecinerem gemitum, cui te nec Cerberus omni
ore nec Orpheae quirent avertere leges.

Quid legibus Orpheis poeta voluerit vix ac ne vix quidem explicari posse Vollmerus monuit. An forte fuit: *Orcinae... leges*? quae vetabant scilicet ne quis mortuus in terras rediret? Cf. vs. 276 infra: et lex quaecumque sequatur, Theb. VIII 60: sed durae melior violentia legis.

Urbe Neapoli laudata poeta victorias in eius agonibus reportatas celebrat.

112 ille (tuis totiens praestant se tempora sertis)
cum stata laudato caneret quinquennia versu,
ora supergressus Pylii gregis oraque regis
Dulichii speciemque, comam subnexus utroque.

Quamquam Vollmerum Domitii coniecturam *senis*, quam Phillimorius recepit, iure repudiasse censeo neque probabiliores esse, quae postea propositae sunt, *ducis* — *prius* — *regis Pylii*, lectionis traditae interpretationem, quam Buechelerus ei suggessit, accipere non possum: intellegit enim *grex* 'die Mitbewerber um den Siegespreis, *Pylius grex* = Nestores oder grex Pylia facundia praeditus'. Addidit quidem: 'die Kühnheit liegt in der Doppelwendung des Adjectivs Pylius', sed haud credibilis videtur tam ambigua atque obscura locutio.

Nescio an scriptum fuerit in libro ms., qui librario Matritensis pro exemplo erat:

Digitized by Google

sc. regis
ora supergressus Pylii simul oraque regis
Dulichii,

ita ut glossa deinde sub forma *gregis* veram lectionem detruserit.

De eisdem triumphis paternis hoc loco fit mentio:

138 inde frequens pugnae nulloque ingloria sacro
vox tua: non totiens victorem Castora gyro
nec fratrem caestu virides clausere Therapnae.

Iure optimo Phillimorius hanc lectionem vindicavit et immerito editores Germani Domitii *plausere* receperunt.

Est operae pretium referre quae Vollmerus de lectione disseruit. „*clausere* ist mir weder durch den Gedanken daran, dass die Stadia am Bergesabhang lagen, noch im Sinne vom 'umdrängten' verständlich; *plausere* trans. = beklatschen scheint freilich unbelegt zu sein". Deinde tamen opinionem mutat: „Nachträglich finde ich eine für dieses Gedicht nicht von vornherein abzuweisende Möglichkeit, *clausere* zu verstehen, in folgender Erwägung: *Therapnae* ist die Heimat der Castores wie Neapel die des Vaters; *clausere* 'sie schloss ein' wird gesagt sein im Gegensatze zu dem späteren Hinausziehen in alle Welt, um neue Siege zu erringen".

Liceat meam huius loci interpretationem aperire.

Verbum *clausere* per zeugma positum esse credo et explico: non totiens virides Therapnae victorem gyro Castora viderunt nec fratrem caestu clauserunt, h. e. manibus eius caestus induxerunt.

Ita chiasmus apte oritur, nam patris certaminum frequentia cum crebris Pollucis pugnis — triumphorum copia cum Castoris victoriis innumerabilibus comparatur.

Cf. IV 2, 47: sic lubrica ponit
membra Therapnaea resolutus gymnade Pollux.

V 4.

Somnus.

7 septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras
stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque renident

Digitized by Google

lampades et totiens nostros Tithonia questus
praeterit et gelido spargit miserata flagello.

Hunc locum non omni numero sanum esse alii ante me viderunt, cum Schraderus *parcit* pro *spargit* — Karstenus *praeterit ut... spargat* — Saengerus *praeteriit* et *sparge a!* scribendum esse existimaverint.

Optime Vollmerus locum universum illustravit, quem nullo vitio laborare censet. At vero ipsa eius versio quasi ultro emendationem utique necessariam ostendit: „und nur morgens empfindet die Morgenröte beim Vorübergehen Mitleid und spendet durch kühlen Thau den Augen etwas Erfrischung". Recte sane, sed quandoquidem *nostros questus* participii *miserata* obiectum non esse non potest, haud dubie emendandum est:

totiens nostros Tithonia questus
praeteriens gelido spargit miserata flagello.

V 5.

Epicedion in Puerum suum.

In hos questus flebiles poeta sese profundere incipit:

1 Me miserum! neque enim verbis sollemnibus ulla
incipiam nec Castaliae vocalibus undis
invisus Phoeboque gravis.

Est haec tradita lectio, quam editores Germani secuti sunt. Phillimorius Scriverii coniecturam *nunc* pro *nec* recepit, quod Klotzius merito redarguit observando, *Phoebo ἀπὸ κοινοῦ* etiam ad *invisus* pertinere, inepte etiam dici *undis invisus*, et Vollmerus quoque *Phoebo invisus gravisque* iungendum esse monuit.

Immo alibi vitium latet quod nunc locum inquinat.

Contendo enim, *ulla* hoc loco absurde dictum esse.

Vollmerus quidem ad id pronomen illustrandum locos multos contulit, ubi Statius adiectiva et pronomina numero plurali neutrius generis adhibuit, sed de vi ac notione eius hoc loco illustranda et defendenda non cogitasse videtur. Est autem sane ineptissimum. Quidni? An non ineptum est, poetam pronuntiare se nullam rem verbis sollemnibus incepturum, cum de uno epicedio in puerum mortuum cogitaret idque unum in animo haberet ageretque ut eum flebiliter incompteque (vs. 34)

Digitized by Google

lugeret? Iam tandem sic mecum rescribas velim, quo sine ullis salebris quasi sedatus locus procedat:

Me miserum! neque enim verbis sollemnibus utar,
incipiam nec Castaliae vocalibus undis,
invisus Phoeboque gravis.

Idem fere significat paulo inferius his verbis:

33 iuvat, heu! iuvat inlaudabile carmen
fundere et incompte miserum laudare dolorem.

Pro *laudare* alii alia maluerunt, Marklandus *nudare*, quod Phillimorius recepit, alii *clamare*, *latrare*, *fraudare*.

Vollmerus verbum traditum captiosa argumentatione tueri conatus est: „*laudare* durch das vorhergehende *inlaudabile* gestützt und gegensätzlich betont: St. lobt seinen Schmerz, indem er die Berechtigung desselben (s. v. 47 ff.) begründet (wenn der Schmerz berechtigt ist, so enthält die ausführliche Beschreibung desselben ein Lob), das Product des *incompte laudare* ist natürlich ein *inlaudabile carmen*". Haec mihi quidem argutius quam ad probandum accommodatius disputata videntur. Statius postquam indicavit, se iuvare inlaudabile carmen fundere, quo nimirum dolorem suum incompte exprimeret, incongruum esset si addidisset, se istum dolorem laudare velle. Ut in versu priore vis omnis est in voc. *inlaudabile*, sic in altero versu voc. *incompte* pondus omne habet; verba igitur quae sunt *miserum dolorem* obiectum esse debent verbi quale est ferre, perferre, tolerare, pati — non verbi quod nova quadam imagine vim adverbii *incompte* multum infringat tollatve.

Quae cum ita sint, reponendum puto:

iuvat, heu! iuvat inlaudabile carmen
fundere et incompte miserum exanclare dolorem.

Maerentibus aliis poeta totiens solatium praebere potuit, sibi ipse nunc non potest.

40 ille ego lugentum mitis solator, acerbis
auditus tumulis et descendentibus umbris,
deficio medicasque manus fomentaque quaero
vulneribus, sed summa, meis. nunc tempus, amici,

Digitized by Google

quorum ego manantes oculos et saucia tersi
pectora: reddite opem, saevas exsolvite gratis.
nimirum cum vestra domus ego funera maestus
increpitans: 'qui damna doles aliena, repone
infelix lacrimas et tristia carmina serva'.

Hos paucos versus pulcherrimos vitio non uno laborare videbis.

Primum vs. 43 verba *sed summa* consideremus.

Vollmerus ea interpretatur „aber die äussersten, wirksamsten", sed multis non persuasit, quoniam Phillimorius cruces vocabulis apponere maluit, alii vero coniicere: *sed vana* Heinsius, *sed suntne* Polsterus, *sed nulla* Rothsteinius, *dictamna* Saengerus, *sessura* Phillimorius, atque sane ferri nequit tradita lectio.

Recte quidem Vollmerus verba vertit, sed rogo num credibile sit Statium dixisse: nunc ipse meis vulneribus medicas manus fomentaque quaero, sed efficacissima, quasi condicionem ferret! Immo ita ratiocinatur: ego, qui alios lugentes totiens solatus sum, nunc ipse deficio et vulneribus meis medicas manus et fomenta quaero — ubi? Apud me nulla nunc sunt et frustra quaero: ergo tempus nunc est, amici, quibus totiens auxilium tuli, me vicissim adiuvare. Emenda igitur:

deficio medicasque manus fomentaque quaero
vulneribus, sed musso, meis.

Cf. Verg. Aen. XI 345: dicere mussant, ubi Servius: „modo verentur significat, alias dubitant, ut XII 657", XII 718: stat pecus omne metu mutum mussantque iuvencae, Plin. Ep. VII 1: mussantes medicos vidissem, Stat. Theb. III 92: turbata mussant concilia, Lucret. VI 1177: medicina mussabat timore. Ceterum cf. vs. 49 sqq. infra.

Iam ad vs. 45 te, lector, voco, ubi *saevas gratis* Vollmerus quaesite explicat: „weil jedes Zureden im Schmerze doch quälend bleibt", verum non dubito quin Statio reddendum sit: *seras gratis*: reddite, amici, opem et iam tandem exsolvite gratis mihi, qui vobis totiens consolator exstiterim.

Ad tertium denique locum corruptum animum velim advertas, ad vs. 46 sq. scilicet.

Structuram sententiae mancam esse vides, qua de causa duce Baehrensio Klotzius et Phillimorius lacunae signum post vs. 46 statuerunt. Vollmerus tamen, qui *increpitant* utique

Digitized by Google

corrigendum esse perspexit, loci vitium more suo obumbrat ita: „nach v. 46 unterbricht sich der Dichter, wie gerne bei Einführung eines Interlocutors... dem Zwischenruf entspricht das harte Wort *increpitant*". Quotus quisque librariorum error restat, si ellipses et aposiopeses assumere ubique benevole parati sumus! Immo vero scribae oscitanti suum *ego* reddas et poetae manum sic mecum restituas:

nimirum cum vestra domus g e m o funera maestus,
increpitant:

Iam vides Vollmerum non solum *increpitant* recte reposuisse, sed etiam *domus... maestus* iure optimo coniecturis defendisse.

De Iustiniani Institutionum
L I, 2, 10

In nullo libro iuridico Latino doctius et cum maiore emolumento Historiae Iuris disputatur quam hic, ubi inter se Spartani et Athenienses sic opponuntur:

„in his enim civitatibus" ait „ita agi solitum erat, ut Lacedaemonii quidem ea, quae pro legibus observarent, memoriae mandarent, Athenienses vero ea quae in legibus scripta reprehendissent, custodirent".

Acute et ipsi rei naturae convenienter haec sunt disputata. In optimatium republica cives *iubentur* (paucis et raro), in democratia vetantur (frequenter et etiam in rebus vilissimis). Sed est oratio paulo intricatior. Si enim recte video, verbi, quod est *reprehendissent*, subiectum est „in legibus scripta" et obiectum *quae*. Verbum vero quod est *custodirent* est fere idem quod *cavere*, graece φυλάττεσθαι. Quid intersit inter φύλαξον τὸν κύνα et φύλαξαι τ. κ. norunt omnes, mox „prudentes" neque discent neque curabunt. At nunc sic iocari possunt: „ergo Spartani τὸν νόμον φυλάττουσιν, Athenienses vero τὸν νόμον φυλάττονται". I. I. H.

Digitized by Google

Τεθνηκοχαλκίδης

in carmine Cercidae poetae a philologis Britannis in Aegypto reperto [1]) vocatur vir sordidus et malignus, i. e. si Huntero [2]) et Arnimio [3]) credis: „ὁ τεθνηκότα τὸν χαλκὸν ἔχων, der Mann, bei dem das Geld tot, seiner lebenspendenden Kraft beraubt, im Kasten liegt". Sed cum poeta eundem modo dixerit ὑποκιβδοτύχωνα, manifesto apparet non agi de homine timido, qui argentum suum in arca vel in terra condat, sed de feneratore, cui pecunia hercle non ad pariendum iners et quasi mortua iaceat. Iam mihi memori locutionis nostrae: „doodblijven op een duit" olim visus est τεθνηκοχαλκίδης comice dici vir qui in negotiis et mercaturis uni assi intabescat (ἐντήκεται) et quasi immoriatur (ἐναποθνήσκει). Aut credendum est poetam carpere hominem qui pecuniam depereat, ὅστις προσφθείρεται τῷ χαλκῷ? Haud scio utrum verius sit; sed, utcumque est, exspectarem: ἐντεθνηκοχαλκίδης; quod tamen coniectura (ὑποκιβδοτύχωνα κἀντεθνηκοχαλκίδην) poetae obtrudere nefas putarem.

G. V.

1) Oxyrrh. Pap. VIII (1911), p. 28.

2) Ibid. p. 52: „The idea it expresses is that hoarded wealth is dead and unprofitable".

3) Wien. Stud. XXXIV (1912), p. 11.

Ad Titinium

(Ribbeck Comicorum Romanorum Fragmenta ed. 3a p. 181).

Damnosam uxorem sic accusat coniunx (aut apud eius coniugem accusat coniugis amicus):

Atque illud ante partum comedet, fundi stabunt sentibus.

Parturitne ergo illa? Sed quid hoc ad rem? An spes est matrem eam fore parcuam, quae antea bona dissipaverit? Legendum *illud arte partum* ut sit „id quod ego labore meo quaesivi" vel „tu tuo labore quaesivisti".

I. I. H.

Digitized by Google

SOPHOCLEI CHORI PERSONA TRAGICA.

SCRIPSIT

IGN. ERRANDONEA S. I.

(Continuantur ex vol. L, pag. 422).

CAPUT QUARTUM.

Antigona.

Simul ac mentio fit partium chori in Sophoclis Antigona, erumpit in mentem illud stasimum quartum (vv. 944—987), quod tam uberem segetem disputationis multis scriptoribus suppeditavit. Non quidem quia habeat eius versio et verborum interpretatio maiorem difficultatem, cum omnes plus minus eodem modo illud intellegant, sed quia non apparet qui possit fama Sophoclis defendi qui eo loco inconcinna quaedam et minus apta proposito dicere videatur.

Cum enim post illam dulcissimam omnique affectu plenam allocutionem discessit e conspectu civium Antigona, ut cito discedat de vita in antro quo pergit, chorus Danaën commemorat quae quondam inclusa etiam fuit aeneis antris et ne Iovis quidem amicitia mortem potuit vitare; meminit deinde Lycurgi quem Bacchus olim, quia eius cultum cultricesque bacchantes cohibuisset, constrixit etiam saxeis vinculis; et tandem animum ad Cleopatram refert (*creditur* autem ea inclusa etiam fuisse, etsi tacet id chorus) quae utrumque filium vidit effossis oculis et maledicentem illi nefastae sui patris coniunctioni cum altera uxore quam, reiecta Cleopatra, amaverit et in domum admiserit.

Hic ab omnibus habetur ut certum id intendere chorum, ut

Digitized by Google

Antigonam consoletur, eorum adductis exemplis qui fuerint similia passi. Hoc autem posito, infinitas omnes offendunt difficultates. Quid enim solatii afferre Antigonae poterat, quod fuisset inclusus Lycurgus, impius scilicet qui impie offenderat deos, cum ipsa se innocentem noverit et fateatur, cumque tunc admodum dixerit choro se pati iniusta τὴν εὐσεβίαν σεβίσασα (942 cfr. etiam 924)?

Immo vero, ut fuisset probus et insons Lycurgus, nonne ipsa Antigona paulo prius, quia sit conatus chorus eam consolari eo argumento usus maximam esse gloriam similem esse *diis*, ut ipsa est Danaae, et in vita et in morte, nonne, inquam, exclamavit (839) οἵμοι γελῶμαι, *hei mihi, derideor*? Chorus praeterea eam a culpa mundam agnovit, ut dicam postea. Nec esset multa Sophoclis ars, ne dicam amplius, hoc ordine ea exempla commemorare; nec explicari adhuc potuit cur de Cleopatra fiat mentio, quae nec dicitur nec videtur ullo modo fuisse in vincula coniecta. Rationes enim huius silentii sicut et duplicis strophae, quam ei dicat Sophocles, quae afferuntur, nullius sunt, credo, roboris. [1])

Novam ergo tentabo viam, idque eo faciam diligentius quod haec res et necessaria est ut partes chori intellegantur (quod est mei muneris), et inde maxime tota haec obscuritas depellitur quod chorus ille ipse est quem definit Aristoteles, quemque in Sophocle defendo: pars, adiutor, fautor, actor tragoediae qui semper in eventum festinet.

Discessit iam Antigona de theatro, eoque iam tota haec tragoedia perducta est, ut finis aut praevideatur aut saltem coniciatur. Huius vero dramatis exitus triplicem mortem continet qua Creontis insolentia puniatur: Antigonae quam iam tunc non interemptam volet (cfr. 1108—1114), Haemonis filii sui Antigonaeque proci, atque Eurydices coniugis; puellae scil., viri, reginae. In hanc catastrophen ut praeparet auditorum animos Sophocles chorum, quasi inscium, dicentem facit

1) Si enim quia Cleopatrae vita esset nota atheniensibus debuit Sophocles obscurius loqui, debuerat ob eandem rationem brevius et non longius quam de reliquis dicere. Sed non meum puto, quae ab AA. de hoc stasimo sunt dicta, repetere; nollem tamen quisquam hic Sophoclem tamquam oscitantem et dormitantem condemnasset.

Digitized by Google

quae videntur prima fronte impropria, sunt autem aptissime coniuncta.

Exitus tragoediae graecae erat saepe cognitus spectatoribus ab initio [1]), sive quia eam iam viderant actam in Odeo paucis ante diebus [2]), sive quia scriptores illa quae capita essent fabulae, mutare suo arbitratu non poterant, sed cogebantur, ut de Clytaemestrae occisione ait Aristoteles [3]), et populi religionem sequi, et historicorum et poetarum dicta. In hac vero tragoedia *necesse* non est fingere eos exitus gnaros; nam consulto eum exitum illos Sophocles celare velle videtur; nescias enim utrum morituri sint hic iam Antigona et Haemon, an sint coniugium inituri, quae erat altera de his fabula, ut dicam postea. Sufficit igitur ut spectatores *in fine* totam hanc huius loci pulcritudinem perceperint.

Mens igitur Sophoclis, si minus chori, ea est, sorte Danaäe sortem Antigonae quasi praeludere, fato Lycurgi fatum Haemonis, Cleopatrae calamitate eam quam est passura Eurydice praesagire; sic puella puellae, viro vir, regina reginae respondet. Fiet id facile palam.

Stropha α'. Nam quod Antigonam Danaë praemonstrat, id ab omnibus admittitur; et difficultas, si quae est, illa est, ostendere *solam* Danaën referri ad Antigonam, nec quidquam cum hac habere commune Lycurgi et Cleopatrae perniciem. Sed ad haec mox revertar.

Antistropha α'. Mira est Sophoclis ars in his quae de Lycurgo refert. Quae enim de Haemone ante dixit chorus et quae ei evenient postea in fine tragoediae ita hic coniunguntur et mutuo inter se nectuntur, ut figura potius Haemonis quam Lycurgi exsistat. Loquitur quidem chorus de Lycurgo, sed, mutato nomine, de Haemone tota fabula narratur. Sunt autem sensu plena singula verba:

ζεύχθη δ' ὀξύχολος πατὴρ ὁ Δρύαντος,
Ἠδωνῶν βασιλεύς, κερτομίοις ὀργαῖς,

1) V. J. T. Sheppard, *Greek tragedy* (1911) pg. 19; G. Murray *Euripides and his Age* pg. 206; Ém. Faguet *Drame ancien, drame moderne* (1918) 98—105: Haigh *The greek drama* Ch. IV. § 5. Cfr. Arist. *A. Poet.* XIV, Schol. Soph. *El.* 445. 539, *Phoen.* 584. 1710.

2) V. R. C. Flickinger, *The Greek Theater and its Drama*, Ch. IV, p. 196 sqq.

3) Poet. XIV.

Digitized by Google

ἐκ Διονύσου πετρώδει κατάφρκτος ἐν δεσμῷ.
οὕτω τᾶς μανίας δεινὸν ἀποστάζει
ἀνθηρόν τε μένος. κεῖνος ἐπέγνω μανίκις
ψκύων τὸν θεὸν ἐν κερτομίοις γλώσσκις.
πκύεσκε μὲν γὰρ ἐνθέους γυνκῖκκς εὔιόν τε πῦρ,
Φιλκύλους τ' ἠρέθιζε Μούσκς.

Lycurgus offenderat Bacchum, non solum eius cultum impediendo repressisque orgiis Maenadum, sed ipsum etiam verbis lacessendo femineosque eius mores irridendo; ea de causa truditur a Baccho in saxea vincula, eisque constrictus „defundit furoris sui diram et exuberantem vim". [1])

Haec si de Haemone, ut dico, proferuntur, quisnam est ille furor (μανία) Haemonis? — Ille quem paulo ante descripsit chorus [2]), stas. tertio, cum eripuit se de scaena furibundus, quia pater eius sponsam damnasset in mortem:

Ἔρως, ἀνίκατε μάχκν, Ἔρως, ὃς ἐν κτήμκσι πίπτεις,
ὃς ἐν μκλκκᾶς παρεικᾶς νεάνιδος ἐννυχεύεις,
....ὁ δ' ἔχων μέμηνεν [2])

„Quem rapis furit"; hic ille *furor* est.

Eo autem ipso loco descripsit, maxime in antistropha, vim eius et impetum, vivosque effectus, quae hic μένος μανίας vocat.

Ipsa etiam eius epitheta praedixerat ante, cum abibat Haemon:

ἀνήρ, ἄνκξ, βέβηκεν ἐξ ὀργᾶς τκχύς·
νεῦς δ' ἐστὶ τηλικοῦτος ἀλγήσκς βκρύς [3])

quod enim erat ibi τηλικοῦτον est hic ἀνθηρόν, denotantque iuventutem exundantem; quod illic βαρύς hic δεινός significat, terrorem scilicet et immanitatem.

Ὀξύχολος autem dicitur a Sophocle adstrictus fuisse Lycurgus; Haemon enim aufugerat ἐξ ὀργῆς ταχύς. Praeterea sicut κερτομίοις ὀργκῖς [4]) Lycurgus et Bacchus disputarunt, sic etiam Haemon et Creon; nec solum quia tam hi quam illi contumeliis se inter se afficiebant, sed etiam quia materia ipsa de

1) Hanc de Lycurgo fabulam tractaverat sua tetralogia (Λυκουργία) Aeschylus; cuius argumentum valde simile erat argumento *Baccharum* Euripidis; v. de eo optime agentem RAPP in ROSCHER *Griech. u. Rom. Mythol.* II, 2192 sq.; iure ait *Voigt* (ib. I, 1051 sqq.) Sophoclis in mente hanc tetralogiam versari, dum hanc strophan scriberet.

2) 781—790. 3) 766. 767. 4) 956.

Digitized by Google

qua decertabant erat eadem [1]); eandem enim femineam mollitiem sibi ultro citroque iactabant, quam olim Bacchus et Lycurgus.

Illud vero verbum ἀποστάζει plenum vita et colore est. Transfer enim te in finem tragoediae et in ea quae narrat nuntius de morte quam sibi ipse consciverit Haemon, cum laqueo suspensam invenisset Antigonam.

Nam in illo πετρώδει ἐν δεσμῷ, quo fuit retentus Lycurgus, illud alterum antrum innuitur de quo nuntius:

... κὔθις πρὸς λιθόστρωτον κόρης
νυμφεῖον Ἅιδου κοῖλον εἰσεβκίνομεν [2])
... ἐν δὲ λοισθίῳ τυμβεύματι [3]).

Hoccine ergo in δεσμῷ Haemon aliquo modo „furoris sui immanem et exundantem vim defundit", illius, inquam, furoris quem dixi? -- Vero quidem, et in eum ipsum locum unde furor processerat; illae enim παρειαί in quibus dictus est ἵρως excubare et ex quibus exsilire dicitur et μανίαν illam excitare, illae, inquam, nunc defuso illo furore irrigantur. Lege enim quae sequuntur:

εἶθ' ὁ δύσμορος
αὑτῷ χολωθείς, ὥσπερ εἶχ' ἐπενταθεὶς
ἤρεισε πλευραῖς μέσσον ἔγχος· ἐς δ' ὑγρὸν
ἀγκῶν' ἔτ' ἔμφρων παρθένῳ προσπτύσσεται·
καὶ φυσιῶν ὀξεῖαν ἐκβάλλει ῥοὴν
λευκῇ παρειᾷ Φοινίου σταλάγματος.
κεῖται δὲ νεκρὸς περὶ νεκρῷ, τὰ νυμφικὰ
τέλη λαχὼν δείλαιος ἐν γ' Ἅιδου δόμοις. [4])

Tum demum defundit ἀποστάζει Haemon τᾶς μανίας δεινὸν ἀνθηρόν τε μένος.

Postquam ea narraverit nuntius, addet ita palam fieri ἀβουλίαν summum esse malorum; quod quidem ipsum est quod Creon fatebitur cum videbit Haemonis et Antigonae cadavera:

ἔθανες, ἀπελύθης
ἐμαῖς οὐδὲ σαῖσι δυσβουλίαις [5])

ideo hic etiam in stropha quam explico, addit Sophocles:

1) Cfr. vv. 740. 746. 750. 756. 761. 2) 1204. 1205.
3) 1220. 4) 1234—1241. 5) 1268. 1269.

Digitized by Google

κεῖνος ἐπέγνω [1])... *ille*... (quod verbum elegantissimam habet incertitudinem; tacite enim refert ad Creontem), „ille, inquam, agnovit offendisse se deum impudenti lingua"; hic deus Bacchus sine dubio est; sed suggerit [2]) spectatoribus illius numinis memoriam de quo in eodem stasimo tertio: ἄμαχος γὰρ ἐμπαίζει θεὸς Ἀφροδίτα.

Stroph. et antistr. β'. Fatum etiam Cleopatrae multam habet cum Eurydices similitudinem. Vidit illa binos suos filios luce et oculis captos, audit haec Haemonem et eius sponsam Antigonam in tenebris antri luce et vita privatos; illius calamitatis causa fuit pessimus coniux; fuit et huius causa pessimi coniugis vitium quem ipsa cum morietur omnibus contumeliis onerabit. [3])

Fiet, credo, multo etiam clarior haec triplex veluti praedictio totumque porro stasimum, cum ad haec mox revertar; iam enim nunc tuta via procedere nobis licet. [4])

Dum autem haec ita studiose persequor, vereor ne contra meipsum laboraverim, et eos qui me legunt in eum errorem induxerim ut credant, chorum Sophoclis ita finem tragoediae in mente semper habere eique servire, ut sui ipsius sit oblitus nec sibi constet, mentemque et actus ita mutet prout in finem tragoediae viderit convenire.

Nihil tamen minus verum. Est quidem illud certum, nullam aliam Sophoclis tragoediam, quod sciam, hunc aestheticum, animos ad eventum praeparandi, laborem ita prae se ferre, sicut hanc in qua versamur; ut autem id obtineret, non defecit Sophocles a lege quam sibi in fingendo choro constituerat in

---

1) 960.

2) 799; *suggererv* aio, nam τὸν θεόν proprie nullam *deam* denotare potest.

3) 1312. 1313. De fabula Phinei, Cleopatrae, utriusque filiorum cfr. ROSCHER *Gr. u. Rom. Mythologie* II, 1223 sq., DIOD. 4, 43 sq.

4) Egit de hoc stasimo ante paucos annos cl. PATIN: *Aesthetisch-kritische Studien zu Sophokles*, Paderborn (1916) pg. 78 sqq. At clarus hic auctor solam comparationem sive appellationem attigit ad Creontem in toto stasimo, quam ego in solos versus 960—965 contraho: eam autem commentatur elegantissime, ut assolet: „O bewunderungswürdige Kunst des Dichters", exclamat; at latet, nisi fallor, multo maior ars; si qua est ad Creontem, est certo clarissima ad Haemonem relatio et pulcherrime significata; et ad Eurydicen etiam, quod miror clarum Rectorem Gymnasii Regensburgensis praeterisse.

Digitized by Google

aliis tragoediis, sed fecit eum actori omnino similem, adeo ut non sit difficilius eius mores et rationem agendi describere quam esset v. gr., Creontis, vel Haemonis vel ipsius Antigonae.

Sunt quidem aliqua in verbis chori quae minus cohaerere videntur, sed nec sunt tam multa quam nonnulli existimarunt, ut cito ostendam, et fere explicantur si id maxime attenditur, chorum, qui prius totus sit addictus consecratusque Creonti, postea sensim sine sensu, et Antigonae condemnatione et praesertim Haemonis dolere commotum, inclinare in adversam partem, ita ut in fine sit totus contra Creontis crudelem et insipientem insolentiam. Liceat igitur mihi cuncta summatim percurrere, id enim, credo, et gradus rationesque quibus chorus mutat mentem manifestabit et simul etiam aestheticum quem vocavi laborem, huius tragoediae maxime proprium, collustrabit.

Ac de *parodo* quidem non sunt multa dicenda; hymnus est enim triumphi quo chorus victoriam urbis de Polynice celebrat hortaturque populum ut diem festum sollennem agat. Nihildum chorus de Creontis decreto, nihil de eius violatione novit; iure igitur Sophocles exsultantem eum facit de parta gloria, tantoque magis quanto magis exitiosa est postea futura urbi, regi eiusque familiae toti; mors enim Polynicis fons erit remotus omnium calamitatum, quae in dramate aguntur.

Est autem nunc chorus totus a Creonte eiusque decretum toto animo amplectitur [1]), non minus quam eius petitionem „ne cedat his qui id violaverint"; quod chori promissum magni momenti est in hac tragoedia, etsi fuit saepe praetermissum aut neglectum. Senes enim hi venerandi habentur magni a Creonte, quippe qui fuerint semper maxime fideles regno, iam a Laii temporibus [2]), magnoque sint in honore apud populum.

Valde consentaneum est et aetati et prudentiae qua cuncta etiam longissime praevident, quod simul ac noverunt Polynicen fuisse sepultum, augurantur aliquid fatale atque divinitus demissum, quo spectatoris animus arrigitur in totam tragoediam:

ἄναξ, ἐμοί τοι, μή τι καὶ θεήλατον
τοὔργον τόδ', ἢ ξύννοια βουλεύει πάλαι [3]).

In *stasimo primo* (332—375) miratus sublimem virtutem

1) 211—214. 2) 162 sqq. 3) 278. 279.

Digitized by Google

artesque hominis et eius ingenii, praebet etiam se valde sibi similem, senem et patriae fidelissimum amantem [1]), cum ait: „Qui deorum iuratam iustitiam et leges patrias coniungit, sit mihi ὑψίπολις, sit vero ἄπολις meaque societate careat et animi communione ille ὅτῳ τὸ μὴ καλὸν ξύνεστι τόλμας χάριν [2]).

At vero cum haec maxime dicit, ecce tibi Antigona vinculis alligata adducitur in scaenam, ipsa Antigona capta est ἐν ἀφροσύνῃ, ipsa violavit regia decreta, et in eam erunt conicienda quae nuper contra sontes proclamavit chorus. Senes autem vident statim in Antigona „filiam miseram miseri Oedipi" [3]); ideo etiam cum continuo eam Creonti acriter respondentem, potius dixerim minantem, audiunt, subito clamant [4]): „Bene refert acrem patrem acre genus filiae: nec scit cedere malis".

Habita vero ardenti disputatione, Creon Antigonae mortem decernit; cui frigide chorus [5]):

δεδεγμένη ὡς ἔοικε, τήνδε κατθανεῖν.

Nullibi melius quam in hoc *stasimo secundo* (582—630) apparet cur Sophocles qui alias alios homines in chorum inducat, cum de Antigona aut Oedipo sive Rege sive Colonco agitur, *senes* constituat in chorum. Cum enim sint Oedipus et Antigona haereditaria macula foedati, nemo melius quam senex potest in singulis eorum actibus praeteritorum radices suggerere et antiqua praesentibus semper commiscere. Sic hoc loco [6]), audito Creontis de nece Antigonae decreto, totam simul gentis

1) Sermonem hic esse de Creonte aperte, dicunt multi scriptores; v. g. Dr. Ortmann *Zur Dramaturgie der Antigone des S.* 1901 (*Jahresb. d. Gymn. Torgau*) pg. 11 et auctores illic adducti. W. Schmid *Probleme aus d. S. Antigone*, Philologus 62 (1903) 23, non aperte ait damnari Creontem sed dici eius intellectualismum posse in ruinam ducere. Malim credere hic solum de ignoto eo violatore praecepti Creontis fieri sermonem; ea autem quae dicuntur, deinde erunt de Creonte vera et ea est ratio cur tam gravia sint quam miratus ea exponit Bruhn in hunc locum.

2) 370—371. 3) 379. 380. 4) 471. 472.

5) 576; nimium mature igitur diceret chorus versum 574, ut multi editores voluere reiectis mss. codd.; nondum meminit chorus doloris Haemonis; antequam eum (v. 626) videt, solius fatum Antigonae considerat, idque sine multa misericordia, et ut debitum familiae; nec si cogitaret, auderet iam nunc Creonti palam in os dicere.

6) Id fere conceptis verbis dicit Creon versibus 164—169.

Digitized by Google

suae historiam complectuntur thebani illi senes, eiusque domum iam dudum commotam funditus a diis vident, tamquam horrenda tempestate, quam stropha describunt probe procellosa. Serpit enim malum de gente in gentem, et aliquis deorum urget et premit nec cessare permittit; quae omnia innuunt Antigonae sui ipsius innocentiam, siquidem in ea senes nihil vident peccati nisi [1]) λόγου τ' ἄνοιχ κχὶ Φρενῶν ἐρινύς. Quid autem id sit, explicat ipse chorus inferius: potestas enim Iovis quae cuncta tempora persequitur talis naturae est ut, si quem damnet in ἄτκν, mentis caecitatem incutiat qua bona mala existimet et mala bona [2]); idipsum, non aliud, est illa λόγου ἄνοιχ et Φρενῶν ἐρινύς· est enim ἐρινύς dea quae mentis alienationem et errores incutit ut in *Od.* 15, 234:

ἄτης τε βκρείης,
τήν οἱ ἐπὶ Φρεσὶ θῆκε θεὰ δκσπλῆτις Ἐρινύς. [3])

Videbuntur haec fortasse minus cum dramate conexa; sed sunt multa arte prudenterque dicta. Haec enim ipsa quae nunc, quasi per transennam profert chorus in Antigonam, vel ut rectius dixerim, in eum quem Iuppiter „vult perdere" (quisquis ille est), caecitatem dico mentis eamque divinitus immissam, haec ipsa sunt quae in fine tragoedine chorus, iam animo mutatus, congeret in Creontem ipsum, et ipse Creon de seipso fatebitur; nam illa deceptione quae εἰδότι δ' οὐδὲν ἕρπει [4]) illa, inquam, se captum Creon ait, et illa duo de se profitetur [5]) quae tribuit hic chorus Antigonae: primum, errasse:

ἰὼ
Φρενῶν δυσΦρόνων ἁμκρτήμκτκ
στερεὰ θκνκτόεντ'·
ὦ κτκνόντκς τε κχὶ
θκνόντκς βλέποντες ἐμΦυλίους·
ἄμοι ἐμῶν ἄνολβκ βουλευμάτων.
ἰὼ πκῖ, νέος νέῳ ξὺν μόρῳ
κἰκῖ, κἰκῖ,
ἔθκνες, ἀπελύθης,
ἐμκῖς οὐδὲ σκῖσι δυσβουλίκις. [6])

1) 602. 2) 621—624. 3) V. etiam Il. 19, 87.
4) 618. 5) 1261—1276. 6) 1261—1269.

Digitized by Google

Interpellante autem choro: „hei mihi! quam sero videris iustitiam intellexisse", secundum addit Creon: *divinitus* fuisse excaecatum:

οἴμοι
ἔχω μαθὼν δείλαιος· ἐν δ' ἐμῷ κάρᾳ
θεὸς τότ' ἄρα τότε μέγα βάρος μ' ἔχων
ἔπαισεν, ἐν δ' ἔσεισεν ἀγρίαις ὁδοῖς,
οἴμοι, λακπάτητον ἀντρέπων χαράν·
Φεῦ, Φεῦ, ὦ πόνοι βροτῶν δύσπονοι. [1])

Incipit iam animus chori commoveri *episodio tertio* (631—780), non tam ipsa Antigona quam Haemone. Agit autem maxime de Haemonis amore, eoque loquente tota mutatio fit, si rem bene perspicimus (cfr. 574).

Iam enim initio cum eum adventantem tristemque cernit chorus, bis anxie suggerit num ea causa et adventus et tristitiae sit, frustratio amorum:

ἆρ' ἀχνύμενος
τῆς μελλογάμου
τάλιδος ἥκει μόρον Ἀντιγόνης
ἀπάτας λεχέων ὑπερκλαγῶν; [2])

verum quidem est eos senes quasi connivere Creonti [3]), cum irridet filii nuptias ab eoque petit ut despiciat Antigonam, sed sunt maxime attendenda illa verba εἰ μὴ τῷ χρόνῳ κεκλέμμεθα, quae valent: „nisi senectus nostra nos impedit haec, ut decet, aestimare, i. e. nisi obliti sumus quis sit iuventutis ardor". Memores autem eos faciet Haemon cum suam causam ante patrem defendet; dicent enim Creonti senes in fine [4]): „et te, o Rex, aequum est ex eo discere si quae recta dicit, et eum ex te; optime enim ambo locuti estis".

Tum exardescet disputatio; lacesset verbis filium pater et patrem filius, de amore disputabunt praesertim (cfr. 740—751), minabitur pater, resistet filius; iubebit pater adduci Antigonam ut in ore et conspectu Haemonis perimatur, at Haemon horribili ira percitus corripiet se de scaena non minora patri minatus; ideo chorus: „abiit, o Rex, ira praeceps; est autem ea

1) 1271—1276. 2) 627—630. 3) 681. 682. 4) 724. 725.

Digitized by Google

aetas, cum dolet terribilis"; sic enim iam chori senes praesentire atque praeparare exitum incipiunt, et posthac omni labore id contendent ut animos audientium quasi subigant et novent et iterent etiam inscios, ut totam ruinam tragoediae sine oppositione, immo cum voluptate excipiant.

Ideo enim egregiam illam odam (Ἔρως ἀνίκατε μάχαν) seu *stasimum tertium* (781—800) chorus canit de quo dixi iam antea. Illud etiam in eius antistropha elucet quod dicebam, a choro in amore Haemonis totam quasi rationem fabulae et catastrophae poni, quod saepe ab auctoribus praeteritur, qui haec exilem quandam conexionem cum reliqua tragoedia habere putant [1]). Ipse enim canit ab amore totam hanc regiae domus commotionem factam esse:

σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀνδρῶν ξύναιμον ἔχεις ταράξας. [2])

Tota vero oda ita seipsum commovet chorus, ut iam *exlegem* se ferri fateatur, nec posse temperare a lacrimis, cum ingredientem videt Antigonam (de qua tam evidens sermo erat in cantu), eoque animo ingredientem τὸν παγκοίτην ... θάλαμον ... ἀνύτουσαν. [3])

Huic chori dispositioni attendendus animus est maxime, ut ille *commus* qui consequitur statim intellegatur; est enim in eo praecipua huius tragoediae difficultas. Quae utinam tam facilis esset solutu quam est visu.

Non in systropha α', qua tota consolantur senes puellam quod sit mortem gloriosam et αὐτόνομον subitura, nec systropha β', qua in eundem finem puellae sortem cum Niobae sorte comparant vel potius a seipsa comparatam confirmant, sed certe stropha et antistropha γ' dura quaedam dicuntur in Antigonam, quae non video qui possint proferri, etiam ab eo choro qui est de Haemone magis sollicitus quam de Antigona.

Triplex potest huius distrophae sensus esse; quisnam sit optimus, malim ab aliis discere quam definire ultro.

Aut credunt puellam peccasse cum sepeliret fratrem, et severe eam de hoc reprehendunt; aut credunt non peccasse,

---

1) Solent enim ad hanc odam auctores nos relegare, fere semper cum dicunt a choro sophocleo saepe aliqua cani minus conexa cum actione.

2) 793. 3) 804. 805.

Digitized by Google

utuntur tamen hoc acri sermone quia Creontem verentur; aut nec credunt eam sontem nec accusant, nostra vero communis aliquorum verborum interpretatio hoc loco non est vera. [1])

Primum quidem est difficillimum dictu, cum hi senes advenientem Antigonam exceperint *lacrimis*:

ἴσχειν δ'
οὐκέτι πηγὰς δύναμαι δακρύων
τὸν παγκοίτην ὅθ' ὁρῶ θάλαμον
τήνδ' Ἀντιγόνην ἀνύτουσαν. [2])

Praeterea Antigona his quae chorus minus benigna dicit, scit plane dicere contra, quemadmodum praecedenti stropha fecit; hic autem thebanorum senum verbis assentire omnino videtur. Tamen sunt aliqua in hoc commo quae videntur veram reprehensionem sonare. [3])

Scholiasta secundum, quod proponebam, membrum videtur sequi; v. gr. ad v. 872: *οἱ τοῦ χοροῦ τὸ μὲν ἔργον τῆς παιδὸς ἐπαινοῦσιν, οὐ μὴν δὲ θαρσοῦσιν [ὡς] καὶ τὴν γνώμην τοῦ βασιλέως διελέγχειν ὡς μοχθηράν.*

Sed quid erat necesse, siquidem ita eam peccasse non crederet chorus, tam duro sermone uti, etiamsi timeret Creontem? sat erat multo levior significatio timoris [4]). Quamquam fortasse scholiasta non id sed illud tertium eligit, saltem secundus scholiasta.

Nam θράσος non intellegit impudentiam seu contumaciam, sed fortitudinem, et Antigonae piam et sinceram mentem agnoscit et laudat [5]), et tametsi violatum esse decretum Creontis videt (id quis negare posset?) id tamen in sola mente Creontis esse nefas dicit, Antigonam enim cum id faceret,

---

1) Chorum titubare putat toto hoc loco KNAPP, A point in the interpretation of the Antigone of Sophocles. *Amer. Journ. of Phil.*, 37, 309. 310.

2) 800—805.

3) Cfr. NICH. PANAGIS VLACHOS, *The Subject of Sophocles' Antigone*, Philadelphia 1901 pg. 36. Haec interpretatio id haberet commodi, quod ita per chorum distrahitur auditorum attentio ab Antigona; nam in secunda tragoediae parte Haemon fere solus eminet et dominatur. Hoc maxime elucet cum hic ludus in scaenam agitur.

4) Praeterea Creon abest ab scaena, saltem ante postremam antistropham γ'.

5) De sensu verbi θράσος in Sophocle v. DINDORF, *Lexicon Sophocleum*.

Digitized by Google

pietatem esse persecutam asserit [1]). Quo sensu ita posset verti: „Pietatis quidem est pietatem colere; sed ei qui in imperio est, imperia sua non sunt (videntur) violanda. Te vero furor ille perdidit *αὐτόγνωτος*". [2])

Si qua ratio quaerenda sit cur hoc fortasse obscuriore sermone utantur hi senes, ea esse posset, quod Creon aut adest iam aut adventans auditur [3]); chorus autem ab eo nondum ita palam defecit ut in eius oculis et ore audeat dicere contra; fiet id quidem postea, sed adhuc quaecumque pro Antigona est locutus, eo absente est locutus.

Quia adest Creon, profertur etiam illud distichum [4]): „Adhuc etiam eorumdem ventorum iidem flatus hunc quidem animum occupant".

Tum demum Antigona valedicit adstantibus et alligata de scaena deducitur.

Pergit nunc chorus, *stasimo quarto*, animos audientium praeparare in imminentem catastrophen, et quam apte quidem! Clare et perspicue mortem Antigonae praedicit similem aerumnis Danaäe; multo obscurius et secretius fatum Haemonis, quamquam non ita obscure ut non facile perspiciatur ab his qui stasimum tertium, et ea quae prius de Haemone chorus dixerat, audierint. At vero cum sermo est de Eurydice, non possum non mirari eius consciam et quaesitam obscuritatem. Necdum enim persona, nec nomen Eurydices in scaenam prodiit, et postquam veniet ita celeriter discedet se interemptura, ut vix spectator eam cognoverit; haec ea ratio est cur Sophocles et duplicem stropham ei dicet et eius imaginem ita obumbret ut conici potius et sentiri quam videri debeat ab spectatoribus.

---

1) Ad v. 853: *προβᾶσα ἐπὶ τὸ τῆς δικαιοσύνης ἔσχατον βάθρον μετὰ ῥάστης· βουλομένη τε ὅσιόν τι δρᾶν περὶ τὸν ἀδελφὸν τὰ ἐναντία πέπουθας· ἔπεσες γὰρ εἰς τὸ κεναστάφιον.* Ad v. 872: *φησὶν οὖν ὅτι πέπρακται μὲν δι' εὐσέβειαν τὸ ὑπὸ ταύτης, ᾧ δὲ ἡ βασιλεία μέλει τούτῳ οὐκ ἔστι παραβατὴ ἡ ἀρχὴ ὅ ἐστι τὰ προστάγματα.*

2) 872—875; *αὐτόγνωτος*, quod est hapax legomenon, non video cur *debeat* necessario duci a verbo *γιγνώσκω* ut sit fateri (crimen) et non *possit* venire ab eodem ut sit cognoscere; *αὐτογνωσία* significat perfectam *cognitionem*.

3) Ipsa prima Creontis verba (883 sqq.) aperte indicant, eum interfuisse aliquandiu postremis versibus Antigonae. 4) 929. 930.

Digitized by Google

Consideratione dignum hic est, a Sophocle Haemonis et Antigonae mortem eo colore eisque ductibus pingi quasi *nuptiae* sint quibus in morte et per mortem coniungantur [1]).

Abiciendam enim eam ait Creon, ut apud inferos *nubat* alicui [2]), minaturque filio *vivam saltem* non futuram eius coniugem [3]). Antigona ipsa se, dum abit, ait nupturam Acheronti [4]) alloquiturque sepulcrum ὦ τύμβος, ὦ νυμφεῖον, ὦ κατασκαφὴς οἴκησις ἀείφρουρος [5]), chorus eam deflet παγκοίτην ... θάλαμον ... ἀνύτουσαν [6]); etiam nuntius qui mortem Haemonis et Antigonae narrat, dicit se et Creontem ingressos esse νυμφεῖον Ἅιδου [7]), illicque describit Haemonem interemptum τὰ νυμφικὰ τέλη λαχὼν δείλαιος ἔν [γ'] Ἅιδου δόμοις [8]); Haemon etiam ipse mortuus esse dicitur lamentando καὶ πατρὸς ἔργα καὶ τὸ δύστηνον λέχος [9]). Nihil igitur causae est cur cum Eurydice, quae sola restat, idipsum conatur dicere, aut eripiamus ei hoc verbum de ore, aut illud proferentem corrigamus. Ne igitur λάχος, δέμας, σθένας, τέλος, quidquam, pro λέχος scribamus eo versu [10]) κωκύσασα μὲν | τοῦ πρὶν θανόντος Μεγαρέως κλεινὸν λέχος, αὖθις δὲ τοῦδε. Videtur enim Eurydice sine dubio voluisse coniugium vocare hanc mortem, non minus quam illam priorem alterius filii [11]). Iam fere saeculum exsulavit a libris haec lectio.

Non est magis iusta mutatio, quam bene multi ne asterisco quidem signant, verbi ὄμβρος in ὄλβος v. 952, quo facto tota vis comparationis dilabitur. Quamquam latet hic error qui totam stropham primam afficit huius stasimi in quo versor.

Ἔτλα καὶ Δανάας οὐράνιον φῶς
ἀλλάξαι δέμας ἐν χαλκοδέτοις αὐλαῖς·
κρυπτομένα δ' ἐν τυμβήρει θαλάμῳ κατεζεύχθη·

---

1) Facit id Sophocles eo maiore cum iure quo melius noverat adfuisse tunc temporis aliam huius historiae traditionem qua Haemon et Antigone fugerint et vero coniugio una vixerint. Ita rem tractaverat Euripides sua Antigona: κεῖται ἡ μυθοποιία καὶ παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Ἀντιγόνῃ· πλὴν ἐκεῖ φωραθεῖσα μετὰ τοῦ Αἵμονος δίδοται πρὸς γάμου κοινωνίαν καὶ τέκνον τίκτει τον Αἵμονα (Robert, Αἷονα) ARISTOPH. Byz. Arg. Antig. Soph. Sequitur eum SCHOL. SOPH. ad v. 1351. Fecit igitur hic Sophocles ut auditores etiam inscii meminissent Euripidis.

2) 654. 3) 750. 4) 816. 5) 891. 892. 6) 804. 805.
7) 1205. 8) 1240. 1241. 9) 1225. 10) 1303.

11) Fatis enim ideo ille prae alio electus in mortem fuerat, quia adhuc caelebs erat. V. EUR. *Phoen.* 944 sqq.

Digitized by Google

καίτοι καὶ γενεᾷ τίμιος, ὦ παῖ παῖ,
καὶ Ζηνὸς τραμιεύεσκε γονὰς χρυσορύτους [·]
ἀλλ' ἀ μοιριδία τις δύναται δεινά·
οὔτ' ἄν νιν ὄμβρος, οὔτ' Ἄρης, οὐ πύργος, οὐχ ἁλίκτυποι
κελαιναὶ νᾶες ἐκφύγοιεν [1]).

Seclusio quae hic describitur Danaäe non est illa quam passa sit in poenam postquam fuerit visitata a Iove et a patre deprehensa, ut fere dicitur, sed ea quam pater prius decrevit, veritus ne eius pulcritudo (cfr. δέμας) in domum inferret nepotem, a quo esset ex oraculis occidendus. Sic enim, et credo non alio modo, consonant omnia, et sensus verbi κατεζεύχθη quod aegre significat *concludi*, saltem hic (id enim iam primo disticho dictum fuerat), tum vis particulae δέ in tertio versu et verbi κρυπτομένη quod non est prolepticum, tum etiam quod non adest punctum post verbum χρυσορύτους in mss. codd., et cuncta quae sequuntur. Hic enim sensus est:

„Passa est etiam pulcritudo Danaäe aetheria luce privari in aeneis aulis. Inclusa *vero* visitata est illo funereo thalamo". Cui simile quid fingit futurum Antigonae chorus, ut dixi. Habet autem illud καίτοι adversantem vim: „quamquam ... tamen".

„Erat illa quidem nobili genere nata, o puella, puella, et excepit auri geniales *imbres*, et tamen est funesta vis fati, nec *imbres* eam, nec Mars, non turris, non nigrae naves quae mare fatigant fugere possint", quod aliud verbum est huic loco natum melius quam ὄμβρος? Opportune autem post illud meminit Martis sive belli [2]) quod ea occasione est ortum inter Danaäe patrem et avunculum, et turris in quam detrusa tamdiu iacuit, et navis in quam a patre coniecta cum puero evasisse dicitur in diversas oras. Sic totam eius vitam complectitur.

In hoc ipso stasimo, de quo ago, ut omnino certam acceperunt editores lectionem aliquorum codicum v. 980 ματρὸς ἔχοντες ἀνύμφευτον γονάν, ubi Laurentinus ait πατρὸς ἔχοντες etc., quod est ita sane; a patre enim, non a matre habebunt

1) 944—954.

2) Exstitisse tunc bellum inter hos fratres auctor est *Schol. Il.* 14, 319 et Apollod. II, 34, etsi Sophocles non potuit eidem illud causae tribuere, quae esset contraria suae fabulae. v. Pauly-Wissowa *Realencyc. der Altertumswissenschaft* IV, 2085, *Danaë* (Escher).

Digitized by Google

Haemon et Antigona hanc vere *ἀνύμφευτον γονάν*. Cfr. 950. 959. 1238.

Aliquot versibus ante, quatuor verba mutarunt aliqui editores; quae enim scribit Laur. cod. *παρα δε κυκνέων πελάγεων πετρῶν | διδύμας ἁλὸς ἀκταὶ βοσπόριοι*, cum sit ab omnibus fere admissum verbum *πετρῶν* fuisse interiectum textui ex glossemate, Jebb ita edit: *παρὰ δὲ κυανεᾶν πελάγει διδύμας ἁλός*, cui addit ex. gr. Bayfield: *ἀκτᾷ βοσποριᾷ*. Wilamowitz vero proposuit (Hermes, 54 [1919] 50, *Lesefrüchte* CLIII).

παρὰ δὲ κυκνέων τενάγει διδύμας ἁλὸς
ἀκταῖς βοσπορίκισιν ὁ Θρηικῶν ⟨γειτονᾶι⟩
Σκλμυδησσός. [1])

Sed credo esset multo facilius solum scribere *πάρα* et ita vertere: „adsunt etiam (seu adest earum exemplum").

A versu 981 nihil nisi similia dicit de Cleopatra his quae de Danaë ante dixit: eximiae erat virtutis et gloriae, et tamen etiam eam, *κἀπ' ἐκείνᾳ* (innuit autem Eurydicen, cfr. *κεῖνος* 960), eam etiam corripuit fatum.

Aderat Creon dum hoc stasimum concinebatur et ea sine dubie alia causa est eius deliberatae obscuritatis. Retinet enim etiamnum chorus aliquam erga regem reverentiam; quam quidem cito abiciet, simul ac Teresiam audiet augurem, terribili ira percitum minantemque fore ut ante non multos dies filius Creontis pereat et exstinguatur in poenam Creontis obstinationis, qua et Polynicen sepeliri prohibet et Antigonam in antrum coniectam tenet. Plane enim iubet chorus Creontem mentem mutare, et cedere iam, et quae peccavit corrigere; nec veretur fateri aperte, se de sententia destitisse plane, utque id ipsum Creon faciat rogare. Quaerenti enim Regi num chorus iam ipse cedat, annuit omnino chorus:

Cho. *Ἐλθὼν κόρην μὲν ἐκ κατώρυχος στέγης*
ἄνες, κτίσον δὲ τῷ προκειμένῳ τάφον.
Cr. *καὶ ταῦτ' ἐπαινεῖς, καὶ δοκεῖς παρεικαθεῖν;*
Cho. *ὅσον γ', ἄναξ, τάχιστα.* [2])

1) Usus autem huius duplicis genetivi non nos multum movere debet, nec in graeco cfr. v. gr. v. 1184: *Παλλάδος... εὐγμάτων προστήγορος*· v. 795 *βλεφάρων ἵμερος νόμφας* etc.) nec in latino sermone (Cfr. Cic. *Tusc. D.* IV, 6, 14; 13, 29; 31; 17, 40. — Liv. *Praef.* 3, ubi tres genetivos ita iunctos habet).

2) 1100—1103. Bina quaesierat Creon, solum primo respondet chorus.

Digitized by Google

non enim mihi probantur qui hoc δοκεῖς mutant in alia verba [1]). „Itane cedere videris?" Resonat hic ille versus 219, quo rogarat Creon chorum „ne cederet in favorem eorum qui eius decretum violassent"; ita avide quaerit καὶ ταῦτ'.

Exemplum igitur non minus quam consilia senum secutus Creon cedit et ipse iubetque ut e vinclis solvatur Antigona, vel potius evolat ipse eam soluturus ut est a choro rogatus.

Antequam longius progredior, velim alteram rationem qua, praeter amorem Haemonis et in Haemonem, animus chori est motus, hic breviter explicare. Est enim ea necessaria ut illa quae semper tragoediis Sophoclis latet philosophia, cognoscatur. [2])

Dixerant iam primo stasimo senes, et patria sua, et ipsorum vitae victusque communitate, maxime vero animi sensuumque communione fore privatum eum qui, propter audaciam, quae non recta essent, sentiret; illum videlicet qui non esset νόμους πατρείρων χθονὸς θεῶν τ' ἔνορκον δίκαν. [3])

In legibus his *patriis* intellegendis latet, credo, communis quidam fons erroris. Praeter decreta et voluntatem Creontis qui nuper regnare coepit in antiquo thebanorum regno, sciunt et recordantur illi amantissimi patriae senes, alias esse leges, sanctiores quidem et graviores, illas videlicet quibus ea patria dudum iam regitur, quibus se semper ipsi fidelissimos praebuerunt, eaque de causa sunt nuper a Creonte laudati.

Has leges ipse Creon agnoscet, utque eas incolumes servet, mutabit consilium, errorem suum fatebitur, Antigonam liberandam decernet:

---

1) In δοκεῖ, λέγεις etc. Cfr. O. T. 346 ἴσθι γὰρ δοκῶν ἐμοὶ καὶ ξυμφυτεῦσαι τοὔργον· etiam in O. T. 1191. 1192 habet hoc verbum hanc constructionem personalem.

2) Non id contendo Sophoclis mentem esse docere sive *thesin* aliquam confirmare; sed id tantum, quaequae eius mens fuit, habuisse certe clarum de rebus iudicium, et fixam earum humanorumque eventuum interpretationem; hanc autem vix in vero scriptore dramatico celari ac dissimulari posse.

3) 369. Vides me lectionem sequi codd. omnium, nec necesse putare admittere coniecturas editorum παρκιρῶν, γὰρ αἴρων, τ' ἀείρων, τε τηρῶν, παροίκων ceteras; credo enim hoc verbum apprime huic dramati aptum esse, in quo toto tempore agitur de concinnitate, coniunctione, *conexione* divinarum et humanarum legum. Quod vero dicat *alind et alind* conectere, pro *alind alii*, nihil habet absoni; simile enim exemplum adest v. 570:

οὐχ ὡς γ' ἐκείνῳ τῇδέ τ' ἦν ἁρμοσμένα.

Digitized by Google

δέδοικα γὰρ μὴ τοὺς καθεστῶτας νόμους
ἄριστον ᾖ σῴζοντα τὸν βίον τελεῖν. [1])

Chorus vero quandiu credit Creontem has leges servare eiusque decreta illis consonare, sequitur Creontem eique favet; at simul ac viderit Creontem eis repugnantem, ab eo palam discedet eique obsistet.

Sic in stasimo secundo, quandiu Antigona nullam mentionem facit legum urbis mentisque civium quam quidem *ausi sint* [2]) proferre, senes stant adhuc pro Creonte, et repetunt contra Antigonam dira quae contra eum, qui leges patrias violarit, dixerant in stasimo superiore; adhuc enim putant idem esse peccare in Creontem et in patriam. Hinc eorum verba frigida et immitia.

Res se habet longe aliter in episodio tertio [3]). Occupant enim magnam eius partem verba Haemonis, qui etsi patris animum non vincit, movet tamen senes thebanos, dum ait urbem totam concitatam esse, omnesque cives conqueri de Creontis improbitate et iniuria qua morte afficit Antigonam [4]); multoque magis in Creontem irascuntur cum audiunt dicentem, tyranno digna, urbem a se non se ab urbe regendum, suam esse civitatem non se civitatis esse, suo eam arbitratu non eius ipsius voluntate gubernandam et his similia [5]). Haec igitur cum audiat chorus episodio hoc tertio, videatque non quidem ab Antigona, ut ante putarat, sed ab ipso Creonte τοὺς νόμους χθονὸς [6]) conculcari et proteri, quid chorus faciat, si sibi similis esse velit, nisi discedat a Creonte, nec sit iam cum eo ἴστιν φρονῶν [7]), et feratur, ut ipse statim fatetur, θεσμῶν ἔξω [8]), seseque exlegem, et in Creontem rebellem dicat, tacite quidem initio, postea vero palam, tametsi promiserat ante se nunquam ab eo discessurum? [9])

Sunt igitur iam in fine huius episodii multoque magis in fine quarti, legum patriarum defensores: Antigona, Haemon, tota civitas, chorus; restat solus contra eas leges Creon. Clarissime hanc rem et hunc statum definiunt verba illa Antigonae iam in sepulcrum proficiscentis, ubi et urbem patriam

1) 1113. 1114. 2) Cfr. vv. 504—507.
3) 631—780. 4) 688—700. 5) 733—739. 6) 369.
7) 375. 8) 801. 802. 9) 219. 220.

Digitized by Google

et deos genitales et chorum ipsum testes adhibet suae innocentiae.

ὦ γῆς Θήβης ἄστυ πατρῷον
καὶ θεοὶ προγενεῖς,
ἄγομαι δὴ κοὐκέτι μέλλω.
λεύσσετε, Θήβης οἱ κοιρανίδαι
τὴν βασιλειδᾶν μούνην λοιπήν,
οἷα πρὸς οἵων ἀνδρῶν πάσχω
τὴν εὐσεβίαν σεβίσασα. [1])

Hic aperte significatur chorum et agnoscere Antigonae innocentiam, et iam pro ea stare, non secus ac urbem thebanam totam et deos patrios.

Sic iam Antigona traxit ad se Haemonem, urbem, chorum; restat iam ut ipse etiam Creon adducatur; hae partes sunt *episodii quinti* et Tiresiae prophetiae et chori consilii. Et obtinent quidem; nam in fine episodii quinti Creon fatetur se errasse, et eo errasse quod leges patrias, τοὺς καθεστῶτας νόμους violaverit; mens eius mutata est, δέδοικα τῷδ' ἐπεστράφθη, imperatque praesentes et absentes omnes ut eant Antigonamque liberent, quos ipse sequitur:

αὐτός τ' ἔδησα καὶ παρὼν ἐκλύσομαι. [2])

Hic iam exsultans gaudio chorus (revertor autem eo unde discessi), laetissimum *hyporchema* canit (1115—1154), quod etsi aestheticam illam vim summam habet quam omnes laudant, est tamen simul studiis et moribus eorum senum valde consentaneum, qui suum Haemonem non solum vitaturum mortem sperant (quam ipsi maxime verebantur), sed etiam nuptias obtenturum, siquidem et Antigona sit liberanda.

Non diu durat spes haec et laetitia; irruit enim subito in scaenam nuntius:

Αἵμων ὄλωλεν· αὐτόχειρ δ' αἱμάσσεται [3]),

cui chorus:

„Oh quam vera praedixeras, augur". [4])

Commodum ingreditur tunc Eurydice regina, primo tunc et ultimo a spectatore viva videnda, et petit a nuntio ut de Haemone narret; quem cum audiit, alto silentio nullumque verbum proferens proripit se de scaena. De ea chorus, qui semper innuit affectus

1) 937—943. 2) 1112. 3) 1175. 4) 1178.

Digitized by Google

et imminentia pericula in hac tragoedia: „quid de ea conieceris? diffugit enim nec os aperuit" [1]) et paulo inferius: „nescio, mihi vero et nimis altum silentium in metu est, et nimis alta verba". [2])

At ecce Creon, et bina cadavera, Haemonis et Antigonae aut solum Haemonis; quid ergo chorus ad eiulantem et paenitentem Creontem? Crudelia sane verba: „hei mihi! quam sero videris iustitiam intellexisse" [3]). Quae verba minorem habent severitatem quam illa dum ostendit digito cadaver Eurydices: „Licet tibi eam videre, exiit enim iam e regia" [4]). Et omnino consona his quae continuo proferent senes cum ab eis petet Creon ut eum de conspectu civium quam citissime removeant:

κέρδη παρεινεῖς, εἴ τι κέρδος ἐν κακοῖς·
βράχιστα γὰρ κράτιστα τἀν ποσὶν κακά [5]),

quamquam sunt graviora etiam, quae ipsi regi mortem appetenti dicent:

μέλλοντα ταῦτα· τῶν προκειμένων τι χρὴ
πράσσειν· μέλει γὰρ τῶνδ' ὅτοισι χρὴ μέλειν, [6])

tandem tamquam deiecto atque confixo insultant in fine:

μή νυν προτεύχου μηδέν· ὡς πεπρωμένης
οὐκ ἔστι θνητοῖς συμφορᾶς ἀπαλλαγή [7]).

Hae sunt totius chori per hoc drama partes; sunt ii senes moribus perfecte definiti et constantes, semper memores praeteriti vitae temporis, amantes semper patriae et regis etiam initio; nobiles tamen et ingenui, qui etiam derelinquant dominum suum cum iniuste furentem videant; filii eius maxime amici, et, tametsi non suspicaces, acuto tamen ingenio praediti ut cito pericula praesentiant et nuntient.

Quibus eorum qualitatibus et virtutibus ita est Sophocles usus, ut tota fere spectatorum commotio a solis eis dependeat. Vix est enim in tota tragoedia affectus ullus qui non ab eis insinuetur; ipsi et Antigonam et Haemonem et Ismenen, et Eurydicen et Creontem accedentes in scaenam indicant, modo

1) 1244. 1245.
2) 1251. 1252; levissime castigat Creontis petulantiam; cfr. 1350. 127.
3) 1275. 4) 1294. 5) 1323. 1324.
6) 1334. 1335. 7) 1337. 1338.

Digitized by Google

quidem maxime huic tragoediae proprio, cumque eorum nomina proferunt, animi sensum et affectum suggerunt quo vel ipsos affectos putant vel auditores afficere cupiunt [1]).

Ipsi etiam arte maxima praediti sunt, apposite facta interpretandi, quae dos est eorum aetati consentanea, quo summa suavitas confertur dramati, quippe quod affectus omnes dulcissime inscias mentes pervadant. Eis enim prima iam Polynicis funeris significatio θεήλατον quid continere visa est [2]); fuga vero Haemonis, βαρὺ quid et malorum omen [3]); verba autem Tiresiae δεινὰ sunt, nec unquam falsa reperta [4]); ob subitam tacitae Eurydices fugam exhorrescunt, quia intempestivum silentium metu plenum est. [5])

Est praeter hanc consciam, alia velut inscia insinuatio affectuum per chorum Antigonae, qua Sophoclem regnare facile dixerim. Non repetam quae de stasimo quarto scripsi supra; sed illud non praeteribo, videri mihi illam triplicem calamitatem etiam alias saepe significari hac tragoedia; credo enim eam causam esse cur in quinto stasimo et Bacchus et eius maenades et *fulminea* eius *mater* invocentur, utpote qui sint et iuvenem et puellam et matrem liberaturi vel liberatos celebraturi. [6])

Immo crediderim ego iam in ipso commo episodii quarti (806—882) aliquid huiusmodi etiam significari; consideranti enim cadit in oculos primam stropham qua dolentem Antigonam inducit Sophocles tinctam esse veluti coloribus Haemonis, quem aperte produnt illa saepius repetita verba:

οὔθ' ὑμεναίων ἔγκληρον, οὔτ' ἐπινύμφειός
πώ μέ τις ὕμνος ὕμνησεν, ἀλλ' Ἀχέροντι νυμφεύσω [7]).

Antistropha vero α' [8]) nescio quid habeat quod Eurydicen referat; cui Niobe est multo similior quam ipsi Antigonae, praesertim si ea conferuntur quae de Eurydice dicentur in fine tragoediae, et cum ipsa excedet de theatro. [9])

Nolim tamen in his nimium contendere, multoque minus

1) 376—384, 526—530, 625—631, 1180—1183, 1257—1260.
2) 278. 3) 767. 4) 1091. 5) 1251.
6) 1115—1152. 7) 815. 816. 8) 823—832.
9) 1301—1305; et 1244—1255; cfr. Cic. *Tusc. D.* 26, 63: „et Niobe fingitur lapidea propter *aeternum*, credo, in luctu *silentium*".

Digitized by Google

nocere meae causae, et praestabit fortasse profiteri cum Teucro:

ὅτῳ δὲ μὴ τάδ' ἐστὶν ἐν γνώμῃ φίλα,
κεῖνός τ' ἐκεῖνα στεργέτω, κἀγὼ τάδε. [1])

Illud etiam ad meum munus pertinet animadvertere, ut chorus, qui fuerit tam sollicitus in praeparandis excitandisque suaviter affectibus, multo magis iuvet Sophoclem in eis regendis et temperandis cum eruperint. Erat fortasse Antigona, ut erat summopere afflicta, longum nimium sermonem et querelam de suo fato factura; id autem in tam ardenti excitatione animi minus pulcrum videbatur, minusque temperantiae seu σωφροσύνῃ graecae aptum. Ideo lamentanti Antigonae Sophocles chori strophas interponit, quo illud maxime poeticum efficitur, ut non solum Antigonae strophae inter sese separentur, sed singulis earum nova et distincta doloris argumenta praefigantur a choro, totusque locus summa varietate et dulcedine distinguatur. Facile est idem in exodo animadvertere.

Sic omni ratione concluditur chorum Antigonae verum quidem actorem tragoediae esse, eius autem munus praecipuum in aesthetica delectatione efficienda consistere, quae tamen non dissonet a moribus et persona, quam illi thebani senes constituunt.

---

1) *Aiax* 1038. 1039. Si mihi igitur quae sentio proferre licet sine eorum quae dixi detrimento, in ipso iam secundo stasimo hanc ipsam triplicem catastrophen credo fuisse intellectam ab acutis atheniensibus spectatoribus. Postquam enim Antigona dixit mortem sibi *lucro* quidem esse, cum iam est de amore Haemonis frustrato dicturus, ait chorus:

ἁ γὰρ δὴ πολύπλαγκτος ἐλπὶς πολλοῖς μὲν ὄνασις ἀνδρῶν,
πολλοῖς δ' ἀπάτα κουφονόων ἐρώτων·
εἰδότι δ' οὐδὲν ἕρπει, πρὶν κτλ. 616—618; ubi clara est Eurydices significatio.

Nonne εἰρωνεία Sophoclis causa est, cur singulari quodam ordine verba collocet et particulam καὶ repetat illis versibus:

ἄμφω γὰρ αὐτὼ καὶ κατακτεῖναι νοεῖς; (770)
μόρῳ δὲ ποίῳ καί σφε βουλεύει κτανεῖν; (772).

Habet etiam crudelem quandam ironiam versus:

ἄνες, κτίσον δὲ τῷ προκειμένῳ τάφον (1101). Versu enim 1334 explicatur quisnam ille προκείμενος sit:

μέλλοντα ταῦτα· τῶν προκειμένων τι χρὴ
πράσσειν· μέλει γὰρ τῶνδ' ὅτοισι χρὴ μέλειν.

Digitized by Google

EMENDATUR VERG. AEN. VII 624.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Perduxit me versus quidam Statianus ut ad corruptelam in Vergilii Aeneide obviam et ante multos annos a me indicatam redirem. Quod facere propterea minus dubitavi quod timendum non esset ne cramben repetitam multis Mnemosynes lectoribus apponerem: latet enim emendatio mea in disputatiuncula, inscripta *Emendandi artis vindicatio lectionibus Vergilianis illustrata*, quae programmati gymnasii Lugduno-Batavi anni 1899 adiuncta cum esset apud librarios non prostitit. Locus quem dico in codicibus mss. ita traditus est neque aliter in editionibus fere recensetur:

ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante;
pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt.

Primum coniecturas a viris doctis prolatas percensere liceat.

Ribbeckius versus 624—27 post versum 623 sublatos transtulit post 637, et ibi positos eiecit. Peerlkampius quoque versus disicit, sed aliter, nam versus 623—25 suo ordine retinet et inde ponit 28. 26. 27. 32. 33. 34. 35. 36. 29. 30. 37. Utriusque conatus Gossravius iure reiecit.

Alii alia ratione usi sunt, quorum Van Gent sic legendum censuit:

pars pedes ire parat; campis pars ardua latis
pulverulentus eques furit;

Digitized by Google

Peerlkampius vel duas lectiones proposuit, alteram:

hic pedes ire parat; campis ille arduus altis,

alteram autem:

pars pedes ire parat; campis pars altus apertis
pulverulentus eques furit.

Etiam Gossravius, qui haud facile gravatur, hoc in loco aliquid soloecum esse concedit, „nam", ita loquitur, „si pars pedes ire parat ferimus, pars arduus furit sine exemplo est et vix ferendum; neque enim arduus est substantivum. Neque tamen pars ardua laudaremus, potius pars ardui. Facillima est ratio equis mutare in eques, sed restat altis, quod voce campis iunctum non habet sensum satis idoneum". Neque tamen hoc loco librariorum aliquem arbitratur latere errorem, sed ipsum poetam, cum post voc. pedes cogitaret addere eques, quod postea consilium mutaverit, arduus scripsisse putat. Recte addit, pars arduus non defendi ratione Wagneri qui haec: „624 pars arduus, V 108 pars et certare parati".

Post has opiniones diversissimas qui sit orationis cursus ipsi potius consideremus.

Dicit poeta Ausoniam belli cupiditate flagrare atque pedites et equites parare. Utramque exercitus partem separatim nominat, utriusque partis describit consilium vel alacritatem, quo facto verbis omnes arma requirunt universos complectitur.

Est autem haec prima quaestio solvenda utrum alterum pars vel potius verba pars arduus altis ad pedes an ad eques (ita legendum esse iam ex Macrob. Sat. VI 1, 54 constat) pertineant, nam, ut hoc prius dicam, campis a verbis pars pedes ire parat seiungendum non esse, ut Van Gent et Peerlkampius voluerunt, primum demonstrant ea quae de equitatu dicta sunt: pulverulentus furit. Parum credibile est, cum de equitibus poeta verbis tam magnificis usus sit, eum de peditatu, copiarum omnium robore ac multitudine, tantum haec ieiune affirmasse, eos ire parare! Immo de peditibus quoque aliquid peculiare dictum esse necesse est. Deinde vero nihil dubii iam relinquit versus, quo Statius Silv. IV 4, 67 locum nostrum imitatus est:

Digitized by Google

seu campo pedes ire pares, est agmina supra
nutaturus apex; seu frena sonantia flectes,
serviet asper equus.

Retinenda igitur sunt verba: pars pedes ire parat campis.

Quid in his verbis nos stringit? Immo ipsa mentio iniecta. An forte equites non parant ire campis? Cum maxime. Pedites et alio ire possunt, sed equitibus ad bellum gerendum omnino campis opus est. Quando igitur non inepte dictum est, pedites ire campis? Nempe ubi subsequitur, alteram peditum partem alio ire. Quae autem loca praeter campos peditibus assignari possunt ubi proelia committant hostemque propulsent? Nimirum loca superiora, arces, in quibus defendendis equites usui esse nequeunt.

Iam vero nostra argumentorum catena ad finem perducta est et ultro se offert haec lectio:

pars pedes ire parat campis, pars ARCIBVS altis:
pulverulentus eques furit: omnes arma requirunt.

Corruptela et vetusta et manifesta est. Litteras capitales CI librariis saepe visas esse D nemo ignorat, cf. III 54, ubi VICTRIDA pro victricia, 68: DEMVS pro ciemus exaratum est, atque litterae V pro B scriptae Ribbeckius in Prolegom. Crit. p. 390 plurima exempla dedit.

Dativi localis qui dicitur apud Vergilium usus satis notus est, cf. Gossrav. ad V 451: it clamor caelo.

Similis camporum locorumque superiorum oppositio est IV 153.

Gossravius ad XI 887 recte observavit, apud Vergilium saepe aliquid nominari tantum, deinde per partes exponi, tamquam ex appositione, cuius rei documenta attulit XII 277 fratres — pars — pars, Ecl. I 65 nos — alii — pars, cf. I 423, XII 161, 277, neque miri quicquam huic structurae inesse docuit, quare etiam in prosa inveniatur, ut apud Liv. XXIV 20.

Digitized by Google

DE AETNA CARMINE.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J. f.

Cum anni p. Chr. n. 79 a. d. IX Kal. Septembres Herculaneum terra haustum, Pompeii autem Stabiaeque ita cineribus obruta essent, ut tecta modo, quantum non corruerant, conspicerentur, intellectum demum est ignes Vesuvii semper ardere atque flagrare. Usque ad id tempus totum montem praeter summam partem agris cultissimis plenum fuisse discimus e Strabone, qui aliquot urbibus Campaniae nominatis sic pergit V 247 ὑποκεῖται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐέσουιον ἀγροῖς περικεκυμένον παγκάλοις πλὴν τῆς κορυφῆς. Ab illo anno Vesuvina incendia, ut Statii verbis (Silv. II 6, 62) utar, in litteris commemorantur. Quis non meminerit, ut silentio praeteream Val. Flacc. IV 507 et Sil. Ital. XII 152—154, Martialis pulcherrimi epigrammatis IV 44, praesertim ultimi distichi

Cuncta iacent flammis et tristi mersa favilla:
nec superi vellent hoc licuisse sibi,

quod quasi Strabonis praeconium videtur abolere. Iam vero legentes admonere Plinii epistularum (VI 16 et 20), quarum vivida descriptio ingentis illius cladis, qua etiam discipuli nostri commoveri solent, vix est opus. Sed inde ab antiquissima aetate Aetna cognitus erat mons aeternis ignibus ardens de quorum vi formidata et poetae et rerum scriptores mentionem faciunt. Pindarus quidem Hieronem celebrans in primo carmine Pythico paucis sed nobilibus versibus attingit violentam eruptionem anni 479 a. C. n. Quam recordati sunt eandem spectatores in theatro Atheniensi tum cum Aeschyli fabula

Digitized by Google

acta est, ubi Vulcani officina sic depingitur (Prom. vs. 367 sqq.) ἔνθεν ἐκραγήσονται ποτε ποταμοὶ πυρός cet. Thucydides autem in extremo libro tertio Historiae belli Peloponnesiaci (cap. 116) narrat post hominum memoriam iam tres eruptiones Aetnaeorum ignium fuisse. Lucretius, ut transeamus ad litteras Latinas, huius montis ardescentis explicationem dat in sexto libro poematis sui didascalici (639—711). Eandem rem Vergilius vix duodecim versibus iisdemque magnificis (Aen. III 570—82) illustrat, at Ovidius fingit se Pythagorae doctrinam de monte Aetna totidem fere versibus enodare (Metam. XV 340—55). Hae [1]) omnes expositiones longe superantur carmine didactico anonymo, cui titulus est Aetna ex 646 hexametris constans. Hoc poema de Vesuvio omnino tacet, unde id ante 79 p. C. n. conditum esse colligamus necesse est. Lucretii porro libros de Rerum Natura conscriptos Aetnae auctori exemplo fuisse facile omnes concedunt, hunc ergo hoc opus post annum 55 a. C. n. panxisse nemo infitiari potest. Restat igitur ut investigemus, num inter eos fines accuratius statui possit, quando Aetnae carmen compositum sit. Quod qui perlegit non potest non observare quam apte vates rem disposuerit, sed dubium vix est quin ipse hoc debeat exemplari suo. Nam non erat poetae Latini diligenter naturam observare, ut deinde via et ratione artem disciplinamque excogitaret: malebat omnia aut certe pleraque haurire e fonte Graeco satisque habebat ea per se ipsa difficillima verbis Latinis perspicue explicare. Novimus autem Posidonium Panaetio usum magistro eruptiones montium ardescentium et explorasse et exposuisse. Quocirca verisimile est summi illius physici Μετεωρολογικά aut aliud aliquod eius scholae opus vatem Latinum expressisse. Verum praeter ipsam doctrinam de Aetnaeis ignibus expeditam etiam alia vestigia facile deprehendas Posidoniana imprimis in Excursu (vs. 224—282), quem scriptor ut legentes recrearet carmini suo inseruit. Legimus e. g. de principiis sive elementis fatalibus mundi

229 occasus metuont, ad saecula pergunt,

quibus verbis alluditur ad ἐκπύρωσιν quam negabat Panaetius,

1) Livius obiter tantum Aetnam tangit XXVI 29, 4; at Lucilius (vs. 113) non de Aetnae ignibus agit.

Digitized by Google

Posidonius aiebat futuram esse. Non est cur miremur poetam nos incitare ut in solis magnitudinem inquiramus (vs. 231), quoniam hac in re ipse Posidonius multum studium collocavit. Qui idem cum insignis astrologus esset, ut siderum meatus et stellarum vagarum cursus et signorum zodiaci motus cognoscamus nos monet (233—235). Vocem *nosse* ter (226, 242, 281), *scire* autem bis iteratam (231, 246) non iniuria ab eodem repetas philosopho, qui homines mundi miracula contemplatos Dei providentiam agnituros esse putabat.

Explanatione finita vates denuo censor fit (569—600), lectoribus enim suadet, ne saeculi moribus obsequentes peregrinari cupiant [1]) ut urbes claras et artificia nobilium pictorum sculptorumque visant: continuo autem subiungit

artificis naturae ingens opus aspice.....,

quae adhortatio ipsa quoque videtur profecta esse a Posidonio, qui ἐπὶ Φρυνήσει itinera facere solebat.

Ea quae Ellis [2]) disputat in Prolegomenis (pag. XC—XCV A possible source of Aetna) de magna similitudine, quae intercedit inter Aetnam et opus Pseudo-Aristotelicum c. t. Περὶ κοσμοῦ, confirmant opinionem nostram de Posidonio auctore, nam hic liber magna ex parte nititur ratione Posidonii. De hoc tractatu Christ-Schmid [3]) sic scribit: „jedenfalls ist es erst nach Poseidonios, dem das meiste entlehnt und von dessen mystischer Wärme es berührt ist, entstanden". At Vessereau [4]) paene nobiscum faciens haec concludit (Introd. pag. XLIII): „Le contenu de l'œuvre n'a donc rien d'original, c'est un emprunt perpétuel à diverses sources.... et en particulier aux théories de Posidonius et de son disciple Asclépiodote" et paulo infra „la doctrine de Posidonius fait le fond du poème".

Quamquam apparet poetam Aetnae purum putum Stoicum fuisse, eius genus dicendi prorsus Lucretianum [5]) est. Eum

1) Eiusmodi est Panaetii damnatio comoediarum, quae in theatris agebantur, de qua Cicero nos certiores facit (de Rep. IV 10).

2) Aetna by R. Ellis Oxford Clarendon Press 1901.

3) Geschichte der Griech. Literatur I pag. 736.

4) Aetna par J. Vessereau Paris Fontemoing 1905. Ipse Vessereau relegat legentes ad Praefationem egregiae editionis, quam curavit S. Sudhaus (Leipzig Teubner 1898), cui ipse quoque non pauca debeo.

5) Sudhaus omisit afferre hos locos similes: *mundus* (43) significat *caelum* cf.

Digitized by Google

etiam auctore Lucretio frequentes similitudines epicas [1]) adhibuisse valde probabile est. Praeterea uterque vates didacticus saepe multas causas affert eius quod in rerum natura fit, cum neuter diiudicet, sed arbitrium ad legentes reiciat.

Aetnae scriptor parum peritus artis scribendi fuit, id quod declarat creber usus eiusdem vocabuli e. g. *opus* occurrit sexies decies [2]) in 646 hexametris; *pignus* [3]) usurpatur 40, 135, 191, 461, 520; *carmen* legitur 75, 77, 91 cet. *vates* vs. 70, 76, 79 cet. Periodi in Aetna carmine interdum parum perspicuae sunt: illa a qua Excursus incipit (224—251) componenda non est cum versibus magnificis (1—27), quibus poema suum Lucretius exorditur quique a Dielsio in una periodo comprehensi comparantur cum vestibulo Gothico trimembri. [4])

Sunt qui credant Lucilium Iuniorem aequalem fere et amicum Senecae Aetnam composuisse. Fac id verum esse: nonne expectes in carmine discipuli talis magistri sententias et alium colorem Annaeanum, praesertim cum Lucilii genus scribendi ab illo philosopho adumbretur laudibusqne afficiatur (Epist. 59, 4 sqq.)? Invenimus autem in Aetna stilum Lucretianum. Ceterum quod Seneca scribit Epist. 79, 5 *quid tibi do ne Aetnam describas in tuo carmine, ne hunc sollemnem omnibus poetis locum adtingas?...* manifesto probant Lucilium partem operis maioris destinaturum fuisse Aetnae describendae, sicut Vergilius fecit in tertio Aeneidos (570—82) et Ovidius in quinto decimo Metamorphoseon (340—55). Sic eius epistulae verba intellegenda esse declarant ea quae continuo sequuntur

---

Lucr. I 788; V 514; *machina* (230) positum est pro *machina mundi* (Lucr. V 96); cum forma *denset* (293) conferendum est *densere*, quam formam Lucretius solam agnoscit. Cum versu 361 *et montis partes atra subvectat arena* non Verg. Georg. III 241 comparandus est, sed versus Lucretianus VI 700 *saxaque subiectare et harenae tollere nimbos*, quo item eruptio depingitur.

1) Inveniuntur e. g. vs. 474, 478, 481, 485 cet.

Vessereavio non assentior scribenti (Introd. XLVII) L'emploi des comparaisons est peut-être le caractère le plus remarquable du talent descriptif de l'auteur. Est haec quoque ratio Lucretiana.

2) Ellis enumerat 14 locos. Sic in Culice legitur undecies *decus*.

3) Ellis in Indice quattuor tantum exempla affert.

4) Sitzungsber. der königl. preusz. Akad. d. Wissensch. XLI Lukrezstudien I pag. 922.

Digitized by Google

quem quominus Ovidius tractaret, nihil obstitit, quod iam Vergilius impleverat.

Non solum sermo Aetnae carminis sed etiam metrum plane caret nota versuum epicorum Senecae aetatis. Longe frequentissima est caesura penthemimeres: reperitur in 538 versibus, verum perraro est hephthemimeres: occurrit sexies [1]), caesura quae vocatur κατὰ τρίτον τροχαῖον paulo saepius offenditur quam in Culice et Bucolicis. Non minus quam 26 versus ponderosi deprehenduntur, qui quinto pede excepto toti e spondeis constant: hac quoque in re Lucretius [2]) exemplo fuit, quod patebit ei qui contulerit De Rer. Nat. V 181 –199, ubi inter 18 versus sex ita ponderosi sunt, ut quintus tantum pes dactylus sit (181, 185, 191, 192, 195, 199). Proprium etiam Lucretii est interpungere post pedem quintum e. g. Lib. II 315, 545, 696, 886; Lib. VI 411, 434, 755, 873, 1052 cet.; hoc septies decies factum est in Aetna (76, 168, 173 cet.). Frequens denique diaeresis bucolica (103, 120, 243, 266 cet.) imitatio habenda est Vergilii Eclogarum.

Eiusmodi — non tamen iisdem — observationibus motus Vessereau scribit (Introd. XLIX) „Toutes ces particularités de versification montrent, je crois, que l'auteur devait appartenir à une époque, celle par exemple, qui sépare les débuts de Virgile de la mort de Lucrèce, où la technique des vers était encore mal fixée" etc. Equidem non intellego qui fieri possit ut Ellis Lucilium Iuniorem auctorem Aetnae putare potuerit, cum coactus esset de quaestionibus metricis multo paucioribus, quam ego tractavi, fateri (Proleg. XXXIV) „These points are rather in favour of an early, possibly an Augustan date".

Non raro poeta in unaquaque voce versus eandem consonantem vel vocalem repetit e. g.

47 squameus intortos sinuat vestigia serpens,

ubi venuste sono litterae *s* serpens, qui per solum se movet, depingitur. Alia sigmatismi [3]) qui vocatur exempla inveniuntur vs. 155, 158, 325, 482.

---

1) The Class. Quart. VIII pag. 130 The Caesura in Vergil by Butcher.

2) Sudhaus minus recte comparat non Lucretium sed tantummodo Panegyricum in Messallam. 3) Sudhaus (pag. 117) vs. 131 modo affert. Praeclarum exemplum praebet Soph. Oed. R. 425 ἃ σ' ἐξισώσει σοί τε καὶ τοῖς σοῖς τέκνοις.

Digitized by Google

Organi cantum reddere vult littera *i* repetita
297 carminaque irriguo magnis cortina theatris.
Crepitum et fragorem significat littera *a* repetita
505 emicat examen plagis, ardentia saxa.

At vocales *a* et *u* in quattuor verbis coniunctae efficiunt, ut raucisonum strepitum montis etiam audiamus in hoc versu
301 pugnat in angusto et magnum commurmurat Aetna.

Allitterationis genus in Aetna obvium idem fere est atque in Ciri, itaque perraro tria vocabula ab eadem consonante incipiunt (306 *t t t*; 155 *s s s*), saepe autem duo (e. g. 49 *Ossan Olympus*; 53 *si si*; 67 *c c*; 70 *d d*; 76 *p p*; 608 *l l*).

Hic auctor epanalepsi, quam figuram Vergilius adamat, ter utitur, vix unum exemplum dignum est quod laudetur (52—53 *provocat*; 81—82 *sollicitant*; 506 *procul ecce*).

Figura vere propria Aetnae carminis est personificatio, legimus e. g. vs. 141 antra ipsa latebras fodere; vs. 404 lapidem molarem [1]), si ferro eum quaeras, respondere; vs. 405 eundem dolere; vs. 406 eiusdem animos extorqueri posse. Vel hoc studium nos vetat credere Vergilium illud poema condidisse quippe qui talia plane sperneret.

Sermoni plebeio poeta Aetnae minus indulsit quam Vergilius in Culice, adhibuit tamen *tota* (306) pro *omnia*; coniungit *impositam* cum ablativo (cf. Petron. 116, 1); dixit *suo sibi pondere* (325) imitans Terentium fortasse (cf. Adelph. 957 *suo sibi gladio*). Neque has formas vulgares praeterire volo: nominativum *Ditis* 644 (cf. Petron. 120 vs. 76; Apul. Met. VI 18); *clusae* (vs. 318); *propala* (vs. 531).

Nuper v. d. E. K. Rand [2]) probare conatus est Vergilium anno 48 a. C. n. Aetnam panxisse. Aegre fero quod vir doctissimus, cui de Culice astipulor, de Aetnae auctore mihi impugnandus est.

Meminimus Vergilium Georg. II 475 sqq. praeclaris versibus ostendere se malle carmen condere de natura, sed si vires

1) Vessereau Introd. XLVII observat „La pierre meulière en particulier est, pour ainsi dire, personnifiée dans toute la seconde partie du poème, comme les vents l'ont été dans la première". Id studium appellatur a Sudhausio (pag. 118) „eine beispiellose Personifikationssucht".

2) Harvard Studies Vol. XXX 1219 Young Virgils Poetry, pag. 155—172.

Digitized by Google

desint se optare ut campus silva amnisque sibi placeant, cum felix sit et is qui numina ruris colat eaque celebrare queat. An sic locutus esset anno fere 35 hic poeta, si iam anno 48 Aetnam scripsisset? Attendamus praecipue versum

479 unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant.

De quaestionibus ad terrae motus pertinentibus auctoritas Posidonii non minus valebat quam de ignibus sempiternis montium, insuper idem docebat vi lunae accessum et recessum aestuum effici. Finge igitur Vergilium Posidonii ratione fretum Aetnam composuisse, nonne et illas res enarrare potuisset?

Verisimillimum est Aetnae poetam hunc montem ascendisse usque ad illum collem certe, unde lapis molaris ex ore fluere videri poterat. Num Vergilius, qui minus commoda valetudine utebatur laborabatque ex pulmonibus, is erat qui talem laborem susciperet?

Ingenue autem fateor me non intellegere quomodo Rand Aetnae auctorem appellare queat Epicureum, fuisse eum Stoicum supra compluribus argumentis usi conclusimus. Qui si Porticus sectator habetur, tum demum perspicimus Heraclitum ab eo cultum observatumque esse ut elucet ex

508 verissima dicta libelli,
Heraclite, tui: nihil insuperabile gigni.

Heraclitum enim cum praedicaret ignem ἀρχήν principiumve esse omnium rerum praeciperetque aliquando fore ἐκπύρωσιν, tanquam unum e suis Stoa vindicare poterat. Verum enimvero Lucretius (I 638 sqq.) disciplinam obscurissimi illius philosophi condemnat, quod Vergilium quoque fecisse merito conicias, utpote qui libros de Rerum Natura tanti faceret. An putat Rand a Sirone magistro eodemque Epicureo discipulum praeceptis imbutum esse Stoicis?

Eundem virum doctissimum vehementer miror verba Senecae Epist. 79, 5, de quibus egi (pag. 208), spectare ad Aetnam carmen sumere. Absurdum enim videtur arbitrari ibi totum poema didacticum 646 hexametrorum oppositum esse quindecim Ovidii versibus (Met. XV 340—55), qui tamen recte componuntur cum totidem fere Vergilianis versibus (Aen. III 570—82).

Ceterum poeta Mantuanus si auctor est Aetnae, cur hic (vs. 29, 72, 74) vituperat vates fingentes illum montem in Encela-

Digitized by Google

don impositum esse cum in Aeneide (III 578) hanc fabulam repetat neque improbet? Cur in Aetna Ditis regua, Stygis undas, poenas Tityi, Tantali, Ixionis, denique Minois Aeacique tribunal vatum mendacia vocat, quamvis haec omnia in sexto Aeneidos elegantissimis versibus celebret sicut in Culice? Idem Maro parum sibi constitisset, si Catulli epyllion de nuptiis Pelei et Thetidos insectatus (vs. 21—22; 584—85) post ipse ἄδεξον ὑπόθεσιν [1]) tractans Culicem, poema Alexandrinum, condidisset.

Ad postremum rogamus, cur Culex et Georgica Octaviano dedicata sint, Aetnam poeta nemini dedicaverit?

Hac in re Vessereau mihi videtur prudentius egisse quam Rand: ille enim Aetnam non ausus Vergilio vindicare loquitur de „l'impression d'extrême défiance que nous ressentons, quand nous comparons l'œuvre, en somme bizarre, qu'est l'Aetna avec les poèmes admirables que sont les Bucoliques, les Géorgiques et l'Enéide (Introd. pag. XXXIX). [2])

Qui disceptant de anno natali Aetnae carminis non idem censent de his versibus

quin etiam Graiae fixos tenuere tabellae
signave: nunc Paphiae rorantes arte capilli,
sub truce nunc parvi ludentes Colchide nati,
nunc tristes circa subiecta altaria curvae
velatusque pater, nunc gloria viva Myronis.

Kruczkiewicz [3]), Alzinger [4]) Vessereau (Introd. pag. XVI—XVIII), Rand commemorant cum Venerem Anadyomenen ab Augusto Romam afferretur, Medeam Timomachi tabulam iam a Caesare emptam esse qua aedem Veneris Genetricis exornaret. Unde ii viri docti concludunt illos versus scriptos esse ante mortem Caesaris (Idib. Mart. 44), cum Medeam saltem

1) Teuffel—Kroll § 230 II pag. 40.

2) Haec omnia quae contra Randium disputavi, valent etiam contra F. Walterum, qui nuper commentatiolam, quae inscribitur Zur Überlieferung der Ätna und zur Ätnafrage, inserendam curavit diario e. t. Wiener Sturien XLII (1921) pag. 173—8. Concludit autem Walter: „Vergil hat die Ätna meines Erachtens geschrieben, wohl in früher Jugend, hieraus und aus dem in Stoffe liegenden Schwierigkeiten erklärt sich die Ungeschmeidigkeit der Sprache".

3) Poema de Aetna Vergilio auctore potissimum esse tribuendum. Diss. Krakau 1883. 4) Studia in Aetnam collata Lipsiae 1896.

Digitized by Google

videndi causa non iam Romanis Cyzicum eundum esset.

At Sudhaus Ellis [1]) Schanz [2]) negant poetam mentionem facientem de quattuor illis artificiis memorem fuisse temporis quo unum duove Romam essent portata. Maxime perspicua sunt verba Sudhausii (pag. 210) „der Dichter hat wohl kaum daran gedacht, dass jene Kunstwerke zum Teil in Rom waren. Er geht ausgetretene rhetorische Pfade. Ihm kommt es darauf an, Typen von bekanntem Gepräge aufzuzählen" (cf. pag. 82).

Neque ego censeo verba esse premenda; ea sic intellego: primum vates nominat quattuor opera nobillissima, e quibus tria etiam a Cicerone appellantur (In Verr. IV 135), tum iis opponit

599 et iam mille manus operum turbaeque morantur.

Quidquid hoc est, non iudico verisimile esse Vergilium vix viginti quinque annos natum cives suos monuisse ne iter facerent ut claras urbes, celeberrima templa, venustas statuas viserent. Aliam certe adhortationem legimus in sexto Aeneidos.

Ad postremum pauca dicenda sunt contra Ellisii rationem, qui (Proleg. XL—XLVII) animadversa similitudine inter Aetnam et Senecae Naturales Quaestiones hoc carmen anonymum tribuit Lucilio, cui Naturales Quaestiones dedicatae sunt. Verum utrumque opus pendet a Posidonio: luculente scribit Sudhaus (pag. 75) „Vielleicht lässt es sich an keinem anderen Punkte so deutlich machen dass Seneca und dem Dichter des Aetna ein verwandtes oder das gleiche Material vorlag als bei dem Capitel von dem *spiritus*. Die Ähnlichkeit ist so frappant, wie es zwischen einem Dichter und Prosaisten nur irgend der Fall sein kann. Dass aber all dieses Material auf Posidonios zurückgeht, sei es direkt oder indirekt, wird nach dem Obigen wohl nicht mehr bezweifelt werden".

---

1) Proleg. pag. XLVIII, it must not be forgotten, that the three works are spoken of vaguely as Greck pictures or statues, which arrest the eyes; and with the indeterminate *nunc..... nunc..... nunc* which would suit works selected as typical specimens of high art.

2) R. L. G. II 1 § 239 pag. 93 trotz des Vorhandenseins eines oder aller dieser Kunstwerke in Rom kann der Dichter allgemein sagen: Du bist der Ansicht, dasz diese Kunstwerke besichtigt werden müssten auch unter Gefahren zu Wasser und zu Lande.

Catholy (De Aetnae aetate Gryphiae 1908) pag. 14 putat eos versus 594 sqq. ex exemplo, quod utique ante Cresaris mortem esset absolutum, translatos esse.

Digitized by Google

Ellis etiam nos de loco Annaeano admonet, ubi magister Lucilium hortatur amicum ut ita agat, ut aliquando confiteri possit (Nat. Quaest. IV Praef. § 14): liberalibus me studiis tradidi. quamquam paupertas alia suaderet et ingenium eo duceret, ubi praesens studii pretium est, ad *gratuita carmina* deflexi me et ad salutare philosophiae contuli studium. Ellis autem putat Aetnam eiusmodi *gratuitum carmen* fuisse. At nos rogamus argumentumne hoc sit an mera coniectura.

His multis et variis rebus perpensis existimo Sudhausium proxime ad verum accessisse, cum scriberet (pag. 83) Aetnam carmen anno 30 fere a. C. n. compositum esse. Ergo viginti quinque ferme annos post Lucretii mortem Aetna poema, cuius argumentum praecipue Posidonianum, cuius sermo metrumque prorsus Lucretiana sunt, mihi videtur conditum esse. Pauca scimus de poeta, qui libros de Rerum Natura panxit, etiam minus de Aetnae auctore, sed illi magno honori fuit, quod eius opus exemplo fuit vati cuidam adversariam profitenti sectam, Musarum muneribus satis praedito.

Aliquot locos Aetnae carminis mihi videor emendare posse, quos huic commentariolo subiungere rogo ut liceat.

Poeta narrat Gigantes montibus in montes impositis caelum aggredi velle, eius verba haec sunt

48 construitur magnis ad proelia montibus agger:
Pelion Ossa *creat*, summus premit Ossan Olympus.

Pro *creat* substituit Jacob, quem Sudhaus et Ellis secuti sunt, *gravat*; Baehrens edidit *onerat*, editio Aldina recepit *terit*. Vessereau modo tuetur *creat* scribens (pag. 41): „*creare* est le causatif de *crescere* (cf. Bréal Dict. étym. lat. p. 50); la masse du Pélion s'accroît (*crescit*) de celle de l'Ossa. L'Ossa est la cause de cet accroissement; c'est lui qui fait croître la montagne au dessus de laquelle il est élevé, *creat Pelion*. Neminem autem latere potest Vessereavium res invertere: intellegimus *terra creat arborem*, verum Vessereau vult *arbor creat terram*, quod si dici potest, recte etiam se habet: *Ossa creat Pelion*! Ipse tamen editor Franco-Gallus fatetur: „Je n'ai pas d'exemples à citer de ce sens précis de *creare*.

Digitized by Google

Quocirca interim alia medicina circumspicienda est. Equidem nullam litteram, ordinem tantum muto, ita ut legam *arcte*, sicut antea scribebatur, vel *arte* [1]) i. e. nauw vast, sterk πυκινῶς. Itaque Batave vertendum erit: „de Ossa drukt sterk den Pelion, de zeer hooge Olympus op zijn beurt den Ossa".

Huius locutionis illustre exemplum afferre possnm dignum quod totum exscribatur, nempe Cic. Lucull. § 145. At scire negatis quemquam rem ullam nisi sapientem, et hoc quidem Zeno gestu conficiebat. nam cum extensis digitis adversam manum ostenderat, „visum" inquiebat „huiusmodi est": dein cum paulum digitos contraxerat, „adsensus huiusmodi"; tum cum plane conpresserat pugnumque fecerat, conprensionem illam esse dicebat, qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν imposuit; cum autem laevam manum admoverat et illum pugnum *arte vehementerque conpresserat*, scientiam talem esse dicebat, cuius compotem nisi sapientem esse neminem.

Auctor varie explicat quemadmodum cava vel fauces vel fossae penitus in terra oriantur e. g. vapores et ignes trudunt sive pellunt omne quod obstat. Legimus in omnibus codicibus

114 aut etiam inclusi solidum *uidere* vapores
atque igni quaesita via est.

Videre Sevin, Vollmer, Ellis, Vessereau mutaverunt in *vicere*, sed aptior vox mihi videtur inveniri posse, praeterea parum verisimile est verba *videre* et *vicere* confusa esse. Haplographia puto librarium exarasse *tudere* (quod quantopere simile est τῷ *videre* quis non perspiciat?) pro *tutudere*. Hoc loco *tundere* quasi terminus technicus est: Batave quoque dicimus *windstoot*. Eodem verbo Lucretius simili utitur sensu

IV 932 principio externa corpus de parte necessum est,
aeriis quoniam vicinum tangitur auris,
tundier atque eius crebro pulsarier ictu.

---

1) Adverbium *arte* legitur infra

320 (venti) pugnant in faucibus *arte*
pugnantis suffoeat iter.

Cf. vs. 109 in artum.... coit.

Digitized by Google

Ut vires compressi spiritus, qui plerumque causa habetur eruptionis, planum faciat, auctor simili utitur satis eleganti

321 velut unda profundo
terque quaterque exhausta gravis ubi perbibit euros,
ingeminant fluctus et primos ultimus urget:
haud secus adstrictus certamine tangitur ictu
325 spiritus involvensque suo sibi pondere *vires*
densa per ardentes exercet corpora *vires*.

Alterum *vires* falso repetitum genuinam extrusit lectionem.

Equidem neque *venas* neque *fauces*, quae voces totiens in hoc carmine occurrunt, restituendum censeo, sed *rimas*, quod commendatur et versu 105, ubi de tellure dicitur

sed tortis *rimosa* cavis e. q. s.

et vs. 259 scrutamur *rimas* et vertimus omne profundum,
quaeritur argenti semen, nunc aurea vena.

Eiusmodi mendum obtinet etiam infra vs. 379, ubi describitur quomodo paulum intermittatur eruptio:

378 tum frigida *monti*
desidia est tutoque licet discedere *montes*.

Hic revocando *testi* pro *montes* manum poetae restituere mihi videor. Vox *monti* superscripta videtur effecisse ut primum *montesti*, deinde *monti* scriberetur. Lucramur autem hanc sententiam „dan heerscht er doodsche rust in den vulkaan en veilig kan de toeschouwer heengaan".

Lapis molaris, quanquam liquefactus est, natura non mutatur, similis enim est aeri, de quo poeta canit

521 nam velut arguti natura est aeris et igni
cum domitum est, constans eademque et robore salvo
ultraque ut possis aeris cognoscere *portam*; e. q. s.

Vollmeri *vultum*, Baehrensii *formam* improbans ipse conieci *sortem*, quod nunc video etiam Ellisio in mentem venisse. Equidem hoc propono motus studio vatis, qui personificationem valde adamat, itaque de aeris sorte vel conditione loquitur, quasi de hominis statu.

Infra *sors* legitur de saxis eodem loco versus, nempe

Digitized by Google

547 et quaedam fortasse profundo
incomperta iacent similique obnoxia *sorti*

et quamquam aliam vim habet, tamen eadem figura subest.

Illud Heracliti πάντα ῥεῖ Aetnae poeta sic expressit

539 nihil insuperabile gigni
omnia quae rerum natura semina iacta.

Haec verba nemo, quantum scio, defendit. Cum plerisque editoribus initium versus 540 corruptum duco atque refingo

sunt quarum rerum natura semina iacta.

Sunt compendio scriptum $\widehat{ſt}$ librarius videtur confudisse cum $\widehat{oıa} = omnia$. Certe versum ponderosum lucramur dignum, qui addatur 26 ceteris eiusmodi versibus, quos hoc poema continet.

Digitized by Google

DE RESCRIPTO IMPP. SEVERI ET CARACALLAE SOLVAE REPERTO. [1])

SCRIPSIT

JAN KAMPSTRA.

Otto Cuntz, qui primus de hac re egit, hunc in modum legit:

1 [Imp. Caes. L. Sept. Severus] Pert. [P. Aug. et I]mp. Caes.
M. Aurelius Antoninus Pius Aug.
2 [Name des Adressaten im Dativ]. Beneficia quae amplissimo
ordine vel aliquo princi-
3 [pe iubente collegis c]entonar. concessa sunt, temere convelli
non oportet.
4 [Aut quod sapientia eoru]m sanxum est custodiatur et ii
quos dicis divitis suis sine onere
5 [uti, publica subire m]unera compellantur, neque enim col-
legiorum privilegium pro-
6 [miscue omnes allecti]exercent, aut iis qui maiores facultates
praefito modo possident ad ver-
7 [ba tua etiam honor]is adibendum est remedium, non propter
hos minuedus numerus. Alioquin
8 [tenuiores perfr]uantur vacatione quae non competit bene-
ficiis coll. derogari
(Sequuntur 7 series nominum)
9 [Eigennam]us in honor. M. Secundi Secundini patris tabulam

1) Antea tractato ab
Otto Cuntz: Jahresh. des Oestrr. Arch. Inst. XVIII, p. 98 sqq.
A. Steinwenter: Wiener Studiën 40 p. 46 sqq.
A. G. Roos: Mnemosyne XLVII (1919) p. 371 sqq.
iterum Steinwenter: Wiener Studiën 42, p. 88 sqq. Ut post horum virorum conaminum titilum denuo tractarem U. P. Boissevain v. c. magister meus mihi auctor fuit. Idem suasit ut quid de eo sentirem publici iuris facerem.

Digitized by Google

10 [posuit d(ecreto) co]ll. centonarior. d. d. r. solv. pr. id. oct.
Imp. An[t]onino II [G]et[a] co(n)s.
11 [curam agen]te Ursino [.....

Pro qua lectione Steinwenter l. l. legit:

Vrs. 5 sqq. ..... neque enim collegiorum privilegium pro [miscue omnes allecti]exercent, aut iis qui maiores facultates praefito modo possident adver[sum bon(orum) cessionis]adibendum est remedium etc.

Et Roos l. l. plura mutans textum hunc in modum restituit: vrs. 4 sqq.

[*sed* quod sapientia eoru]m sanxum est custodiatur et ii quos dicis divitis suis sine onere
[uti, publica subire m]unera compellantur, neque enim collegiorum privilegium pro-
[miscue omnes allecti]exercent, aut iis qui maiores facultates praefito modo possident *ad ver*
[*ba tua substitution*]*is* adibendum est remedium, non propter hos minuedus numerus.

Alioquin [*universi* perfr]uantur vacatione etc.

Longitudo versuum huius inscriptionis computari potest ex longitudine versus primi, qui nihil nisi titulaturam imperatorum offert. Si igitur titulaturam recte restituamus, cognoscemus ex quot litteris alii versus compositi essent.

Secundum meam opinionem Cuntz non recte titulum Severi supplevit; ille enim titulus *Pert. P. Aug* nusquam invenitur [1]) et mihi periculosius videtur hunc insuetum titulum in lacunam restituere, praecipue cum videamus necesse esse cognomen *Pium* in *P.* abbreviare, quae abbreviatura etiam ea de causa singularis est, quod apud nomen Caracallae *Pium* scriptum est.

Cuntz vero *P.* post *Pert.* accepit, cum eo loco hastam verticalem litterae P. videre putaret. Autopsia lapidis me docuit Cuntzium erravisse. Eo enim loco lapis laesus est ita, ut hasta esse videatur ubi est rasura; si quis accuratius spectat, infimam partem primae hastae litterae A cernere potest.

Itaque si spectamus probabilem Severi titulum, versus primus sic restituendus esse videtur

1) Conf. Indices C. I. L. et Dessau Inscr. Lat. Sel. s. v. Sept. Severus.

Digitized by Google

[Imp. Caes. L. Sept. Severus Pius] Pert. [Aug. et I]mp.

Ex quo sequitur nobis in lacunas singularum versuum plures litteras supplendas esse quam Cuntzio [1]); sed etiam nobis pro 7 seriebus nomium 8 accipiendas esse. Revera iam Cuntzii calculationes investigantes cognosceremus virum doctum non recte calculavisse locumquc ampliorem quam ut 7 scriebus rite expletus esset, invenissemus.

Si vero 8 series nominum accipiamus etiam tantus numerus collegiatorum invenitur, ex quanto collegium constitutum esse probabile est: dico centum. [2])

Iam transeundum est ad quaestionem cardinalem, versum dico septimum. Lectionem Cuntzii, „honoris" Roos repudiavit. Sed neque eius lectionem „substitutionis" approbare possum. Ad argumenta quae Steinwenter l. l. adtulit adiicere liceat in rescripto impp. Theodosii et Valentiniani [3]) in casu persimili verbum „subrogare" adhiberi; maiore probabilitate igitur restitui posse.... *subrogationis.*

Sed neque huic lectioni neque supplemento Steinwenteri assentiri possum. Mea enim sententia causam huius rescripti praebuit (et hanc viam iam Steinwenter monstravit) non tam contumacia quam facultates deminutae corporatorum.

Propterea praeses provinciae minatus est collegiatos qui numeribus fungi detrectare conarentur se ex collegio remoturum. Tum pater collegii M. Sec. Secundin(i)us imperatorem adiit rogavitque num hoc liceret. Qui rescripsit non esse minuendum numerum sed adhibendum remedium.

De genere remedii conjicere licet ex his locis:

1° Dig. L, 4, 9. Ulpianus libro III officii consulis:

„Si quis magistratus in municipio creatus munere iniuncto fungi detrectet per praesides munus agnoscere cogendus est remediis quibus tutores quoque solent cogi ad munus, quod iniunctum est, adgnoscendum".

2° Cod. Just. V. 43. 3. (a. 229)

„Imp. Alexander A. Fortunatae. Praeses provinciae

1) In lacunaun versus 2^{i} et 3^{i} circa 23 litt., in lac. vers. 4^{i}, 5^{i}, 6^{i} et 7^{i} circa 20 litt., in lac. vers. 8 circa 18 litt.

2) Cf. quod Cuntz l. l. de collegii numero enarravit.

3) Cod. Just. XI, 18.

Digitized by Google

tutores filiorum tuorum strictioribus remediis adhibitis omnimodo administrationis officium compellet agnoscere. Quodsi in eadem contumacia perseveraverint suspectos postulare ut alii in locum eorum petantur non prohiberis".

Tutores igitur quibusdam remediis tutelae officia agnoscere cogi potuerunt. Eiusmodi remedia a praesidibus etiam in *detrectantes magistratus* adhiberi potuisse ex Digestorum loco allato apparet.

Ii quoque qui *numeribus* fungi detrectabant *eodem* remedio cogendi fuisse videntur; cuius remedii genus apparet ex Dig. 26, 7, 39, 11: libro XI quaestionum: „In eum qui tutelam gerere noluit post ceteros, qui gesserunt, *actionem* utilem tutelae dari placuit".

Itaque propono:

action]is adibendum est remedium
et in praecedenti lacunae parte supplere velim
adver[sus detrectantes. [1])

Sed haec si vera lectio est, sententia quae incipit a coniunctione „aut" soluta est ab iis quae sequuntur ut cohaerere eam cum praecedentibus oporteat et sicut „possident" ita „exercent" quoque sententiae relativae verbum est. Quae si ita sunt apparet verbum sententiae primariae latere in lacuna versus sexti, ubi conjicio legendum: *pro[dest aut iis qui artem non] exercent* etc.

Restat ut ceterorum versuum longitudinem adaequeums versui primo pro certo restituto, quod sine sententiae mutatione fieri potest.

In versus 2[i] lacuna 23 litterae supplendae sunt, quae nomini et cognomini abundantur sufficiunt. Sumamus igitur rescriptum ab eodem verbo exordiri, quod in fine iteratur: *Vacationis* beneficia etc.

In versu 3° pro *iubente* propono *constituente.*

In versu 5° pro *publica* propono *municipalia.*

---

1) De praepositione „adversus" cf.

Cod. Just. V, 28, 1. „Quodsi administravit sponte res tuas experiri *adversus* eum *actione* negotiorum gestorum potes".

Dig. 26, 7, 39, 4, „*adversus* tutorem qui pupillum hereditate patris abstinuit *actionem* denegari non oportet etc."

Digitized by Google

In versu 9° accipiendam esse puto eam lectionem quam Cuntz deficiente spatio seposuit: *Collegii numerus.*

In versu 10° mihi Cuntzii lectio: *d(ecreto) collegii* improbanda videtur propter verba quae sequuntur: *d(ecreto) d(ecurionum).* Postulantur potius verba quibus locus iudicetur, itaque lego:

[posuit *ad scholam* co]ll(egii) etc.

Tota inscriptio sic mihi legenda esse videtur:

1. [Imp. Caes. L. Sept. Severus Pius] Pert. [Aug. et I]mp. Caes. M. Aur. Antoninus Pius Aug.
2. [...o..... o. Vacationis] beneficia quae amplissimo ordine vel aliquo princi
3. [pe constituente collegiis c]entonar. concessa sunt, temere convelli non oportet.
4. [Sed quod sapientia eoru]m sanxum est custodiatur et ii quos dicis divitis suis sine onere
5. [uti, municipalia subire m]unera compellantur. Neque enim collegiorum privilegium pro-
6. [dest aut iis qui artem non] exercent, aut iis qui maiores facultates praefito modo possident. Adver-
7. [sus detrectantes action]is adibendum est remedium, non propter hos minuedus numerus. Alioquin
8. [omnes allecti perfr]uantur vacatione quae non competit beneficiis coll. derogari.
9. [Collegii numer]us in honor. M. Secundi Secundini patris tabulam
10. [posuit ad scholam co]ll. centonarior. d. d. r. Sol. pr. id. oct. Imp. An[t]onino II [G]et[a] co(n)s
11. [curam agen]te Ursino [....]

Digitized by Google

MINUCIUS FELIX ET TERTULLIANUS.

SCRIPSIT

J. VAN WAGENINGEN.

Nuper Waltzing, vir doctissimus, rursus egit de Minucii Octavio et Tertulliani Apologetico (Mus. Belg. 1921, p. 189—196) et Reinachii sententiam secutus demonstrare conatus est verba Minucii in c. XXI § 9; „nisi forte post mortem deos fingitis et peierante Proculo deus Romulus, et Iuba Mauris volentibus deus est" prius scripta esse quam Tertulliani Apol. XXIV § 7: „unicuique etiam provinciae et civitati suus deus est, ut Syriae Atargatis, ut Arabiae Dusares, ut Noricis Belenus, ut Africae Caelestis, ut Mauretaniae reguli sui". Tertullianum enim paulo ante quam Apologeticum exeunte anno 197 p. Chr. n. confecerit, iam in oratione *ad nationes*, quae eadem argumenta atque Apologeticum sed aliter disposita tractat, hosce deos peregrinos enumerasse II § 8 (108, 16): „quanti (= quot) sunt qui norint visu vel auditu Atargatim Syrorum, Caelestem Afrorum, Varsutinam Maurorum" cet., deinde cum eandem rem in Apologetico retractaret, pro *Varsutina* substituisse *Mauretaniae regulos*, hoc modo id quod Minucius de uno rege Iuba dixisset, ad plures Mauretaniae regulos transferentem. Reinachius autem ex inscriptione quadam Latina, in Mauretania Sitifensi inventa (C. I. VIII 20627), in qua cultus Iubae iuxta Iovem et Genium loci mentio fit, Minucium Cirtensem ipsum in Numidia hunc deum Iubam cognosse atque in opusculum suum inter alios deos peregrinos recepisse efficit. Sed de tota hac argumentatione vehementer dubito. Primum enim nomen illud Iubae dei non modo in inscriptione supra commemorata occurrit, sed etiam

Digitized by Google

legebatur in fonte, quo Isidorus usus est (Manitius G. d. l. L. des Mittelalters p. 63—64) VIII 11, 1: 'quos pagani deos asserunt, homines olim fuisse produntur, et pro unius cuiusque vita vel meritis coli apud suos post mortem coeperunt, ut apud Aegyptum Isis, apud Cretam Iovis [1]), apud Mauros Iuba, apud Latinos Faunus, apud Romanos Quirinus', quem fontem etiam Minucius adire potuit, nam quicumque Octavio diligenter perlecto atque cum Ciceronis de natura libris et Senecae de superstitione fragmentis collato — ut iam de aliis taceam — perspexerit, quam astutus sit fur litteratus Minucius undique sua rapiens et callide furta sua mutans vel lectores celans, facilius credat eum, quamquam in Africa natus est, Iubam cum Proculo et Romulo iam apud Senecam aliumve in deorum numerum receptum repperisse quam de suo addidisse. Tum si Waltzingi ratiocinatio recte se habet, nobis statuendum est Tertullianum, quem novimus auctorem summa doctrina imbutum, primum Minucio neglecto in libro *ad nationes* laudasse aliquam deam Varsutinam Maurorum, deinde libello Minucii cognito et nomine Iubae lecto Varsutinam Maurorum regulis cedere iussisse, qua explicatione et Minucio nimius honor tribuitur et Tertulliani scientia parum magni habetur. Sed nolebam de hac quaestione multis verbis agere. Multo graviora mihi videntur argumenta, quae ex comparatione, inter Min. Oct. XXI §§ 4—9 (qui locus antecedit iis quae de Iuba deo dicta sunt) et Tert. Apol. X §§ 5—11 instituta, peti possunt. In hac tamen re non in animo est vetera argumenta repetere neque de Thallo historico, qui bis a Tertulliano in Apologetico, semel a Minucio in Octavio citatur, neque de Cassio, qui prave a Tertulliano Cassius Severus appellatur, a Minucio sine cognomine laudatur, disserere, sed utriusque scriptoris locum eiusque dispositionem atque sententiarum ordinem tractaturus sum, ut inde colligam, uter utri exemplo fuerit.

Invehitur Tertullianus [2]) in deos paganorum, qui antea homines fuerint, hoc modo (Apol. X § 5):

1) Animadverte formam vetustiorem, e fonte sumptam.

2) Cf. Heinze, Tertullians Apologeticum p. 342, cuius liber me a priore sententia mea abduxit et omnino mihi persuasit Tertullianum ante Minucium scripsisse.

Digitized by Google

„*Nunc ergo per singulos decurram*, tot et tantos novos veteres, barbaros Graecos, Romanos peregrinos, captivos adoptivos, proprios communes, masculos feminas, rusticos urbanos, nauticos militares? *Otiosum est* etiam titulos persequi..... *Ante Saturnum* deus penes vos nemo est".

Deinde narrat totam Saturni fabulam, in qua multa sunt Minucio similia, quae de industria omitto, quoniam ab aliis satis exposita sunt et mihi potius ipse tenor orationis observandus est. Tum Tertullianus ita perorat § 11:

„Satis iam de Saturno, licet paucis. Etiam *Iovem* ostendemus tam hominem quam ex homine et deinceps *totum generis examen* tam mortale quam seminis sui par".

Animadverte, quam egregie oratio procedat, quam arcte partes argumentationis inter se cohaereant: 1) introitus: nolo *per singulos decurrere* deos.... *otiosum est* etiam titulos persequi, 2) fabula Saturni, 3) *satis de Saturno*, etiam Iovem ostendemus hominem 4) deinceps *totum generis examen* (quod vocabulum ad finem reservatum optime depingit scriptorem stomachantem: „de heele santenkraam") mortale.

Nunc contra vide, quomodo Minucius, postquam secundum Alexandri Magni ad matrem epistulam Vulcanum dixit „omnium principem et postea Iovis gentem", easdem sententias, quas supra apud Tertullianum distinximus, suo modo ordinaverit (XXI §§ 4—9):

„*Saturnum* enim principem *huius generis et examinis*, omnes scriptores vetustatis Graeci Romanique hominem tradiderunt".

Attendas velim Minucium mirum in modum iam statim narrare incipientem, cum nullius adhuc generis sermo fuerit, locutione illa „generis et examinis" contemptim usum esse de diis, eundem duo illa vocabula quae sunt genus et examen, per copulam iunxisse [1]) et figuram quae est ἓν διὰ δυοῖν, adhibuisse, Tertullianum vero, postquam fabulam Saturni enarravit et paucis Iovem tetigit, tum demum fastidiose enumerationem

1) Cf. Verg. Aen. 9, 105: 'per pice torrentis atraque voragine ripas' cum Min. Oct. XXXV 2: 'per torrentes ripas et atram voraginem', ubi M. eodem modo verba Vergiliana distraxit.

Digitized by Google

deorum continuare nolentem addidisse *totum generis examen* mortale esse.

Sed examinemus quae sequuntur. Pergit Minucius Saturni fabulam tradere (§§ 5—7), ut Tertullianus, tum ad Iovis vitam (§ 8) transit, denique hunc epilogum adicit (§ 9):

> „*otiosum est ire per singulos* et totam seriem generis istius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas in ceteros ipso ordine successionis influxerit".

Sed quanto melius et concinnius Tertullianus, qui praemissa interrogatione *nunc ergo per singulos decurram?* additoque responso *otiosum est etiam titulos persequi*, ex tota deorum serie duos modo tractandos sumit concluditque orationem per verba „*totum generis examen* tam mortale quam seminis sui par".

At apud Minucium illud *otiosum est ire per singulos* vehementer claudicat et a loco alienum est, cum scriptor iam in paragraphis antecedentibus (§§ 4—7) lectoribus persuadere studuit Saturnum et Iovem („singulos" illos) homines fuisse, atque nunc initio paragraphi § 9 ei dicendum erat „de ceteris taceo". Sed duabus illis locutionibus Tertulliani *nunc ergo per singulos decurram?* et *otiosum est etiam titulos persequi* in unam conflandis eaque pravo loco ponenda manifeste se furem ostendit Minucius.

Sunt etiam alia exempla, ubi Minucii verba tum demum perspicua fiunt, cum ea cum Tertulliano compares. In Octavio XXXI § 6 legimus: „nec *in angulis garruli* (sc. nos Christiani sumus), si audire nos *publice* aut *erubescitis aut timetis*". Ita Octavius respondet ad ea, quae in priore parte dialogi de Christianis Caecilius dixerat (VIII § 4): „latebrosa et lucifuga natio, in publicum muta, *in angulis garrula*", sed quid in responso sibi volunt verba: „si audire nos *publice* aut erubescitis (sc. vos pagani) aut timetis"? Pudebatne Romanos (gentiles), Christianos de religione sua palam in auditoriis disputantes audire vel ad eorum coetus accedere? Sed id nusquam commemoratur, eo tempore Christianos iam tanta libertate usos, ut Romani eos palam sive in platea sive in conventu doctrinam de Deo et Christo profitentes audire possent. Re vera solebant Christiani „stato die ante lucem convenire car-

Digitized by Google

menque Christo quasi deo dicere secum invicem" cet., ut Plinius ep. X 96, 7 nobis narrat, atque idcirco poterant „lucifuga natio, in angulis garrula" appellari, sed *publice* audire, si ad verbum hoc adverbium intellegimus, Romani eos non poterant, neque causa erat, cur eos puderet vel timerent, ne hoc facerent. Itaque magna obscuritas Minucii verba premit, nisi... ad locum similem Apologetici accedimus, ubi Tertullianus sic orditur (Apol. I § 1): „si ad hanc solam speciem (= 'alleen bij de zaak der Christenen') auctoritas vestra (o Romani imperii antistites) de iustitiae diligentia *in publico aut timet aut erubescit* inquirere" (= 'uw waardigheid als rechter of vreest of zich schaamt voor een nauwgezette, openbare rechtspleging'). Nunc demum liquet, quid Minucii verba *nos publice audire* sibi velint. Ita enim argumentari videtur: „nec vobis, Romani, licet nos *in angulis garrulos* vocare, *nationem in publicum mutam* (VIII § 4), si audire nos in publico iudicio religionem nostram defendentes aut erubescitis aut timetis, sed nihil de iudiciis in Christianos exercendis addens omnino rem obscuram reddidit.

Venimus ad exemplum tertium. Agit Minucius de flagitiis, quae a sacerdotibus Romanis in templis committantur, et Octavium sic eos increpantem inducit (XXV § 11): „ubi autem magis quam a sacerdotibus *inter aras et delubra* conducuntur stupra, *tractantur lenocinia*, *adulteria* meditantur"? Cuius interrogationis prima pars hoc significat: ubi magis quam a sacerdotibus in templis pretio accepto conceditur, ut stuprum fiat? Sed quam ob causam Minucius stupra illa fieri testatur non modo *inter aras*, ubi tuto latebant, sed etiam *inter delubra*, ubi aperte sub divo perpetrata neminem latere poterant? Quia, ut opinor, festinanter parumque diligenter expressit Tertullianum, qui eadem facinora sic depinxit Apol. XV § 7: „ceterum si adiciam, quae non minus conscientiae omnium recognoscent, *in templis adulteria componi*, *inter aras lenocinia tractari*" cet. Minucius autem ex duabus locutionibus *in templis* et *inter aras* suo more unam conflans *inter aras et delubra* (quam etiam XXXII § 1 usurpat) non intellexit se absurda loqui.

Eidem studio verba aliena in angustum contrahendi imputanda est neglegentia obvia in verbis, quae Minucius de phi-

Digitized by Google

losophis Graecis prophetas Iudaeorum imitantibus facit. „Animadvertis", inquit Oct. XXXIV § 5, „philosophos eadem disputare quae dicimus (sc. nos Christiani), non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi *de* [1]) *divinis praedicationibus prophetarum umbram interpolatae veritatis imitati sint*". Iam Heinzius [2]) monuit Caecilium, adversarium paganum, nihil adhuc de illis praedicationibus prophetarum audivisse, sed haec omitto. Malim rogare: quid est *umbram interpolatae veritatis imitari*? Possunt philosophi Graeci veritatem imitari, possunt umbram veritatis imitari, sed haec veritas non interpolata est, sed sincera, et interpolata fit, simulatque philosophi eam depravarunt. Est igitur, ut forsitan nonnulli dicant, figura quae *πρόληψις* perhibetur, sed prolepsis dura vixque ferenda. Verum quomodo haec verborum structura contorta exstiterit, plane nobis patet, si verba de eadem re a Tertulliano enuntiata cum Minucio componimus, Apol. XLVII § 2: „quis poetarum, quis sophistarum qui non omnino *de prophetarum fonte* potavit"? § 3: „neque satis credentes divina esse, quominus *interpolarent*"; XLVI § 18: „*veritatis interpolator*". Vides Minucium artis conglutinandi esse peritissimum.

Postremo quis hanc Minucii de philosophis sententiam satis intellegit Oct. XXXVIII § 5: „philosophorum supercilia contemnimus, quos *corruptores* et *adulteros* novimus et *tyrannos*", nisi ante edoctus a Tertulliano, Apol. XLVI §§ 10—13: „(Socrates) *corruptor* adulescentium pronuntiatur.... audio et quendam Speusippum de Platonis schola in *adulterio* perisse... ecce Pythagoras apud Thurios, Zeno apud Prienses *tyrannidem* adfectant"?

Pauca haec exempla sufficiant ad Heinzii de Minucio sententiam corroborandam.

---

1) Batave: „van wege, door middel van".

2) Heinze, Tertullian's Apologeticum p. 469, 2.

Digitized by Google

DE HECATAEI ABDERITAE FRAGMENTIS.

SCRIPSIT

M. ENGERS.

In illo libro, qui inscribitur „*Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi*", v. c. Schürer in capite, cui titulus est „*Jüdische Propaganda unter heidnischer Maske*", et de aliis scriptoribus agit et de Hecataeo Abderita [1]). Qui auctor, aequalis Alexandri Magni et Ptolemaei Lagi, cum hoc rege consuetudinem habuisse videtur. Fere autem primus omnium scriptorum Graecorum animum intendit ad Iudaeos et in suis libris de iis egit. Quod non est admirandum. Nam aetate ipsa Alexandri et imprimis Ptolemaeo primo rege magnus Iudaeorum numerus Alexandriam a Palaestina demigravit, quo fundamenta iacta sunt ad illud commune Alexandriae Iudaicum constituendum [2]). Fragmenta autem, quae Hecataei nostri esse dicuntur, collecta sunt a Müllero in opere, quod inscribitur, „*Fragmenta historicorum Graecorum*" [3]), sed hic iam editor, dubitans annon omnia quae nobis restant fragmenta ad Hecataeum referenda sint, eorum partem falsario cuidam ascribit, qui Hecataei nomine abusus scribebat.

Iam statim animadvertendum est me hac in disceptatione de iis solum fragmentis locuturum, quae agunt de Iudaeis, ea dico fragmenta, quae inveniuntur apud Diodorum (XL, 3)

1) III[4], p. 603 sqq.

2) Ib. p. 31 sqq., inprimis p. 35 sq. Cf. Engers, *Klio* XVIII, $^1/_2$ p. 89.

3) II p. 384 sqq., ubi et complurium virorum doctorum antiquiorum opiniones laudantur.

Digitized by Google

et Iosephum (*contra Apionem* I, 22 (183—205 Niese) et II, 4, (43)).

Quorum Diodorus praefatus haec: ἡμεῖς δὲ μέλλοντες ἀναγράφειν τὸν πρὸς Ἰουδαίους πόλεμον, οἰκεῖον εἶναι δικαμβάνομεν προδιελθεῖν ἐν κεφαλαίοις τήν τε τοῦ ἔθνους τούτου ἐξ ἀρχῆς κτίσιν καὶ τὰ παρ' αὐτοῖς νόμιμα, auctore Hecataeo narrat olim in Aegypto morbum pestilentiae extitisse. Quod cum ascriberetur multis advenis terram habitantibus peregrinosque deos colentibus, alienigenas expulsos partim Danao Cadmoque ducibus in Graeciam demigravisse, sed maiorem partem in Palaestinam, quae tunc temporis prorsus inculta esset. Ducem ibi Mosen urbes condidisse, inter quas etiam Hierosolyma, templum construxisse, multas leges tulisse ad civitatem constituendam. Quarum nonnullae referuntur.

Josephus in priore fragmentorum supra laudatorum Hecataeum non strictim (παρέργως) de Iudaeis locutum esse dicit, sed totum librum de eis scripsisse; tum Hecataei aetatem constituit commemorando illum mentionem adhuc fecisse pugnae ad Gazam factae, qua Ptolemaeus Lagi Demetrium Poliorceten vicit. Deinde Hecataeum narravisse Iosephus dicit Ptolemaeum pugna ad Gazam facta tota Syria potitum esse multosque homines regis mansuetudine audita eum sequi et rerum participes fieri voluisse (κοινωνεῖν τῶν πραγμάτων); inter quos etiam Ezeciam fuisse, Iudaeorum pontificem (ἀρχιερέα). Ipsis Hecataei verbis tunc Iosephus Iudaeos tenacissimos legis et gentem numerosam fuisse demonstrat et teste eodem loquitur de Iudaeorum terrae magnitudine et pulchritudine, de eius capite et templo. „Praeterea", ita Iosephus pergit, „testis est Hecataeus militasse nos (sc. Iudaeos) cum Alexandro et postea eius cum successoribus". Postremo rem subicit, in qua Iudaeus quidam magnas partes habet, cui Hecataeus ipse interfuit.

In altero autem fragmento ad Iudaeos pertinenti Iosephus Hecataeo auctore narrat Alexandrum pro fide sibi praestita Iudaeis terram Samaritarum immunem dono dedisse.

Fragmentum quod invenitur apud Diodorum quin re vera Hecataei sit, nemo dubitat neque umquam dubitavit; contra alia fragmenta, tradita nobis a Iosepho, iam a Müllero, ut supra dixi, Pseudohecataeo cuidam ascribuntur; cui assentiun-

Digitized by Google

tur Schürer [1]), Willrich [2]), Jacoby [3]). Quorum Schürer haec argumentatur: teste Iosepho [4]) Hecataeus librum scripsit de Abrahamo patriarcha, e quo a Clemente Alexandrino nonnulli versus commemorantur, qui a Sophocle scripti esse dicuntur, sed re vera huius poetae non sunt [5]). Hoc demonstrari v. c. putat illum librum adulteratum esse. Porro apud Origenem de Hecataei libro quodam, qui agebat de Iudaeis, haec legimus: *καὶ Ἑκαταίου δὲ τοῦ ἱστορικοῦ φέρεται περὶ Ἰουδαίων βίβλιον, ἐν ᾧ προστίθεται μᾶλλόν πως ὡς σοφῷ τῷ ἔθνει ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς καὶ Ἐρέννιον Φίλωνα ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι πρῶτον μὲν ἀμφιβάλλειν, εἰ τοῦ ἱστορικοῦ ἐστι τὸ σύγγραμμα· δεύτερον δὲ λέγειν, ὅτι, εἴπερ ἐστὶν αὐτοῦ, εἰκὸς αὐτὸν συνηρπάσθαι ἀπὸ τῆς παρὰ Ἰουδαίοις πιθανότητος καὶ συγκατατεθεῖσθαι αὐτῶν τῷ λόγῳ* [6]). Dubitandum igitur non esse Schürer existimat, quin et liber de Iudaeis adulteratus sit. Deinde librum de Abrahamo eundem esse atque de Iudaeis conicit et hunc librum igitur falso Hecataeo nostro adscriptum esse.

Willrich Schüreri argumentatione approbata magnam aliorum argumentorum copiam adicit, quorum maximum hoc est, fragmentum quod est apud Iosephum, in quo haec legimus: *τοιγαροῦν — καὶ κακῶς ἀκούοντες* (sc. Iudaei) *ὑπὸ τῶν ἀστυγειτόνων καὶ τῶν εἰσαφικνουμένων πάντες καὶ προπηλακιζόμενοι πολλάκις ὑπὸ τῶν Περσικῶν βασιλέων καὶ σατραπῶν οὐ δύνανται μεταπεισθῆναι τῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ γεγυμνωμένως περὶ τούτων καὶ αἰκίαις καὶ θανάτοις δεινοτάτοις μάλιστα πάντων ἁπάντῶσι μὴ ἀρνούμενοι τὰ πάτρια*, scriptum esse non posse nisi post vexationem persecutionemque gentis Iudaicae, sed Persarum aetate talem persecutionem numquam factam esse, quare fieri non possit quin nostri fragmenti scriptor vixerit temporibus Antiochi Epiphanis, illius regis qui cum Machabaeis bellum gessit, aut postea; nomen Hecataei igitur falso usurpatum esse.

---

1) *Gesch. d. j. Volkes* III p. 603 sqq.
2) *Iudaica* p. 86 sqq.
3) Pauly-Wissowa-Kroll, *R. E.* VII, 2765 sqq.
4) *Ant. Ind.* I, 7, 2 (159) = Eusebius, *Praep. ev.* IX, 16.
5) Clem. Alex. *Strom.* V, 14, 113 = Eusebius, *Praep. ev.* XIII, 13, 40.
6) Origenes, *Contra Celsum* I, 15.

Digitized by Google

Ex aliis argumentis a Willricho allatis haec tantum afferantur: descriptio, inquit, Iudaeae et Hierosolymorum ad tempora solum, quae post Machabaeos fuerunt, convenit; tum dubitat annon recte traditum sit Alexandrum terram Samaritarum immunem Iudaeis dedisse. Postremo homines et res, de quibus in Iosephi fragmentis agitur, ad aetatem pertinere putat, quae longe post Hecataei veri mortem fuerit.

Jacoby postremo de Diodori et Iosephi fragmentis haec scribit: der Ton und der Inhalt der Exzerpte ist so völlig verschieden, dass sie unmöglich aus dem gleichen Buche stammen können. Der ruhigen Objektivität des Diodorischen Stückes steht bei Iosephus ein vollständiger Panegyrikus gegenüber; dem gut beobachteten, aber lückenhaften und zum Teil recht falschen Tatsachenmaterial eine sehr intime Kenntnis des jüdischen Landes und der jüdischen Geschichte..... Wir kennen Ton und Inhalt aus anderen Produkten der jüdischen Apologetik, von deren Masse sich Pseudo-Hekataeus vielleicht aber dadurch unterscheidet dass er nicht ganz so roh arbeitet.

Contra ante omnes Elter [1]) et Wendland [2]) etiam Iosephi fragmenta Hecataeo adscribenda esse putant. Ego autem fragmentis rursus accurate perspectis demonstrare in animo habeo, nulla re adduci nos, ut illa fragmenta falsario cuidam tribuamus. Id si demonstravero, iam apparebit Schürerum iniuria agere de Hecataeo in capite quod supra nominavi, multo prius de eo tractandum fuisse in capite quod inscribitur „*Historische Literatur*" (III, 33).

Quod ad argumenta a Schürero allata attinet, eius opinio librum de Iudaeis et de Abrahamo patriarcha eundem esse nullo modo demonstrari potest. Haec si opinio vera esset, Schürero assentirer, affirmanti illum librum spurium esse. Nam ut omnino credere possumus Hecataeum scripsisse de Iudaeis, ita absurdum existimandum est, eum fusius egisse de Abrahamo patriarcha. Huc si accedit, versus Sophoclis qui ex illo libro

1) *De gnomologiorum graecorum historia atque origine* IX, coll. 247—254.

2) Apud Kautzsch, *Apokryphen und Pseudepigraphen des Alten Testamentes* II p. 2, fusius in *Berl. Phil. Wochenschrift* 1900, 1199 sqq., ubi disputat de Willrichi libro, qui inscribitur *Iudaica*. Id., *Die hellenistisch-römische Kultur*[2] p. 116; 200 sqq.

Digitized by Google

proferuntur, ab illo poeta factos esse non posse, satis demonstratum est librum de Abrahamo scriptum esse a Iudaeo quodam, qui Hecataei nomine abuteretur. Contra facile intellegi potest Hecataeum scripsisse de suae aetatis Iudaeis et eorum moribus legibusque. Viri docti antiquiores (inter quos etiam Willrich) et alias ob causas Iosephi fragmenta Hecataeo denegabant et hanc ob rem quod putabant maiorem Iudaeorum coloniam posterioribus demum Ptolemaeis regentibus Alexandriam deductam esse, quare non intellegebant quomodo fieri potuisset ut Hecataeus, auctor Graecus in Aegypto morans, animum adeo intenderet ad Iudaeos et de iis scriberet. Sed iam Schürer ipse probavit recte Iosephum et Ps. Aristeam nobiscum communicavisse, iam Alexandrum complures Iudaeos Alexandriam deduxisse eodem iure iisdemque legibus ac Macedones [1]) et Ptolemaeo primo rege illius gentis magnam multitudinem in Aegyptum demigravisse [2]). Quorum maiorem partem Alexandriam insedisse, ubi iam multi Iudaei habitarent, verisimile est. Itaque Hecataeus, qui illis ipsis temporibus Alexandriae morabatur, Iudaeorum commune crescere et augeri vidit neque mirandum est eum cum nonnullis eorum consuetudinem habuisse et certiorem factum esse ab iis de gentis legibus moribusque.

Schürero autem et Willricho ex Origenis verbis supra laudatis (p. 231) efficientibus ut liber Περὶ Ἰουδαίων, quem Origenes ipse et Herennius Philo (qui est aequalis imperatoris Hadriani) legebant, non esse Hecataei, assentiri possumus sed quaerendum est num eundem librum legerint atque eum, ex quo apud Iosephum fragmenta nobis restant. Nam si Origenes de Hecataeo dicit hoc: ἐν ᾧ προστίθεταί μᾶλλόν πως ὡς σοφῷ τῷ ἔθνει fieri non potest quin in libro ab eo lecto gentis Iudaicae sapientia pressa sit. Sed in fragmentis apud Iosephum sapientiae nulla mentio facta est. Credere possimus in parte libri, quae non iam restat, hanc rem commemoratam fuisse, sed non est verisimile; nam tum Iosephus cum ceteris suae gentis laudibus certe et eam egisset. Itaque fieri potest ut Origenes et Herennius Philo librum legerint, qui Hecataei esse

1) Ios. *Ant. Iud.* XIX, 5, 2 (281), *Bell. Iud.* II, 18, 7 (487). Cf. supra p. 229[2].
2) Ios. *A. I.* XII, 1, 1 (8). Cf. supra p. 229[2].

Digitized by Google

dicebatur, magnas Iudaeorum laudes continentem. Nam talem librum extitisse cum aliis ex rebus apparet tum ex his Ps. Aristeae verbis: *διὸ πόρρω γεγόνασιν οἵ τε συγγραφεῖς καὶ ποιηταὶ καὶ τὸ τῶν ἱστορικῶν πλῆθος τῆς ἐπιμνήσεως τῶν προειρημένων βιβλίων* (sc. Iudaeorum) *καὶ τῶν κατ' αὐτὰ πεπολιτευμένων ἀνδρῶν, διὰ τὸ ἁγνήν τινα καὶ σεμνὴν εἶναι τὴν ἐν τούτοις θεωρίαν, ὡς φησιν Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης* [1]). Hic igitur audimus Graecos auctores idcirco non locutos esse de Iudaeorum legibus et Iudaeis ipsis, quod eorum instituta sancta essent. Nemo non intellegit non virum Graecum Hecataeum haec scripsisse, sed virum Iudaicum, qui nomine Hecataei abutebatur, cuius aetas est inter Hecataei et Ps. Aristeae aetates.

Sed iam videamus num fragmenta Iosephi revera tam benigna sint erga Iudaeos, ut Origenes de eorum scriptore dicere posset: *ἐν ᾧ* (sc. *βιβλίῳ*) *προστίθεται μᾶλλον ὡς σοφῷ τῷ ἔθνει ἐπὶ τοσοῦτον ὡς* etc. et Herennius Philo dubitaret an spuria essent. Pariter loquemur de v. c. Jacoby argumentis, opinantis fragmenta Diodori et Josephi tam diversa esse rebus et sermone, ut eiusdem scriptoris esse non possint.

Iam statim in utriusque scriptoris fragmentis comparandis animadvertendum est alterum, Diodorum dico, agere de temporibus antiquissimis, alterum vero res Alexandri et Ptolemaei aetate ipsa gestas tractare. Praeterea non obliviscendum est Diodorum, ut est eius mos, fontem simpliciter exscribere, Iosephum contra fontem excerpere ita, ut gentem suam defendat et laudet. Itaque verba quidem Iosephi et compositione et conclusionibus laudatio est gentis Iudaicae, sed singula perspicientibus et ab Iosephi interpretatione solventibus apparet res sine studio scriptas esse neque scriptoris animum erga Iudaeos ostendere posse.

Maius iam ex Iosephi fragmentis accuratius contemplemur: prima pars, in qua Iosephus Hecataei aetatem constituere conatur, ut non est prorsus perspicua ita sine ullo in Iudaeos studio scripta est. Neque ea pars, in qua Iosephus narrat pugna ad Gazam facta multos homines inductos Ptolemaei

1) *Epistula* 31 (Wendland). Iosephus, *Ant.* XII, 2, 3 (38), sequitur Ps. Aristeam, dicens Hecataeum auctorem esse huius nuntii.

Digitized by Google

mansuetudine et clementia regem in Aegyptum sequi et rerum participes fieri voluisse, documento esse potest, scriptorem Iudaeis amicum esse. Τῶν (sc. hominum qui regem sequebantur) εἷς ἦν... Ἐζεκίας ὁ ἀρχιερεύς, ita pergit et Ezeciae aetatem et virtutes numerat. Tum: „κεῖνοι", φησίν (sc. Hecataeus) „οἱ πάντες ἱερεῖς τῶν Ἰουδαίων οἱ τὴν δεκάτην τῶν γινομένων λαμβάνοντες καὶ τὰ κοινὰ διοικοῦντες περὶ χιλίους μάλιστα καὶ πεντακοσίους εἰσίν". Πάλιν δὲ τοῦ προειρημένου μνημονεύων ἀνδρός (sc. Ezeciae sacerdotis Iudaeorum) „οὗτος", φησίν (sc. Hecataeus), „ὁ ἄνθρωπος τετευχὼς τῆς τιμῆς ταύτης (sc. muneris sacerdotis) καὶ συνήθης ἡμῖν (sc. Graecis, qui cum Ptolemaeo erant) γενόμενος, παραλαβών τινας τῶν μεθ' ἑαυτοῦ τήν τε διαφορὰν ἀνέγνω πᾶσαν αὐτοῖς· εἶχεν γὰρ τὴν κατοίκησιν αὐτῶν καὶ τὴν πολιτείαν γεγραμμένην". Quid haec verba sibi velint, viri docti dissentiunt. Cum Willrich interpretetur: „Der Hohepriester hatte ein schriftliches Statut über die Niederlassung der seinen in Aegypten und er regelte alle Differenzen unter ihnen" [1]), Wendland haec significari putat: „er las die besonderen Einrichtungen, κτίσις und Verfassung (aus der Thorah) vor" et addit: „Willrich hat... diese zu Diodor trefflich passende Stelle völlig missverstanden [2]). Wendlando assentior Willrichi interpretationem non bonam esse: τὴν διαφορὰν ἀνέγνω πᾶσιν αὐτοῖς verti non potest: „er regelte alle Differenzen unter ihnen": verbum ἀναγιγνώσκειν numquam eam significationem habet. Neque a Wendlando dissentio vertente ἀνέγνω verbo Latino „recitavit". Solent enim in gente Iudaica leges praecepta alia eius modi recitare: leges inventas populo coacto rex ipse Iosia recitat [3]); item Ezra leges in lucem proferre cupiens, septem viris dextra septem laeva assumptis, populo recitat [4]) (cf. παρελαβών τινας τῶν μεθ' ἑαυτοῦ); neque minus sacra scriptura, ab illis Septuaginta viris Graece conversa, Ps. Aristea auctore a Demetrio communi Alexandriae recitatur [5]).

1) *Iudaica* p. 91.

2) *Berl. Phil. Woch.* XX (1900), 1200. V. c. Geffcken, *Zwei Griechische Apologeten*, Praefatio p. XIV², de hoc loco disserens dicit „Das Wort ist schwer zu deuten".

3) II *Reg.* 23, 2.

4) *Nehemia* 8, 4 sqq.

5) Ps. Arist. *Epistula* 308.

Digitized by Google

Sed quid Ezecias noster recitavit? *τήν τε διαφορὰν πᾶσαν*, ita textus. Wendlandum supplere cupientem *τῶν νομίμων* et vertentem ita ut supra dixi sequi non possum. Audacius esse mihi videtur supplere *τῶν νομίμων*, nusquam *τῶν νομίμων* mentione facta. Neque illi viro docto assentior opinanti vocabulis *κατοίκησις* et *πολιτεία* sententiae sequentis idem significari atque Diodori verbis *κτίσις* et *τὰ παρ' αὐτοῖς νόμιμα*, initio fragmenti supra laudati usurpatis. Si bene intellego, locus ita interpretandus est: sacerdos duos libros scriptos secum affert, *κατοίκησιν* et *πολιτείαν*. In altero autem descriptum erat, quomodo Iudaei Alexandriae collocati essent, eorum iura et officia; *πολιτείᾳ* contra significatur Iudaeorum lex (Thorah) [1]). Sed haec lex facta erat Iudaeis Palaestinam domicilium habentibus: moneo tantum de numerosis sacrificiis in templo Hierosolymis faciendis. Controversiae autem inter Iudaeorum ipsorum instituta et leges, secundum quas Alexandriae habitabant, a sacerdote in recitatione agebantur [2]). Mea si interpretatio recta est, dubitari non posse mihi videtur, quin illa verba simplicia scripta sint ab acquali quodam, qui aut recitationi ipse interfuit (imprimis animadvertendum est ad verba *εἶχεν γὰρ τὴν κατοίκησιν αὐτῶν καὶ τὴν πολιτείαν γεγραμμένην*) aut de ea audiverat ex homine alio, qui inter sacerdotis auditores fuerat. Praeterea qui falsarius, qui id agebat ut suam gentem defenderet, nominatim loqueretur de controversia inter Iudaeorum et Alexandrinorum leges?

Εἶτα Ἑκαταῖος, ita Iosephus pergit, *δηλοῖ πάλιν, πῶς ἔχομεν πρὸς τοὺς νόμους, ὅτι πάντα πάσχειν ὑπὲρ τοῦ μὴ παραβῆναι τούτους προαιρούμεθα καὶ καλὸν εἶναι νομίζομεν. τοιγαροῦν, φησί, καὶ κακῶς ἀκούοντες ὑπὸ τῶν ἀστυγειτόνων καὶ τῶν εἰσαφικνουμένων πάντες καὶ προπηλακιζόμενοι πολλάκις ὑπὸ τῶν Περσικῶν βασιλέων καὶ σατραπῶν οὐ δύνανται μεταπεισθῆναι τῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ γεγυμνωμένως περὶ τούτων καὶ αἰκίαις καὶ θανάτοις δεινοτάτοις μάλιστα πάντων ἀπαντῶσι μὴ ἀρνούμενοι τὰ πάτρια.*

1) Vocabulum sic etiam adhibetur in Hecataei fragmento apud Diodorum: *καὶ τὰ κατὰ τὴν πολιτείαν ἐνομοθέτησέ τε καὶ διέταξε* (sc. **Μωσῆς**).

2) *αὐτοῖς* in verbis *τήν τε διαφορὰν ἀνέγνω πᾶσαν αὐτοῖς* est „Iudaeis" neque cum Iacoby putandum est hoc vocabulum esse „ein Fehler des Iosephischen Textes" — *R. E.* VII, 2767.

Digitized by Google

Hecataeus igitur teste Iosepho narraverat Iudaeos vicinorum peregrinorumque calumnia et regum satrapumque Persarum iniuriis neglectis animum in leges non mutavisse, sed mortem et supplicia pati maluisse quam leges violare. Fieri potest ut auctor his verbis gentem Iudaicam laudaverit neque est mirandum Iosephum sic ea intellegere, sed eodem iure putare possumus Hecataeum rem singularem tantum nobiscum communicare.

Neque minus tamquam de mira re Hecataeus Iosepho teste egerat de Iudaeorum pertinacia in religione, cuius illum auctorem duo documenta attulisse Iosephus nobis tradit: cum enim Alexander Babylone dei Beli templum, quod corruerat, restituere vellet, milites Iudaeos, licet verberibus aliisque poenis multati essent, templo reficiendo interesse recusavisse; tum in sua patria Palaestina Iudaeos templa et aras, a peregrinis constructas, satrapis Persarum praesentibus, delevisse. „Et Hecataeus addit", ita narrat Iosephus, „Iudaeos hanc ob rem admirandos esse". Agitur igitur de Iudaeorum virtute, qua et aliorum illius aetatis Graecorum animi movebantur et Hecataei, qui peregrinarum gentium mores et instituta semper acriter intuebatur. Quare non mirandum est Hecataeum addere: δίκαιον ἐπὶ τούτοις αὐτούς (sc. Iudaeos) ἐστι θαυμάζειν. Iis verbis solis Iosephi auctor in nostro fragmento Iudaeos laudat, sed nullo modo hac laude simplici approbari potest totum Iosephi fragmentum Hecataeo denegandum esse et ascribendum falsario cuidam.

Tum de gentis Iudaicae magna multitudine Hecataeum locutum esse Iosephus dicit; quod efficit ex ea re, quod Hecateus suo in libro tradiderat Persas multas Iudaeorum myriadas Babylonem deduxisse et Alexandro mortuo non paucas myriadas in Aegyptum et Phoenicem propter Syriae motus demigravisse. Huius nuntii, qui nullam gentis Iudaicae defensionem continet, conclusio plane Iosepho ascribenda est. [1])

---

1) *Contra Apionem* 194: πολλὰς μὲν γὰρ ἡμῶν, φησίν (sc. Hecataeus), ἀναστάστους εἰς Βαβυλῶνα Πέρσαι πρότερον αὐτῶν ἐποίησαν μυριάδας. Iosephi editor Niese verbum ἡμῶν spurium esse putat, Bekker mutare vult in αὐτῶν. Mendum esse Iosephi pro αὐτῶν iudico, qui eodem verbo ἡμῶν in fine prioris sententiae utitur.

Digitized by Google

Deinde Iosephi auctor agit de terra Iudaica et de urbe Hierosolymis, nec non de numero civium et templo. De terra dicit: *τριακοσίας γὰρ μυριάδας ἀρούρων σχεδὸν τῆς ἀρίστης καὶ παμφορωτάτης χώρας νέμονται* (sc. Iudaei)· *ἡ γὰρ Ἰουδαία τοσαύτη πλῆθός ἐστιν.* Nemo autem ignorat partem Palaestinae, quae ad meridiem spectat, cui nomen est Iudaea, re vera fertilem esse. Neque auctor errat de terrae magnitudine (tricies centena milia arurarum = 8268 K M²). His iam verbis Willrichum retineri oportebat, quominus fragmentum nostrum auctori tribueret, qui post Machabaeos vivebat; nam Iohanne Hyrcano regente (135—106 a Chr. n.) Iudaeae fines ita aucti sunt, ut tunc temporis multo maiores essent quam Iosephi auctor dicit. Et ne Willrichus quidem, opinor, perhibere velit falsarium tam callidum fuisse ut in finibus communicandis rationem habuerit terrae status qui ducentis vel trecentis annis ante fuit.

Iosephus autem disserens de urbe Hierosolymis ex sui auctoris verbis efficit quod huic alienissimum est. Cum enim auctor sine ulla laude loquatur de urbis circuitu, de numero incolarum descriptionemque faciat templi, Iosephus ea verba laudat probandi causa... *ὅτι καὶ τὴν πόλιν αὐτὴν τὰ Ἱεροσόλυμα καλλίστην τε καὶ μεγίστην ἐκ παλαιοτάτου κατοικοῦμεν.* Videas laudem et hic Iosephi esse neque eius auctoris.

Teste Hecataeo Iosephus porro tradit Iudaeos militasse et in exercitu Alexandri et in successorum (eos tantum reges putari qui statim post Alexandrum fuerunt consentaneum est) exercitibus; de quo nuntio non iam miramur cum sciamus ex documentis Aramaeis in insula Elephantine inventis, iam Persarum aetate Iudaeos milites ibi fuisse [1]), et ex papyris Graecis audiverimus Ptolemaeis prioribus regentibus cleruchos Iudaicos in Aegypto habitasse. [2])

Geffckenio, existimanti verba laudata Ezeciae sacerdoti tribuenda esse (*Zwei Griechische Apologeten*, Praefatio p. XIV³) nullo modo assentiri possum.

In editione v. c. Niese vocabulum *γάρ* iniuria positum est inter Hecataei verba laudata; adiciendum est ad *φησί* ut in § 192 *φησὶ γάρ* et § 195 *τριακοσίας γάρ* etc.

1) Cf. Schürer *Gesch. d. jüd. V.* III p. 25 sqq. (imprimis p. 30) et locos ibi laudatos. 2) Ib. p. 44.

Digitized by Google

Postremo in fragmenti fine res narratur, cui Iosephi auctor ipsum se interfuisse dicit. Tradit enim in expeditione quadam, ad Mare Rubrum facta, augurem ave sedente visa monuisse, ut procederent si avis provolavisset, ut eodem loco manerent, si avis maneret, sed redirent si animal retro volasset. Tum equitem Iudaicum, Mosollamon nomine, qui erat sagittarius praestantissimus, avem sagitta transfixisse. Iussum sui facti rationem reddere respondisse: „quomodo illa avis gnara esse possit futuri, cum non provideret se a me, Mosollamo Iudaeo, interfectum iri?" V. c. Geffcken hanc fabulam *ἀπολογίαν* esse gentis Iudaicae putat: „das ist wieder ein feines Stückchen; den erstens werden damit zwei Feinde geschlagen, der Aberglaube der Heiden und der Vorwurf jüdischer Feigheit, und zweitens klingt... das Motiv: wir Juden sind überall! nicht alzu leise durch" [1]). Ego vero multo prius verba laudata Hecataei ipsius esse iudico, quae per virum Iudaicum praedicat. Hecataeus enim, morum institutorumque peregrinorum admirator, discipulus illius Pyrrhonis philosophi, vir cui constabat omnia ad rationem tribuenda esse, propensus fuisse videtur ad Graecorum mores, inprimis ad cultum pertinentes, illudendos. Itaque non est mirandum eum, sive fabula ipsa vera est sive ficta, suam ipsius de auspicio opinionem illo modo in lucem protulisse.

Quid dicam de altero apud Iosephum fragmento, in quo, postquam Alexandrum Iudaeis ob fidem praestitam Alexandriae sedes dedisse narravit, ita pergit: *ἐτίμα* (sc. Alexander) *γὰρ ἡμῶν τὸ ἔθνος, ὡς καί φησιν Ἑκαταῖος περὶ ἡμῶν, ὅτι διὰ τὴν ἐπιείκειαν καὶ πίστιν, ἣν αὐτῷ παρέσχον Ἰουδαῖοι, τὴν Σαμαρεῖτιν χώραν προσέθηκεν ἔχειν αὐτοῖς ἀφορολόγητον.*? [2]) Dubitatur annon vera sint quae narrantur et de Iudaeis Alexandriae collocandis et de terra Samaritana Iudaeae addenda. Quorum prior nuntius illo imperatoris Claudii de Iudaeis Alexandrinis edicto confirmatur [3]); sed quamquam alterius nuntii confirmatio deest, certe scimus Alexandrum, ut Samaritas puniret, qui

1) *Zwei Griechische Apologeten*, Praef. p. XV.
2) *Contra Apionem* II, 4 (43).
3) Ios. *A. I.* XIX, 5, 2 (281).

Digitized by Google

Andromachum, Coelesyriae procuratorem interfecissent, colonos Macedones in Samaria collocavisse [1]). Itaque non mirum est, si rex libertate adempta terram Samaritanam Iudaeae addidit. Quod redargui non potest eo, quod postea Samaria libertatem recuperavit, cum anno 145 a Chr. n. a rege Demetrio II tres illius terrae regiones Iudaeae datae sint: fieri enim potest ut id quod Alexander iussit ab uno ex eius successoribus infectum redditum sit. Sed ut Iosephi nuntius non totus verus sit, tamen hac re non demonstratum est ab Hecataeo ita non traditum esse. Nam maximo iure Wendlandus in disceptatione, quae agit de Willrichi libro „*Iudaica*", dicit: „Willrichs Art, die Frage nach der Zuverlässigkeit der Nachrichten mit der nach der Echtheit zu vermischen, ist recht anfechtbar". [2])

Ut complectar omnia quae supra dixi, fragmenta Iosephi, in quibus Hecataeo auctore scribit de Iudaeis, apologeticon quidem est gentis Iudaicae, sed hoc tantum fit, quod Iosephus Hecataei verba, conclusionibus perperam factis, ita affert et interpretatur, ut defensionem suorum gentilium faciat. Quid scriptores apologeticorum, paganorum personam sibi induentes, scribere audeant, discere possumus ex illa epistula Ps. Aristeae vel ex illo in hac epistula fragmento, quod sine dubio falsario cuidam, Hecataei nomine abutenti, ascribendum est: *διὸ πόρρω γεγόνασιν οἵ τε συγγραφεῖς καὶ ποιηταὶ καὶ τὸ τῶν ἱστορικῶν πλῆθος τῆς ἐπιμνήσεως τῶν προειρημένων βιβλίων* (sc. Iudaeorum sacrorum librorum) *καὶ τῶν κατ' αὐτὰ πεπολιτευμένων ἀνδρῶν, διὰ τὸ ἁγνήν τινα καὶ σεμνὴν εἶναι τὴν ἐν τούτοις θεωρίαν, ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης* [3]). Sic auctores Iudaici scribunt, qui gentem suam non solum defendere sed religionem Iudaicam etiam propagare volunt. Etiam v. c. Jacoby, qui verba ab Josepho allata Ps. Hecataeo cuidam tribuit, distinguendum esse putat inter hunc Ps. Hecataeum et alios apologeticorum scriptores, ita dicens: „Wir kennen Ton und Inhalt aus anderen Produkten der jüdischen Apologetik, von deren Masse sich Ps. Hekataios vielleicht dadurch unterscheidet, dass er nicht

1) Curtius Rufus IV, 8; Euseb. *Chron.* (ed. Schoene) II, 114; Syncell. (ed. Dindorf) I, 496.

2) *Berl. Phil. Woch.* XX (1900), 1201.

3) Cf. supra p. 234[1].

Digitized by Google

ganz so roh arbeitet". Concedere possumus, Iosephi auctorem, quem posthac iam Hecataeum nominabimus, a Iudaeis non alienum fuisse, sed iam supra dixi quomodo hanc rem intelligere possimus ex Hecataei in gentes externas opinionibus. Neque hoc obliviscendum est: odium in Iudaeos ubique terrarum oriri solet, ubi magna Iudaeorum multitudo habitat; contra pauci huius gentis homines quiete inter alias gentes vivunt. Hecataeum autem Alexandriae moratum esse, cum commune Iudaicum modo exoriebatur, iam vidimus. Uno genere post res iam aliter se habebat: Ptolemaeo Philadelpho rege Manetho sua *Αἰγυπτιακά* scripsit, in quibus omnes illas de Iudaeis fabulas malignas narravit, quae tunc temporis iam vulgatae erant. [1])

Quaerentibus quibusnam fontibus Hecataeus usus sit ad historiam de Iudaeis scribendam respondendum est nos nescire. Sed verisimillimum est eum et ipsum multa vidisse et ex Iudaeis audivisse. Apparet enim ex fine fragmenti Diodori, quod nemo dubitat quin Hecataei sit, ei res Iudaeorum cordi fuisse. Ubi narrat sub Persarum et Macedonum imperiis multas leges multaque Iudaeorum instituta ex commixtione cum externis gentibus exolevisse. Contra de antiquissima populi historia non semper bene doctus est: Mosen ipsum in Palaestinam venisse et inter alias urbes et Hierosolyma condidisse, Iudaeos numquam reges habuisse et alia perperam tradit. Quod narrat de gentis origine est Exodi fabula ratione Aegyptia considerata.

Postremo nonnihil mihi dicendum est de Willrichi argumentis, quem iam dixi ita agere, ut res et homines, de quibus in Iosephi fragmento dicitur, tempori multo posteriori tribuat. Singula eius argumenta partim iam a Wendlando partim a Schürero refutata sunt. Mihi autem tota eius argumentandi ratio perversa esse videtur et maximo iure Schürer de ea dicit: „Allein wir kennen die Geschichte viel zu wenig, um sagen zu können, dass derartiges vor der Makkabäerzeit nie vorgekommen sei". [2])

1) Cf. F. Stähelin, *Der Antisemitismus des Altertums* p. 7 sqq.
2) *Gesch. d. jüd. Volkes* III p. 607.

Digitized by Google

TERTULLIANI ADVERSUS MARCIONEM IN LIBRUM QUARTUM ANIMADVERSIONES.

SCRIPSIT

PETRUS CORSSEN.

Tertulliani libris emendandis, cuius rei felicissimum initium Beati illius Rhenani fecundum ingenium olim fecit, mirum quam pauci nostra memoria philologorum operam dederint. Qua in re quam multa adhuc facienda relicta sint, proximus tertiae partis operum Tertulliani editor Aemilius Kroymann [1]), vir aeque modestus ac doctus, extrema praefatione sua ingenue fatetur. Qui cum ipse haud pauca feliciter emendavit tum reliquis eo viam monstravit, quod interdum errare maluit quam ullam lectionis difficultatem silentio praetermittere, quod haud raro accidere suo iure monuit is qui in libris Tertulliani edendis Francisco Oehlero successit. Nolim igitur ingratus videar, si nonnulla rectius vidisse mihi videar, haud ignarus multa me omnino non visurum fuisse, nisi talis dux me antecessisset. Atque ut ex libris adversus Marcionem eum quo Tertullianus ad ipsum Marcionis evangelium provocat, ut Christum non dei usque ad eam aetatem ignoti, sed dei creatoris esse confirmet, emendandum eligerem, id eo factum est, quod cum in evangelium Marcionis inquirerem, ut de eo recte iudicare possem, ille liber accuratius mihi legendus erat.

Sed priusquam ad singulos locos tractandos transeamus, haud alienum videatur pauca de Tertulliani librorum mss. genere praemittere, ut firmiora interpretationis fundamenta iaciamus.

1) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum editum consilio et impensis Academiae Vindobonensis vol. XXXXVII, Vindobonae et Lipsiae MDCCCCVI.

Digitized by Google

Codicum eorum quibus Tertulliani adversus Marcionem libri continentur praeter unum Montepessulanum, qui est s. XI, omnes sunt s. XV [1]). Instar codicis est editio princeps Beati Rhenani, quae fluxit e codice quodam Hirsaugiensi, cuius aetas ignoratur. Accedunt lectiones codicis cuiusdam Goerziensis item ignotae aetatis, quas Rhenanus ad textum tertiae suae editionis constituendum adhibuit. Est alter codex eiusdem fere aetatis atque Montepessulanus Paterniacensis, qui quidem libros adv. Marcionem non continet, sed in eis libris, quos uterque amplectebatur, Hirsaugiensis tam similis a Rhenano inventus est, ut alter ab altero videretur descriptus. Hos duos libros, codicem Montepessulanum (M) et primam editionem Rhenani (R), additis lectionibus Goerziensis (G) Kroymannus quasi fundamenta eligere satis habebat, ut suam editionem superstrueret.

De indole codicis Hirsaug. non satis constare videatur, quia, si Kroymannum audiamus, iam primae Rhenani editionis textus coniecturis non vacat. Sed quod dicit Hirsaugiensem Florentino quodam codice (F) repraesentari, ut ubi cum prima Rhenani faciat, Hirsaugiensem, ubi cum M, coniecturam Rhenani habeamus [2]), id eis quae ipse Kroymannus ex F attulit refutatur. An probabile est Rhenanum lectiones falsas omnique ratione carentes ultro textui obtrusisse, quas postea in III^{a} editione correxit? velut p. 436, 11 'hoc' om. R^1, habet M F R^3; 478, 15 'qui et' R^1, 'quae et' F, 'quae ex' M S R^3; 544, 20 'quique illum' R^1, 'cumque illi' M F, 'cumque ille' R^3. Et quis putet Rhenanum tam temerarium fuisse, ut codicum M F 'atque' 431, 6, 'ac' 491, 6 in 'et', 'ergo' 565, 12 in 'igitur' mutaret? Vel quis dubitet, quin immutatio litterarum in 'fit' et 'sit' 425, 10 et 464, 2 et 4, in 'sint' et 'fiant' 550, 16, in 'sunt' et 'fiunt' 558, 4 e lectione, non e coniectura orta sit?

Quid? quod ipse Rhenanus in praefatione I^{ae} editionis affirmat scientem religiose esse tractanda auctorum scripta non secus ac res sacras nihil se mutare voluisse, sed coniecturas quae tum in mentem forte venirent in marginibus adiecisse. Quod quam vere dictum sit, facile sibi persuadeat qui ipsam

1) V. Kroymanni praefationem et Oehleri p. VI sqq.
2) P. XVIII.

Digitized by Google

Rhenani editionem inspiciat, velut p. 224 R^1 = 432, 14 Kr. 'elorabit' (sic!), mg. 'elaborauit', 227 = 438, 15 'per caliginem eius, o quae', mg. 'per caliginem eluso, quae', 228 = 440, 14 'se enim esse', mg. 'se eum esse'.

Hanc verecundiam Rhenanus deposuit in III^a editione, in qua non solum paene omnes coniecturas ex margine I^{ac}, sed etiam multas postea inventas in textum recepit. Sed cum ne in hac quidem editione praeter collationem Goerziensis ulla nova ei codicum subsidia praesto fuerint et omnes lectiones inde petitas in adnotationibus singulis libris praemissis enumeraverit, prima cum tertia editione comparata certo distingui potest, quid Hirsaugiensi, quid Goerziensi, quid ingenio Rhenani debeatur. Re vera igitur res ita se habet, ut R vel R^1 Kroymanni codicem Hirsaugiensem, G R^1 codicem Goerziensem, R^3 non antecedente littera G coniecturas Rhenani nulla temporis quo quaeque nata est ratione habita significet.

Quocumque autem ex libro codex Hirsaug. descriptus erat, certe ea inter illum et Montepessulanum ratio intercedebat, ut uterque a codice continuis litteris, aetate Merovingica, ni valde fallor, scripto eoque mendosissimo et difficili lectu perpaulum distaret. Id inde facile intellegitur, quod cum innumera alia menda inter se communia habebant tum in certo quodam genere errorum mirum in modum inter se consentiebant. Extant enim in M et R saepius eaedem falsae verborum imagines inepta aut separatione aut coniunctione syllabarum natae, quarum longe maximum numerum Rhenanus, paucas alii correxerunt, velut: 452, 10 'itaque' pro 'ita que' (= 'ita quae') [1]), 465, 7 'creator is': 'creatoris', 437, 1 'sed deplorans': 'se deplorans', 465, 21 'in deo opera': 'inde opera', 521, 5 'paria uenerint': 'pariauerint', 478, 12 'addecorationem': 'at ego rationem', 545, 19 'potuit sed' [2]): 'potuisset', 555, 2 'excidium': 'excidii cum', 534, 10 'alia subici causa cessat': 'alias, ubi causa cessat' [3]), 464, 26 'induit et expectat': 'in diuites spectat' [4]), 456, 4 'propheten

1) Hoc quidem Ursinus, cetera, nisi alius aliquis a me indicabitur, Rhenanum correxisse scito. 2) In archetypo 'set' scriptum fuisse veri simillimum est.

3) Correxit Rigaltius.

4) Item 458, 15 MR 'expectabat' pro 'spectabat', contra 449, 8 M 'pectationem', R 'spectationem' pro 'expectationem'.

Digitized by Google

tenuerat delicata': 'propheten uera et delicata' [1]), 534, 13 'omnino non negas': 'omnino negas', 555, 4 'inter angustias': 'in terra angustias' [2]).

Accidebat etiam ut, cum oculus scribentis ab alio in alium locum aberraret, idem verbum bis scriberetur, velut: 451, 26 'unius [dei] et eiusdem dei' [3]), 443, 18 'destruendo postea legem falsum ergo testimonium [postea] collocavit' [4]).

Alia eiusmodi editores fugerunt, velut: 543, 20 'si ergo ipse erit uindex qui et iudex, [si] creatorem [ergo] meliorem deum probauit'. Alterum 'si' seclusit Rhenanus, in altero 'ergo' nemo offendit. 432, 4 'cotidie reformant illud, prout a nobis [cotidie] reuincuntur'. 443, 4 'quo testabatur se legem .. adimplere, [quo testabatur] se ipsum esse qui ...', 443, 12 'quasi legem destructurus ... At quin [quasi] sciens ...' Sic lenissima medela adhibita locus infeliciter a Kroymanno tractatus in antiquam formam restituitur. 434, 16 'Bene autem, quod et deus Marcionis inluminator uindicatur nationum, quo magis debuerit uel de coelo descendere, etsi utique in Pontum potius [descendere] quam in Galilaeam'. In verbis 426, 3: 'Habes nunc ad Antitheseis expeditam a nobis responsionem. Transeo [nunc] ...' non erat prius 'nunc' in ‚hanc' mutandum, sed alterum minime necessarium delendum. Simili errore paulo post in v. 9. 'apostolicos' pro 'apostolos' scriptum esse, quod iam Rhenanus animadvertit, miror quod nec Kroymann nec Engelbrecht intellexerè. Dixit enim Tertullianus evangelicum instrumentum auctores habere et apostolos et apostolicos, has tamen cum apostolis et post apostolos: 'Constituimus imprimis euangelicum instrumentum apostolos auctores habere ...; si et apostolicos, non tamen solos, sed cum apostolis et post apostolos'.

Ut eadem falso repetebantur, sic eadem vel similia etiam omittebantur, velut 433, 8 'ceterum creatoris pronuntiandum ⟨eum⟩'. 465, 13, 'ut Christum in hac quoque sententia creatoris ostendam, locupletantis quidem Salomonem, sed quia ⟨qui⟩ permissa sibi optione maluit ea postulare quae sciebat

1) Pro 'delicata', cum Hirsaug. haberet 'delicta', Rhen. coniecit 'dilecta'.

2) Corr. Gelasius.

3) Cum probaret 'unius et eiusdem', non intellego cur Kroym. improbarit 447, 18 'unus idemque'.

4) Corr. Kroym.

Digitized by Google

deo grata, sapientiam et ⟨intellegentiam⟩, meruerat etiam diuitias consequi, quas non magis uoluit'. Si non scripsisset Tertullianus 'qui', omittenda fuerunt verba 'meruerat — uoluit', quae documento sunt antecessisse illud pronomen. Nescio an 433, 20 scripserit: 'Plane semel dicta sint ⟨sem⟩per quae iam alibi retractauimus'; ut Florus 2, 12 'semel in perpetuum uictum'. Sed certe in eis quae sequuntur: 'an descendens per creatorem et quidem adversus ipsum potuerit ab eo admitti' pro 'per creatorem' scripsit 'per creatoris caelum', id quod apparet ex eis quae addidit 'et inde tramitti in terram aeque ipsius'.

Facilius verbum aliquod in suspicionem vocabitur, si ab altero eiusdem formae ambitu unius versus in archetypo separatum fuit, velut hoc, si ita olim fuerit scriptum:

descendere, etsi utique in Pontum potius
descendere quam in Galilaeam.

Iam cum a 'descendere' usque ad 'potius' sit ambitus triginta quattuor litterarum, 432, 4 a 'cotidie — nobis' et 443, 18 a 'postea — testimonium' tricenarum binarum, 543, 20 a 'si — iudex' triginta litterarum, mihi quidem haud improbabile videtur archetypum quem supra diximus per versus circiter tricenarum binarum litterarum exaratum fuisse.

Ad hunc igitur et M et R (sit hac littera is quoque liber significatus, unde descriptus erat Hirsaugiensis) per medium quendam librum revocandi sunt. Fieri enim non potuit, ut duo librarii in eodem libro describendo uterque per se in eosdem errores eius generis quod supra demonstravimus incideret. Neque vero ita res se habet, ut aut M aut R ex ipso archetypo fluxerit et tum alter ex altero descriptus sit [1]). Nam utriusque sunt sua menda propria, quibus cum alteruter careat, neuter alterius auctor fuisse credi possit. Sic propter ὁμοιοτέλευτον aliquod 481, 13 M servavit quae R omisit: 'Videte, quomodo audiatis ⟨id est: ne aure audiatis⟩', contra 567, 7 R habet quae desunt in M: 'quem existimauerant. ⟨Itaque — quem existimauerant.⟩'

Alia sunt quae quomodo factum sit, ut in altero bene, in altero male scripta legantur, forsitan quispiam miretur velut

1) De hac re iam Kroym. recte iudicavit. Cf. p. XVIIII.

Digitized by Google

quod falso distincta sunt in M, recte in R: 427, 10 'ante cessorum': 'antecessorum', 435, 18 'alium de': 'aliunde', 439, 24 'sustineri et': 'sustineret', 540, 22 'sic uitam': 'si cui tam', 476, 6 'putasti pulam': 'putasti stipulam' (sic!) alia [1]). Haec a Rhenano correcta esse nos ab ipso vetari supra demonstravimus.

Accedit quod etiam contrarium factum est, ut quae perverse scripta sint in R correcta habeat M, velut: 430, 7 'quia aliter': 'qui aliter', 450, 23 'quaerat': 'quae erat', 457, 26 'intra': 'in terra' [2]).

Non satis constat de lectione codicis M 446, 28. Si fides habenda est silentio Kroymanni, recte habet 'de aeone', sed tacet ille quidem etiam de R, qui habet 'de eo nec'.

Et R et M falsa praebent 459, 7 'bene dignis': 'benedictionibus' [3]) 524, 3 'et probat': 'ex probat' [4]), 430, 26 'non eodem natum': 'non eo damnatum'.

Haec quidem lectio non minus Kroymanno probatur quam olim Rhenano (qui eam ex Goerziensi in III^{am} editionem recepit) aliisque probata est, sed nescio an minus recte. Comparantur enim a Tertulliano inter se evangelium Lucae et Marcionis: illud simulatque editum sit universis ecclesiis fuisse aeceptum, hoc plerisque omnino ne notum quidem. Iam in codice Leidensi pro 'non eodem natum' legitur 'non eadem notum'. Monuit Oehlerus 'eadem' adverbium et apud Tertullianum et apud alios idem valere atque 'una', 'simul'. Neque vero cognovit una omissa littera codice Leidensi veram lectionem contineri. Vocabulum enim ex Graeco mutuum sumptum cum non agnoscerent librarii, pro 'nothum' primum 'notum', tum 'natum' scribebant. Haec enim est sententia Tertulliani: quibus notum sit evangelium Marcionis eisdem nothum esse praeterquam ipsis Marcionitis.

Quodsi M et R ad idem apographum veteris illius codicis revocandi sunt, quidquid hoc male lecto ortum aut in M aut in R exstat, id in eo apographo infuerit, quicumque autem eiusmodi errores alterius codicis in altero codice correcti sunt, postquam communis eorum archetypus scriptus est correcti sint necesse est. Qua aetate fuerit Rhenani Hirsaugiensis, nescimus.

---

1) Cf. 433, 26. 469, 17. 477, 1. 534, 13. 555, 23.
2) Corr. R^3. 3) 'benedictionis' R^3. 4) 'exprobrat' R^3.

Digitized by Google

Quoniam autem codex s. XI. M cum codicibus s. XV. collatus docet, quam tenaciter vel stultissimi errores a librariis propagati sint, veri dissimillimum est post s. XI. ullum illorum vitiorum emendatum esse. Rursus codice M cum R collato apparet, iam priusquam ille scriptus sit, nonnulla in melius restituta esse. Quae cum ita sint, existimo archetypum illum, postquam scriptus sit, iterum, ut fieri solebat, lectum et varias lectiones in margine eius adscriptas esse, quarum aliae aliis exemplaribus reciperentur. Certe ex discrimine codicum M et R et reliquorum, ex quibus singulas lectiones attulit Oehlerus, concludi non potest extitisse nescio ubi terrarum post s. XI. aliquem codicem a vetustissimo illo diversum, unde meliora peti possent.

Haec fere sunt, quae de fato et natura codicum Tertulliani adversus Marcionem librorum dicere posse mihi videor. Inter quos quae intercederet ratio, accuratius dici posset, si plenam plurium haberemus collationem. Sed ad textum Tertulliani constituendum quin non multo plus inde opis peti possit quam ex M et R, dubium esse non potest. Quorum ipsorum quam non fide dignus sit etiam vetustior M, satis apparet. Cui vereor ne interdum nimium tribuerit Kroymannus. Equidem vix audeam uno tali teste confisus 466, 1 novum verbum multificandi pro multiplicandi in textum recipere vel 497, 26 ponere 'parsit' pro 'pepercit' idque eo minus quod in codice non 'parsit' sed 'persit' ('ꝑsit') scriptum est et quaeritur, nonne praesens tempus perfecto praeferendum sit: 'Qua ergo iustus deus, nec pueris impiis parcit,... qua vero bonus adeo diligit parvulos, ut...' Neque vero codice omni genere vitiorum scatenti Kroym. induci debuit, ut Marcionis ἐπερχόμενον in oeconomum mutaret. Nam quod 496, 21 M 'o acchonome' pro 'o ἐπερχόμενε' codicis R, 497, 6 'oechomene' scriptum habet, id ex difficultate lectionis ortum esse eo probatur, quod ubi idem tertium apparet 505, 12 huic quoque librario contigit, ut eperchomenum agnosceret.

Quodsi de codicum fide paene desperandum est, tamen orationis Tertulliani ea est proprietas, ut eam per multas corruptelas ducem ad verum esse posse mihi persuasum sit. Etsi quam difficile sit eius vestigia et agnoscere et persequi, dis-

Digitized by Google

sensus optimorum duorum editorum — nam ipse Kroymannus virum cl. cui totius corporis Vindobonensis cura mandata est Augustum Engelbrecht alterum tertiae partis operum Tertulliani editorem appellat — haud paucis locis documento est. Sed ipsi viri humanissimi eo dissensu patefacto quam plurimos adhortari voluisse mihi videntur, ut secum in certamen descenderent. Cuius certaminis ut tandem aliquando initium fiat, non ut inventiunculas meas, si quae sunt, vendam, haec qualiacumque scripta esse putari velim, ut doctiores et sagaciores ad iacentia Tertulliani scripta sublevanda lacessantur.

Initio libri quarti Tertullianus exponit, quae ratio intercedat inter evangelium Marcionis eiusque librum cui Antitheseis inscripsit: 'Et ut fidem instrueret, dotem quandam commentatus est illi, opus ex contrarietatum oppositionibus Antitheseis cognominatum et ad separationem legis et euangelii coactum, qua duos deos diuidens proinde diuersos, alterum alterius instrumenti vel, quod magis usui est dicere, testamenti, [ut] exinde euangelio quoque secundum Antitheseis credendo patrocinaretur'. Coniunctione 'ut' seclusa, quam nescio quis pronominis 'qua' oblitus interposuit, verborum ordo recte decurrit neque verba 'opus — coactum' quasi in parenthesi posita sunt, nam pronomen 'qua' potius ad 'separationem' quam ad 'dotem' spectat. Sed quomodo Marcion fidem instruere voluisse dici potest? comparavit Oehlerus in indice verborum II^ne^ parti editionis suae annexo cum nostro loco Adv. Hermogenem c. XXX 'Sic et sequentia coniecturam Hermogenis instruere videbuntur'. Hoc loco dubium esse non potest, quid Tert. dicere voluerit. Sed verba instruendi et destruendi sic inter se contraria sunt, ut nesciam, quomodo illud pro hoc poni potuerit. Accedit quod Tert. in eiusdem libri c. III° (128, 16) scripsit: 'Hanc coniecturam eius iam hinc destruere conabor'. Sed ut utroque loco idem lapsus librariorum inciderit, quam fidem vel quorum fidem destruendi causa Marcion Antitheseis suas composuit? At secundum Tert. scripsit eas, ut evangelium suum patronum haberet, quo auctore alius deus evangelio atque vetere testamento praedicari crederetur. Ergo per fraudem scripsit, ut evangelium suum legentibus insidias poneret. Quae si ita sunt, nescio an vitium insit in verbo 'fidem' et 'fraudem' et 'fidem' inter se

Digitized by Google

commutata sint (cf. Livius, 23, 35. 14: 'instruendae fraudi aliquanto intentior').

Quo minus in libris tam mendose scriptis quam Tertulliani coniecturis supersedere possumus, eo diligentius cavendum est, ne contemptu librariorum inducti nimis celeriter verbis ab eis traditis manus inferamus. Ita non erat, cur in his quicquam mutaretur: 424, 24 'adiciens sancta et fidelia David (Esaias 55, 3), ut id testamentum in Christo decursurum demonstraret. Eundem ex genere David secundum Mariae censum etiam in uirga ex radice Iesse processura figurate praedicabat (Es. 11, 1)'. Pronomen enim 'eundem' non suo loco remotum post 'censum' ponendum esse facile intellegas, si quomodo Tertulliani oratio progrediatur consideres. Primum enim simpliciter Christus filius esse dicitur David, tum hoc novum additur id factum esse per virginem Mariam.

Capite II° agitur de auctoritate evangelii Marcionis. Posse dici omnino nullam eius esse, quoniam nullum ei adscribat auctorem. Sed quia appareat Marcionis evangelium idem esse atque Lucae, quaeri qua sit auctoritate Lucae. Dicit hoc neglecta discrepantia singulorum, erant enim secundum Tertull. ambo eadem origine, sed alterum adulteratum. Neque ipse de auctoritate evangelii Lucae dubitat, sed sua de Marcionis evangelio opinione pro Marcionis substituta hunc neglegentiae insimulat, quasi oblitus sit facere, quod ei faciendum esset. Nam etiamsi sub ipsius Pauli nomine evangelium Marcion intulisset, id patrocinio antecessorum eius cavere non posse: 427, 1 'Exigeretur enim id quoque euangelium, quod Paulus inuenit, cui fidem dedit, cui mox suum congruere gestiit, siquidem propterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos apostolos et consultandos'.

In his, ni fallor, grave adhuc mendum latet, cuius tollendi via et ratio extremo capite his verbis monstrari videatur: 'Igitur si ipse inluminator Lucae auctoritatem antecessorum et fidei et praedicationi suae optauit, quanto magis eam euangelio Lucae expostulem, quae euangelio magistri eius fuit necessaria?' Tertullianus evangelium viva voce praedicatum cum scripto evangelio ita comparat, ut Paulum scriptum evangelium cum ceteris apostolis contulisse eum putasse appareat. Id igitur horum

Digitized by Google

patrocinio destitutum esse Paulus secundum Tertull. noluit. Necessario igitur mihi quidem videtur Tert. scripsisse: 'Exigebatur enim id (scil. patrocinium) ei quoque euangelio, quod Paulus inuenit'.

Pergit ita Tertullianus: Paulum apostolos non propter euangelium, sed propter conversationem reprehendisse (Sat. 2, 9), integrum fuisse eorum evangelium. Pseudoapostolos igitur, si quisquam, falsi esse accusandos. A quibus si corruptum sit apostolorum evangelium, aut tam funditus id perisse, ut ne Marcion quidem verum haberet, aut si sit conservatum, disceptari non posse, utrum Marcionis an Lucae verius sit, quoniam praeter titulum alterum alteri consonet, nomen autem Lucae falsum, ipsum evangelium apostolorum esse possit. Totus igitur locus a 428, 8 usque ad v. 21 sic est constituendus: 'Si uero apostoli quidam integrum euangelium contulerunt de sola conuictus inaequalitate reprehensi, pseudoapostoli autem ueritatem interpolauerunt et inde sunt nostra digesta: quod erit germanum illud apostolorum instrumentum, quod adulteros passum est, quod Paulum inluminauit et ab eo Lucam? Aut si tam funditus deletum est, ut cataclysmo quodam sit [1]) inundatione falsariorum obliteratum: iam ergo nec Marcion habet uerum; aut si ipsum erit uerum, id est apostolorum, quod Marcion habet solus: [et] quomodo nostro consonat, quod non apostolorum, sed Lucae refertur? Aut si non statim Lucae deputandum est quo Marcion utitur, quia nostro consonat scilicet adulterato etiam circa titulum, ceterum [2]) apostolorum est: iam ergo et nostrum, quod illi consonat, aeque apostolorum est, etsi [3]) adulteratum de titulo quoque'.

Commemorantur pseudoapostoli illi etiam 431, 21, ubi Tert. quaerit a Marcione, si putaret Lucae evangelium ab eis esse adulteratum, cur non Iohannis quoque et Matthaei ab eisdem corrupta esse affirmaret: 431, 19 'Nam et competit, ut si qui euangelium peruertebant, eorum magis curarent peruersionem, quorum sciebant auctoritatem receptiorem, ideo et pseudoapostoli ⟨ab apostolo Paulo appellati⟩, quod per falsum apostolos

1) Libri 'ita'. Cui cum 'ut' quod praecedit respondere videretur, Engelbrecht 'tam' ante 'funditus' in 'iam' mutavit. 2) Libri 'ceterorum', corr. Ciacconius. 3) Libri 'sed', fortasse tolerari potest.

Digitized by Google

imitarentur'. Coniunctivus 'imitarentur' documento est verba quae supplevi abesse non posse. Obversabatur animo Tertulliani 2 Cor. XI, 13 ψευδαπόστολοι μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ. Qui si evangelia magistrorum intacta reliquissent, etiam Lucae evangelio manus abstenturos fuisse. Qui vero Lucae adulteratum esse putaret, eum cetera non debere pro genuinis habere. Propterea discipulis Marcionis suadet, 'ut aut et illa conuertant, licet sero, ad formam sui, quo cum apostolicis conuenire uideantur, — nam et cotidie reformant illud, prout a nobis [cotidie] reuincuntur — aut erubescant de magistro suo utrobique traducto, cum euangelii ueritatem nunc ex conscientia tramittit, nunc ex impudentia euertit'. Non hiat lacuna inter 'sui' et 'quo', ut Kroym. existimat. Castigatur Marcion, quod non sibi constiterit, cum Lucae adulterauerit, cetera evangelia praetermiserit. Revera Marcionem neque agnovisse evangelia Iohannis Matthaei Marci neque ea iam tum in canonem recepta fuisse, cum canon Novi Testamenti omnino nondum extaret, sed Marcion primus eius initium faceret, non est cur hoc loco exponam. Quod autem Tert. Marcionitas adhortatur, ut etiam cetera evangelia more magistri sui interpolarentur, cum iam textui catholicorum, ut videtur, cedere inciperent, id summum in ludibrium eorum dictum est, quasi interesset eorum, ut cum apostolis convenirent. Pro eo quod traditum est 'uideatur' (432, 3) Kroym. scripsit 'uideantur'. Dubitari potest, utrum scripserit Tert. Mihi quidem hoc veri similius videtur ('uideantur' i. e. ipsi Marcionitae).

Neque 434, 8, ubi Christi de caelo descensus cum Romuli in caelum ascensu comparatur, lacuna statuenda est. Nihil enim desideratur. Id unum inter duas illas fabulas interesse dicitur, quod Romulus ascensus sui affirmatorem Proculum, Christus Marcionis descensus sui neminem invenerit.

Non felicius Kr. tractavit verba, quibus paulo ante exponitur, quantum intersit, quod secundum Marcionem Christus non subito in Galilaea apparuerit, sed de caelo descenderit: 433, 25 'Apparere subitum ex inopinato sapit conspectum, qui semel impegerit oculos in id [1]), quod sine mora apparuit, descendisse

1) occulo sinit M.

Digitized by Google

autem dum fit uidetur et subit oculos. De facto etiam ordinem facit atque ita cogit exigere quali habitu, quali suggestu ... descenderit'. Pro 'subit' codicis M Kroym. cum R scripsit 'subicit' et unus ex omnibus editoribus 'de facto' cum eis quae praecedunt coniunxit. Hoc quidem adverbialiter dictum est, ut 'de improviso', 'de falso', 'de vero' alia [1]). Ipso igitur facto vel eo quod fit, id est sponte, actu descendendi ordo quidam descensus efficitur, ut singula eius momenta distingui possint, cum qui apparet tam subito adsit, ut quomodo venerit nesciri possit.

Multum et in diversum disputatum est de his 434, 25 'De caelo statim ad synagogam, ut dici solet, ad quod venimus hoc. Age, Marcion, aufer etiam illud de euangelio: „non sum missus nisi ad oues perditas domus Israhel" ..; sufficiunt mihi facta'. Verba 'hoc age' ab omnibus, ni fallor, inter se coniunguntur; mihi quidem 'age' ab imperativo 'aufer' separari posse non videtur. Dubitant autem, quo verba 'ad quod uenimus, hoc age' spectent, utrum ad ea quae praecedant an ad ea quae sequantur. Verbis 'De caelo statim ad synagogam' certe nihil proverbii simile inest, neque vero verbis insequentibus notum aliquod proverbium constituitur. Unum certum est Tertullianum dicere voluisse eo quod secundum Marcionem de caelo ad synagogam se contulisset, Christum ad oves perditas Israhel servandas venisse satis superque probatum esse. Sin autem ad id venit, non venit missus ab aliquo deo ignoto, sed a deo creatore, qua de re omne erat Tertulliano cum Marcione certamen. Id igitur quod Tert. demonstrandum sibi proposuerat, statim initio evangelii Marcionis perpenso assecutus esse sibi videbatur. Hoc nescio quo modo verbis 'ad quod venimus, hoc' significari putaverim.

436, 15 verba sic recte tradita: 'Quid autem iam tale ediderat nouae diuinitatis, per quod posset alterius dei sanctus intellegi, tantum quod synagogam introgressus et nec sermone operatus aliquid adversus creatorem?' falsa interpunctione in editionibus obscurantur. 'Tantum quod' idem valere atque 'modo' recte monuit Kroym. 511, 1, non igitur 'erat' post 'operatus' addendum erat.

---

1) Cf. Hoppe, Syntax und Stil des Tertullian, S. 101.

Digitized by Google

Paulo post daemon in synagoga oppidi Caphernaum (Luc. 4, 34) Iesum ut filium dei creatoris agnovisse dicitur: 'Sed et habebat utique sensum aliquem dominicae dispositionis licet daemon, tamen ⟨notae⟩ magis quam alienae et nondum satis cognitae'.

Heliseum in Vetere Testamento Naaman Syrum et Christum in Novo (Luc. 5, 13) Israhelitem quendam lepra utrumque liberantes Marcion in libro suo oppositionum inter se contulerat, ut quanto melior Christus dei boni quam prophetes creatoris esset demonstraret. Christum enim amore commotum Israhelitem alieni dei hominem sanasse, cum creator, cuius essent Israhelitae, per propheten suum Israhelitem neminem sanare potuisset. His Tert. aliam opponit interpretationem, sed ipsa verba ita sunt corrupta, ut vix eis medela adhiberi posse videatur: 441, 26 'Syro facilius emundato significat per nationes emundationis in Christo'. Tamen quae sit Tertulliani sententia ex eis quae sequuntur cognosci potest. Quasi nomen melioris idem valeat atque potentioris, quod Heliseus Syrum septies submersisse narretur (IV Reg. 5, 14), id per allegoriam accipiendum esse dicit. Ethnicum septem delictis capitalibus maculatum Heliseo septies lavandum fuisse, cum Christus solus uno lavacro delictorum maculas abluere possit. Ergo non quod ab alio deo missus esset, sed quod esset Heliseo potentior, quippe qui uno lavacro idem efficeret atque septem Heliseus, secundum Tertullianum Christus aliter egit atque Heliseus. Propterea sic fere eum scripsisse putaverim: 'Syro emundato significatur facilius nationes emundari in Christo'.

Sed Marcion quoque potentiorem esse Christum Heliseo contendit. Addidit enim secundum Tert. 442, 5 'Heliseum quidem materia eguisse, aquam adhibuisse et eam septies, Christum uerbo [uero] solo et hoc semel functum (libri 'functo') curationem statim repraesentasse'. Pro 'uerbo uero' R^3 scripsit 'uero uerbo', sed displicet sonus verborum et omissa particula adversativa verbis vis additur. Facile autem post 'uerbo' per errorem 'uero' scribi potuit. Verbum fungendi apud Tert. cum accusativo coniunctum inveniri etsi recte monuit Engelbrecht, tamen Latinii lenissima coniectura ('functum' pro 'functo') multo concinnior mihi quidem oratio evadere videtur: 'Christum uerbo solo, scil. eguisse'.

Digitized by Google

Tert. postquam respondit eo ipso quod solum verbum eius morbo remedio fuisse Christum creatoris esse probari, sic pergit: 'Sed ideo alius Christus, quia aliter quam Heliseus, quia potentior dominus famulo suo?' Recte intellexit Kroym. haec ex sententia Marcionis dicta esse. Tamen noluit Tertullianus ea pro ipsis verbis Marcionis haberi. Quomodo enim Marcionem Heliseum propheten creatoris, quocum prorsus nihil commune esset cum deo bono, Heliseum famulum sui Christi appellasse credas? Sed cum interrogat Marcionem, num id quod sentiat revera affirmare audeat, corrigit eum, ut intellegatur non propterea duos esse Christos diversos, quod Christus qui apparuerit aliter egerit atque Heliseus. Famulum enim eius esse Heliseum et propterea Christum eo esse potentiorem. Id etiam clarius fit eis quae sequuntur, in quibus haec non recte scripta esse putaverim: 442, 16 'ideo Christum negas creatoris, quia potentior fuerit famulo creatoris, qui ad Helisei pusillitatem maior agnoscitur?' pro quibus scribi velim: 'quia Helisei pusillitate maior agnoscitur?' Errat Kroym. quod propter coniunctivum 'fuerit' etiam 'agnoscatur' scribendum esse putat; aliud enim Tert. ex opinione Marcionis dicit ut supra 'famulo suo' ex sua, aliud rursus ex sua sententia, ita tamen, ut statim ipse se corrigat idque audacissime, cum ut adversarium suum irrideat paene Christo obtrectare videatur.

442, 26 'Argumenta figurata utpote prophetae legis'. Pro 'figurata' scribendum esse 'figuratae' putaverim, non enim argumenta sunt figurata, sed ipsa lex (cf. 440, 26 'figuratae legis vim'), quae opinione Tertulliani sicut propheta per figuras loquitur, sub quibus lateat disciplina Christiana.

Quod Christus Israhelitem illum, quem lepra liberaverat, praecepta legis implere iussit, id Marcioni haud parvas difficultates praebere necesse erat. Pro bonitate morum suorum, deinde quod illum ultro ita facturum fuisse sciret, Christum id praecepisse. 443, 9 'Ut bonus, inquit, praeterea ut sciens omnem qui lepra esset liberatus sollemnia legis executurum, ideo ita praecepit'. 'Ut bonus' Kroym. pro 'et bonus' librorum mss. scripsit, quod confirmatur eis quae infra v. 25 leguntur: 'ut sciens... ideo praecepit'. Alterum 'ut' quod supplevit ante 'sciens' forsitan abesse possit. Sed minus feliciter post verba

Digitized by Google

Marcionis ea quae in omnibus libris et manu scriptis et arte confectis in vs. 27 leguntur in v. 11 transposuit, ne conexus qui videtur esse inter verba 'potuit et non praecepisse' et 'cur enim non tacuit' rescinderetur. Sed cum in eam rem solam animum intenderet, non vidit altero loco illa transpositione conexum rerum turbari. Nam ut Marcionem refelleret, Tertulliano primum demonstrandum erat non quia bonus esset, tum non quia sciret ultro Israhelitem praeceptis legis obsecuturum fuisse, Christum id eum facere iussisse. Si enim bonus esse perseverasset, non potuisse eum postea legem destruere, sin autem legem destruxisset, eum bonitatem deseruisse. Cum igitur Tert. interrogat v. 14 'Quid tum? Perseueratne in bonitate, id est permissione legis aut [1]) non?' non potest iam statuisse Christum legem destructurum descendisse. — Addit etiam alterum argumentum, ut Christum Marcionis bonum esse nullo modo concedi posse confirmet. Nam ut lex mala sit, non esse eum bonum qui malae legi obsecutus sit: v. 20 'Deseruit enim bonitatem, dum destruit legem, malus iam quando legis euersor, si bonus cum legis indultor. Ergo et sic malus, si obsequium malae legi [2]) indulsit et sic deterior, si bonae legis destructor aduenit'. Verba 'malus — indultor' non sunt separanda, ut fit in editionibus, ab eis quae praecedunt. Qui dicit malum esse qui legem evertat, si bonus sit, qui legi indulgeat, ponit bonam esse legem, sed concedit fieri posse, ut lex mala sit. Sequitur igitur ut sit malus qui legi indulgeat, si mala sit lex: ergo et sic malus Marcion si obsequium legi indulsit malae. Sed verba artissime inter se cohaerentia alia ab aliis hoc enuntiato separantur: 'Sed et eo quod indulsit legi obsequium, bonam legem confirmauit, nemo enim malo obsequi patitur'. Quod cum non solum argumentationem disturbet, sed etiam per se ipsum absurdum sit, nescio a quo adscriptum esse puto, cui malam legem esse posse ne cogitare quidem licere videretur. — Quod vero attinet ad ea verba, quae Kroym. transposuit, eis remotis orationem multo commodius progredi negari non potest, quamquam Tertulliano minime indigna sunt. Neque

1) Corr. Pamelius 'an'.
2) legi malae M.

Digitized by Google

tamen bene eum fecisse puto, quod codices M R secutus scripserit 'cur enim non tacuit', cum potius 'cur ergo non tacuit', quod legitur in R, probantibus Pamelio et Rigaltio scribendum sit. — Verba v. 28 'Tunc enim aliquatenus posset uideri patientiae suae praestitisse' corrupta esse cognovit Oehlerus, sed dubito an scribendo 'perstitisse' pro 'praestitisse' non possint emendari. Forsitan Tert. patientiam suam praestitisse' scripserit.

Quod affert Tertull. argumentum, cur recte Christus filius hominis appellatus sit, neglegenter a librariis traditum esse omnes editores praeter Kroymannum fugit, qui quae illi omiserunt 'patre' 446, 9 et 'matre' v. 10 egregie supplevit. Alterum 'patre' v. 9 post primum 'ex homine" addendum est. Sic igitur totus locus a Tert. scriptus erat: 'Si ex deo patre est, utique non ex homine ⟨patre⟩; si non est ex homine ⟨patre⟩, superest ut ex homine sit matre; si ex homine ⟨matre⟩, iam apparet, quia ex uirgine'. Item optime Kr. supplevit v. 24: 'si neque ⟨matris neque⟩ patris hominis, ergo nullius hominis est filius'.

Verba 446, 30 sic interpungenda sunt: 'Quid nunc? Si ipso titulo filii hominis censetur Christus apud Danihelem, nonne sufficit [1]) ad probationem prophetici Christi?' Cf. 451. 22 'Cum per Esaiam edicit: uetera transierunt, ecce noua quae ego facio, nonne ad noua conuertit?'

Nominum Christi et Iesu communio ita perstringitur: 447, 4 'Nominum communio simplex, si forte, uideri potest, et tamen nec Christum nec Iesum uocare debuisse defendimus diuersitatis condicionem tenentes', id est: qui Christum Novi Testamenti diversum esse a Christo Veteris Testamenti contendunt, ipsis nominibus Christi et Iesu abstinere debuerunt. Haec sententia una littera mutata ('uocari' in 'uocare'), ut a nobis factum est, restituitur.

Accuratius de communione appellationis filii hominis agitur. De qua haec videtur esse Tertulliani sententia: Quod Marcion Christo suo non solum nomina Christi creatoris, sed etiam eandem appellationem filii hominis vindicat, id ea laborat difficultate, quod non est, cur Christus Marcionis filius hominis

1) sufficiet M.

Digitized by Google

appelletur. Ex accidenti enim est haec appellatio. Si et Christus Marcionis natus ex homine diceretur, ut propria eius esset appellatio filii hominis, duo essent filii hominis, sicut et duo Christi et duo Iesus. Quoniam autem illa appellatio solius est Christi creatoris, unus est filius hominis Christus Iesus creatoris. Quae si ita sunt, totus locus sic restituendus esse videatur: 447, 6 'Appellatio autem, quod est filius hominis, in quantum ex accidenti obuenit, in tantum difficile est, ut et ipsa concurrat super hominis communionem; ex accidenti enim, non propria est [1]), maxime cum causa non convenit eadem, per quam deveniat in communionem. Atque adeo, si et Christus Marcionis natus ex homine diceretur, tunc et ipse caperet appellationis communionem et essent duo filii hominis, sicut et duo Christi et duo Iesus. Ergo, cum appellatio propria est eius, in quo habet causam, si et alii uindicetur, in quo est communio nominis, non etiam appellationis: suspecta iam fit communio nominis quoque in eo, cui uindicatur sine causa communio appellationis q. sqq.'. Pronomen 'eadem' etsi non desideretur, si absit, tamen tolerari potest: causam, ob quam Christus creatoris filius hominis appellatur, non eandem ad Christum Marcionis accommodare licet.

Verba 449, 25 'Nunc illud tuebor, ut demonstrem et Iohannem Christo et Christum Iohanni convenire, utique prophetae creatoris qua Christum creatoris', transposita particula 'qua', sicut voluit Kroym. ('qua utique prophetae creatoris'), dubito an non facilius explicari possint. Quid? si scribamus: 'utique prophetae creatoris qua Christi creatoris', id est: Fuit Iohannes sine dubio propheta creatoris, quippe qui praedicaret Christum creatoris, cui Iohanni si convenit Christus qui apparuit, hic ipse fuit Christus creatoris. Convenire autem hunc Iohanni eis quae sequuntur demonstratur.

Exponit Tert. neminem miraturum fuisse, quod discipuli Christi non ieiunarent, si de disciplina inter Iohannem et Christum non conveniret, sed si quis discipulos reprehendisset, Christum eos defensuros et disciplinam Iohannis reiecturum fuisse. Haec his verbis 450, 11 'Adeo Iohannis erat Christus

1) 'ex accidenti enim proprio est' libri.

Digitized by Google

et Iohannes Christi, ambo creatoris et ambo de lege et prophetis praedicatores et magistri' interrumpi cum sentiret, Kroym. pro 'sed Christus reiecisset' scripsit 'si Christus reiecisset'. Sed ne ita quidem id in quo offenditur plane removetur et figura quaedam verborum parum apta Tertulliano supponitur. Mihi quidem tale *ἀνακόλουθον*, quod 'sed' in 'si' mutato efficitur, Tertullianum sapere non videtur. Verbis autem illis quibus nunc Tertulliani argumentatio turbatur potius tota argumentorum series concludenda erat. Certe optime quadrant in v. 23 post 'quae erat', quamquam quomodo a suo loco in alienum remota sint, non facile est dictu.

Quasi interpretamentum quoddam idque falsum membrum illud orationis 450, 21 'tempori Iohannis eam praestans' et quod subsequitur 'ut tempori suo eam destinans' nescio a quo adscriptum videri animadvertit Kroym.

Parabola illa, qua nova et vetera a nullo inter se coniungi dicuntur, non minimum Marcioni documento erat Evangelium a Vetere Testamento prorsus diversum esse. Contra Tert. ex eadem ambo unius eiusdemque auctoris dei creatoris esse concludit. Ponit enim non fieri ut quisquam id non facere dicatur quod non sit faciendum, nisi idem id ipsum facere possit, si velit. Habere igitur eum qui novum vinum non in veteres utres infundere dicatur et novos et veteres utres, eumque qui novum pannum non veteri vestimento assueret et novum et vetus vestimentum. Sic qui evangelium a lege separet habere utrumque: 452, 1 'Nam et uinum nouum is non committit in ueteres utres qui et ueteres utres habuerit, et nouum additamentum nemo inicit ueteri uestimento, nisi cui non defuerit et uetus uestimentum. Ille non facit quid, si faciendum non est, qui habeat unde faciat, si faciendum esset.' Has argutias cum non intellegerent editores inde a temporibus Selenii negatione verbo habendi addita ('qui et ueteres utres non habuerit' vel 'qui nec ueteres utres habuerit') in contrarium verterunt.

Deinde Tert. exponit evangelium a lege separari potuisse, quod coniuncta fuissent. 'Separatio', inquit, 'per coniunctionem capit, de qua fit. Ita quae separabat, et in uno ostendebat fuisse, sicut et fuissent, si non separaret'. Separari autem evangelium a lege, sicut fructus separetur a semine, esse diversum, sed

Digitized by Google

non contrarium. — Haec paucis exceptis sic leguntur in codice M. Recte eo traditum esse 452, 8 'fuisset notanda' pro 'fuisse notandam' vel 'notanda' et propterea ibidem scribendum esse 'separatio' pro 'separatione' M vel 'separationem' R cognovit Kroym. Sed erravit in eo quod v. 12 ex lectionibus codicum R 'si' et M 'sic' illam huic praetulit, quo factum est, ut tota constructio verborum subverteretur. V. 15 pro 'aliud ab illa' scribendum esse 'aliud ab alia' cum ipsa pronominum natura mihi persuadet tum locus similis libri adv. Praxeam c. 9, quo pater et filius non idem, sed alius ab alio esse dicuntur (p. 239, 23 et 240, 11). Sic igitur inde a v. 11 verba Tertulliani constituenda sunt: 'Et tamen sic concedimus separationem istam: per reformationem, per amplitudinem, per profectum [1]), sicut fructus separatur a semine, cum sit fructus ex semine. Sic et euangelium separatur a lege, dum prouehitur ex lege, aliud ab alia sed non alienum, diuersum sed non contrarium'.

452, 21 Kroym. Engelbrechti sententiam secutus secundam verborum personam in tertiam mutavit, sed nescio an praeterea etiam pronomen 'se' addendum sit: 'Si hominem alterius gentis ⟨se⟩ probare uoluisset, utique de proprietate loquelae probaret'.

Locus est difficillimus de controversia scripti et voluntatis, quem nec Kroym. expedisse video et me ipsum emendare posse despero. Sed tamen enitendum est, ut si non verba, at certe sententiam Tertulliani indagemus. Agitur de Christo discipulos de crimine sabbati laesi excusante (cf. Lc. 6, 1 sqq.), id quod Tert. eum secundum statum scripti et voluntatis creatoris fecisse dicit, cum si discipulos sabbato ieiunare iussisset, adversus statum scripti et voluntatis creatoris egisset. Tertullianus igitur, non Marcion inter scriptum et voluntatem distinguit neque verba 454, 5 'Marcion captat statum controversiae quasi — ut aliquid ludam cum mei domini ueritate — scripti et voluntatis' ita intellegi possunt, quasi Marcion eam controversiam, ut putat Kroym., sophistice interpretetur. Pro accusativo 'statum' nominativus libris mss. exhibetur. Qui si recte scriptus est, sequitur ut vitium insit in verbo 'captat'. Forsitan Tert. 'Marcionem fallit (vel 'fallat') status controversiae' vel tale quid

1) Ita etiam Engelbrecht scribi voluit, sed Kroymanno non persuasit.

Digitized by Google

scripserit. Verba 'ut — veritate' mea quidem sententia nec latinum sonant nec ludum illum intellego. Sed 'ludam' Kroym. ab Oehlero mutuatus est pro 'eludam' librorum mss. Propius verum accedere putaverim haec: 'ut aliquid eludam eum mei domini ueritate'. Frustra laboravi in eis quae sequuntur: 'De scriptura enim sumitur creatoris et de Christi uoluntate color quasi de exemplo Dauid introgressi sabbatis templum et operati cibum audenter fractis panibus propositionis'. Sed paulum lucis affertur eis quae deinde exponuntur: Christum eodem modo discipulis licentiam non ieiunandi dedisse atque creatorem Israhelitis, cum eis in deserto permitteret, ut in parasceue manna in biduum colligerent, ne sabbatis ieiunare cogerentur. Unde cognoscere mihi videor Tertullianum scripsisse ex eodem loco scripturae Exod. 16, 5 Christum et David creatoris de sabbato voluntatem collegisse, ut Christus exemplum David secutus esse videretur. Sed quae verba sub eis quae nunc leguntur 'De scriptura — Dauid' latcant, viris perspicacioribus enucleandum relinquo, nisi quod nihil inter 'quasi' et 'de exemplo', id quod Kroym. suspicatur, affirmare audeo.

Neque vero ea quae sequuntur inde a v. 10—12 mendis carent: 'Meminerat enim et ille hoc priuilegium donatum sabbato a primordio, quo dies ipse compertus est, ueniam ieiunii dico.' Venia ieiunii sabbato data est? Immo venia non ieiunandi. 'Bene', ait v. 16, 'quod et adfectum creatoris expressit in sabbati non ieiunandi honore'. Προσωποποιΐας igitur figura usus Tert. sabbatum a deo tum, cum Israhelitas necessitate sabbatis in deserto ieiunandi liberaret, privilegio non ieiunandi, quasi ipse dies eius honoris sibi conscius esset, donari facit. Iam si meminimus verbum comperiendi interdum in verba deponentia transire, quem usum Tert. ipse secutus est in l. adv. Hermog. c. 28 p. 156, 8 ('unde ergo compertus est Hermogenes informem et confusam et inquietam illam fuisse?'), medelam non nimis violentam loco corrupto adhiberi putaverim, cum scribamus: 'a primordio, quo dies ipse compertus est ueniam non ieiunandi'.

Digitized by Google

ΛΑΟΔΙΚΕΙΟΣ ΠΟΛΕΜΟΣ.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

Inter papyros Graecas non ultimum obtinet locum ea quae narrationem quandam continet misere eheu truncatam de bello a Ptolemaeo III Euergeta Aegypti rege anno a. C. n. 246 Syriae illato, quod „Laodiceum" dicebant antiqui [1]), nos „Syriacum tertium" appellare consuevimus. Publici iuris facta est a J. P. Mahaffy c. m. v. anno 1893 (*Flinders Petrie Papyri*, Vol. II No. 45, cum tribus imaginibus phototypicis), nova pars a Mahaffy et J. G. Smyly curata accessit anno 1905, Vol. III No. 144; omnia quae supersunt postremus edidit U. Wilcken anno 1912 (*Chrestomathie* No. 1), commentario addito. De qua papyro qui egerint multi ante Wilckeni editionem, apud eum videas; postea data opera eam tractaverunt tres viri in his studiis summi, G. de Sanctis, *Atti della R. Accademia delle Scienze di Torino* XLVII, 1911/12, p. 801; U. de Wilamowitz, *Hermes* XLIX, 1914, p. 447; M. Holleaux, *Revue des études anciennes* XVIII, 1916, p. 153 [2]), sed neque iis neque Wilckeno mea quidem opinione contigit ut in omni parte verum assequerentur. Quare, praemissis iis quae aliter ac priores editores supplere velim vel quae imaginibus phototypicis diligenter examinatis dispicere mihi visus sum, disputare in animo est primum, quando ea quae in papyro narrantur facta sint, tum, quis eius narrationis

1) Λαοδίκειος πόλεμος, *Ancient Greek inscript. of the Brit. Mus.* III 403, 134.

2) Etiam Bouché-Leclercq de ea egit, *Histoire des Séleucides* p. 555 sqq., sed is inter varias sententias fluctuat.

Digitized by Google

auctor fuerit. Hoc quidem etiam mihi pro certo est, τὴν ἀδελφήν, quae bis in papyro nominatur, esse Berenicen regum Ptolemaei II Philadelphi filiam, Ptolemaei III Euergetae sororem, Antiochi II Dei viduam, et auctorem narrationis praefuisse classi Aegyptiacae in auxilium Berenices missae.

Columnae primae finem et initium secundae sic supplevit et edidit Wilcken:

κα]τὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Πυθαγόρας
[καὶ Ἀριστοκλῆς .....] ιε σκάφη τῆς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς

Col. II.

διαπεμψαμένης εἰ[ς τὸ .....]ν προθύμως
καὶ τὴν λοιπὴν χρείκ[ν παρέχεσθαι] καὶ παραπλεύ-
σαντες εἰ‹ς› Σόλους τοὺς [Κιλικίο]υς ἀ[νέ]λαβον τὰ
ἔ[κεῖ]σε κατασχεθέντ[α χρή]ματα etc.

Quae sic redintegrare velim:

κα]τὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Πυθαγόρας
[καὶ Ἀριστοκλῆς ἑτοιμάσαντες] ιε σκάφη, τῆς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς
διαπεμψαμένης, εἰ[ς Κιλικίαν ἦλθο]ν προθύμως
καὶ τὴν λοιπὴν χρείκ[ν παρέσχοντο] καὶ παραπλεύ-
σαντες εἰ‹ς› Σόλους τοὺς [Κιλικίο]υς ἀ[νέ]λαβον etc.

Wilcken in ultimo versu columnae primae coniecerat λαβόντες ιε σκάφη, sed longius supplementum spatio lacunae requiri videtur, ideoque ἑτοιμάσαντες praeferam. In Wilckeni lectione primorum versuum columnae secundae non solum voces εἰ[ς τὸ....]ν — (post articulum τὸ infinitivum, e. g. στρατεύειν a Köhlero [1]) propositum, Wilcken desiderare videtur) — sed etiam infinitivus παρέχεσθαι ab eodem Köhlero suppletus pendent a participio διαπεμψαμένης, sed διαπέμπεσθαι εἰς τὸ adiuncto infinitivo (e. g. εἰς τὸ στρατεύειν) Graece dici non potest; praeterea si παρέχεσθαι suppleas idque a διαπεμψαμένης pendere velis, abundet post παρέχεσθαι vocula καὶ eaque tibi delenda sit. Quapropter a participio διαπεμψαμένης sequentia non pendere puto, sed cum in verbo διαπέμπεσθαι nude posito vis inesse possit „nuntios mittendi ad aliquem, per nuntios aliquem certiorem faciendi" (cf. e. g. Polyb. I 16, 5; I 18, 7; V 72, 1; Plutarch. Themist. 8, 5 i. f.), in lacunis versuum 1 et

1) *Berlin. Sitzungsber.* 1894, p. 447.

Digitized by Google

2 columnae secundae verba finita supplenda esse mihi videntur. Cum vero e versibus sequentibus appareat Pythagoran et Aristoclen in Cilicia egisse, propono vs. 1 *εἰ[ς Κιλικίαν ἦλθο]ν* vel *ἔπλευσα]ν*, cui supplemento spatium lacunae sufficere videtur, et vs. 2 *χρεία[ν παρέσχοντο]*.

Pythagoran et Aristoclen non subjectos fuisse imperio ejus qui hanc narrationem conscripsit et classi Aegyptiacae praefuit, exposuit Wilcken in adnotatione ad Col. I vs. 24 [1]); immo cum Berenices jussis parerent (*τῆς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς διαπεμψαμένης*), eos Syros fuisse apparet et naves quibus praefuerunt fuisse Syriacas, quas in portu Seleuciae Pieriae eos parasse et inde Solos in Ciliciam appulisse suspicor.

Solis rem bene agere iis contigit, cf. Col. II vs. 7 sqq.:

[σ]υνφωνησάντων δ[ὲ]
πρὸς αὐτοὺς τῶν τε Σολείων καὶ ⟨τῶν⟩ στρατ[ιωτῶν] τῶν
[αὐ]τόθεν καὶ μετ[ὰ] β[ίας] ἐπιβοηθησάντ[ων τ]ῶν
περὶ τὸν Πυθαγόρα[ν] καὶ Ἀριστοκλῆ . υ . [[. .]] . . θρων
καὶ γενομένων ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἁπάν[των, συνέβη
ταῦτά τε κατασχεθῆναι καὶ τὴν πόλιν καὶ τὴν
ἄκραν καθ' ἡμᾶς γενέσθαι.

Quo loco vs. 9 et 10 pauca aliarum litterarum vestigia in imagine phototypica deprehendisse mihi videor quam edidit Wilcken, et hanc lectionem propono:

καὶ μετ[έ]π̣[ειτα] ἐπιβοηθησάντ[ων τ]ῶν
περὶ τὸν Πυθαγόρα[ν] καὶ Ἀριστοκλῆ σὺν τ̣ά̣χ̣[ει] ἀθρων,

i. e. *ἀθρόων*.

Elocutione *τὴν πόλιν καὶ τὴν ἄκραν καθ' ἡμᾶς γενέσθαι* sequitur, quandoquidem Pythagoras et Aristocles Solos urbem Berenicae reginae suae opem ferentes recuperaverunt, auctori huius narrationis suam et Berenices causam idem valere. Quapropter mihi quidem valde arridet supplementum, Col. I vs. 19 a Mahaffy et Smyly propositum, quod ab Holleaux acceptum sprevit tamen Wilckenus. Prima enim columna cum tam misere lacerata sit, ut in universum probabilem restitutionem non admittat, hoc quidem certum est in ea agi de urbe quadam

1) *„Aus πρὸς αὐτοὺς folgt, dass Pythagoras und Aristokles nicht zum Geschwader des Navarchen gehören"*.

Digitized by Google

per impetum nocturnum occupata a militibus qui a partibus steterunt auctoris huius narrationis. Quorum militum praefectus, sive Aegyptius fuit sive Syrus, urbe potitus praesidium, quod se dediderat, bonam spem habere jussit, Col. I vs. 17 sqq.:

ἔΦησεν ἔσεσθαι Φανερὰν
[αὐτοῖς εἰς τὸ λοιπὸν τ]ήν τε παρ' ἡμῶν καὶ τὴν παρὰ
[.....]ίαν, μετὰ δὲ ταῦτα δεξιὰν
[δοὺς αὐτοῖς καὶ καταστ]ήσας Ἐπιγένην ἐπὶ τῆς
[ἄκρας καὶ παραδοὺς αὐτῷ] τὴν πόλιν ἅμα τῆι ἡμέραι
]ντων ἐπιστείλας ὑπῆγεν.

Ita haec edidit Wilcken, sed optime me quidem iudice Mahaffy et Smyly vs. 18 sq. proposuerunt: τ]ήν τε παρ' ἡμῶν καὶ τὴν παρὰ [τῆς ἀδελΦῆς (i. e. Berenices) Φιλανθρωπ]ίαν. Nescio an Epigenes, cui arx capta custodienda traditur, idem sit atque is Epigenes, qui anno 223 copias, quas Seleucus III Soter cis Taurum duxerat, rege per dolum interfecto in Syriam reduxit et paulo post ab inimicis necatus est, cf. Polyb. V 41, 4 sqq.; 50, 1 sqq. Quod si verum est, non solum Solos, sed etiam urbem, de qua in Columna I sermo est, homo Syrus pro regina Berenice, non Aegyptius pro rege Ptolemaeo occupavit.

Auctor papyri, postquam exposuit quae alii egerint ut Berenicae opem ferrent, narrat se ipsum navibus ornatis classem Seleuciam appulisse, col. II, 16 sqq.:

Ἡμεῖς δὲ]
ἐπεὶ τὰ κατὰ τὰς ν[αῦς] ε̣ τ̣ ... νάμεθα, cet.

Ita Wilcken, qui adnotat, ἠσΦαλισ]άμεθα ab Holleaux propositum scripturae vestigiis non convenire. Equidem litteram τ in imagine phototypica non vidi, et ante terminationem άμεθα dispicere mihi videor litteram λ, ideoque dubitans sane propono: ἐπεὶ τὰ κατὰ τὰς ν[αῦς] ἐ[στει]λ̣άμεθα, cf. Herwerdeni Lexicon suppletorium s. v. στέλλειν.

Seleuciae auctor huius narrationis magnifice exceptus est, nam sacerdotes, magistratus, cives, praefecti militum, ipsi milites ei obviam venerunt coronati, cf. col. II i. f.:

τῶν δὲ ἱερέων καὶ ἀ̣ρ[χόντ]ων καὶ [τῶ]ν ἄλλων πολιτῶν
καὶ τῶν ἡγεμόνων καὶ τῶν στρατιωτῶν στεΦανηΦορησάντων καὶ τὴν ἐπὶ τὸν λιμένα συναντησάν-
[των ὁδὸν cet.

Digitized by Google

Marcionis ea quae in omnibus libris et manu scriptis et arte confectis in vs. 27 leguntur in v. 11 transposuit, ne conexus qui videtur esse inter verba 'potuit et non praecepisse' et 'cur enim non tacuit' rescinderetur. Sed cum in eam rem solam animum intenderet, non vidit altero loco illa transpositione conexum rerum turbari. Nam ut Marcionem refelleret, Tertulliano primum demonstrandum erat non quia bonus esset, tum non quia sciret ultro Israhelitem praeceptis legis obsecuturum fuisse, Christum id eum facere iussisse. Si enim bonus esse perseverasset, non potuisse eum postea legem destruere, sin autem legem destruxisset, eum bonitatem deseruisse. Cum igitur Tert. interrogat v. 14 'Quid tum? Perseueratne in bonitate, id est permissione legis aut [1]) non?' non potest iam statuisse Christum legem destructurum descendisse. — Addit etiam alterum argumentum, ut Christum Marcionis bonum esse nullo modo concedi posse confirmet. Nam ut lex mala sit, non esse eum bonum qui malae legi obsecutus sit: v. 20 'Deseruit enim bonitatem, dum destruit legem, malus iam quando legis euersor, si bonus cum legis indultor. Ergo et sic malus, si obsequium malae legi [2]) indulsit et sic deterior, si bonae legis destructor aduenit'. Verba 'malus — indultor' non sunt separanda, ut fit in editionibus, ab eis quae praecedunt. Qui dicit malum esse qui legem evertat, si bonus sit, qui legi indulgeat, ponit bonam esse legem, sed concedit fieri posse, ut lex mala sit. Sequitur igitur ut sit malus qui legi indulgeat, si mala sit lex: ergo et sic malus Marcion si obsequium legi indulsit malae. Sed verba artissime inter se cohaerentia alia ab aliis hoc enuntiato separantur: 'Sed et eo quod indulsit legi obsequium, bonam legem confirmauit, nemo enim malo obsequi patitur'. Quod cum non solum argumentationem disturbet, sed etiam per se ipsum absurdum sit, nescio a quo adscriptum esse puto, cui malam legem esse posse ne cogitare quidem licere videretur. — Quod vero attinet ad ea verba, quae Kroym. transposuit, eis remotis orationem multo commodius progredi negari non potest, quamquam Tertulliano minime indigna sunt. Neque

1) Corr. Pamelius 'an'.
2) legi malae M.

Digitized by Google

tamen bene eum fecisse puto, quod codices M R secutus scripserit 'cur enim non tacuit', cum potius 'cur ergo non tacuit', quod legitur in R, probantibus Pamelio et Rigaltio scribendum sit. — Verba v. 28 'Tunc enim aliquatenus posset uideri patientiae suae praestitisse' corrupta esse cognovit Oehlerus, sed dubito an scribendo 'perstitisse' pro 'praestitisse' non possint emendari. Forsitan Tert. patientiam suam praestitisse' scripserit.

Quod affert Tertull. argumentum, cur recte Christus filius hominis appellatus sit, neglegenter a librariis traditum esse omnes editores praeter Kroymannum fugit, qui quae illi omiserunt 'patre' 446, 9 et 'matre' v. 10 egregie supplevit. Alterum 'patre' v. 9 post primum 'ex homine" addendum est. Sic igitur totus locus a Tert. scriptus erat: 'Si ex deo patre est, utique non ex homine ⟨patre⟩; si non est ex homine ⟨patre⟩, superest ut ex homine sit matre; si ex homine ⟨matre⟩, iam apparet, quia ex uirgine'. Item optime Kr. supplevit v. 24: 'si neque ⟨matris neque⟩ patris hominis, ergo nullius hominis est filius'.

Verba 446, 30 sic interpungenda sunt: 'Quid nunc? Si ipso titulo filii hominis censetur Christus apud Danihelem, nonne sufficit [1]) ad probationem prophetici Christi?' Cf. 451. 22 'Cum per Esaiam edicit: uetera transierunt, ecce noua quae ego facio, nonne ad noua conuertit?'

Nominum Christi et Iesu communio ita perstringitur: 447, 4 'Nominum communio simplex, si forte, uideri potest, et tamen nec Christum nec Iesum uocare debuisse defendimus diuersitatis condicionem tenentes', id est: qui Christum Novi Testamenti diversum esse a Christo Veteris Testamenti contendunt, ipsis nominibus Christi et Iesu abstinere debuerunt. Haec sententia una littera mutata ('uocari' in 'uocare'), ut a nobis factum est, restituitur.

Accuratius de communione appellationis filii hominis agitur. De qua haec videtur esse Tertulliani sententia: Quod Marcion Christo suo non solum nomina Christi creatoris, sed etiam eandem appellationem filii hominis vindicat, id ea laborat difficultate, quod non est, cur Christus Marcionis filius hominis

1) sufficiet M.

Digitized by Google

appelletur. Ex accidenti enim est haec appellatio. Si et Christus Marcionis natus ex homine diceretur, ut propria eius esset appellatio filii hominis, duo essent filii hominis, sicut et duo Christi et duo Iesus. Quoniam autem illa appellatio solius est Christi creatoris, unus est filius hominis Christus Iesus creatoris. Quae si ita sunt, totus locus sic restituendus esse videatur: 447, 6 'Appellatio autem, quod est filius hominis, in quantum ex accidenti obuenit, in tantum difficile est, ut et ipsa concurrat super hominis communionem; ex accidenti enim, non propria est [1]), maxime cum causa non convenit eadem, per quam deveniat in communionem. Atque adeo, si et Christus Marcionis natus ex homine diceretur, tunc et ipse caperet appellationis communionem et essent duo filii hominis, sicut et duo Christi et duo Iesus. Ergo, cum appellatio propria est eius, in quo habet causam, si et alii uindicetur, in quo est communio nominis, non etiam appellationis: suspecta iam fit communio nominis quoque in eo, cui uindicatur sine causa communio appellationis q. sqq.'. Pronomen 'eadem' etsi non desideretur, si absit, tamen tolerari potest: causam, ob quam Christus creatoris filius hominis appellatur, non eandem ad Christum Marcionis accommodare licet.

Verba 449, 25 'Nunc illud tuebor, ut demonstrem et Iohannem Christo et Christum Iohanni convenire, utique prophetae creatoris qua Christum creatoris', transposita particula 'qua', sicut voluit Kroym. ('qua utique prophetae creatoris'), dubito an non facilius explicari possint. Quid? si scribamus: 'utique prophetae creatoris qua Christi creatoris', id est: Fuit Iohannes sine dubio propheta creatoris, quippe qui praedicaret Christum creatoris, cui Iohanni si convenit Christus qui apparuit, hic ipse fuit Christus creatoris. Convenire autem hunc Iohanni eis quae sequuntur demonstratur.

Exponit Tert. neminem miraturum fuisse, quod discipuli Christi non ieiunarent, si de disciplina inter Iohannem et Christum non conveniret, sed si quis discipulos reprehendisset, Christum eos defensuros et disciplinam Iohannis reiecturum fuisse. Haec his verbis 450, 11 'Adeo Iohannis erat Christus

1) 'ex accidenti enim proprio est' libri.

Digitized by Google

et Iohannes Christi, ambo creatoris et ambo de lege et prophetis praedicatores et magistri' interrumpi cum sentiret, Kroym. pro 'sed Christus reiecisset' scripsit 'si Christus reiecisset'. Sed ne ita quidem id in quo offenditur plane removetur et figura quaedam verborum parum apta Tertulliano supponitur. Mihi quidem tale ἀνακόλουθον, quod 'sed' in 'si' mutato efficitur, Tertullianum sapere non videtur. Verbis autem illis quibus nunc Tertulliani argumentatio turbatur potius tota argumentorum series concludenda erat. Certe optime quadrant in v. 23 post 'quae erat', quamquam quomodo a suo loco in alienum remota sint, non facile est dictu.

Quasi interpretamentum quoddam idque falsum membrum illud orationis 450, 21 'tempori Iohannis eam praestans' et quod subsequitur 'ut tempori suo eam destinans' nescio a quo adscriptum videri animadvertit Kroym.

Parabola illa, qua nova et vetera a nullo inter se coniungi dicuntur, non minimum Marcioni documento erat Evangelium a Vetere Testamento prorsus diversum esse. Contra Tert. ex eadem ambo unius eiusdemque auctoris dei creatoris esse concludit. Ponit enim non fieri ut quisquam id non facere dicatur quod non sit faciendum, nisi idem id ipsum facere possit, si velit. Habere igitur eum qui novum vinum non in veteres utres infundere dicatur et novos et veteres utres, eumque qui novum pannum non veteri vestimento assueret et novum et vetus vestimentum. Sic qui evangelium a lege separet habere utrumque: 452, 1 'Nam et uinum nouum is non committit in ueteres utres qui et ueteres utres habuerit, et nouum additamentum nemo inicit ueteri uestimento, nisi cui non defuerit et uetus uestimentum. Ille non facit quid, si faciendum non est, qui habeat unde faciat, si faciendum esset.' Has argutias cum non intellegerent editores inde a temporibus Selenii negatione verbo habendi addita ('qui et ueteres utres non habuerit' vel 'qui nec ueteres utres habuerit') in contrarium verterunt.

Deinde Tert. exponit evangelium a lege separari potuisse, quod coniuncta fuissent. 'Separatio', inquit, 'per coniunctionem capit, de qua fit. Ita quae separabat, et in uno ostendebat fuisse, sicut et fuissent, si non separaret'. Separari autem evangelium a lege, sicut fructus separetur a semine, esse diversum, sed

Digitized by Google

commutata sint (cf. Livius, 23, 35. 14: 'instruendae fraudi aliquanto intentior').

Quo minus in libris tam mendose scriptis quam Tertulliani coniecturis supersedere possumus, eo diligentius cavendum est, ne contemptu librariorum inducti nimis celeriter verbis ab eis traditis manus inferamus. Ita non erat, cur in his quicquam mutaretur: 424, 24 'adiciens sancta et fidelia David (Esaias 55, 3), ut id testamentum in Christo decursurum demonstraret. Eundem ex genere David secundum Mariae censum etiam in uirga ex radice Iesse processura figurate praedicabat (Es. 11, 1)'. Pronomen enim 'eundem' non suo loco remotum post 'censum' ponendum esse facile intellegas, si quomodo Tertulliani oratio progrediatur consideres. Primum enim simpliciter Christus filius esse dicitur David, tum hoc novum additur id factum esse per virginem Mariam.

Capite II° agitur de auctoritate evangelii Marcionis. Posse dici omnino nullam eius esse, quoniam nullum ei adscribat auctorem. Sed quia appareat Marcionis evangelium idem esse atque Lucae, quaeri qua sit auctoritate Lucae. Dicit hoc neglecta discrepantia singulorum, erant enim secundum Tertull. ambo eadem origine, sed alterum adulteratum. Neque ipse de auctoritate evangelii Lucae dubitat, sed sua de Marcionis evangelio opinione pro Marcionis substituta hunc neglegentiae insimulat, quasi oblitus sit facere, quod ei faciendum esset. Nam etiamsi sub ipsius Pauli nomine evangelium Marcion intulisset, id patrocinio antecessorum eius cavere non posse: 427, 1 'Exigeretur enim id quoque euangelium, quod Paulus inuenit, cui fidem dedit, cui mox suum congruere gestiit, siquidem propterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos apostolos et consultandos'.

In his, ni fallor, grave adhuc mendum latet, cuius tollendi via et ratio extremo capite his verbis monstrari videatur: 'Igitur si ipse inluminator Lucae auctoritatem antecessorum et fidei et praedicationi suae optauit, quanto magis eam euangelio Lucae expostulem, quae euangelio magistri eius fuit necessaria?' Tertullianus evangelium viva voce praedicatum cum scripto evangelio ita comparat, ut Paulum scriptum evangelium cum ceteris apostolis contulisse eum putasse appareat. Id igitur horum

Digitized by Google

patrocinio destitutum esse Paulus secundum Tertull. noluit. Necessario igitur mihi quidem videtur Tert. scripsisse: 'Exigebatur enim id (scil. patrocinium) ei quoque euangelio, quod Paulus inuenit'.

Pergit ita Tertullianus: Paulum apostolos non propter euangelium, sed propter conversationem reprehendisse (Sat. 2, 9), integrum fuisse eorum evangelium. Pseudoapostolos igitur, si quisquam, falsi esse accusandos. A quibus si corruptum sit apostolorum evangelium, aut tam funditus id perisse, ut ne Marcion quidem verum haberet, aut si sit conservatum, disceptari non posse, utrum Marcionis an Lucae verius sit, quoniam praeter titulum alterum alteri consonet, nomen autem Lucae falsum, ipsum evangelium apostolorum esse possit. Totus igitur locus a 428, 8 usque ad v. 21 sic est constituendus: 'Si uero apostoli quidam integrum euangelium contulerunt de sola conuictus inaequalitate reprehensi, pseudoapostoli autem ueritatem interpolauerunt et inde sunt nostra digesta: quod erit germanum illud apostolorum instrumentum, quod adulteros passum est, quod Paulum inluminauit et ab eo Lucam? Aut si tam funditus deletum est, ut cataclysmo quodam sit [1]) inundatione falsariorum obliteratum: iam ergo nec Marcion habet uerum; aut si ipsum erit uerum, id est apostolorum, quod Marcion habet solus: [et] quomodo nostro consonat, quod non apostolorum, sed Lucae refertur? Aut si non statim Lucae deputandum est quo Marcion utitur, quia nostro consonat scilicet adulterato etiam circa titulum, ceterum [2]) apostolorum est: iam ergo et nostrum, quod illi consonat, aeque apostolorum est, etsi [3]) adulteratum de titulo quoque'.

Commemorantur pseudoapostoli illi etiam 431, 21, ubi Tert. quaerit a Marcione, si putaret Lucae evangelium ab eis esse adulteratum, cur non Iohannis quoque et Matthaei ab eisdem corrupta esse affirmaret: 431, 19 'Nam et competit, ut si qui euangelium peruertebant, eorum magis curarent peruersionem, quorum sciebant auctoritatem receptiorem, ideo et pseudoapostoli ⟨ab apostolo Paulo appellati⟩, quod per falsum apostolos

1) Libri 'ita'. Cui cum 'ut' quod praecedit respondere videretur, Engelbrecht 'tam' ante 'funditus' in 'iam' mutavit. 2) Libri 'ceterorum', corr. Ciacconius. 3) Libri 'sed', fortasse tolerari potest.

Digitized by Google

imitarentur'. Coniunctivus 'imitarentur' documento est verba quae supplevi abesse non posse. Obversabatur animo Tertulliani 2 Cor. XI, 13 ψευδαπόστολοι μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ. Qui si evangelia magistrorum intacta reliquissent, etiam Lucae evangelio manus abstenturos fuisse. Qui vero Lucae adulteratum esse putaret, eum cetera non debere pro genuinis habere. Propterea discipulis Marcionis suadet, 'ut aut et illa conuertant, licet sero, ad formam sui, quo cum apostolicis conuenire uideantur, — nam et cotidie reformant illud, prout a nobis [cotidie] reuincuntur — aut erubescant de magistro suo utrobique traducto, cum euangelii ueritatem nunc ex conscientia tramittit, nunc ex impudentia euertit'. Non hiat lacuna inter 'sui' et 'quo', ut Kroym. existimat. Castigatur Marcion, quod non sibi constiterit, cum Lucae adulteraverit, cetera evangelia praetermiserit. Revera Marcionem neque agnovisse evangelia Iohannis Matthaei Marci neque ea iam tum in canonem recepta fuisse, cum canon Novi Testamenti omnino nondum extaret, sed Marcion primus eius initium faceret, non est cur hoc loco exponam. Quod autem Tert. Marcionitas adhortatur, ut etiam cetera evangelia more magistri sui interpolarentur, cum iam textui catholicorum, ut videtur, cedere inciperent, id summum in ludibrium eorum dictum est, quasi interesset eorum, ut cum apostolis convenirent. Pro eo quod traditum est 'uideatur' (432, 3) Kroym. scripsit 'uideantur'. Dubitari potest, utrum scripserit Tert. Mihi quidem hoc veri similius videtur ('uideantur' i. e. ipsi Marcionitae).

Neque 434, 8, ubi Christi de caelo descensus cum Romuli in caelum ascensu comparatur, lacuna statuenda est. Nihil enim desideratur. Id unum inter duas illas fabulas interesse dicitur, quod Romulus ascensus sui affirmatorem Proculum, Christus Marcionis descensus sui neminem invenerit.

Non felicius Kr. tractavit verba, quibus paulo ante exponitur, quantum intersit, quod secundum Marcionem Christus non subito in Galilaea apparuerit, sed de caelo descenderit: 433, 25 'Apparere subitum ex inopinato sapit conspectum, qui semel impegerit oculos in id [1]), quod sine mora apparuit, descendisse

1) occulo sinit M.

Digitized by Google

autem dum fit uidetur et subit oculos. De facto etiam ordinem facit atque ita cogit exigere quali habitu, quali suggestu... descenderit'. Pro 'subit' codicis M Kroym. cum R scripsit 'subicit' et unus ex omnibus editoribus 'de facto' cum eis quae praecedunt coniunxit. Hoc quidem adverbialiter dictum est, ut 'de improviso', 'de falso', 'de vero' alia [1]). Ipso igitur facto vel eo quod fit, id est sponte, actu descendendi ordo quidam descensus efficitur, ut singula eius momenta distingui possint, cum qui apparet tam subito adsit, ut quomodo venerit nesciri possit.

Multum et in diversum disputatum est de his 434, 25 'De caelo statim ad synagogam, ut dici solet, ad quod venimus hoc. Age, Marcion, aufer etiam illud de euangelio: „non sum missus nisi ad oues perditas domus Israhel"..; sufficiunt mihi facta'. Verba 'hoc age' ab omnibus, ni fallor, inter se coniunguntur; mihi quidem 'age' ab imperativo 'aufer' separari posse non videtur. Dubitant autem, quo verba 'ad quod uenimus, hoc age' spectent, utrum ad ea quae praecedant an ad ea quae sequantur. Verbis 'De caelo statim ad synagogam' certe nihil proverbii simile inest, neque vero verbis insequentibus notum aliquod proverbium constituitur. Unum certum est Tertullianum dicere voluisse eo quod secundum Marcionem de caelo ad synagogam se contulisset, Christum ad oves perditas Israhel servandas venisse satis superque probatum esse. Sin autem ad id venit, non venit missus ab aliquo deo ignoto, sed a deo creatore, qua de re omne erat Tertulliano cum Marcione certamen. Id igitur quod Tert. demonstrandum sibi proposuerat, statim initio evangelii Marcionis perpenso assecutus esse sibi videbatur. Hoc nescio quo modo verbis 'ad quod venimus, hoc' significari putaverim.

436, 15 verba sic recte tradita: 'Quid autem iam tale ediderat nouae diuinitatis, per quod posset alterius dei sanctus intellegi, tantum quod synagogam introgressus et nec sermone operatus aliquid adversus creatorem?' falsa interpunctione in editionibus obscurantur. 'Tantum quod' idem valere atque 'modo' recte monuit Kroym. 511, 1, non igitur 'erat' post 'operatus' addendum erat.

---

1) Cf. Hoppe, Syntax und Stil des Tertullian, S. 101.

Digitized by Google

Paulo post daemon in synagoga oppidi Caphernaum (Luc. 4, 34) Iesum ut filium dei creatoris agnovisse dicitur: 'Sed et habebat utique sensum aliquem dominicae dispositionis licet daemon, tamen ⟨notae⟩ magis quam alienae et nondum satis cognitae'.

Heliseum in Vetere Testamento Naaman Syrum et Christum in Novo (Luc. 5, 13) Israhelitem quendam lepra utrumque liberantes Marcion in libro suo oppositionum inter se contulerat, ut quanto melior Christus dei boni quam prophetes creatoris esset demonstraret. Christum enim amore commotum Israhelitem alieni dei hominem sanasse, cum creator, cuius essent Israhelitae, per propheten suum Israhelitem neminem sanare potuisset. His Tert. aliam opponit interpretationem, sed ipsa verba ita sunt corrupta, ut vix eis medela adhiberi posse videatur: 441, 26 'Syro facilius emundato significat per nationes emundationis in Christo'. Tamen quae sit Tertulliani sententia ex eis quae sequuntur cognosci potest. Quasi nomen melioris idem valeat atque potentioris, quod Heliseus Syrum septies submersisse narretur (IV Reg. 5, 14), id per allegoriam accipiendum esse dicit. Ethnicum septem delictis capitalibus maculatum Heliseo septies lavandum fuisse, cum Christus solus uno lavacro delictorum maculas abluere possit. Ergo non quod ab alio deo missus esset, sed quod esset Heliseo potentior, quippe qui uno lavacro idem efficeret atque septem Heliseus, secundum Tertullianum Christus aliter egit atque Heliseus. Propterea sic fere eum scripsisse putaverim: 'Syro emundato significatur facilius nationes emundari in Christo'.

Sed Marcion quoque potentiorem esse Christum Heliseo contendit. Addidit enim secundum Tert. 442, 5 'Heliseum quidem materia eguisse, aquam adhibuisse et eam septies, Christum uerbo [uero] solo et hoc semel functum (libri 'functo') curationem statim repraesentasse'. Pro 'uerbo uero' R^3 scripsit 'uero uerbo', sed displicet sonus verborum et omissa particula adversativa verbis vis additur. Facile autem post 'uerbo' per errorem 'uero' scribi potuit. Verbum fungendi apud Tert. cum accusativo coniunctum inveniri etsi recte monuit Engelbrecht, tamen Latinii lenissima coniectura ('functum' pro 'functo') multo concinnior mihi quidem oratio evadere videtur: 'Christum uerbo solo, scil. eguisse'.

Digitized by Google

Tert. postquam respondit eo ipso quod solum verbum eius morbo remedio fuisse Christum creatoris esse probari, sic pergit: 'Sed ideo alius Christus, quia aliter quam Heliseus, quia potentior dominus famulo suo?' Recte intellexit Kroym. haec ex sententia Marcionis dicta esse. Tamen noluit Tertullianus ea pro ipsis verbis Marcionis haberi. Quomodo enim Marcionem Heliseum propheten creatoris, quocum prorsus nihil commune esset cum deo bono, Heliseum famulum sui Christi appellasse credas? Sed cum interrogat Marcionem, num id quod sentiat revera affirmare audeat, corrigit eum, ut intellegatur non propterea duos esse Christos diversos, quod Christus qui apparuerit aliter egerit atque Heliseus. Famulum enim eius esse Heliseum et propterea Christum eo esse potentiorem. Id etiam clarius fit eis quae sequuntur, in quibus haec non recte scripta esse putaverim: 442, 16 'ideo Christum negas creatoris, quia potentior fuerit famulo creatoris, qui ad Helisei pusillitatem maior agnoscitur?' pro quibus scribi velim: 'quia Helisei pusillitate maior agnoscitur?' Errat Kroym. quod propter coniunctivum 'fuerit' etiam 'agnoscatur' scribendum esse putat; aliud enim Tert. ex opinione Marcionis dicit ut supra 'famulo suo' ex sua, aliud rursus ex sua sententia, ita tamen, ut statim ipse se corrigat idque audacissime, cum ut adversarium suum irrideat paene Christo obtrectare videatur.

442, 26 'Argumenta figurata utpote prophetae legis'. Pro 'figurata' scribendum esse 'figuratae' putaverim, non enim argumenta sunt figurata, sed ipsa lex (cf. 440, 26 'figuratae legis vim'), quae opinione Tertulliani sicut propheta per figuras loquitur, sub quibus lateat disciplina Christiana.

Quod Christus Israhelitem illum, quem lepra liberaverat, praecepta legis implere iussit, id Marcioni haud parvas difficultates praebere necesse erat. Pro bonitate morum suorum, deinde quod illum ultro ita facturum fuisse sciret, Christum id praecepisse. 443, 9 'Ut bonus, inquit, praeterea ut sciens omnem qui lepra esset liberatus sollemnia legis executurum, ideo ita praecepit'. 'Ut bonus' Kroym. pro 'et bonus' librorum mss. scripsit, quod confirmatur eis quae infra v. 25 leguntur: 'ut sciens... ideo praecepit'. Alterum 'ut' quod supplevit ante 'sciens' forsitan abesse possit. Sed minus feliciter post verba

Digitized by Google

Marcionis ea quae in omnibus libris et manu scriptis et arte confectis in vs. 27 leguntur in v. 11 transposuit, ne conexus qui videtur esse inter verba 'potuit et non praecepisse' et 'cur enim non tacuit' rescinderetur. Sed cum in eam rem solam animum intenderet, non vidit altero loco illa transpositione conexum rerum turbari. Nam ut Marcionem refelleret, Tertulliano primum demonstrandum erat non quia bonus esset, tum non quia sciret ultro Israhelitem praeceptis legis obsecuturum fuisse, Christum id eum facere iussisse. Si enim bonus esse perseverasset, non potuisse eum postea legem destruere, sin autem legem destruxisset, eum bonitatem deseruisse. Cum igitur Tert. interrogat v. 14 'Quid tum? Perseueratne in bonitate, id est permissione legis aut [1]) non?' non potest iam statuisse Christum legem destructurum descendisse. — Addit etiam alterum argumentum, ut Christum Marcionis bonum esse nullo modo concedi posse confirmet. Nam ut lex mala sit, non esse eum bonum qui malae legi obsecutus sit: v. 20 'Deseruit enim bonitatem, dum destruit legem, malus iam quando legis euersor, si bonus cum legis indultor. Ergo et sic malus, si obsequium malae legi [2]) indulsit et sic deterior, si bonae legis destructor aduenit'. Verba 'malus — indultor' non sunt separanda, ut fit in editionibus, ab eis quae praecedunt. Qui dicit malum esse qui legem evertat, si bonus sit, qui legi indulgeat, ponit bonam esse legem, sed concedit fieri posse, ut lex mala sit. Sequitur igitur ut sit malus qui legi indulgeat, si mala sit lex: ergo et sic malus Marcion si obsequium legi indulsit malae. Sed verba artissime inter se cohaerentia alia ab aliis hoc enuntiato separantur: 'Sed et eo quod indulsit legi obsequium, bonam legem confirmauit, nemo enim malo obsequi patitur'. Quod cum non solum argumentationem disturbet, sed etiam per se ipsum absurdum sit, nescio a quo adscriptum esse puto, cui malam legem esse posse ne cogitare quidem licere videretur. — Quod vero attinet ad ea verba, quae Kroym. transposuit, eis remotis orationem multo commodius progredi negari non potest, quamquam Tertulliano minime indigna sunt. Neque

1 Corr. Pamelius 'an'.
2 legi malae M.

Digitized by Google

tamen bene eum fecisse puto, quod codices M R secutus scripserit 'cur enim non tacuit', cum potius 'cur ergo non tacuit', quod legitur in R, probantibus Pamelio et Rigaltio scribendum sit. — Verba v. 28 'Tunc enim aliquatenus posset uideri patientiae suae praestitisse' corrupta esse cognovit Oehlerus, sed dubito an scribendo 'perstitisse' pro 'praestitisse' non possint emendari. Forsitan Tert. patientiam suam praestitisse' scripserit.

Quod affert Tertull. argumentum, cur recte Christus filius hominis appellatus sit, neglegenter a librariis traditum esse omnes editores praeter Kroymannum fugit, qui quae illi omiserunt 'patre' 446, 9 et 'matre' v. 10 egregie supplevit. Alterum 'patre' v. 9 post primum 'ex homine" addendum est. Sic igitur totus locus a Tert. scriptus erat: 'Si ex deo patre est, utique non ex homine ⟨patre⟩; si non est ex homine ⟨patre⟩, superest ut ex homine sit matre; si ex homine ⟨matre⟩, iam apparet, quia ex uirgine'. Item optime Kr. supplevit v. 24: 'si neque ⟨matris neque⟩ patris hominis, ergo nullius hominis est filius'.

Verba 446, 30 sic interpungenda sunt: 'Quid nunc? Si ipso titulo filii hominis censetur Christus apud Danihelem, nonne sufficit [1]) ad probationem prophetici Christi?' Cf. 451. 22 'Cum per Esaiam edicit: uetera transierunt, ecce noua quae ego facio, nonne ad noua conuertit?'

Nominum Christi et Iesu communio ita perstringitur: 447, 4 'Nominum communio simplex, si forte, uideri potest, et tamen nec Christum nec Iesum uocare debuisse defendimus diuersitatis condicionem tenentes', id est: qui Christum Novi Testamenti diversum esse a Christo Veteris Testamenti contendunt, ipsis nominibus Christi et Iesu abstinere debuerunt. Haec sententia una littera mutata ('uocari' in 'uocare'), ut a nobis factum est, restituitur.

Accuratius de communione appellationis filii hominis agitur. De qua haec videtur esse Tertulliani sententia: Quod Marcion Christo suo non solum nomina Christi creatoris, sed etiam eandem appellationem filii hominis vindicat, id ea laborat difficultate, quod non est, cur Christus Marcionis filius hominis

1) sufficiet M.

Digitized by Google

appelletur. Ex accidenti enim est haec appellatio. Si et Christus Marcionis natus ex homine diceretur, ut propria eius esset appellatio filii hominis, duo essent filii hominis, sicut et duo Christi et duo Iesus. Quoniam autem illa appellatio solius est Christi creatoris, unus est filius hominis Christus Iesus creatoris. Quae si ita sunt, totus locus sic restituendus esse videatur: 447, 6 'Appellatio autem, quod est filius hominis, in quantum ex accidenti obuenit, in tantum difficile est, ut et ipsa concurrat super hominis communionem; ex accidenti enim, non propria est [1]), maxime cum causa non convenit eadem, per quam deveniat in communionem. Atque adeo, si et Christus Marcionis natus ex homine diceretur, tunc et ipse caperet appellationis communionem et essent duo filii hominis, sicut et duo Christi et duo Iesus. Ergo, cum appellatio propria est eius, in quo habet causam, si et alii uindicetur, in quo est communio nominis, non etiam appellationis: suspecta iam fit communio nominis quoque in eo, cui uindicatur sine causa communio appellationis q. sqq.'. Pronomen 'eadem' etsi non desideretur, si absit, tamen tolerari potest: causam, ob quam Christus creatoris filius hominis appellatur, non eandem ad Christum Marcionis accommodare licet.

Verba 449, 25 'Nunc illud tuebor, ut demonstrem et Iohannem Christo et Christum Iohanni convenire, utique prophetae creatoris qua Christum creatoris', transposita particula 'qua', sicut voluit Kroym. ('qua utique prophetae creatoris'), dubito an non facilius explicari possint. Quid? si scribamus: 'utique prophetae creatoris qua Christi creatoris', id est: Fuit Iohannes sine dubio propheta creatoris, quippe qui praedicaret Christum creatoris, cui Iohanni si convenit Christus qui apparuit, hic ipse fuit Christus creatoris. Convenire autem hunc Iohanni eis quae sequuntur demonstratur.

Exponit Tert. neminem miraturum fuisse, quod discipuli Christi non ieiunarent, si de disciplina inter Iohannem et Christum non conveniret, sed si quis discipulos reprehendisset, Christum eos defensuros et disciplinam Iohannis reiecturum fuisse. Haec his verbis 450, 11 'Adeo Iohannis erat Christus

1) 'ex accidenti enim proprio est' libri.

Digitized by Google

et Iohannes Christi, ambo creatoris et ambo de lege et prophetis praedicatores et magistri' interrumpi cum sentiret, Kroym. pro 'sed Christus reiecisset' scripsit 'si Christus reiecisset'. Sed ne ita quidem id in quo offenditur plane removetur et figura quaedam verborum parum apta Tertulliano supponitur. Mihi quidem tale *ἀνακόλουθον*, quod 'sed' in 'si' mutato efficitur, Tertullianum sapere non videtur. Verbis autem illis quibus nunc Tertulliani argumentatio turbatur potius tota argumentorum series concludenda erat. Certe optime quadrant in v. 23 post 'quae erat', quamquam quomodo a suo loco in alienum remota sint, non facile est dictu.

Quasi interpretamentum quoddam idque falsum membrum illud orationis 450, 21 'tempori Iohannis eam praestans' et quod subsequitur 'ut tempori suo eam destinans' nescio a quo adscriptum videri animadvertit Kroym.

Parabola illa, qua nova et vetera a nullo inter se coniungi dicuntur, non minimum Marcioni documento erat Evangelium a Vetere Testamento prorsus diversum esse. Contra Tert. ex eadem ambo unius eiusdemque auctoris dei creatoris esse concludit. Ponit enim non fieri ut quisquam id non facere dicatur quod non sit faciendum, nisi idem id ipsum facere possit, si velit. Habere igitur eum qui novum vinum non in veteres utres infundere dicatur et novos et veteres utres, eumque qui novum pannum non veteri vestimento assueret et novum et vetus vestimentum. Sic qui evangelium a lege separet habere utrumque: 452, 1 'Nam et uinum nouum is non committit in ueteres utres qui et ueteres utres habuerit, et nouum additamentum nemo inicit ueteri uestimento, nisi cui non defuerit et uetus uestimentum. Ille non facit quid, si faciendum non est, qui habeat unde faciat, si faciendum esset.' Has argutias cum non intellegerent editores inde a temporibus Selenii negatione verbo habendi addita ('qui et ueteres utres non habuerit' vel 'qui nec ueteres utres habuerit') in contrarium verterunt.

Deinde Tert. exponit evangelium a lege separari potuisse, quod coniuncta fuissent. 'Separatio', inquit, 'per coniunctionem capit, de qua fit. Ita quae separabat, et in uno ostendebat fuisse, sicut et fuissent, si non separaret'. Separari autem evangelium a lege, sicut fructus separetur a semine, esse diversum, sed

Digitized by Google

non contrarium. — Haec paucis exceptis sic leguntur in codice M. Recte eo traditum esse 452, 8 'fuisset notanda' pro 'fuisse notandam' vel 'notanda' et propterea ibidem scribendum esse 'separatio' pro 'separatione' M vel 'separationem' R cognovit Kroym. Sed erravit in eo quod v. 12 ex lectionibus codicum R 'si' et M 'sic' illam huic praetulit, quo factum est, ut tota constructio verborum subverteretur. V. 15 pro 'aliud ab illa' scribendum esse 'aliud ab alia' cum ipsa pronominum natura mihi persuadet tum locus similis libri adv. Praxeam c. 9, quo pater et filius non idem, sed alius ab alio esse dicuntur (p. 239, 23 et 240, 11). Sic igitur inde a v. 11 verba Tertulliani constituenda sunt: 'Et tamen sic concedimus separationem istam: per reformationem, per amplitudinem, per profectum [1]), sicut fructus separatur a semine, cum sit fructus ex semine. Sic et euangelium separatur a lege, dum prouehitur ex lege, aliud ab alia sed non alienum, diuersum sed non contrarium'.

452, 21 Kroym. Engelbrechti sententiam secutus secundam verborum personam in tertiam mutavit, sed nescio an praeterea etiam pronomen 'se' addendum sit: 'Si hominem alterius gentis ⟨se⟩ probare uoluisset, utique de proprietate loquelae probaret'.

Locus est difficillimus de controversia scripti et voluntatis, quem nec Kroym. expedisse video et me ipsum emendare posse despero. Sed tamen enitendum est, ut si non verba, at certe sententiam Tertulliani indagemus. Agitur de Christo discipulos de crimine sabbati laesi excusante (cf. Lc. 6, 1 sqq.), id quod Tert. cum secundum statum scripti et voluntatis creatoris fecisse dicit, cum si discipulos sabbato ieiunare iussisset, adversus statum scripti et voluntatis creatoris egisset. Tertullianus igitur, non Marcion inter scriptum et voluntatem distinguit neque verba 454, 5 'Marcion captat statum controversiae quasi — ut aliquid ludam cum mei domini ueritate — scripti et voluntatis' ita intellegi possunt, quasi Marcion eam controversiam, ut putat Kroym., sophistice interpretetur. Pro accusativo 'statum' nominativus libris mss. exhibetur. Qui si recte scriptus est, sequitur ut vitium insit in verbo 'captat'. Forsitan Tert. 'Marcionem fallit (vel 'fallat') status controversiae' vel tale quid

1) Ita etiam Engelbrecht scribi voluit, sed Kroymanno non persuasit.

Digitized by Google

scripserit. Verba 'ut — veritate' mea quidem sententia nec latinum sonant nec ludum illum intellego. Sed 'ludam' Kroym. ab Oehlero mutuatus est pro 'eludam' librorum mss. Propius verum accedere putaverim haec: 'ut aliquid eludam eum mei domini ueritate'. Frustra laboravi in eis quae sequuntur: 'De scriptura enim sumitur creatoris et de Christi uoluntate color quasi de exemplo Dauid introgressi sabbatis templum et operati cibum audenter fractis panibus propositionis'. Sed paulum lucis affertur eis quae deinde exponuntur: Christum eodem modo discipulis licentiam non ieiunandi dedisse atque creatorem Israhelitis, cum eis in deserto permitteret, ut in parasceue manna in biduum colligerent, ne sabbatis ieiunare cogerentur. Unde cognoscere mihi videor Tertullianum scripsisse ex eodem loco scripturae Exod. 16, 5 Christum et David creatoris de sabbato voluntatem collegisse, ut Christus exemplum David secutus esse videretur. Sed quae verba sub eis quae nunc leguntur 'De scriptura — Dauid' lateant, viris perspicacioribus enucleandum relinquo, nisi quod nihil inter 'quasi' et 'de exemplo', id quod Kroym. suspicatur, affirmare audeo.

Neque vero ea quae sequuntur inde a v. 10—12 mendis carent: 'Meminerat enim et ille hoc priuilegium donatum sabbato a primordio, quo dies ipse compertus est, ueniam ieiunii dico.' Venia ieiunii sabbato data est? Immo venia non ieiunandi. 'Bene', ait v. 16, 'quod et adfectum creatoris expressit in sabbati non ieiunandi honore'. Προσωποποιΐας igitur figura usus Tert. sabbatum a deo tum, cum Israhelitas necessitate sabbatis in deserto ieiunandi liberaret, privilegio non ieiunandi, quasi ipse dies eius honoris sibi conscius esset, donari facit. Iam si meminimus verbum comperiendi interdum in verba deponentia transire, quem usum Tert. ipse secutus est in l. adv. Hermog. c. 28 p. 156, 8 ('unde ergo compertus est Hermogenes informem et confusam et inquietam illam fuisse?'), medelam non nimis violentam loco corrupto adhiberi putaverim, cum scribamus: 'a primordio, quo dies ipse compertus est ueniam non ieiunandi'.

Digitized by Google

ΛΑΟΔΙΚΕΙΟΣ ΠΟΛΕΜΟΣ.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

Inter papyros Graecas non ultimum obtinet locum ea quae narrationem quandam continet misere eheu truncatam de bello a Ptolemaeo III Euergeta Aegypti rege anno a. C. n. 246 Syriae illato, quod „Laodiceum" dicebant antiqui [1]), nos „Syriacum tertium" appellare consuevimus. Publici iuris facta est a J. P. Mahaffy c. m. v. anno 1893 (*Flinders Petrie Papyri*, Vol. II No. 45, cum tribus imaginibus phototypicis), nova pars a Mahaffy et J. G. Smyly curata accessit anno 1905, Vol. III No. 144; omnia quae supersunt postremus edidit U. Wilcken anno 1912 (*Chrestomathie* No. 1), commentario addito. De qua papyro qui egerint multi ante Wilckeni editionem, apud eum videas; postea data opera eam tractaverunt tres viri in his studiis summi, G. de Sanctis, *Atti della R. Accademia delle Scienze di Torino* XLVII. 1911/12, p. [illegible]; U. de Wilamowitz, *Hermes* XLIX. 1914. p. 447; M. Holleaux, *Revue des études anciennes* XVIII. 1916, p. [illegible] [2]), sed neque iis neque Wilckeno mea quidem opinione contigit ut in omni parte verum assequerentur. Quare, praemissis iis quae alibi ac priores editores supplere velim vel quae imaginibus phototypicis diligenter examinatis dispicere mihi visus sum, disputare in animo est primum, quando ea quae in papyro narrantur facta sint, tum, quis eius narrationis

[1]) [illegible] III 2 133 134.
[2]) [illegible] p. 333 sqq. [illegible]

auctor fuerit. Hoc quidem etiam mihi pro certo est, τὴν ἀδελφήν, quae bis in papyro nominatur, esse Berenicen regum Ptolemaei II Philadelphi filiam, Ptolemaei III Euergetae sororem, Antiochi II Dei viduam, et auctorem narrationis praefuisse classi Aegyptiacae in auxilium Berenices missae.

Columnae primae finem et initium secundae sic supplevit et edidit Wilcken:

κα]τὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Πυθαγόρας
[καὶ Ἀριστοκλῆς.....] ιε σκάφη τῆς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς

Col. II.

διαπεμψαμένης εἰ[ς τὸ.....]ν προθύμως
καὶ τὴν λοιπὴν χρεία[ν παρέχεσθαι] καὶ παραπλεύ-
σαντες εἰ⟨ς⟩ Σόλους τοὺς [Κιλικίο]υς ἀ[νέ]λαβον τὰ
ἐ[κεῖ]σε κατασχεθέντ[α χρή]ματα etc.

Quae sic redintegrare velim:

κα]τὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Πυθαγόρας
[καὶ Ἀριστοκλῆς ἑτοιμάσαντες] ιε σκάφη, τῆς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς
διαπεμψαμένης, εἰ[ς Κιλικίαν ἦλθο]ν προθύμως
καὶ τὴν λοιπὴν χρεία[ν παρέσχοντο] καὶ παραπλεύ-
σαντες εἰ⟨ς⟩ Σόλους τοὺς [Κιλικίο]υς ἀ[νέ]λαβον etc.

Wilcken in ultimo versu columnae primae coniecerat λαβόντες ιε σκάφη, sed longius supplementum spatio lacunae requiri videtur, ideoque ἑτοιμάσαντες praeferam. In Wilckeni lectione primorum versuum columnae secundae non solum voces εἰ[ς τὸ....]ν — (post articulum τὸ infinitivum, e. g. στρατεύειν a Köhlero [1]) propositum, Wilcken desiderare videtur) — sed etiam infinitivus παρέχεσθαι ab eodem Köhlero suppletus pendent a participio διαπεμψαμένης, sed διαπέμπεσθαι εἰς τὸ adiuncto infinitivo (e. g. εἰς τὸ στρατεύειν) Graece dici non potest; praeterea si παρέχεσθαι suppleas idque a διαπεμψαμένης pendere velis, abundet post παρέχεσθαι vocula καὶ eaque tibi delenda sit. Quapropter a participio διαπεμψαμένης sequentia non pendere puto, sed cum in verbo διαπέμπεσθαι nude posito vis inesse possit „nuntios mittendi ad aliquem, per nuntios aliquem certiorem faciendi" (cf. e. g. Polyb. I 16, 5; I 18, 7; V 72, 1; Plutarch. Themist. 8, 5 i. f.), in lacunis versuum 1 et

1) *Berlin. Sitzungsber.* 1894, p. 447.

Digitized by Google

2 columnae secundae verba finita supplenda esse mihi videntur. Cum vero e versibus sequentibus appareat Pythagoran et Aristoclen in Cilicia egisse, propono vs. 1 εἰ[ς Κιλικίαν ἦλθο]ν vel ἔπλευσα]ν, cui supplemento spatium lacunae sufficere videtur, et vs. 2 χρεία[ν παρέσχοντο].

Pythagoran et Aristoclen non subjectos fuisse imperio ejus qui hanc narrationem conscripsit et classi Aegyptiacae praefuit, exposuit Wilcken in adnotatione ad Col. I vs. 24 [1]); immo cum Berenices jussis parerent (τῆς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς διαπεμψαμένης), eos Syros fuisse apparet et naves quibus praefuerunt fuisse Syriacas, quas in portu Seleuciae Pieriae eos parasse et inde Solos in Ciliciam appulisse suspicor.

Solis rem bene agere iis contigit, cf. Col. II vs. 7 sqq.:

[σ]υνφωνησάντων δ[ὲ]
πρὸς αὐτοὺς τῶν τε Σολείων καὶ ⟨τῶν⟩ στρατ[ιωτῶν] τῶν
[αὐ]τόθεν καὶ μετ[ὰ] β[ίας] ἐπιβοηθησάντ[ων τ]ῶν
περὶ τὸν Πυθαγόρα[ν] καὶ Ἀριστοκλῆ . υ . [[. .]] . . θρων
καὶ γενομένων ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἁπάν[των, συνέβη
ταῦτά τε κατασχεθῆναι καὶ τὴν πόλιν καὶ τὴν
ἄκραν καθ' ἡμᾶς γενέσθαι.

Quo loco vs. 9 et 10 pauca aliarum litterarum vestigia in imagine phototypica deprehendisse mihi videor quam edidit Wilcken, et hanc lectionem propono:

καὶ μετ[ὲ]π[ειτα] ἐπιβοηθησάντ[ων τ]ῶν
περὶ τὸν Πυθαγόρα[ν] καὶ Ἀριστοκλῆ σὺν τάχ[ει] ἀθρων,

i. e. ἀθρόων.

Elocutione τὴν πόλιν καὶ τὴν ἄκραν καθ' ἡμᾶς γενέσθαι sequitur, quandoquidem Pythagoras et Aristocles Solos urbem Berenicae reginae suae opem ferentes recuperaverunt, auctori huius narrationis suam et Berenices causam idem valere. Quapropter mihi quidem valde arridet supplementum, Col. I vs. 19 a Mahaffy et Smyly propositum, quod ab Holleaux acceptum sprevit tamen Wilckenus. Prima enim columna cum tam misere lacerata sit, ut in universum probabilem restitutionem non admittat, hoc quidem certum est in ea agi de urbe quadam

1) „Aus πρὸς αὐτοὺς folgt, dass Pythagoras und Aristokles nicht zum Geschwader des Nikarchen gehören".

Digitized by Google

per impetum nocturnum occupata a militibus qui a partibus steterunt auctoris huius narrationis. Quorum militum praefectus, sive Aegyptius fuit sive Syrus, urbe potitus praesidium, quod se dediderat, bonam spem habere jussit, Col. I vs. 17 sqq.:

ἔΦησεν ἔσεσθαι Φανερὰν
[αὐτοῖς εἰς τὸ λοιπὸν τ]ήν τε παρ' ἡμῶν καὶ τὴν παρὰ
[.....]ίαν, μετὰ δὲ ταῦτα δεξιὰν
[δοὺς αὐτοῖς καὶ καταστ]ήσας Ἐπιγένην ἐπὶ τῆς
[ἄκρας καὶ παραδοὺς αὐτῷ] τὴν πόλιν ἅμα τῆι ἡμέραι
]ντων ἐπιστείλας ὑπῆγεν.

Ita haec edidit Wilcken, sed optime me quidem iudice Mahaffy et Smyly vs. 18 sq. proposuerunt: τ]ήν τε παρ' ἡμῶν καὶ τὴν παρὰ [τῆς ἀδελΦῆς (i. e. Berenices) Φιλανθρωπ]ίαν. Nescio an Epigenes, cui arx capta custodienda traditur, idem sit atque is Epigenes, qui anno 223 copias, quas Seleucus III Soter cis Taurum duxerat, rege per dolum interfecto in Syriam reduxit et paulo post ab inimicis necatus est, cf. Polyb. V 41, 4 sqq.; 50, 1 sqq. Quod si verum est, non solum Solos, sed etiam urbem, de qua in Columna I sermo est, homo Syrus pro regina Berenice, non Aegyptius pro rege Ptolemaeo occupavit.

Auctor papyri, postquam exposuit quae alii egerint ut Berenicae opem ferrent, narrat se ipsum navibus ornatis classem Seleuciam appulisse, col. II, 16 sqq.:

Ἡμεῖς δὲ]
ἐπεὶ τὰ κατὰ τὰς ν[αῦς] ε̣τ̣ ... νάμεθα, cet.

Ita Wilcken, qui adnotat, ἠσΦαλισ]άμεθα ab Holleaux propositum scripturae vestigiis non convenire. Equidem litteram τ in imagine phototypica non vidi, et ante terminationem άμεθα dispicere mihi videor litteram λ, ideoque dubitans sane propono: ἐπεὶ τὰ κατὰ τὰς ν[αῦς] ἐ[στει]λάμεθα, cf. Herwerdeni Lexicon suppletorium s. v. στέλλειν.

Seleuciae auctor huius narrationis magnifice exceptus est, nam sacerdotes, magistratus, cives, praefecti militum, ipsi milites ei obviam venerunt coronati, cf. col. II i. f.:

τῶν δὲ ἱερέων καὶ ἀρ[χόντ]ων καὶ [τῶ]ν ἄλλων πολιτῶν
καὶ τῶν ἡγεμόνων καὶ τῶν στρατιωτῶν στεΦανη-
Φορησάντων καὶ τὴν ἐπὶ τὸν λιμένα συναντησάν-
[των ὁδὸν cet.

Digitized by Google

Postridie Seleucia perrexit Antiochiam, ut Berenicen conveniret, nam etsi Columna tertia valde lacerata est, id saltem pro certo statuere possumus. Antiochiae vel majoribus honoribus exceptus est, cf. Col. III vs. 19 sqq.:

ἀπήντησαν] γὰρ ἡμῖν ἐκτὸς τῆς πύλης
20 οἱ [.....] σατράπαι καὶ οἱ ἄλλοι ἡγε-
μόν[ες καὶ ⟨οἱ⟩ στρατιῶ]ται καὶ οἱ ἱερεῖς καὶ αἱ συναρχίαι
καὶ[πάντες οἱ ἀπ]ὸ τοῦ γυμνασίου νεανίσκοι καὶ ἄλλος
ὄχ[λος πολὺς ἐστεφ]ανωμένος cet.

Antiochiae in urbe regia, ubi Berenice ipsa habitabat, inter eos, qui duci Aegyptio reginae auxilio venienti obviam ierunt, aegre desideras aulicos a Berenice missos, immo primo loco nominandi erant. Supplendum igitur videtur vs. 20:

οἱ [περὶ τὴν αὐλὴν καὶ οἱ] σατράπαι, vel
οἱ [αὐλικοὶ πάντες καὶ οἱ] σατράπαι cet., coll. Polyb. V 36, 1; V 50, 14; XVI 22, 8; XXIII 13, 5.

Hactenus de verbis papyri restituendis, iam videamus de rebus.

Antiochus II cognomine Θεὸς Syriae rex anno circiter 250 a. C. n. Laodicen uxorem, e qua iam duos filios Seleucum et Antiochum Hieracem sustulerat, dimisit et Berenicen Ptolemaei II Philadelphi filiam a patre eius sibi oblatam, quae ob nimiam dotis magnitudinem Φερνηφόρος appellata est, in matrimonium duxit, sed postea Laodicae reconciliatus Ephesum ad eam se contulit, ubi in flore adhuc aetatis anno 247/6 necopinato mortuus est. Moriens filium Seleucum, qui postea Callinicus cognominatus est, successorem regni declaraverat. Quo tempore Antiochus supremum diem obiit, Berenice cum filiolo, quem ex eo susceperat, Antiochiae in regia degebat, sed Laodice per Icadiona et Caeneum Antiochiae principes, qui civium partem Berenicae contrariam ducebant, plebe concitata filium eius necavit et ipsam Daphnae in munitissima regiae parte se claudere coegit. Quod cum iis Asiae civitatibus, quae a partibus Berenices stabant, nuntiatum esset, auxilia ei miserunt, et frater eius Ptolemaeus III Euergetes, qui paulo ante patri rex successerat, „periculo sororis exterritus" — ut Justini verbis utar — „relicto regno cum omnibus viribus advolat: sed Berenice ante adventum auxiliorum, cum vi expugnari

Digitized by Google

non posset, dolo circumventa trucidatur. Indigna res omnibus visa. Itaque universae civitates exemplo crudelitatis exterritae simul et in ultionem eius, quam defensuri fuerant, Ptolomaeo se tradunt, qui nisi in Aegyptum domestica seditione revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset", anno 246.

Ea sunt quae e paucis auctorum veterum testimoniis de his rebus scimus, cf. Justinus XXVII 1; Hieronymus in Daniel. XI 6 sqq. (Vol. XXV p. 560 Migne); Polyb. V 58, 10. 11; Appian. Syr. 65 i. f.; Valerius Max. IX 10 ext. 1; Polyaen. VIII 50; Eusebius Chron. Vol. I p. 249 Schöne (= p. 117 Karst); inscriptio Adulitana apud Dittenberger O. G. I. S. 54, et vide Beloch, *Griech. Gesch.*[1] III 1, p. 695 sqq., III 2, p. 450 sqq. Quaeritur quo modo ea, quae e papyro cognovimus, cum his testimoniis quadrent et quando facta sint.

In narratione in papyro nostra tradita videmus Berenicen viventem, regnantem, Solos urbem adiuvantibus incolis per Pythagoran et Aristoclen, alteram urbem per alios recuperantem, auctorem huius narrationis plaudentibus civibus magnifice Antiochiae recipientem. Jure igitur De Sanctis l.l. p. 805 sqq. statuit ea quae in papyro narrantur facta esse non multo post Antiochi mortem, antequam Ptolemaeus expeditionem in Syriam duceret, ideoque tempore praecessisse iis quae in ceteris testimoniis traduntur: ita enim papyri et ceterorum auctorum narrationes optime inter se convenire et alteram ab altera illustrari. Revera si hanc sententiam amplectaris, omnia quae in papyro traduntur facile intellegas. Nimirum Berenice, cum Antiochum maritum mortem obisse — a Laodice eum necatum esse ferebant (cf. Phylarch. fragm. 23, Appian. l. l., Plin. Natur. Hist. VII 53, Valerius Max. IX 14 ext. 1, Hieronym. l. l.) — et Seleucum privignum in regnum successisse nuntius Epheso Antiochiam perlatus esset, filiolo suo regnum servare voluit, qua in re incolas Syriae et Ciliciae magnam partem fautores habuit, — id quod ex Justino colligas — et, ut erat filia regis Aegypti, classem Aegyptiacam, quae in insula Cypro stationem habebat, in auxilium arcessivit. Nec moratus auctor huius narrationis cum classe cui praerat Seleuciam tramisit, unde extemplo Antiochiam perrexit, Berenicen adiit, cum Antiochiae principibus et praefectis Syriacis de summis

Digitized by Google

rebus deliberavit: hactenus papyrus, nam cetera desiderantur.

Iis quae in papyro traduntur, ea quae ceteri auctores habent posteriora sunt. Quae ut inter se coniungantur, sic fere rem animo fingere possis. Urbes in ripa maritima sitas, velut Seleuciam, Solos, classis Aegyptiaca tenebat, sed Antiochiam Syriae urbem regiam et ingenti multitudine habitatam praesidio Aegyptio firmare vel non potuit auctor papyri nostrae, qui classem, non exercitum duxit, vel ipsa Berenice id noluit civium erga se voluntati confisa. Auctor huius narrationis postquam per aliquot dies Antiochiae de rebus agendis consilia iniit, Seleuciam ad classem suam revertit. Sed Berenicen spes fefellit, nam Laodicae contigit ut per Icadiona et Caeneum plebem Antiochenam, fortasse auxilium Aegyptiacum a Berenice imploratum esse et ab Aegyptiis Syriae semper hostibus urbes nonnullas teneri moleste ferentem, adversus Berenicen concitaret, porro ipsam cum filiolo trucidaret. Nihil igitur est in papyri narratione, quod ab Justino, Hieronymo, ceteris discrepet, sed plenissime inter se concordant.

Haec sententia a De Sanctis prolata constare mihi videtur; ceteri qui de his rebus egerunt alii aliam viam inierunt, rectam me quidem iudice nullus. Quorum Wilckenus putat eo tempore quo ea, quae in papyro narrantur, facta sunt, Ptolemaeum iam Seleuciam et Antiochiam exercitu occupasse, cum Berenice sorore congressum esse, in interiores regni Seleucidarum partes perrexisse, tum demum auctorem huius narrationis, quem nauarchum quendam Aegyptium fuisse suspicatur, cum parte classis suae Seleuciam tramisisse, unde Antiochiam venisse, quas urbes iam a praesidiis Aegyptiacis teneri, cf. quae scribit p. 3 i.f.: „*Für die Kriegsgeschichte ergibt sich etwa folgendes: Ptolemäus erobert mit dem Landheere Seleukeia (Polyb. V 58), findet in Antiochia seine Schwester noch am Leben, lässt einige Truppen zum Schutze zurück und zieht weiter in den Osten. Wohl bald danach kommt der höchstkommandierende Nauarch (aus Cypern?) mit einem Teil seiner Flotte und legt diese in den Hafen von Seleukeia*".

Quae Wilckeni sententia opinione mea longe a veritate abhorret. Iam vidimus e papyro nostra nullo modo effici posse Seleuciam et Antiochiam urbes, quo tempore auctor huius

Digitized by Google

narrationis eas viseret, in Aegyptiorum potestate fuisse, immo eum a praefectis, militibus, civibus Syriacis, qui a Berenices partibus starent, magnifice receptum esse. Porro si Wilckeni sententia vera esset, Ptolemaeus Antiochiae Berenicen vivam convenisset, cum auctores antiqui, qui de his rebus egerunt, — quos iam supra nominavi — ad unum omnes tradant eam ante Ptolemaei adventum interfectam esse. Accepta Wilckeni sententia ad hanc opinionem confugere deberemus, Berenicen a plebe Antiochena trucidatam esse eo ipso tempore quo urbs a praesidio Aegyptiaco teneretur et victor rex in orientem tenderet, quod profecto nemo credat. Denique dux classis Aegyptiacae, quae Cypri stationem habebat, multo celerius Seleuciam appellere potuit quam rex exercitu comparato, itinere terra facto, eo pervenire.

Missa igitur Wilckeni sententia iam alteram, a Wilamowitzio et Holleauxio eodem fere tempore sagaciter defensam, examinemus. Sed quaestio utrum hi viri docti verum viderint, arctissime cohaeret cum ea, quisnam fuerit nostrae narrationis auctor, inque eam igitur nunc investigandum est.

Köhlerus [1]) et Wilckenus, quos hac in re sequitur De Sanctis, putant eum fuisse Aegyptium quendam classi praepositum, quem Cypro Seleuciam transvectum esse probabile censent, additque De Sanctis penes eum non fuisse summam imperii, sed narrationem, quam papyrus continet, esse viri inferioris ordinis res a se gestas ad imperatorem renuntiantis [2]).

Ut efficiamus utrum haec sententia vera sit, prius statuamus oportet, quae sit vis vocis ἀδελφή, qua auctor huius narrationis in papyri parte ea quae hodie exstat bis Berenicen reginam designavit; dicit enim Col. I vs. 24 τῆς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς διαπεμψαμένης, et Col. IV vs. 20 sq. εἰσήλθομεν εὐθέως πρὸς τὴν ἀδελφήν. Wilcken et ii viri docti, qui ab eius partibus stant, vocem ἀδελφήν titulum esse putant, cf. Wilcken p. 3: „*so aber ist es ein Titel*". Quod si verum esset, sequeretur vocem ἀδελφὴ hac aetate idem valere posse ac vocem

1) *Berlin. Sitzungsber.* 1894, p. 458.

2) cf. De Sanctis l.l., p. 805: *io non so come non si sia avvertito ad es. che la frase* καὶ μετὰ ταῦτα πρὸς τῷ πράσσειν τι τῶν χρησίμων ἐγινόμεθα *è d' un subalterno che dà discarico al suo superiore dell' impiego del suo tempo.*

Digitized by Google

βασίλισσα, et verba supra exscripta vertenda esse: „iussu reginae", et „reginam adiimus", cum mea quidem opinione voce ἀδελφή nude per se posita nunquam regina designetur. Quid enim? Aetate hellenistica et romana apud Graecos in Aegypto habitantes matrimonia inter fratres et sorores coniuncta usitatissima erant, quo factum est ut vox ἀδελφή vim „uxoris" acciperet, et etiam si qua mulier viro nupsisset, cuius soror non esset, saepe mariti ἀδελφή diceretur; saepissime enim legimus in papyris ἡ ἀδελφή σου, cum certum sit mulierem, quae hac locutione designetur, non fuisse mariti sui sororem. Exemplum huius consuetudinis dedit domus regia, nam inde a nuptiis Πτολεμαίου καὶ Ἀρσινόης θεῶν Ἀδελφῶν Ptolemaei reges sorores suas in matrimonium ducere solebant, et si qua regina regis soror non erat, tamen in actis publicis et dedicationibus βασιλέως ἀδελφὴ καὶ γυνὴ cum ab aliis tum a se ipsa dicebatur. Legimus e. g. in monumento Canopio, apud Dittenberger, O. G. I. S. N°. 56, vs. 7 sq., de Ptolemaeo III Euergeta et uxore eius Berenice, quae fuit Magae regis Cyrenes filia, mariti non soror germana sed patruelis: ἐπειδὴ βασιλεύς Πτολεμαῖος Πτολεμαίου καὶ Ἀρσινόης θεῶν Ἀδελφῶν, καὶ βασίλισσα Βερενίκη ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ καὶ γυνή, θεοὶ Εὐεργέται κτλ.,

in dedicatione ab ipsis rege et regina facta, Dittenberger l.l. N°. 60:

Βασιλεὺς Πτολεμαῖος Πτολεμαίου καὶ Ἀρσινόης θεῶν Ἀδελφῶν, καὶ βασίλισσα Βερενίκη, ἡ ἀδελφὴ καὶ γυνὴ αὐτοῦ, τὸ τέμενος Ὀσίρει,

in dedicatione a sacerdotibus quibusdam pro salute domus regiae facta, Dittenberger l.l. N°. 65:

Ὑπὲρ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Πτολεμαίου καὶ Ἀρσινόης θεῶν Ἀδελφῶν, καὶ βασιλίσσης Βερενίκης τῆς γυναικὸς καὶ ἀδελφῆς τοῦ βασιλέως, θεῶν Εὐεργετῶν, κτλ.

Alia huius usus exempla iis quae exscripsi simillima laudavit Strack, *Rhein. Museum* LIII, 1900, p. 170. Recte igitur iam Letronne statuit a Dittenbergero ad N°. 60, 3 laudatus, reginae, etiamsi re vera non soror germana regis fuisset, honoris causa nomen quod est ἀδελφὴ βασιλέως tribui consuevisse in regno Lagidarum, sed inde non sequitur, vocem ἀδελφὴ solam per se positam habuisse vim nominis appellativi quod est

Digitized by Google

βασίλισσα; semper enim coniunctim dicitur ἀδελφὴ βασιλέως vel ἀδελφὴ αὐτοῦ. Exempla in quibus nuda voce ἀδελφή regina Aegypti, nedum Syriae, designetur, non attulit Wilcken, neque me quidem iudice afferre potuit, cum frustra ea quaeras. Demonstrasse igitur mihi videor Wilckeni sententiam falsam esse, quam impugnaverant quidem Wilamowitz et Holleaux, et in nostra narratione vocem ἀδελφή non tituli loco esse exposuerant, sed fieri posse ut vox ἀδελφή per se posita tituli vice fungeretur et idem valeret ac „regina", in universum non negaverunt.

Ex iis quae praecedunt sequitur, opinor, in papyro nostra vocem ἀδελφὴν nihil aliud significare posse nisi sororem. Quod si ita est, ratio linguae Graecae poscit ut auctoris verba τῆς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς διαπεμψαμένης et εἰσήλθομεν εὐθέως πρὸς τὴν ἀδελφήν vertamus: „iussu sororis meae" et „sororem meam adii", nam quod arguit Wilckenus, auctorem de sorore sua verba facientem scripturum fuisse τῆς ἀδελφῆς μου et πρὸς τὴν ἀδελφήν μου, id iure exploserunt Holleaux l. l., p. 154 sq., et Wilamowitz l. l., p. 447, quem talium rerum summum arbitrum operae pretium est audire dicentem: „*Wer da schreibt εἰσήλθομεν πρὸς τὴν ἀδελφήν, redet von seiner Schwester: darüber lässt die griechische Sprache auch nicht den leisesten Zweifel*".

Auctor igitur narrationis nostrae fuit frater Berenices, qua de causa Mahaffy et Smyly reperta papyri parte posteriore, in qua inest locutio εἰσήλθομεν πρὸς τὴν ἀδελφήν, — quam ceteris postea demum accessisse iam dixi — pronuntiaverunt (*Flinders Petrie Papyri* III, 1905, p. 336 sqq.) eum esse ipsum regem Ptolemaeum III Euergeten, quam sententiam amplexi Wilamowitz et Holleaux eximio acumine defenderunt. Inter alia Holleaux l. l., p. 155 sq. recte exposuit falli De Sanctis cum e locutione quadam (col. IV vs. 21 sq.: εἰσήλθομεν εὐθέως πρὸς τὴν ἀδελφὴν καὶ μετὰ ταῦτα πρὸς τῷ πράσσειν τι τῶν χρησίμων ἐγινόμεθα) efficeret scriptorem huius narrationis fuisse praefectum aliquem inferioris loci imperatori suo quae egisset renuntiantem [1]). Praeterea Wilamowitz et

1) cf. Holleaux l.l., p. 156: *comme le montrent quantité d'exemples épigraphiques, τὰ χρήσιμα, dans la langue hellénistique, a le sens tantôt d'„avantages"*

Digitized by Google

Holleaux summo iure arguunt quo modo auctor Seleuciae et Antiochiae a magistratibus sacerdotibus praefectis militibus civibus coronatis receptus sit, solos reges in urbibus suis recipi solere, et apte Holleaux p. 164 sqq. confert Polybium XVI 25, 7 (de rege Attalo I Athenis a. 200 a. C. n. recepto), Dittenberger, O. G. I. S. 332, vs. 26 sqq. (decretum Elaeensium de rege Attalo II in urbe excipiendo), Dittenberger, Syll.[3] 798, vs. 19 sqq. (decretum Cyzicenorum de regulis Thracum accipiendis), ubi de iis ipsis honoribus sermo est quibus auctor noster Seleuciae et Antiochiae affectus est. Praefecto alicui talia minime conveniunt.

Sed quominus ipse rex Ptolemaeus III Euergetes hanc narrationem conscripserit, obstat una res eaque gravissima: nimirum scriptor eius cum Berenice se congressum esse tradit, sed ea ante Ptolemaei adventum a plebe Antiochena necata est, nam, ut ait Justinus XXVII, 1, 7 „ante adventum auxiliorum, cum vi expugnari non posset, dolo circumventa trucidatur", quocum cetera de his rebus testimonia, quae supra p. 267 laudavi, consentiunt ad unum omnia. Non fugit Smyly, Wilamowitz, Holleaux, hac difficultate sententiam suam funditus everti, sed viam invenisse sibi visi sunt qua eam eluderent. Holleaux quidem vel duobus modis sententiam suam cum ceteris testimoniis conciliari posse putat, nam non solum explicationem a Smyly propositam et Wilamowitzio acceptam, de qua mox acturus sum, in medium profert, sed etiam suspicionem ventilat fieri posse ut auctor huius narrationis cum diceret εἰσήλθομεν πρὸς τὴν ἀδελφήν, significare voluerit se sororis suae corpus mortuum vel sepulcrum adiisse. Idem in mentem venerat viro doctissimo Bouché-Leclercq, *Histoire des Séleucides* p. 556, cuius verba plausum tulerunt Holleauxii: „*c'est comme s'il disait: nous nous sommes empressés d'aller saluer la dépouille mortelle ou le tombeau de la reine, dont il tait même le nom.*"

Explicatio quidem haec est, sed numquis eam probabilem putet dubito. Equidem cuiquam verba εἰσήλθομεν πρὸς τὴν

et tantôt d'„intérêts"; et πράσσειν τὰ χρήσιμα est une locution toute faite, qui signifie soit „procurer des avantages à . . .", soit „travailler aux intérêts de . . .". Ici, il s'agit naturellement des intérêts généraux de l'armée, auxquels se consacre Ptolémée après avoir salué sa soeur.

Digitized by Google

ἀδελφήν legenti in mentem venire posse iis vim inesse quam velint Bouché-Leclercq et Holleaux, plane nego. Praeterea auctor huius narrationis alio loco, col. I vs. 24, de Berenice viva egit: τὴς ἀδελφῆς πρὸς αὐτοὺς διαπεμψαμένης. Quo loco cum voce ἡ ἀδελφὴ Berenice viva designetur, fieri posse ut paulo post eadem voce mortua significetur, — quod putat Holleaux l. l., p. 161 adnot. 2: „*le mot* ἀδελφὴ *peut s'appliquer à Bérénice vivante à la col. I (l. 24) et à Bérénice morte à la col. IV (l. 21)*" — nemo opinor credat.

Aliam viam monstravit Smyly, quam iniit Wilamowitz et cui se commisit etiam Holleaux. Putant enim Berenicen mortuam quidem iam fuisse cum Ptolemaeus Antiochiam veniret, sed eum habuisse cur in narratione sua papyro nostra tradita eam viventem induceret; audi e. g. Holleaux sic ratiocinantem: „*admettons pourtant — ce qu'on pourra toujours soutenir, — que, dans la phrase* εἰσήλθομεν κτλ., *les mots* ἡ ἀδελφή *désignent Bérénice vivante. Suit-il nécessairement de là qu'elle vive en effet? Non point du tout; il se peut qu'elle soit morte, mais que l'auteur de la relation, abusant son lecteur dans quelque vue intéressée, la représente comme étant en vie.*" Quod qui suspicantur, provocant ad Polyaenum, cuius narrationem (VIII, 50) operae pretium est integram subicere:

Ἀντίοχος ὁ προσαγορευθεὶς Θεὸς ἔγημε Λαοδίκην ὁμοπάτριον ἀδελφὴν, ἐξ ἧς αὐτῷ παῖς ἐγένετο Σέλευκος. δευτέραν ἔγημε Βερενίκην, Πτολεμαίου βασιλέως θυγατέρα, ἐξ ἧς ἀπολιπὼν παῖδα νήπιον ἐτελεύτησε διάδοχον τῆς ἀρχῆς ἀποδείξας Σέλευκον. Λαοδίκη τὸν ἐκ τῆς Βερενίκης ὑποτρεφόμενον ἀναιρεθῆναι διεπράξατο. Βερενίκη προῆλθεν ἐς τὸ πλῆθος ἱκέτις ἔλεον καὶ βοήθειαν παρὰ τῶν ἀρχομένων αἰτουμένη. οἱ δὲ τὸν παῖδα πεφονευκότες ἕτερον ἐπιεικῶς ὅμοιον προήγαγον ἐς τὸ πλῆθος, ὡς αὐτὸν ἐκεῖνον ὄντα, περιστήσαντες αὐτῷ τὴν βασιλικὴν δορυφορίαν· τῇ δὲ Βερενίκῃ φυλακὴν μισθοφόρων Γαλατῶν ἐπέστησαν καὶ τόπον ἔδωκαν τῶν βασιλείων ὀχυρώτατον καὶ ὅρκους καὶ συνθήκας ἐσπείσαντο. Ἀριστάρχου δὲ ἰατροῦ Βερενίκῃ συνόντος καὶ πείσαντος αὐτὴν συνθέσθαι ἡ μὲν ἐπίστευσεν, οἱ δὲ τῷ ὅρκῳ στρατηγήματι χρησάμενοι τὴν Βερενίκην αὐτίκα προσπεσόντες ἔκτειναν. αἱ δὲ ἀμφ' αὐτὴν γυναῖκες ὑπερασπίζουσαι προσαπέθανον αἱ πλείονες, Πανάριστη δὲ καὶ Μανία καὶ Γηθοσύνη τὸ σῶμα τῆς Βερενίκης κρύψα-

Digitized by Google

σαι κατὰ γῆν ἑτέραν κατέκλιναν ὡς ἐκείνην ἔτι ζῶσαν καὶ τὸ τραῦμα θεραπευομένην ὑπὸ τούτων· καὶ ἐπὶ τοσοῦτον ἔπεισαν τοὺς ὑπηκόους, ἐφ' ὅσον μεταπεμφθεὶς ὑπ' αὐτῶν Πτολεμαῖος ἦκεν ὁ πατὴρ (errore Polyaenus patrem pro fratre dicit) τῆς ἀνῃρημένης καὶ διαπέμπων ἀπὸ τῆς προσηγορίας τοῦ πεφονευμένου παιδὸς καὶ τῆς ἀνῃρημένης Βερενίκης ὡς ἔτι ζώντων ἐπιστολὰς ἀπὸ τοῦ Ταύρου μέχρι τῆς Ἰνδικῆς χωρὶς πολέμου καὶ μάχης ἐκράτησε τῷ στρατηγήματι τῆς Παναρίστης χρησάμενος.

Smyly et qui eum sequuntur putant Polyaenum vera narrare, et Ptolemaeum mortuam Berenicen in narratione sua consulto induxisse viventem, cf. Holleaux l.l., p. 163: „*arrivé en hâte, le roi d'Égypte s'est prêté à l'artifice concerté par les fidèles de la reine*", Wilamowitz l.l. p. 449 sq.: „*die Fiktion, dass Berenike am Leben wäre, musste aufrecht erhalten werden; wir sehen, dass Euergetes sie in seinem Berichte bekräftigt ... Es stand im Belieben des Siegers, die Berenike in einem geeigneten Momente an ihren Wunden sterben zu lassen und mit allen Ehren zu begraben. Wir wissen darüber nichts ....*

Dubitet quispiam an non verisimile sit Ptolemaeum dolo muliebri abusum in litteris publicis — nam narrationem nostram publicam epistolam e commentariis regiis (ἐκ τῶν βασιλικῶν ὑπομνημάτων) excerptam esse volunt a rege ad uxorem vel ad populum missam ut eos de rebus gestis suis certiores faceret, cf. Wilamowitz l.l., p. 452 sq. — inepte mentitum esse et sororem suam mortuam viventem adhuc induxisse, sed etiamsi concedas fieri posse ut rex consulto mentitus sit, manifestum est, utrum narratio papyri ita explicari possit et ipse Ptolemaeus lectoribus fumum fecisse putandus sit necne, in eo positum esse, num Polyaenus acta an ficta tradat. Is solus ex omnibus narrat in locum filioli Berenices alium puerum, aulicam quandam in locum Berenices ipsius suppositos esse, nam ceteri, nempe Justinus, Hieronymus, Appianus, Valerius Maximus, hoc tantum tradunt, eos esse interfectos, unde sequitur, etiam in fontibus, quibus hi auctores usi sunt, de pueris vel mulieribus subditivis sermonem non fuisse, nam laeti et Justinus et ceteri, ut sunt rerum insolitarum avidi, talem narrationem accepissent.

Unde Polyaenus sua hauserit, prorsus latet; narratio igitur

Digitized by Google

eius per se spectari debet. In qua statim suspicionem movent duae quas narrat suppositiones: non intelligimus quidnam Berenices adversarios impellere potuisset ut in locum occisi pueri alium subderent, nam Berenicen certe fallere non potuerunt, et Seleuco Laodices filio, cui regnum recuperare volebant, obstabat etiam puer regius subditivus. Porro, si Berenicen, quam interfectam esse putabant, adhuc viventem et vulnera curantem audivissent, sine dubio opus suum perfecissent et reginam suppositiciam quoque trucidassent. Cum igitur harum duarum suppositionum, si re vera factae essent, causas minime perspiceremus, clare, si fictae sunt, rationem fingendi videmus. Ptolemaeus enim cum Berenices ultor Antiochiam venisset, in orientem pergens magnam regni Seleucidarum partem nullo resistente dicionis suae fecit. Quam rem Syris ignominiosam ut explicaret, auctor aliquis causae Syriacae deditus finxit opinor, ideo ea prospere evenisse Ptolemaeo, quod nomine Berenices et eius filioli, quasi viverent, praefectos et milites Syriacos invitasset ut secum facerent; porro ne stultitiae arguerentur quod regis dictis imprudentes confisi essent, etiam hoc finxit, Berenicen cum filiolo necatos quidem esse, sed alios in eorum locum suppositos, quos Ptolemaeo in orientem tendente vivere Antiochiae et pro regibus coli, itaque effecit, ut Ptolemaeus non sua virtute, sed dolo mulierculae cuiusdam victoriam reportasse videretur, cf. Polyaen. l.l. in fine: *χωρὶς πολέμου καὶ μάχης ἐκράτησε τῷ στρατηγήματι τῆς Πανάρίστης χρησάμενος*. Polyaenus igitur me quidem iudice fonte usus est auctore aliquo, qui causae Aegyptiacae infensus duas quas tradidit suppositiones finxit ut Ptolemaei gloriae obtrectaret [1]).

Forte accidit ut in eorundem temporum historia etiam tertia suppositio facta esse dicatur, ei quae de Berenice a Polyaeno traditur valde similis. Narrant enim Valerius Maximus IX 14 ext. 1 et Plinius Natur. Hist. VII 53 Antiochum II Deum Syriae regem, quem aliquo tempore postquam Berenicen

1) Eandem fere sententiam etiam De Sanctis protulit p. 803: „*Ed è poi quella invenzione diretta evidentemente a mostrare che Tolemeo invitando gli amici di Berenice alla riscossa si fondava sopra un falso: invenzione quindi di un nemico dell' Egitto*".

Digitized by Google

in matrimonium duxit ad Laodicen priorem uxorem Ephesum revertisse iam dixi, a Laodice interfectum esse eamque dissimulandi sceleris gratia Artemonem quendam, hominem Antiocho perquam similem, in lectulo perinde quasi ipsum regem aegrum collocasse admissumque universum populum et sermone eius et vultu consimili fefellisse, itaque factum esse ut homines crederent ab Antiocho moriente Laodicen et natos eius sibi commendari [1]). E quo fonte haec narratiuncula fluxerit in obscuro est, sed patet eam fictam esse ab auctore aliquo qui Berenicae et causae Aegyptiacae favens demonstrare vellet Laodicen contra mariti, quem interfecisset, voluntatem Seleuco filio suo vindicare regnum, quod Antiochus Berenices filiolo destinasset. Paene crediderim hanc de suppositione, quae Ephesi accidisset, narrationem quasi responsum Aegyptiacum esse ad alteram illam Syriacam de duabus suppositionibus, quae Antiochiae factae esse dicebantur, nam non armis solum, sed etiam scriptis Syriae et Aegypti reges inter se dimicabant.

Missas igitur faciamus oportet has de variis suppositionibus fabulas, nam certo consilio excogitatae sunt ad unam omnes. Si vero Polyaenus non quae acta sunt tradit, sed ficta narrat, sequitur Ptolemaeum cum Antiochiam venisset, ibi Berenicen neque ipsam neque suppositiciam convenisse et eum non esse auctorem narrationis, quam papyrus nostra continet. Etiam Smylyi igitur et eorum, qui eum sequuntur, sententia improbanda est.

Iam revertamur ad quaestionem quisnam ille auctor fuerit, si neque praefectus aliquis Aegyptius inferioris ordinis fuit neque ipse rex Ptolemaeus. Agedum omnia ante oculos nobis

---

1) Etiam Phylarchus, Appianus, Hieronymus Antiochum a Laodice interfectum esse auctores sunt, sed mimum commendationis regnique successionis ab ea per Artemonem peractum Valerius Maximus et Plinius tantum narrant. Antiochum non ab uxore necatum esse sed sua morte occubuisse cum per se veri simile est — nam cui bono Laodicae fuisset maritum, cum quo in gratiam redierat, e medio tollere, cf. Beloch, *Griech. Gesch.* III[1] 1, p. 696, 3 — tum probatur testimoniis Justini et Eusebii (i. e. Porphyrii), quorum ille (XXVII 1, 1) hoc tantum tradit: „*mortuo Syriae rege Antiocho cum in locum eius filius Seleucus successisset*", hic secundum Karstium, qui Chronicon eius in lingua Armeniaca sola servatum Germanice vertit, de Antiocho expressis verbis dicit: „*erkrankte und verendete zu Ephesos*" (Die Chronik, übersetzt von J. Karst, p. 118).

Digitized by Google

ponamus quae de eo effecisse nobis videmur: praefuit classi Aegyptiacae, quam veri simile est Cypri stationem habuisse; narrat cum ea quae suis auspiciis egit tum quae a praefectis Syriacis Berenices fautoribus facta sunt; Seleuciae et Antiochiae regie acceptus est; Antiochiae Berenicen convenit sororem suam ... unicumne habuit fratrem Berenice Ptolemaeum regem?

Minime vero. Ptolemaeus II, quem Philadelphi nomine designare consuevimus, e priore uxore Arsinoe, Lysimachi Thraciae regis filia, tres liberos tulit, nempe Ptolemaeum, qui anno 246 patri rex successit nomine Euergetae insignitus, Lysimachum, de quo iam acturus sum, Berenicen, quam Antiocho II Syriae regi nupsisse et anno 246 Antiochiae necatam esse vidimus. Ptolemaeus liberorum natu maximus circiter annum 280 a. C. n. vel paulo ante natus est; Lysimachus et Berenice nati sunt ante annum 274/3, nam eo anno Ptolemaeus Philadelphus Arsinoen eorum matrem iam repudiaverat et alteram Arsinoen sororem suam in matrimonio habebat, cf. Strack, *Dynastie der Ptolemäer* p. 192, 9; Beloch, *Griech. Gesch.* III^1 2, p. 130 sqq.; Bouché-Leclercq, *Histoire des Lagides* I p. 160, 4.

De Lysimacho paulum scimus. Ex inscriptione quadam demotica Thebis reperta nonnulli viri docti effecerunt eum anno regni fratris sui Ptolemaei Euergetae septimo (i. e. 241/0) Thebaidi praefuisse, quam sententiam, a Bouché-Leclercq l.l. I p. 283, 3 et III p 129, 2 acceptam, Strack l.l. p. 95, 5 et V. Martin, *Les épistratèges* p. 31, 1 impugnant, cum eam inscriptionem seriori aevo attribuendam et Lysimachum, qui in ea nominatur, a nostro distinguendum esse censeant, sed cf. Holleaux, *Journal of Hellenic Studies* 41, 1921, p. 184, 18. Filius nostri a rege Ptolemaeo Euergeta patruo suo Telmessum Lyciae urbem administrandam accepisse videtur, nam Πτολεμαῖος ὁ Λυσιμάχου, quem anno 241/0 Telmessum rexisse ab Euergeta ei urbi praepositum ex inscriptione quadam (Dittenberger, O. G. I. S. 55) cognovimus, — qui quis fuerit quaestio intricatissima est — equidem nostri filium fuisse puto, cf. E. v. Stern, *Hermes* 50, 1915, p. 427, Bouché-Leclercq, *Histoire des Séleucides* p. 549 sqq. Certum est nostrum Lysimachum Ptolemaeo Euergetae fratri superstitem fuisse, nam

Digitized by Google

initio regni Ptolemaei IV Philopatoris, qui anno 221 Euergetae successit, insidiante ei Sosibio novi regis ministro, interfectus est, cf. Polyb. XV 25, 2, Beloch, *Griech. Gesch.* III^1 1, p. 713.

Lysimachum si auctorem esse huius narrationis existimamus, solvuntur omnes difficultates. Quomodo res gestae sint, ita cogitatione tibi fingas: Lysimachus regis Ptolemaei Philadelphi modo defuncti filius novique regis Ptolemaei Euergetae frater anno 246 *στρατηγὸς* fuit opinor insulae Cypri. Minime mirum est virum stirpe regia genitum ea praefectura fungi, nam postquam Ptolemaeus I Soter fratrem suum Menelaum ei insulae praefecit, complures Ptolemaei Cypri strategi fuerunt, quorum in numero sunt Eupator, Soter II, Alexander II, cf. D. Cohen, *De magistratibus Aegyptiis externas Lagidarum regni provincias administrantibus* p. 6, 4 et p. 96 sq. Lysimachum Cypri praefectum etiam magnae classi praefuisse et per se patet et eo demonstratur, quod certe ab Euergetae II aetate Cypri praefectus nominabatur *στρατηγὸς καὶ ἀρχιερεὺς καὶ ναύαρχος*, cf. Cohen l.l., p. 5 et p. 32. Lysimachum classe Cypro Seleuciam transvectum esse simulac audivisset Antiochum II mortuum esse, Seleucum eius filium regnum affectare, Berenicen sua filiolique sui iura multis Syris adiuvantibus defendere, per se probabile est. Iam intelligimus auctorem nostrae narrationis, reginae Berenices eundemque potentissimi regis Aegypti fratrem, Seleuciae et Antiochiae regie acceptum esse. Seleuciam classe tenuit, Antiochiae sororem consiliis iuvare potuit, sed mox ad suos reverti debuit neque satis copiarum habuit ut plebe Antiochena a Laodice contra Berenicen concitata imminens periculum a sorore arcere posset.

Eorum quae ipse egerat et quae ab aliis per hos motus facta erant, Lysimachus narrationem misit ad fratrem regem. Verba igitur conclamata *τῆς ἀδελφῆς διαπεμψαμένης* et *εἰσήλθομεν πρὸς τὴν ἀδελφὴν* vertenda sunt: „iussu sororis nostrae", et: „sororem nostram adii". Ptolemaeus fratris relationem describendam et publice vulgandam curavit, ut belli causas exercitui et civibus exponeret. Cuius narrationis exemplar misere truncatum ad nos quoque pervenit.

Digitized by Google

DE AETATE ACUSILAI ARGIVI.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Acusilaum priore parte saeculi a. C. V[1] floruisse haud vana est opinio [1]). Negant tamen certiora indicia suppetere de aetate qua ille Genealogias suas conscripsit. Mea vero sententia unum saltem fragmentum huius operis exstat quo aetas eius aliquatenus circumscribitur.

Pausanias in descriptione sua Argolidis Mycenas a Perseo conditas esse perhibet, Hesiodum vero et Acusilaum alia tradidisse. Exscribam quae huc faciunt:

Ὅμηρος δὲ ἐν Ὀδυσσείᾳ γυναικὸς Μυκήνης ἐν ἔπει τῷδε ἐμνήσθη·

Τυρώ τ' Ἀλκμήνη τε ἐυστέφανός τε Μυκήνη.

ταύτην εἶναι θυγατέρα Ἰνάχου, γυναῖκα δὲ Ἀρέστορος τὰ ἔπη λέγει, ἃ δὴ Ἕλληνες καλοῦσιν Ἠοίας μεγάλας· ἀπὸ ταύτης οὖν γεγονέναι καὶ τὸ ὄνομα τῇ πόλει φασίν. ὃν δὲ προσποιοῦσιν Ἀκουσιλάῳ λόγον, Μυκηνέα υἱὸν εἶναι Σπάρτωνος, Σπάρτωνα δὲ Φορωνέως, οὐκ ἂν ἔγωγε ἀποδεξαίμην, διότι μηδὲ αὐτοὶ Λακεδαιμόνιοι. Λακεδαιμονίοις γὰρ Σπάρτης μὲν γυναικὸς εἰκών ἐστιν ἐν Ἀμύκλαις, Σπάρτωνα δὲ Φορωνέως παῖδα θαυμάζοιεν ἂν καὶ ἀρχὴν ἀκούσαντες. [2])

Ex his discimus periegetam in fabulis et genealogiis aliquo sensu non caruisse: rectissime enim Spartanos non passuros

1) Cf. Jacoby, Die Fragmente der griech. Historiker, I, p. 375 sq.: „der breite raum, den A. der kosmogonie und theogonie gewährt... und der enge anschluss an Hesiod (F 5. 6) sprechen für erste hälfte saec. V".

2) Paus. II, 16, 4; Fr. Gr. Hist. I, p. 54, frg. 24.

Digitized by Google

fuisse autumat, ut origo sua duceretur ab eponymo qui herois Argivi filius esset. Nobis autem hic quaerendum est, quidnam Acusilaum permoverit ut ab Hesiodo recederet. Mycenarum origines disiunxit ab Inachi Argivi filia, consociavit cum Spartone et Sparta. Cur? Responsum ex historia Argorum petendum est.

Postquam Cleomenes Argivos ingenti illa clade afflixit, qua tot milia virorum periisse feruntur, oppida Argolica, inprimis Tiryns et Mycenae, quamvis urbi vicinae, ab Argis defecerunt. Atque aliquamdiu potestatis suae manserunt, plaudentibus et suffragantibus Spartanis. Venit tamen necessario Spartae clientibus exitiosa dies, cum Argivorum opes tempore convaluissent et in pristinum fere vigorem restituerentur. Gravissime enim illi ferebant, ὅτι τῶν Ἀργείων ψηφισαμένων μὴ συμμαχεῖν εἰς Θερμοπύλας τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἐὰν μὴ μέρος τῆς ἡγεμονίας αὐτοῖς παραδῶσι, μόνοι τῶν τὴν Ἀργείαν κατοικούντων συνεμάχησαν οἱ Μυκηναῖοι τοῖς Λακεδαιμονίοις [1]). Expugnatae et dirutae sunt Mycenae, si Diodorum audis, a. 468, cum Spartani terrae motu et Hilotarum rebellione praepedirentur ne opem iis ferrent. Postea Mycenae nil nisi vicus Argolidis fuerunt.

Iam alienum ab hoc loco est instaurare disputationem de ratione temporum cladis Argivis a Cleomene illatae, et excidii Mycenarum. Hoc tantum demonstrare conatus sum non nisi per tempus inter haec interiectum Myceneum commode Spartonis filium dici potuisse, itaque Acusilaum Genealogias suas hac ipsa aetate conscripsisse.

---

1) Diod. XI, 65.

Digitized by Google

AD CATALEPTON QUAE MARONIS DICUNTUR.

SCRIPSIT

IOH. P. POSTGATE.

Priapeum II. 14 sq.

teneraque matre mugiente uaccula
deum profudit ante templa sanguinem.

Hoc carmen meris ex iambis totum constare uideo etiamnunc esse qui negent, contra quos non disputo. Tacuissem etiam de Birtio, anno 1910 'tuor' pro 'tueor' in u. 5 edente eodemque u. 9 totum in iambos refingente, *tĕnĕrā* uero in u. 14 concoquente, nisi causam adiecisset Vergilium idcirco 'uacculam teneram' dedisse quod in iambeis *uĭtŭlă* stare non posset ('Da sich *vitula* in den jambischen Vers nicht stellen liess') ut inconstantiam aequiperaret socordia. *Uaccula* certe recte se habet; conf. *Dirae* 132 (*Lydia* 29) et „*tenerae*" sententia. Sed, huic cum metrum repugnet, nihil ab utraque parte ad ueritatem uidetur accommodatius quam id quod multis ante annis coniectura adsecutus sum commemorauitque Ellisius in editione sua, *recens* scilicet. Conferatur Varro de leporibus *R. R.* III 12. 4 'etenim saepe cum habent catulos recentes alios in uentre habere reperiuntur'. Librarios cum rarior uocabuli usus, tum ipsa litterarum similitudo fefellit.

Epigramma III.

Quis ille fuerit 'quem ualido subnixum gloria regno | altius et caeli sedibus extulerat' diuersa et futtilia proferentes non expedierunt editores. Romanum non esse poematium ipsum satis declarat. Quomodo enim qui contra Romam (cf. uu. 5, 6) cuspidem

Digitized by Google

ferebat 'e patria', scilicet e Roma, in exilium pelleretur? Valeant igitur qui de Pompeio Magno uel de M. Antonio cogitarunt, neque audiendi magis qui, uerba quid sibi uelint, ignari de Alexandri Magni apud Aegyptios exulante cinere somniauerunt. Melius egerunt Aem. Baehrens et ante eum Henricus Nettleship (Ancient Lives of Vergil p. 35) Phraatem illum esse autumantes, nec tamen ceteris rem probauerunt; nam quod ad Mithridatem quidem attinet, non quadrant in eum illa 'subito in medio rerum certamine praeceps corruit': contra in Antiochum Magnum uel optime. Hunc significari negauit quidem Buecheler (Mus. Rhen. t. XXXIII p. 511), nemo, quod sciam, adhuc suspicatus est; atqui timendus erat Romanis cum Hannibale Antiochus ut uix alius quisquam (conferas uelim Sallustium in Orat. Lepidi § 4) regesque certe Asiae et populos fregerat (u. 4). At enim 'e patria' non pulsus est. Fortasse. Potuit tamen Romanis uideri; nam de exitu eius haec scribit uir doctus E. R. Bevan *The House of Seleucus* t. II p. 119 'As soon as the peace with Rome had been finally concluded and sworn to (summer 188) Antiochus left Seleucus in Syria as joint-king and plunged into the East. The Mediterranean lands never saw him again'. Procul enim e patria is in Elymaide delubrum nescio quod Beli cum armatus diriperet interfectus esse ferebatur. Neque immodica est neque excusatione indigna illa ueritatis superlatio quam adhibent et noster hic poeta et historicus Valerius Maximus VIII 1. 13 damn. 1. 'non puto quod [L. Scipio] pretio corruptus fuerat ut illum totius Asiae dominum et iam Europae manus inicientem ultra Taurum montem summoueret', id. IV 1. 9 Ext. 'Antiochus autem a L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus summotus', II 10. 2 (de isdem) 'quamquam ab eo tum maxime finibus imperii pellebatur'. Accedat T. Liuius XXXVII 52. 4 (Eumenes patribus gratulatur) 'quod regem Antiochum fusum fugatumque et exutum castris prius Europa, post et Asia quae cis Taurum montem est expulissent'.

Epigr. V. 7 iam ualete, formosi.

Formosi damnauit Baehrens, *morosi* in textum inlato: perperam utrumque; 'formosus' enim dicitur quem Anglice 'professional

Digitized by Google

beauty' nuncupamus, quod ad Hor. Serm. I VI. 31, *Classical Review* t. XV (1901) pp. 305 sq., docuimus. Honestius verbum est quam *pulcer*, de quo Seruius (loco a Birtio ad XIII. 19 laudato) ad Verg. *Aen.* III. 119 'quidam *pulcher Apollo* epitheton datum Apollini reprehendunt; 'pulchros' enim a ueteribus 'exoletos' dictos.' idem tamen a Phaedri loco V. I. 18 alienum sicut alibi dixi.

Epigr. VII

si licet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
dispeream nisi me perdidit iste *pothus*.
sin autem praecepta uetant me dicere, sane
non dicam sed 'me perdidit iste puer'.

Aspernati quod praebent B H M libri *pothus* editorum pars maior *potus* quod in ceteris est amplectuntur, reiciendum etiamsi ab omnibus praestaretur codicibus. Quis enim crediderit tritum et latinum uocabulum in Graecum atque infrequens potius quam retro corrumpi? Adde quod illud ipsum iam inde a Scaligero neque quibus scribendum sit litteris sciunt mensuramque syllabarum eius usque adeo ignorant ut ad 'putillum' animalis nescio cuius apud Plautum (Asin. 674) nomen incognitum confugiant. Quid de eis dicam qui testimonio abusi Nasonis (*Epist. ex Ponto* IV. XI. 7 sqq.) qui unam tantum ex tribus syllabis 'Tuticani', inuitus scilicet et quasi ludibundus, praemissa quoque excusatione immutabat, hic sine ulla uersum faciendi necessitate nec praemonito quid fieret lectore uerbum cum uerboque uersum ab ipso poeta peruersum esse contendunt? Iure igitur *pothus* Bruxellensis al. Birtius poetae uindicat. Vellem tam de significatione carminis quam de codicum fide liqueret. Periclitandum tamen aliquid etsi in re incerta. Docuit Bentleius comm. in Hor. *carm.* II XII. 13 Romanos quotiens in carminibus fictis uterentur nominibus, id fere egisse ut mensura et numeris ficta illa ab omni parte ueris responderent quo saluis uersuum numeris uerum facile ex ficto colligeretur idque Apuleio teste (*apol.* 10) comprobauit, sic Lesbia pro Clodia, Delia pro Plania, Licymnia pro Terentia, Perilla pro Metella, Lycoris pro Cytheride euadit. Hoc inter scribendi praecepta (Anglice dicas „etiquette of composition") traditum

Digitized by Google

esse quidni suspiceris? Quod si est, paululum a regula aberrat Propertius, qui 'Cynthiam' pro 'Hostia' summutauit ut 'tu Cynthia' 'mea Cynthia' diceret. Eadem indigeret excusatione noster hic poeta qui 'Pothus' scriberet cum 'Eros' in animo esset. Πόθος idem significat quod ἔρως, Graeculorum nomen utrumque est, Erotemque scimus Vergili fuisse librarium. Quare igitur is non diceret se Erotem suum, si nec suo nomine nec per scholarum praecepta 'Pothum' liceret appellare, simpliciter 'puerum' uocaturum?

Epigr. IX.

29 non defensa diu *multum* certamine equorum,

Epitheton 'equorum' desideratur quod uidit Birtius, iure tamen idem ab Eduardo Galletier reprehensus qui *multûm* (h. e. *multorum*) tutatus sit; 'inuictum' Galletier coniecit, sed ad aurigarum certamen aptius *iunctum*; 'equos iunctos' pro 'curribus' dixerunt et Maro Aen. XII. 735 sq. '*iunctos* Conscendebat *equos*' et Naso Ars III. 634, epist. Ex Pont. III. 4. 100 '*iunctis*, ut prius, ibit *equis*'. Genetiuus ἀρχαικόν ut 'cuius' u. 35; iam consimile illud Acci 'uim citatum quadrupedum' ap. Non. 495, 20 (Ribbeck Acci fragm. 381).

32 *rŭbro* a consuetudine poetarum alienum inscitiae arguit scriptorem.

43 sq.

castra foro *solitos* Vrbi praeponere castra
tam procul *hoc* gnato, tam procul *hac* patria

Pro *solitos* tertium iam in uno uersu *castra* Bruxellensis, cui addicti, ut solent, editores corruptelam illam certatim arripiunt et suo quisque modo interpolant. Confiteantur tamen necesse est quae in hoc carmine leguntur nequaquam in unum Messallam Coruinum cadere posse et multo concinnius ad Messallarum complurium laudes referri; auerso illi in hexametrum animo in pentametro caecutiunt: alioquin inepte dici '*hoc* gnato' '*hac* patria' uidissent, tu uero 'hunc ... hunc' reponas, pronomina uicinia nominum corrupta.

61 si *laudem* aspirare humilis, si adire Cyrenas,
si patrio Graios carmine adire sales
possumus.

Digitized by Google

Sunt qui 'laudem aspirare' idem esse uelint ac 'laudem tibi parare' ('dir Lob verschaffen' Birtius) et 'dictis aspirate amorem' 'uentos adspirat eunti' alia, tamquam ab ulla parte similia, adferunt. Noster hic Messallarum laudator confitetur quidem se eorum 'laudes attingere' non posse (u. 55), nihilo minus ad eas aspirare, modo possit, se uelle; 'laudem aspirare' serioris certe latinitatis est, Paneg. X. 3 'quis... *aspirare laudes* tuas audeat aequiperandi magis spe quam gratia non tacendi'; sed nescio an hic *laudi* reponendum ut apud ipsum Maronem *Aen.* XII 352 'nec equ*is adspirat* Achillis'.

Ad Platonis Gorgiam p. 474 A.

Lepidissimus hic locus quo refutatur Polus, qui circumstantium coronam, vel omnino quamvis turbam, testimonium edere iubet rerum quas ipse dixit et „si disertius" ait, „non habes, testimonium" *ἐμοὶ ἐν τῷ μέρει παράδος, καὶ πείρασαι τοῦ ἐλέγχου, οἷον ἐγὼ οἶμαι δεῖν εἶναι.*

Novimus cetera et quam facete cum sua ipsius ironia Socrates rem, cuius pars magna fuit ipse, in risum iocumque verterit. Simulque admonemur Homerici loci in primo Iliadis libro:

εἰ δ' ἄγε μὰν πείρησαι, ἵνα γνώωσι καὶ οἵδε·
αἶψά τοι αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δουρί

...et in Platonis loco allato deprehendimus formam vitiosam, certe rarissimam; epicorum est *πείρησαι*, Atticorum vero vel *πειράθητι* vel *πεῖραν λάβε*. Sed, quod gravissimum est, immemor fuit Philosophi librarius lepidissimi flosculi, quo saepe utuntur Graeci cum demonstrant id quod sibi habent persuasissimum. Ut Achilles ille „fac periculum" aiunt minitabundi, „videbis quem eventum res habeat". Denique pro *πείρασαι* lege *πειράσει*. Typothetae me recentem errorem tenere putabam, sed et Astius in lexico illud ipsum *πείρασαι* exhibuit.

I. I. H.

Digitized by Google

DE C. JULIO PRISCO.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

Imp. Caesar M. Julius Philippus, qui mense Februario vel Martio anni 244 Gordiano imperatore non longe a Circesio interfecto imperium adeptus est et usque ad annum 249 regnavit, fratrem habuit cognomine Priscum, quem solus veterum auctorum memoravit Zosimus. Is enim narrat Philippum imperio potitum pace cum Persis facta postquam Romam venit, quod aetate anni 244 factum esse videtur, fratrem suum Priscum legionibus Syriacis praefecisse, cf. I 19, 2: Πρίσκον μὲν ἀδελφὸν ὄντα τῶν κατὰ Συρίαν προεστήσατο στρατοπέδων; porro tradit postea (anno 248 sc.) provincias orientis, quae Prisco regendae a fratre permissae essent, tributa ab eo acrius exacta moleste ferentes, res novas molitas esse, cf. I 20, 2: τὰ μὲν κατὰ τὴν ἑῴαν ταῖς τῶν φόρων εἰσπράξεσι καὶ τῷ Πρίσκον, ἄρχειν τῶν ἐκεῖσε καθεσταμένον ἐθνῶν, ἀφόρητον ἅπασιν εἶναι βαρυνόμενα, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς τὸ νεωτερίζειν τραπέντα, Ἰωταπιανὸν παρήγαγον εἰς τὴν τῶν ὅλων ἀρχήν. Quid deinde Prisco factum sit, nescimus.

Cum ea tantum quae dixi de Prisco nobis tradita sint, forte fortuna accidit ut ex inscriptionibus nonnullis plura de eo comperta habeamus [1]). Imperator Philippus in locum vici, unde oriundus erat, in Trachonitide siti, cui nunc *Schuhba* vel *Schechbe*

1) Cf. Domaszewski, *Rhein. Mus.* LIV, 1899, p. 159 sq.; Stein apud Pauly-Wissowa, *Realencyclop.* X, p. 781 N°. 409.

Digitized by Google

nomen est, urbem condidit de suo nomine Philippopolin appellatam. Ibi cum aliis inscriptionibus ad Philippi familiam pertinentibus duo lapides inventi sunt, quorum uterque principio nunc caret, quo factum est, ut nomen eius, in cuius honorem positi sunt, perierit. Fuit is filius Julii Prisci, qui in flore aetatis mortuus est eo tempore quo pater eius praefectura Mesopotamiae fungebatur:

Waddington 2077 (= Inscriptiones Graecae ad res Romanas pertinentes III 1201; initium e Brünnowii exemplari correxit Domaszewski, *Rhein. Mus.* LIV, 1899, p. 159):

[τὸν δεῖνα... Ἰου]λ[ίου] Πρεί[σκου τ]οῦ ἐξοχωτά[του] ἐπάρχου Μεσο[πο]ταμίας υἱὸν ἄωρον ἡ πόλις, διὰ Ἰουλίου Μάλχου βουλ(ευτοῦ) συνδίκου καὶ ἐπιμελητοῦ [1]), μ(νήμης) χ(άριν).

Waddington 2078 (= Inscr. Gr. ad res Rom. pert. III 1202; Dessau, Inscr. lat. sel. 8847):

[τὸν δεῖνα... Ἰουλίου Πρείσκου τ]οῦ ἐξο[χω]τάτου ἐπάρχου Μεσοποταμίας υἱὸν Κάσσιος Τειμόθεος ἀπὸ β(ενε)φ(ικιαρίου), πετεῖτορ [2]), τὸν ἄωρον μ(νήμης) χ(άριν).

Utramque inscriptionem eodem tempore insculptam esse per se patet; priorem autem, quam curante uno e decurionibus dedicavit ἡ πόλις, manifestum est positam esse post Philippopolin a Philippo conditam, nam quamquam etiam antea eo loco vicus fuit satis magnus [3]), qui quod nomen habuerit ante nomen Philippopolin inditum nescimus, urbs tamen non erat neque curiam habuit. Praeterea certum est Julium Priscum, qui in his inscriptionibus nominatur, esse Philippi fratrem, non alium quempiam eodem nomine praeditum, nam non erat cur Philipopolis, quae tum erat urbs provinciae Arabiae, filium iuvenem praefecti alicuius provinciae Mesopotamiae publice honoraret, nisi is esset frater imperatoris.

Philippopolis a Philippo condita est antequam ex Oriente

---

1) Urbs Philippopolis igitur hunc lapidem ponendum curavit per Julium Malchum decurionem et civitatis defensorem et curatorem.

2) Cassius Timotheus fuit ex beneficiario, militiae equestris petitor. De militiae petitoribus cf. Mommsen, *Staatsrecht* III, p. 547 adn. 5.

3) Cf. inscriptio pro salute imperatorum Marci et Commodi Augustorum, inter annos igitur 177 et 180, ibi posita, Waddington 2071 (= Inscr. Gr. ad res Rom. pertinentes III 1195).

Digitized by Google

Romam profectus est, vere igitur vel ineunte aestate anni 244 [1]); nihil obstat quominus hae inscriptiones iam eo anno positae sint: fieri igitur potest ut iam aestate anni 244 Priscus Mesopotamiae, quam Gordianus a Persis recuperaverat, praeses fuerit. Infra videbimus non improbabile esse Priscum iam paucis annis ante ad eius provinciae praefecturam provectum esse.

Postea Philippus eum toti Orienti praeposuit, quo modo L. Vitellium Tiberius, Corbulonem Nero, Avidium Cassium Marcus isdem provinciis praefecerant [2]), sed cum illi, utpote viri ordinis senatorii, eo munere fungerentur titulo legatorum Augusti praediti, Priscus, quippe qui ordinis equestris esset, praefecti praetorii titulo a fratre ornatus est. Eum Orienti praefectum esse cum e Zosimi loco supra laudato (II 20, 2) scimus tum ex inscriptione, quam a Brünnowio Philippopoli inventam publici iuris fecit Domaszewski l.l., p. 159 (= Corpus inscr. Latin. III p. 2303 n. 14149[5]; Dessau, Inscr. lat. sel. 9005), e qua praenomen eius et praefecti praetorii titulum comperimus:

C. Julio Pri[s]co v(iro) [e]m(inentissimo) fratr[i] et patru[o] d(ominorum) n(ostrorum) Philipporum Aug(ustorum) et praef(ecto) praet(orio) rect[o]riq(ue) Orientis Trebonius Sossianus p(rimi)p(ilaris) domo col(onia) Hel(iupoli) devotus numini maiestatique eorum.

Quae inscriptio, cum in ea duo Philippi, nempe pater et filius, *Augusti* memorentur et Augusti titulo Philippus iunior

1) Cf. Aurelius Victor, Caes. 28: „Marcus Julius Philippus Arabs Thraconites sumpto in consortium Philippo filio, rebus ad Orientem compositis, conditoque apud Arabiam Philippopoli oppido, Romam venere". Vulgo credebatur Philippopolis anno demum 247 condita esse, sed iam anno 244 id factum esse mihi quidem probavit Kubitschek in docta commentatione *Zur Geschichte von Städten des römischen Kaiserreiches (Sitzungsberichte d. Wiener Akademie, Philos.-Histor. Kl.*, Vol. 177, anni 1916, IV, p. 40 sqq.). Sententiae a Kubitschek prolatae assensus est etiam Hill, *Journal of Roman Studies* VI p. 147.

2) Cf. Mommsen, Staatsrecht II[3], p. 853; accurate de Corbulone ita Tacitus, Ann. XV 25: „scribitur tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus et qui praetorum finitimas provincias regebant, iussis Corbulonis obsequi, in tantum ferme modum aucta potestate quem populus Romanus Cn. Pompeio bellum piraticum gesturo dederat". Idem de Prisci potestate valet.

Digitized by Google

anno 247 demum ornatus sit, non ante hunc annum posita est, nam quod de inscriptionibus *Graecis* et papyris valet, nempe in iis nomine Σεβαστοῦ honorari imperatorum filios nondum eo titulo praeditos [1]), non cadit in hanc inscriptionem *Latinam* a primipilari Romano dedicatam. Ab anno igitur 247 utique Priscus Orientem rexit, sed fieri potest ut iam antea Philippus eum Orienti praeposuerit.

Praeterea Julius Priscus nominatur in nonnullis inscriptionibus Graecis, nunc plus minusve mutilis, in honorem Philipporum familiae Philippopoli eo tempore positis quo Priscus praefectura praetorii fungebatur, publici iuris factis anno 1908 a v. c. W. K. Prentice in operis, cui titulus *Publications of an American archaeological expedition to Syria in 1899—1900*, volumine tertio. Quod opus ipsum mihi praesto non fuit, sed earum inscriptionum unam, quae ceteris melius servata videtur, ex eo exprimendam curaverunt Cagnat et Besnier, *L'année épigraphique* 1908, N°. 274:

...τ]οὺς δεσπότας τῆς οἰ[κουμένης Μ. Ἰουλίο]υς Φιλίππους Σεβαστοὺς [καὶ τ]ὴν κυρίαν ἡμῶν Σεουήραν Σε[βασ]τὴν καὶ τὸν ἐξοχώτατον ἔπαρ[χον] τοῦ ἱεροῦ πραιτωρίου Ἰούλιον [Πρεῖσκ]ον Κλ. Αὐρ. Τιβέριος δο[υκηνάριος δι]καιοδότης τῆς λαμπροτ[άτης Ἀλεξαν]δρέων πόλεως ὑπ' αὐτῶν προαχθε[ίς].

Cum Priscum èt praefectum Mesopotamiae èt praefectum praetorio fuisse viderimus, probabile est, verum vidisse Waddingtonum, cum in adnotatione ad duas inscriptiones Graecas (N° 2077 et 2078) supra (p. 287) exscriptas suspicatus est, de Prisco sermonem esse etiam in inscriptione Romae olim reperta et ita mutila, ut praeter alia etiam nomen eius in cuius honorem posita sit desideretur, edita in Corp. Inscr. Latin. VI 1638 (Dessau 1331):

. . . . . .
PRAEF. PRA*etorio*
PRAEF. MESOP. IV*ridico Alexandreae*
VICE. PRAEF. AEG*ypti proc. prov.*
MACED. PROC. PRO*v* . . . . . .
VBIQ. VIC. PRAES*idis . . . praeposito*

1) Cf. Kubitschek, l.l. p. 41.

Digitized by Google

VEXILLATION. INDII ..... *item a divo*
GORDIANO. LEG. I ..... *item*
*v*EXILL. CLASS. PR .... *proc. prov.*
*His*P. CIT. PROC. PR*ov* .....
*proc. p*ROV. .....
.....V ..... [1])

Haec inscriptio continet cursum honorum inverso qui dicitur ordine enarratum viri cuiusdam equestris ordinis, qui medio saeculo p. C. n. tertio praefectura Mesopotamiae, deinde praetorii, functus est. Waddingtoni coniecturam, ab eo propositam cum tantum notum esset Priscum praefectum Mesopotamiae fuisse, nunc firmatam repertis inscriptionibus Philippopolitanis, e quibus eum etiam praefectura praetorii functum esse comperimus, probaverunt Domaszewski l.l., p. 160, et Stein apud Pauly-Wissowa, *Realencyclop.* X p. 782, et etiam mihi tantum non certa videtur.

Si Waddington recte hunc titulum ad Priscum pertinere statuit, is in variis provinciis procurator Augusti res fisci administravit atque adeo in duabus vicem praesidis egit, nonnunquam etiam officiis militaribus functus est, et quamquam vir erat ordinis equestris tamen ab imperatore Gordiano praepositus est legioni primae — nescimus utrum primae Adiutrici an Italicae an Minerviae. Porro iuridicus Alexandreae factus ad tempus vicem egit praefecti Aegypti, vel, ut Graece loquar, erat δικαιοδότης διαδεχόμενος καὶ τὰ κατὰ τὴν ἡγεμονίαν [2]), deinde Mesopotamiae, postremum praetorio praefectus est.

Domaszewski l.l., p. 160, suspicatus est, Priscum eo tempore, quo Philippus imperio potiretur, iuridicum Alexandreae fuisse, eumque secutus P. M. Meyer, *Klio* VII p. 129 sq. et p. 144, putat Priscum iussu fratris, cum is imperator factus esset, vices praefecti egisse, et demum post aliquot menses Aurelium Basilea, quem exeunte anno 244 praefectum Aegypti fuisse e

---

1) Supplementa sunt Henzeni. Versu 6 in loco mutilo Marini legit: INDII, Mommsen: INDI; si spatium sufficiat, suspicari possis: *vexillation(um) in Da*[*ciam miss(arum)*]. Versu 8 supplendum est: *vexill(ationum) class(is) pr(aetoriae)* [*Rav(ennatis)*] vel [*Miseu(ensis)*].

2) Cf. *Berlin. Griech. Urk.* I 327.

Digitized by Google

papyro quadam scimus, a Philippo ei provinciae praepositum esse. A. Stein autem, *Archiv für Papyrusforschung* IX p. 150 sq. (cf. p. 155), sententiam protulit Priscum iam imperante Gordiano vicarium praefecti Aegypti fuisse et ab eodem imperatore etiam Aurelium Basilea ad praefecturam Aegypti esse provectum. Steinium verum vidisse reperta nova papyro apparuit, nam J. Lesquier in eximio libro cui titulus *L'armée romaine d'Égypte* (a. 1918) p. 517 exposuit, anno 241 praefectum Aegypti fuisse Annianum nescio quem, sed anni 242 mense Augusto Aegypto iam praefuisse Aurelium Basilea, quem eo munere usque ad mensem Aprilem vel Maium anni 245 functum esse. Priscus igitur anno 241 vel 242 vices praefecti Aegypti egit et non paulo antequam frater eius ad praefecturae praetorii gradum pervenit — quod factum est anno 243 — Aegyptum reliquit. Fieri igitur potest ut Priscus iam ab imperatore Gordiano Mesopotamiae praefectus sit, et eodem tempore ei provinciae praefuerit quo frater eius Philippus praefectura praetorii fungeretur. Quod mihi per se non improbabile videtur, quoniam Philippum ausum esse imperium affectare melius intellegimus, si non modo ipse cohortibus praetoriis sed etiam frater eius provinciae Mesopotamiae, et igitur legionibus quoque I et III Parthicis [1]), praeesset.

Domaszewski, l.l. p. 160, Priscum a fratre Philippo demum imperatore facto Mesopotamiae praefectum esse existimat; putat enim Zosimum minus accurate locutum esse cum dicat (I 19, 1) Priscum a Philippo Romam reverso *Syriacis* legionibus (*τῶν κατὰ Συρίαν στρατοπέδων*) praepositum esse: nimirum Zosimum eo loco dicere debuisse Priscum tunc *Mesopotamiae* et legionibus eius provinciae praefectum esse. Zosimi tamen verba pressius sequi possumus, si sumimus Priscum, iam a Gordiano ad Mesopotamiae praefecturam provectum et eo tempore quo Philippus imperio potiretur eam provinciam regentem, a fratre, cum is Romam venisset, Orienti, cuius gravissima pars erat Syria, praefectum et titulo praefecti praetorii ornatum esse. Quod si verum est, Priscus iam autumno anni

1) Cf. Marquardt, *Röm. Staatsverwaltung* I² p. 437; Cagnat apud Daremberg et Saglio, *Dictionnaire des antiqu. rom. et gr.* III, p. 1077 et 1080.

Digitized by Google

244 praefectus praetorii factus et Orienti praepositus est [1]).

Cum ea quae hucusque de Prisco exposui, nitantur Zosimi et lapidum testimoniis vel iam dudum notis vel ante nonnullos utique annos repertis, nuper iis accessisse videtur testimonium novum. Exstat enim Palmyrae in urbe nobilissima Syriae inscriptio, quam olim publici iuris fecit Waddington, N°. 2598 (= Inscriptiones Graecae ad res Romanas pertinentes III 1033), qua Palmyrenorum *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος* honoravit *Ἰούλιον Αὐρήλιον Ζηνόβιον τὸν καὶ Ζαβδίλαν*, cum ob alias causas, quas hic praetermitto, tum:

ἀγορανομήσαντά τε καὶ οὐκ ὀλίγων ἀφειδήσαντα χρημάτων καὶ καλῶς πολειτευσάμενον, ὡς διὰ ταῦτα μαρτυρηθῆναι ὑπὸ θεοῦ Ἰαριβώλου καὶ ὑπὸ Ἰουλίου [.....] τοῦ ἐξοχωτάτου ἐπάρχου τοῦ ἱεροῦ πραιτωρίου καὶ τῆς πατρίδος, τὸν φίλοπατριν, τειμῆς χάριν, ἔτους ϡνϕ'.

Inscriptio haec igitur posita est anno aerae Seleucidarum, qua Palmyreni utebantur, 554, qui est annus aerae nostrae 242/3 (annus enim Seleucidarum ab autumnali tempore incipiebat). Nomen quod post vocem *Ἰουλίου* exsculptum fuit, erasum est, sed iam Waddington supplevit *Ἰουλίου [Φιλίππου]*, quod anno 243 Philippum praetorio praefectum esse scimus. Waddingtoni restitutio hucusque ab omnibus probabatur, cf. e. g. Dessau in Prosopographia Imperii Romani, Vol. II p. 205, Stein apud Pauly-Wissowa, *Realencyclop.* X p. 757, sed anno 1922 vir reverendissimus Chabot ipso lapide Palmyrae examinato cum Academia inscriptionum et bonarum litterarum Franco-Gallica communicavit nomen Philippi cum litterarum vestigiis, quae adhuc in rasura dispici possint, non convenire, sibique videri nomen erasum esse Julii Prisci, cf. *Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles lettres* 1922, p. 172 [2]).

1) Quae si recte disputata sunt, duae inscriptiones Philippopolitanae supra p. 287 exscriptae (Waddington 2077 et 2078), quae in honorem filii Prisci praemature defuncti positae sunt postquam urbs Philippopolis a Philippo condita est et antequam Philippus eum ad praefecturam praetorii provexit, aestati anni 244 attribuendae sunt, cf. p. 288 initio.

2) *„M. Chabot a reconnu que le nom de Philippe ne concorde pas avec les vestiges encore reconnaissables sous le martelage. Du texte, on peut seulement inférer que le préfet en question était en fonctions postérieurement à l'année 229. Le nom effacé était certainement celui de Julius Priscus, probablement le frère même de Philippe l'Arabe".*

Digitized by Google

Qua fretus sententia vir Romanorum cum iuris tum historiae peritissimus Eduardus Cucq in eiusdem Academiae actis (l.l. p. 184 sqq.) dedita opera quaestionem de C. Julio Prisco instituit, in qua probare studuit fuisse duos Julios Priscos, quorum utrumque praefectura praetorii functum esse, sed unum imperante Gordiano, imperante Philippo alterum. Iam videamus, quibus rationibus ductus personam Prisci duplicaverit.

Julium Priscum a v. d. Chabot in inscriptione Palmyrena inventum, cum anno 242/3, quo ea inscriptio posita est, imperante igitur adhuc Gordiano, praefectus praetorio fuerit, Cucq statuit non eundem fuisse atque eum Priscum, quem Philippus frater praetorio praefecit: nimirum Priscum in inscriptione Palmyrena nominatum putat collegam fuisse Timesithei, quem imperatoris Gordiani praetorio praefectum eundemque socerum, anno 243 mortuum, a Philippo veneno interfectum esse vulgus recte fortasse credebat. Porro Cucq suspicatur Philippum, cum in Timesithei locum successisset et praefectus praetorio Gordiani factus esset, Priscum collegam e medio sustulisse et eo viam sibi aperuisse ad ipsum Gordianum interficiendum [1]). Ad hunc Priscum vivo adhuc Gordiano mortuum praeter inscriptionem Palmyrenam pertinere putat etiam duas inscriptiones Philippopolitanas in honorem filii eius positas (Waddington 2077 et 2078) et inscriptionem Romanam (Dessau 1331), quas supra (p. 287 et 289) exscripsi. Hunc Priscum igitur ante praefecturam praetorii praefectum Mesopotamiae fuisse censet. Contra de altero Prisco imperatoris Philippi fratre eodemque praetorii praefecto sermonem esse existimat apud Zosimum l.l. et in duabus aliis inscriptionibus Philippopoli inventis, una Latina, Graeca altera (Dessau 9005 et *L'année épigraphique* 1908, N° 274), de quibus iam supra (p. 288 sq.) egi. Imperatori Gordiano praefectum praetorio fuisse quendam nomine Julium Priscum a nullo quidem auctore traditur, sed cum et Julius et Priscus nomina sint usitatissima, Cucquio mirum non videtur duos

1) Cf. Cucq, l.l. p. 187: „*Il est vraisemblable que l'ambitieux Philippe, après avoir provoqué la mort de Timésithée dont il convoitait la charge, trouva le moyen de se débarrasser de Priscus en l'accusant peut-être du crime qu'il avait commis lui-même et en le faisant condamner. C'est ainsi que le nom de Priscus fut martelé sur l'inscription de Palmyre*".

Digitized by Google

viros his nominibus praeditos eodem fere tempore ad summum equestris nobilitatis gradum pervenisse.

Hactenus Cucq. Ut investigemus num recte duos Priscos fuisse statuerit, primum quaerendum est de inscriptionibus, quas praeter Palmyrenam praefecto praetorii Gordiani attribuit. Duas inscriptiones, quibus filius Prisci mortuus honoratur (Waddington 2077 et 2078), iam supra p. 287 sq. vidimus positas esse post urbem Philippopolin conditam, Gordiano iam mortuo, et fieri non posse quin Priscus Mesopotamiae praefectus, qui in iis nominatur, frater Philippi imperatoris fuerit. Ad alterum igitur Priscum, quem sub Gordiano praefectura praetorii functum ante huius mortem e medio sublatum esse Cucq putat, pertinere non possunt. Idem valet de inscriptione Romana (Dessau 1331), nam ea quoque post Gordiani mortem posita est, cum in ea sermo sit de Divo Gordiano. Sane vox „divo" nunc non in lapide exstat et ab Henzeno suppleta est, sed hoc supplementum certum est. Si enim ea inscriptio vivo adhuc Gordiano posita esset, nomini Gordiano additum esset Augusto, quod in hac inscriptione desideratur. Conferas e. g. in inscriptione apud Dessau 1124: „donis milit(aribus) donato ab *imp(eratore) Commodo Antonino Aug(usto)*", sed 1126: „adlect(o) inter quaest(orios) a *divo Commodo* et inter patricios"; apud Dessau 1163: „adlecto inter tribunicios ab *imp(eratore) Antonino Aug(usto)*", sed 1168: „allecto inter tribunic(ios) a *divo Magn(o) Antonino*"; apud Dessau 1067: „legato *divi Hadriani* Athenis Thespiis Plataeis item in Thessalia... legato in Cilicia *imp(eratoris) Antonini Aug(usti)*; apud Dessau 1379: „proc(urator) *divi Nervae* et *imp(eratoris) Caes(aris) Nervae Traiani Aug(usti)*... flamen *divi Claudi*. Etiam inscriptio Romana igitur ad Priscum Philippi fratrem referenda est. Non mirum est in inscriptione fratri imperatoris Philippi posita Divum Gordianum memorari, nam Philippus eum se invito a militibus interfectum esse probare semper studuit eumque a senatu inter divos referendum curavit.

Ex omnibus quae Cucq attulit testimoniis ut probaret imperatorem Gordianum habuisse praefectum praetorio Julium Priscum a Philippi fratre diversum, restat sola inscriptio Palmyrena, cum in ceteris omnibus procul dubio de Prisco

Digitized by Google

Philippi fratre sermonem esse viderimus. Num unicus lapis Palmyrenus sufficit ad Prisci personam duplicandam? Miro sane casu accidisset, si eodem fere tempore duo viri cognomines ad idem officium pervenissent, si porro de uno eorum multa testimonia haberemus, alterius, qui in sola inscriptione Palmyrena nominatus esset, memoria plane esset exstincta. Quare equidem unum puto Julium Priscum fuisse, Philippi sc. fratrem, et inscriptionem Palmyrenam, in qua anno 242/3 Julius Priscus praefectus praetorio nominetur, alio modo explicandam esse. Primum fieri potest ut Chabot cum litterarum vestigia in rasura lapidis conspicua ad Philippi nomen non quadrare ei viderentur, errore lapsus sit, et Waddington, qui Φιλίππου restituerit, verum viderit, nam nomen Prisci in nullo alio lapide erasum est neque erat cur raderetur, cum Philippi nomen, cuius memoria damnata sit, in multis inscriptionibus deletum videamus. Sed fac Chabotium, testem sine dubio oculatum, verum vidisse et lectionem Πρείσκου in lapide adhuc integro exstitisse: quod si ita est, duobus modis res expediri potest. Inscriptio in qua Julius Priscus praefectus praetorio nominatur cum ante annum 244 posita esse non possit, suspicari licet numerum δνΦ′ aut nostra aetate male lectum aut olim per errorem insculptum esse. Si enim in eo loco lapis male lectus sit et in eo non exstet numerus δνΦ′, sed ενΦ′, vel ϛνΦ′, anno aerae nostrae 243/4 vel 244/5 inscriptio posita sit, et optime in ea Julius Priscus Philippi frater praefectus praetorio nominatus esse possit. Quare operae pretium foret ipsum lapidem denuo accurate conferre. Sin vero in lapide numerus δνΦ′ exstat, ipsum lapicidam errorem commisisse puto, quem et nos saepe inscientes committimus, cum initio anni alicuius epistulis nostris numerum anni iam finiti praescribimus.

Utut est, inscriptio Palmyrena ad probandum duos exstitisse Julios Priscos meo quidem iudicio non sufficit. Eam cum ceteris testimoniis conciliare possis, si sumas Priscum Philippi fratrem iam ab imperatore Gordiano praetorio praefectum esse, eum igitur anno 242/3, qui numerus in inscriptione insculptus esse dicitur, collegam fratris fuisse, sed hac via difficultatem eludere non possis, nam non modo inauditum foret duos fratres gravissimo praefecti praetorii officio simul functos esse, sed cum

Digitized by Google

in duabus inscriptionibus in honorem filii Prisci imperante iam Philippo positis (Waddington 2077 et 2078, vide supra p. 287) Priscus ἔπαρχος Μεσοποταμίας nominetur, patet eum initio imperii Philippi nondum ad praetorii praefecturam provectum fuisse.

NOTULAE EPIGRAPHICAE.

I. In inscriptionibus Argivis quibusdam [1]) occurrit siglum ex litteris Α Π Ε compositum, quod O. Walter [2]) significare ἀπελεύθερος intellexit. Similiter in inscriptionibus Laconicis [3]) siglum ex Ε et Ξ compositum pro ἐξελεύθερος scriptum esse arbitror.

II. Olim suspicatus eram [4]) pagum Ἀρχάνας prope Ἡράκλειον, oppidum Cretense hodiernum, nomen traxisse ab antiqua Ἀχάρνα, quae ex inscriptione Argis a. 1906 reperta nobis innotuerat. Iam magnam persentisco voluptatem, quod virum clarissimum, cui nomen G. N. Hatzidakis [5]), mecum sentire video.

G. V.

1) Cf. Bull. de corr. hell. 1909, p. 183 sq. 456 sqq.

2) Oest. Jahresh. 1911, Beibl. p. 149, 10.

3) I. G. V, 1, 177, 5 (cf. J. H. S. 1914, p. 61 sq.); A. B. S. XXIV. 1919—1921, p. 126, vs. 2.

4) Bull. de corr. hell. 1910, p. 345; 1913, p. 296.

5) Glott. vol. XII^{i} (a. 1922) p. 150.

Digitized by Google

SOPHOCLEI CHORI PERSONA TRAGICA.

SCRIPSIT

IGN. ERRANDONEA S. I.

(Continuantur e pag. 201).

CAPUT QUINTUM.

Electra.

Cum a cyclo thebano ad troianum transeo, prima considerranda occurrit Electrae tragoedia. Cuius chorus tam consitus est spinis, ut aliquas eius partes nullus auctor velit tangere, qui famam Sophoclis cupiat integram inviolatamque servare.

Velut ut exemplo utar quam brevissimo: si cupis scire ut ea componantur quae sibi contraria sunt aut videntur in versibus 464 et 369, Bruhn iubet primo loco ut conferatur secundus, in hoc autem frustra quaeras ullam huius rei explicationem; Jebb etiam refert ad secundum et in eo nihil est de hac re; Campbell contra facit, in secundo refert ad primum, in primo vero nulla est nota. Similia possunt dici de versibus 1015 et 990, et de aliis locis et de aliis auctoribus.

Illi vero qui facta audacter adoriri et plane fateri non veriti sunt, in eiusmodi conclusiones de natura chori devenere, quas non est mihi licitum silentio praeterire, cum sint contra Aristotelis effatum contraque ea quae de choro dico, apertissime dicta.

Erat facile multiplicare testimonia; bina solum eligam clarissimorum virorum Kaibel et Wilamowitz (T. v.); quid enim non de aliquo solo loco sentiant, sed quid de toto choro huius tragoediae, vel omnis tragoediae tam sophocleae quam non sophocleae sit sentiendum, declarant.

„Inter sororum disputationem, ait Wilamowitz, chorus bis

Digitized by Google

est locutus, utroque autem loco (990 et apertius etiam v. 1015 sq.) aperte se pro Chrysothemi sistit; ratio ea est, ibi ut persona dramatis agit, Electra relinquenda erat sola cum suo proposito. Cum igitur nunc in hoc cantu (1058 sqq.) in contrariam partem se transfert, non ideo est quia animum mentemve mutarit, id enim auditores nec capere nec suspicari potuerunt. Hinc manifestum fit, quam „impersonalis" et omni propria vita destitutus sit chorus in hac tragoedia. Non veretur poeta facere eum exprimentem dicendo sensa contraria omnino his quae paulo prius inter disputandum coram auditoribus expressit". [1])

Non multum ab his absunt quae pg. 179 refert de stasimo primo vs. 471 sqq. [2]).

Huius ipsius stasimi epodum commentans Kaibel: „Sophoclei chori cantus, ait, sunt affectuum evocationes, varie pro variis actorum necessitatibus confictae. Chorus vero ipse nec partem ullam in actione habet, nec in eam potest influere; ne igitur requiramus ab eo ut ullam constantiam in moribus fixis servet per totam tragoediam ... Intimus hic affectus huius Epodi (504 sqq.) est quidem proprius foeminarum earum quae in choro sunt, sed nullo modo chori ipsius ut persona dramatica est, nam chorus nulla talis persona est". [3])

---

1) T. v. Wilamowitz-M. *Die Dramatische Technik des Sophokles* (1917) pg. 201: Während des Streites hatte der Chor in seinen beiden kurzen Zwischenreden V. 990 f. und noch deutlicher V. 1015 f. sich ausdrücklich auf Chrysothemis' Seite gestellt, natürlich weil er dort als Person des Stückes handeln, und Elektra mit ihrem Entschlusse ganz isoliert dastehen musste. Wenn er jetzt in dem Liede auf dem entgegengesetzten Standpunkte steht, so kann das irgendwie psychologisch als ein Umschwung in seiner Meinung schon darum nicht erklärt werden, weil für den Zuschauer dieser Vorgang weder zu begreifen noch überhaupt zu bemerken wäre; vielmehr zeigt sich, wie ganz unpersönlich und ohne eigenes Leben der Chor in diesem Stücke gehalten ist; der Dichter scheut sich nicht, ihn nach dem Streite im Widerspruch zu seiner früheren Haltung einfach die Empfindungen aussprechen zu lassen, die er jetzt beim Zuschauer voraussetzt."

Vide etiam notam.

2) „Nach dem Liede, das ebenfalls nur die im allgemeinen durch den Stoff nahegelegten Gedanken ohne die Absicht einer besonderen Wirkung in fast konventioneller Weise ausdrückt, sieht der Zuschauer ....".

3) „Die Chorlieder des Soph. sind Stimmungsbilder, gemalt in dem Genre das den vortragenden gemäss ist. Der Chor hat weder an der Handlung Theil noch kann er sie beeinflussen, folglich ist nicht zu verlangen dass er durch das ganze Drama

Digitized by Google

Ad tristichum vero 369 sqq.: „Quod chorus ait nullius momenti est, si rem inspicis, sicut Antig. 724; ideo loquitur quia aliquid dicendum erat. Chorus in nova tragoedia [de Sophocle dicit, ut patet ex fine] est inter actionem appendix quaedam onerosa; quoniam illic est, debet non mutus esse; ideo in concitatissimis scaenis eum poetae in eodem numero habent quo lapidem aliquem miliarium; eius benevola verba separant colloquentium sermones, sicut unus alterve concentus symphoniam aut interludia ludos, ne durior sit contrariarum partium inter se oppositio. Per eius inanes sermones quidquam in actores influere, aut subvenire cogitatibus spectatoris eosque regere *hae aliaeque huiusmodi ridiculae res* numquam *in ullius tragici poetae* mentem venerunt". [1])

Liceat mihi, antequam ingredior viam, rogare eum qui me legit, ut ipse etiam sine ullo praeiudicio studiove partium lectionem incipiat; maxime autem cavendum puto ne nomine Electrae ipso aliquid intellegat, quod possit veritatis indagationem impedire; vereor praesertim ne huc euripideam Electram transferat, eaque deceptus sophocleam non percipiat.

Mirum videbitur quod dicam, sed tamen dicendum est mihi claritatis et brevitatis causa: mihi huius fabulae Electra non est ea constantissima et in vindictam iam ab initio accensa filia quam semper audimus et legimus; constantem vero hic solum chorum inveni ego neque ut coërceat Electram intentum, ut dicunt, sed contra ut sustentet, foveat, urgeat, inducat in facinus.

---

hindurch einen bestimmten Standpunkt einhält.... Das drückende Gefühl, das in der Epode zum Ausdruck kommt, ist natürliches Empfinden der Frauen, nicht des Chors als einer dramatischen Person, die er gar nicht ist". KAIBEL, *Elektra* 1896 pg. 153.

1) „Was der Chor sagt ist von geringem Belang, dem Inhalte nach ähnlich wie Antig. 724, es kommt mehr darauf an, dass er etwas sagt. Der Chor ist für die jüngere Tragödie während der Handlung eine lästige Zugabe; da er einmal vorhanden ist, darf er nicht völlig schweigen, und so haben ihn die Dichter ganz sinnreich als Prellstein in leidenschaftlichen Scenen benützt. Seine gutgemeinten Worte trennen Rede und Gegenrede, wie in der Symphonie etwa ein Paar Accorde oder ein harmloses Zwischenspiel sich einschiebt, damit die contrastirenden Themen nicht allzu gewaltsam aufeinanderplatzen. An eine sittliche Wirkung dieser inhaltlosen Zwischenreden des Chors, an ein Correktiv das der Auffassung des Zuschauers zur Hilfe kommen soll, an dergleichen lächerliche Dinge hat kein Tragiker je gedacht". Ib. pg. 128.

Digitized by Google

I.

Dum sola est Electra in prologo et τὸν θρῆνον ἀπὸ σκηνῆς canit, habet quidem ipsa sibi nonnullam spem, audetque rogare deos inferos, Hermen, Aram, Erinyas ut veniant, succurrant, vindicent patris mortem, ad eamque rem suum sibi Orestem mittant, „sola enim non valet iam maeroris pondus ἀντίρροπον sufferre". Quibus verbis etsi non prodit animum ullum magnum strenuumque, nec propositum vel levissimum insinuat vindictae per seipsam faciendae, tamen perhibet spem aliquam et deorum auxilii et fratris adventus, qui ipse *per seipsum* finem eis malis faciat.

Sed simul ac chorus in parodo conatur eam consolari et has ipsas rationes tamquam doloris fomenta adhibere, ipsa tam longe abest ab eo ut ullum solatium admittat, ut etiam maiore tristitia afficiatur. Nec difficile est cernere quemadmodum a prima stropha (129—136), qua solum suum dolorem sine ulla desperatione significat, descendat gradatim in ultimam (236—250), ubi iam non vereatur in deos inque omnem religionem impie bacchari.

Nimirum est hoc in nostra natura positum ut, cum tristitia simus affecti, si quis nos adeat et talia solatii argumenta suggerat quae nostrum dolorem depellere non sint apta, nobis tunc libeat ea omnia argumenta dissolvere, nostrum maerorem summum dicere eique nos totos sine impedimento velle dedere.

Sed ut ipsa descendit, simul et eisdem gradibus chorus conscendit a mera commiserationis significatione (121—128) per diversas rationes causasque solatii in illa tandem verba, se eo venisse ut urgeat rem et properet victoriam [1]). Singula perpendamus.

Iam ipsa prima chori verba totam rem declarant, siquidem tam aperte significat chorus quorsum venerit, ut quasi vereatur ne audacius aequo sit locutus; dicit enim simul ac aliquam commiserationem significavit: [2])

ὡς ὁ τάδε πορὼν
ἔλσιτ', εἴ μοι θέμις τάδ' αὐδᾶν.

1) 251—253. 2) 126, 127.

Digitized by Google

Perpetuo se lucturam ait Electra, rogatque chorum ut lugere se sinat [1]): „sinite, eheu, sinite, precor, me sic ἀλύειν". „Sed ita, respondet chorus, non suscitabis ex communi omnium inferorum lacu patrem tuum, nec gemitibus, nec precibus, sed ex iusto in desperatum dolorem ita progrediendo te perdis, ea conclamitans in quibus nullum est tuis malis remedium. Quid ita malis delectaris"? [2]) En etiam clarius propositum chori et mens: agendum est Electrae ita ut aliquo modo pater suscitetur, et quomodo remedium malis obtinebitur; id autem non efficitur lacrimis et nimia tristitia.

Electra ait se fore ut Philomelam semper eiulantem, ut Nioben semper flentem in saxeo tumulo [3]); cui chorus colligere incipit argumenta non tam ut eam compescat a lacrimis ea tristi consolatione „non se solam pati", quam ut consolatus inducat in opus, seu ut erigat eius in id animum [4]): „non sola pateris, ait, adsunt tibi et Chrysothemis et Iphianassa sorores, adest vero maxime in iuventute semota a doloribus ille, *quem excipient quondam* Mycenae, paterno clarum genere, propitio Iovis ductu reversum in hanc terram, Orestes".

Tam valida descriptio futuri auxilii non movet Electram; fratris nomen evocavit in eius mentem spes quas tandiu foverat de eius adventu, nunc vero iam desperavit eum videre. „Qui semper cupit, cupit, nec umquam quod cupit perficit veniendo" [5]). Sine fratre vero ipsa nihil omnino sperat nec cogitat fieri posse.

Chorus qui nuper adventum futurum Orestis promiserat, iam nunc multo clarius insinuat quorsum eum exspectet: adest iuvamen Iovis, et deus ille in inferis regnans qui (sive Agamemnon est sive quis deus infernus) non sane hic commemoratur, quia sit venturus ut ploret et lamentetur cum ea

---

1) 135.

2) Ant. α' 137—145.

3) 145—152.

4) De vindicta hic agi et non de mera societate doloris, fere singula verba postremorum versuum probant: Orestes est alienus a dolore (tam non agitur de societate doloris); ἐὐπατρίδαν (hoc verbum recurret vv. 859, 1081, cum de vindicta agetur); veniet Iovis ductu (hunc Iovis ductum petet saepe chorus in tragoedia ut urgeat vindictam 825, 1064); veniet *in hanc terram*, Orestes dixit quem in finem 32—40; cfr. 1264, 1267.

5) 171, 172.

Digitized by Google

domi [1]). Idipsum dicunt mycenides illae versu 178 *μήθ' οἷς ἐχθαίρεις ὑπεράχθεο μήτ' ἐπιλάθου*, quae verba eandem fere continent sententiam quam versus 140, 141 et eandem quam chorus postea in contentione Chrysothemis et Electrae proferet; non petit ne irascatur, sed ne *inani* tristitiae se dedat, sed ut memor sit iniuriae acceptae, ea vero memoria in *iram* inducatur, in opus, non in flebiles lamentationes; lacrimas commendet Iovi, iam esse tempus temperandi; Orestem cogitet et Agamemnonem, hunc ut ardeat, illum ut audax sit.

Sed ob eam ipsam mentionem Electra magis animo deicitur, dum deflet miseram solitudinem qua nec parentes habeat nec quemquam [2]), qui possit eam in pristinum statum restituere.

Consequitur chorus stropha *γ'*:

οἰκτρὰ μὲν νόστοις αὐδά,
οἰκτρὰ δ' ἐν κοίταις πατρῴαις
ὅτε σοι παγχάλκων ἀνταία
γενύων ὡρμάθη πλαγά.
δόλος ἦν ὁ φράσας, ἔρος ὁ κτείνας,
δεινὰν δεινῶς προφυτεύσαντες
μορφάν, εἴτ' οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν
ἦν ὁ ταῦτα πράσσων.

Volui totam hanc stropham transcriptam, quia mirum in modum vexavit commentatores: disputant alii de ordine primi et secundi versus, transmutant alii inter sese *δόλος* et *ἔρος*, sunt qui reiciant verbum *μορφάν*, plurimi pro *σοι* scribunt *οἱ*.

Iam illa *δεινὰν δεινῶς* aliquid latere in Sophocle saepe significant [3]), idque vel magis praedicant illa verba *εἴτ' οὖν θεὸς*

---

1) Dicunt tamen commentatores chorum de Electra continenda solum agere: „They only counsel, ait Jebb, moderation of behaviour" v. 177; Bruhn: „mässige deinen Groll, indem du daran denkst, dass auch Zeus Zorn über den Frevel empfinden und ihn rächen will" v. 176.

2) Quoniam chorus ei et patris et fratris auxilium promisit, ipsa respondet se carere utroque: patre, et fratre quem significant verba *φίλος οὔτις ἀνήρ* servanda igitur videtur lectio codicum *τοκέων* (187).

3) *Μανίας δεινὸν ἀποστάζει ἀνθηρόν τε μένος*, Ant. 958 sq. 332. Nec solum in Soph.; in Eur. Bacch., cum Dionysus deceptum Pentheum inducit in montem, ubi sit discerpendus a matre et bacchantibus, ait praedicens futura: (971, 972):

δεινός σ' υ δεινὸς κἀπὶ δεῖν' ἔρχει πάθη,
ὥστ' οὐρανῷ στήριζον εὐρήσεις κλέος.

Digitized by Google

εἴτε βροτῶν ἦν ὁ ταῦτα πράσσων, quae nisi aliqua abusio sophoclea lateret, essent in hoc loco maxime importuna; quo enim modo potuit unquam dici Aegisthus videri deus aliquis cum crimen patrabat? Sunt autem similia his quae Teucer dicit in Aiace cum repperit quam consona praeteritis essent praesentia, utque Hector olim periisset balteo constrictus quem accepisset ab Aiace, hic vero se confodisset ense quem Hector olim donasset. [1])

Sic hoc loco etiam praeterita describit chorus, Sophocles vero ita rem nonnihil mutat, ita verba componit, ut eum quasi inscium faciat futura praedicentem; nam praeterita imago quaedam erant et origo futurorum δεινὰν δεινῶς προφυτεύσαντες [2]) μορφάν· ita vidimus eum nuper facientem in Antigonae stasimo quarto, ita iterum in hac tragoedia. Ideo etiam metrum mutat et anapaesticos versus facit, quales hi erant quibus Electra in monodia prologi fuerat usa. [3])

„Horrendus clamor in reditu", certe, non magis quando Agamemnon regressus et occisus est quam cum Aegistho domum revertenti portenditur cadaver interemptae Clytaemestrae (1476 sqq.); „Horrendus in paternis lectis", tam cum in eis est occisus Agamemnon, quam cum in eos abripitur Aegisthus ab Oreste, ut eo ipso loco pereat ubi interfecerat Agamemnonem; etenim ubicumque tandem loci id fecerat Aegisthus, is locus vocatur κοῖται a Sophocle hic, et in eo ipso loco occiditur Aegisthus v. 1495. Quaenam sit illius σοι vis facile intellegitur, sive dativus est incommodi praeteriti, commodi futuri, sive est personae agentis in futuro. Securis vero illa antiqua tam saepe recurrit in hac tragoedia, ut ipsa sit quae rem tandem conficiat; eius meminerat Electra in prologo (99), eius nunc chorus insinuans futura, eius paulo post aperte praedicens futura οὐ γάρ ποτ' ἀμναστεῖ γ'... οὐδ' ἀ παλαιὰ χαλκόπλακ-

1) 1036, 1037.

2) Προφητεύσαντες ergo videtur glossa fuisse et quidem aptissima, (= praedicentes) verae lectionis quae in optimis codd. exstat προφυτεύσαντες (= progenerantes).

3) „In I [192—196] the spondees give a slow and solemn movement, suited to the theme; in II [197—200] where the subject changes from the crime to the passion which prompted it, the rythm is lightened and accelerated by dactyls". Jebb, *Electra* Introd. LXXVIII.

Digitized by Google

τοῦ ἀμφάκης γένυς (484 sq.); adeo ut non dubitem quin securis etiam sit illud quod gerit in fine, cum ingreditur, Orestes ἀρχαιόπλουτα πατρὸς εἰς ἑδώλια, νεκρόνηστον αἶμα χειροῖν ἔχων (1392 sq.). Non est mihi facile totum hunc ancipitem sensum in versione servare:

„Horrendi in reditu clamores, horrendi in lectis paternis, agitata tibi illa aenea securi in adversum ictum. Dolus est ea machinatus, amor exsecutus; ambo tamen miram mirum in modum generabant rem....., sive deus erat quis sive homo qui talia componebat".

Bene noverant auditores non omnia haec deorum providentiae esse tribuenda, sed Sophocli etiam nonnulla, qui nonnihil res ut aptius cohaererent commutasset [1]). In Choëphoris etiam saepissime secunda pars coniungit et comparat praeterita futuris.

Quoniam Electra haec de solis praeteritis intellexit, et nihilo magis animum erigit, sed repetit [2]) ea ipsa quae chorus dixerat, quam multa scilicet eius parens fuerit iniuste passus cumque meras preces addat ut deus aliquis Olympicus eos puniat [3]) qui ita egere, chorus qui iam ei ante dixerat nec precibus nec lacrimis hanc rem esse conficiendam, recta iam pergit ad negotium ipsum, insinuatque tandem radicem omnium harum calamitatum esse exstirpandam [4]): „cave porro pergas eiulare; nonne mente capis unde haec veniant? tua ipsius sponte in mala sic misera irruis; multo enim maximas calamitates in te congessisti, perpetua bella tuo anxio animo concitando"; τὰ δὲ τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐριστὰ πλάθειν, his verbis

1) In Eur. *El.* 985 sqq. dicit Orestes cum iam aggreditur opus et necem:

εἶσειμι· δεινοῦ δ' ἄρχομαι προβλήματος
καὶ δεινὰ δράσω γε· εἰ θεοῖς δοκεῖ τάδε,
ἔστω· πικρὸν δὲ χἠδὺ τἀγώνισμά μου.

Maior hic intercedit similitudo quam quae possit esse fortuita; sed maior est etiam cum verbis chori, praeterita futuris, sicut in hoc nostro loco, iungentis (957 sq.):

ἔπραξε δεινά· δεινὰ δ' ἀντέδωκε σοὶ
καὶ τῷδ'· ἔχει γὰρ ἡ Δίκη μέγα σθένος. Cf. etiam 1147 sqq.

2) 201—208.

3) Referunt ad hunc locum multi scriptores ut probent duplex homicidium iam ab initio praeparari et per totam tragoediam agi ab Electra et choro; sed aliud est Clytaemestram et Aegisthum esse sontes et odio haberi, aliud in utrumque mortis poenam ab his actoribus comparari. 4) 213—220.

Digitized by Google

non significat chorus cessandum esse Electrae ab omni contentione cum vexatoribus suis, sed ab hoc genere contentionis, a lacrimis. In eodem semper cogitatu versatur chorus: „male interpretaris pietatem, Electra, te ipsam torques et sine fructu, ita non suscitatur parens, ita non vexas illius interfectores, bella in te ipsam solam moves hoc modo". Propositum vindictae non in Electra est, ut volunt commentatores, sed in choro; ideo tam difficiles versiones faciunt, velut v. 219 sq. quod ita vertunt „sed tam audacter non est decertandum cum magnatibus"; hic vero sensus non solum menti chori hisque quae dixit dicetque non cohaeret, sed est omnino alienus a graecis verbis, ut aliqui etiam commentatorum sunt fassi. [1])

Iterum Electra, odio se quidem in maximo esse in eos qui ea crimina patravere [2]); odium vero hoc in eo ponit, quod numquam cessabit fundere lacrimas pro parente, ἀνάριθμος ὧδε θρήνων, „desistite, desistite me consolari". Et iterum chorus [3]): „atqui benevolentia adducta dico haec, ut fida mater consulens, ne mala addas malis", quae sunt eadem omnino quae antea; quibus denuo Electra, iam ad fastidium et satietatem, animum describit gemitibus et lacrimis indulgentem: impium esse ἐπὶ τοῖς φθιμένοις ἀμελεῖν, in vita functos neglegentem esse; quoniam dii de his non curant, Electrae partium est facere ut non omnino in oblivionem mortui cadant; quod autem faciet pro eis hoc est: *lugebit*, seu „non continebit alas acutorum gemituum". Cuncta enim iam perdita putat, nec sontes morte multabuntur, nec dii de his curabunt; lacrimae sunt reliquae.

Fateor meipsum miratum fuisse me invenisse hanc Electram tam longe distantem ab ea quam describunt commentatores, quamque ego etiam semper putaram ardentem, in crimen arrectam, odium et minas spirantem, quam vix quindecim quibus chorus

---

1) Vertit Jebb: „but such strife should not be pushed to a conflict with the strong". Bruhn: „Das soll heissen: man darf seinen Ehrgeiz nicht darein setzen, mit Machthabern in dieser Weise zusammenzugeraten" et addit sincere: „hunc tamen sensum ex textu non possum elicere", et proponit mutationem indicatam a Groeneboom. — Haec optime illustrant quae scriptores dicunt de verbo δυσέμπτον (v. 1385), quorum diversissimas sententias collegit et redarguit Hermannus Schulz *Quae nova Sophocles protulerit nomina composita* (1882) pg. 23, 24.

2) 221—232. 3) 233—235. 4) 236—250.

Digitized by Google

constat foeminae coërcere et continere possent. Sed probe scio fore multos qui his quae dixi non modo non consentiant, sed aperte repugnent.

Illam tamen eiusmodi esse qualem descripsi, non aliam, palam fit vel ex ipsis verbis quibus orditur iam episodium primum. „Pudet me quidem, o mulieres, quod ob assiduos fletus nimis intoleranter agam (δυσφορεῖν)"; tum enarrat quam multae iniuriae in parentem fuerint, quas cum tacita domi considerat, luget, et lacrimis funditur, et id dolet, quod non potest tantum flere quantum cuperet.

ἐγὼ δ' ὁρῶσ' ἡ δύσμορος κατὰ στέγας
κλαίω, τέτηκα, κἀπικωκύω πατρὸς
τὴν δυστάλαιναν δαΐτ' ἐπωνομασμένην
αὑτῇ πρὸς αὑτήν· οὐδὲ γὰρ κλαῦσαι πάρα
τοσόνδ' ὅσον μοι θυμὸς ἡδονὴν φέρει [1]).

Orestes vero non venit; omnes eius quas habebat quasque non habebat spes dissipavit [2]), adeo ut nec σωφρονεῖν iam nec εὐσεβεῖν possit, sed inter malos mala esse et mala agere [3]). Haec autem mala nihil sunt nisi matri et Aegistho verbis et lacrimis resistere et molestias ingerere; de solo hoc est locuta adhuc, de hoc solo disputabit nunc cum Chrysothemi [4]), et nihil ulterius in eius mentem venit adhuc; cuncta ab Oreste facienda semper putavit, etiam in prologo; nulla est mentio cuiusquam ulterioris facinoris. Quae commentatores hic requirunt in mente chori sunt, non Electrae.

Diligenter hucusque adlaboravit chorus, et non video qui possim assentiri his qui haec eius verba (v. 251 sqq.) vana verba sine sensu esse criminantur et Sophoclem arguunt quasi nihil hucusque egerit. Sed quoniam repperit animum Electrae omnino deiectum, ipsam autem tacitis illis insinuationibus chori aurem nolle praebere, iam aperte negotium gerere incipit; profitetur palam se eo venisse et illic esse, ut rem expediat et urgeat [5]); id iam facit.

---

1) 282—286. 2) 303—306. 3) 307—309.

4) Illud πεσούμεθα et τιμωρούμενοι (v. 399) nihil est nisi mori in caverna seclusam, cum nolit cedere voluntati Clytaemestrae.

5) Et tamen Kaibel ait: „Die Worte der Chorführerin sind dazu bestimmt El.s Hitze abzukühlen" pg. 109. ad v. 251.

Digitized by Google

Quaerit utrum libere rem agere possit, an domi sit Aegisthus, seipsum enim iam chorus immissurus est in periculum, et vult omnem securitatem a metu. Qui hanc chori interrogationem reprehendunt, incusant etiam alteram [1]) quam statim facit dum quaerit:

καὶ δή σ' ἐρωτῶ, τοῦ κασιγνήτου τί φής,
ἥξοντος ἢ μέλλοντος; εἰδέναι θέλω,

at eo loco non tam cupit scire sitne venturus necne, quam quid de eo sentiat Electra, in animum enim Electrae totus iam vertitur chorus, eius animum erigere vult; in hac prima tragoediae parte, audita spe de illius adventu, consilium chori id est, ut *sorores et frater, omnes simul vindictam peragant.*

Ideo hanc spem confirmare incipit in animo Electrae [2]) et tametsi rogat silentium cum alteram sororem adventantem cernit [3]), at dum utraque colloquitur id maxime laborat ut eas arte inter se animo coniungat [4]). Quapropter, simul ac Electra duriora quaedam in Chrysothemin dicit, erumpit statim chorus [5]): „noli iracunde per deos; est sua utrique utilitas si sua tu ex illa, et illa ex te tua discit"; quae verba non sunt moderationis graecae commendatio importuna, nec tribuenda sunt inconstantiae choro, qui nunc sit pro Chrysothemi, postea sit pro Electra, mutatus subito sine causa, sed est sincera irae quae exitum negotii impedire posset reprehensio. Pariter cum quaerit Electra a Chrysothemi ut matri non oboediat, ut dona illa proiciat, ut alia pro eis offerat Agamemnoni, addit confestim chorus [6]): „pia dicit haec puella, tuque si sapis recte, perficies haec, dilecta".

Non igitur magis dicit contraria chorus hoc loco, qui tantas tragoedias excitavit interpretibus, quam posset dicere quivis actor qui propositum haberet quod ipse habet sociandi utramque sororem. Hic locus ipse sat esset ad confirmandum quid

1) 317, 318. 2) 320, 322.

3) 324—327; est huius tragoediae singulare admodum, quam sint de secreto omnes actores solliciti.

4) Id eum intendere, maxime patet ex dolore et ira qua afficitur cum eas non potuisse coniungi videt, v. 1073; facit enim eo loco anacephalaeosin eorum quae prius frustra adlaboravit.

5) 369, 370. 6) 464, 465.

Digitized by Google

chorus quaerat, utrum coërcere Electram, an eam et sororem coniungere in vindictam.

Oboedit Chrysothemis, utramque sororem consentientem videt chorus, audit de somniis Clytaemestrae; id tamquam omen accipit, omnia futura prospera sperat. Ut animum Electrae suscitet, odam canit spe et laetitia plenam, facillimam quidem intellectu, quam tamen nescio qui possint opportunam esse dicere, qui chori in hac tragoedia officium in cohibenda et non in impellenda Electra ponunt. Non eam particulatim explicabo: audito eo somnio, multam spem fovet, iam adventare iustitiam, nec enim Agamemnon nec securis illa obliviscuntur; (iam hic apparet quorsum antea meminerit chorus Agamemnonis [1]), utrum ad lacrimas fundendas, an ad vindictam, et quorsum etiam illius [2]) securis). Venit Erinys iam, et verum faciet hoc somnium nobis omnibus; nisi si divinationes sunt mera figmenta [3]).

Quo in loco, male, credo, vertitur passim illud τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν sic: „interfectoribus Agamemnonis eorumque adiutoribus".

Nam 1° illud εὖ κατασχήσει (503) colligit et corroborat (ἦ τοι) sententiam praecedentem eamque repetit, et, sicut ea, potius bona denotat eorum qui liberandi quam mala eorum qui puniendi sunt; et δρῶσι κτἀ rectius adhaeret ἡμῖν quam seiungitur ab eo;

2° δρᾶν, συνδρᾶν, δρώμενα in hac tragoedia saepissime adhibentur ad significandum id quod nunc agunt et machinantur ad vindictam; v. gr. Electra ait sua ipsius manu solique sibi δρᾶστέον τοὔργον τόδε (1019, 1020), et cum renuit Chrysothemis adiuvare (1025) ὡς οὐχί, ait, συνδράσουσα νουθετεῖς τάδε; paedagogus ipse vocat consilia quae Orestes et Electra capiunt τἀ δρώμενα (1333) [4]);

3° chorus non potest hic denotare τοῖς συνδρῶσι Clytaemestram, aut saltem Clytaemestrae mortem nam, ut postea dicam, numquam chorus putavit eam esse occidendam;

4° ut eum sensum haberent haec verba, debebant esse in

---

1) 184. 2) 196.
3) 472—501.
4) Cfr. Eur. *Or. 406*, 563, 601, *1535*.

Digitized by Google

aoristo aut perfecto, non ut sunt in praesenti; cfr. v. 126 et Aesch. Ag. 1353, 1359.

Potius igitur chorus, qui totam familiam coniunctam sperat, et seipsum in negotium contulit, dicit „nobis omnibus, tam his qui rem gerant, quam his (nobis) qui iuvent, sive manu sive aliis modis" [1]). Ita pulcerrime scholiasta etiam: *τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσι· ὑμῖν ταῖς δρώσαις ὑπὲρ Ἀγαμέμνονος καὶ ἡμῖν ταῖς συνδρώσαις καὶ συναχθομέναις.*

Auget magis spem chori qui sequitur dialogus inter Electram et eius matrem [2]); ea enim est ars Sophoclis et ea naturae humanae cognitio; nam animus Electrae qui, ut antea vidimus, magis atque etiam deprimebatur et desperabat dum argumenta solatii offerebat chorus, in hac tragoediae parte altius per gradus assurgit et fortius confirmatur et maiora audet dum ei resistunt Chrysothemis et Clytaemestra, adeo ut non vereatur in fine aperte dicere se, si posset, cum illo Oreste vindicatum ire antiqua crimina [3]):

καὶ τόδ' εἴπερ ἔσθενον
ἔδρων ἄν, εὖ τοῦτ' ἴσθι.

Arridet hic nova spes choro; coram Clytaemestra, cui hic chorus non est inimicus, ancipiti sermone utitur: *ὀρῶ μένος πνέουσαν*.. Sed cito omnes eius spes dissipantur; nam venit confestim paedagogus, mortem Orestis ficte nuntiat et narrat, eoque ipso chori fiduciam et prima, quae diximus, consilia pessundat; clamant desperatae mulieres chori:

Φεῦ Φεῦ· τὸ πᾶν δὴ δεσπότῃσι τοῖς πάλαι
πρόρριζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος. [4])

---

1) Ad verbum *ἀψεγὴς* ait DINDORF: „non reprehensus. El. 497.. quae verba quum aptum huic loco sensum non praebeant, *ἀψεφὲς* coniecī" *Lexic. Soph.* ad v. — G. H. MÜLLER *Emendat. et interpr. Soph.* (1878), ait *ἀ-* huius verbi *ἀψεγὴς* non esse privativum sed intensivum (ut *ἀσκελής, ἀχανής, ἀσπερχής*), significare autem „vituperatus" seu „vituperandus"; cfr. 1389 sq. — *Ind. lect. Berol.* 17 apr. 1895, colligit plura exempla simillimae cuiusdam locutionis: Dion. Hal.: *δίκη τιμωρὸς οὐ μεμπτὴ παρὰ θεῶν* 10, 28; cfr. 3, 9; 6, 18; 7, 9; 8, 80. — cfr. etiam HERM. SCHULZ op. laud. pgs. 19. 20.

2) Nimium tribuit huic scaenae, nisi fallor, quam omnium in hac tragoedia maxime praecipuam putat, LÉON PARMENTIER, *Une scène de l'Électre de Sophocle* (Mélanges Weil, pgs. 33—354): „toute la psychologie d'Électre a été combinée en vue de rendre naturel et inévitable le scandale de la discussion avec sa mère", pg. 351. 3) 604, 605. 4) 764, 765.

Digitized by Google

Quo nunc se vertat chorus et quid consilii capiat, mox videbimus. Interea liceat mihi hic momentum consistere, nam hoc *πρόρριζος* in mentem revocat illam epistropham (505—515), cuius explicationem consulto omisi antea; pertinebat enim magis ad sequentia quam ad priora.

Exclamatio quaedam est, qua chorus meminit Myrtili illius qui fons et origo fuit omnium malorum qui in domum Pelopis per tam diuturnum tempus manaverunt. Hic enim auriga Oenomai, malis artibus, clavis in rotas non coniectis, quadriga deiecta, eri filiam simul et victoriam dedit Pelopi; a quo tamen cum postea proiceretur in mare [1]), malam pestem in eum et in eius familiam imprecatus est; inde tota calamitas et ruina Pelopis, et Agamemnonis et Orestis et totius porro generis.

Reprehendunt hic etiam Sophoclem [2]) et inconstantiam chori, qui cum laeta loqui et nuntiare coeperit, absolvat his tristibus, quae non chori sint propria sed earum foeminarum quae sub choro latent, nec ullam habeant cum his quae in dramate geruntur conexionem.

Ne quid citius aequo. Coniunxit Sophocles quasi in unum factum *ἱππείαν* illam seu equitationem Myrtili [3]), cum eius coniectione in mare, cuius in fluctibus mortuus est suffocatus; cito veniet paedagogus in scaenam et dicet alium etiam quendam aurigam, dum currus agitaret in arena, impegisse in stelam, confractoque rotae modiolo e curru fuisse deiectum lorisque implicatum. Arena vero illa quasi *mare* quoddam erat, ubi novus hic Myrtilus suffocatus est, non solum quando sanguine est tota superfusa

πᾶν δ' ἐπίμπλατο
νκυκγίων Κρισκῖον ἱππικῶν πέδον (729 sq.),

sed etiam antea, cum equi alii in aliorum aurigas currusque spumas emittebant fundebantque fervidos flatus (718, 719); ibi *κέλαδος* (undarum 737), ibi *ζυγὰ* (transtra 738), ibi auriga

---

1) *πρόρριζος ἐρριφθείς* (511).

2) Ita saepe alius post alium inde ab anno 1883, Hermes, 18, 217 sqq.

3) Nisi *ἱππεία* significat iter quo curru vehebantur Hippodamia, Pelops et Myrtilus; quo hic ab illo est proiectus in mare ob suam insolentiam (v. SCHOL. in *El.* 504).

Digitized by Google

atheniensis ἀνοκωχεύει [1]) παρεὶς κλυδῶν' ἔφιππον ἐν μέσῳ κυκώμενον, ibi denique omnes illi *marini colores* quibus est tota narratio tincta. [2])

ὦ Πέλοπος ἀ πρόσθεν πολύπονος ἱππεία... κτἀ.

Hoc est fatum Orestis: sicut ex quo tempore primus ille Myrtilus periit, ruina venit in domum Pelopis, sic ex quo hic novus nova ἱππείᾳ novoque naufragio dicetur mortuus, ruina veniet in eos qui domi Pelopis sunt.

Intellegunt haec spectatores, sed si quis minus ea capit, eum commonefaciet Aegisthus cum domum veniet iam occidendus ab Oreste; quaeret enim [3])

τίς οἶδεν ὑμῶν ποῦ ποθ' οἱ Φωκῆς ξένοι
οὓς φασ' Ὀρέστην ἡμὶν ἀγγεῖλαι βίον
λελοιπόθ' ἱππικοῖσιν ἐν ναυαγίοις;

Haec si ita sunt, non absona loquitur chorus (inscius sine dubio de futuris) ea stropha, nec tam absona videtur longa illa descriptio certaminis equestris, cuius longitudinem alii aliter explicare conati sunt. [4])

II.

Sed iam ad institutum redeo; secundam partem secundumque chori consilium investigemus.

Abiit paedagogus cum Clytaemestra, relicta est denuo Electra cum choro solo, commum ordiuntur versu 824 sqq. Eo dicunt scriptores chorum in id incumbere ut Electram consoletur,

---

1) Ἀνακωχεύειν γὰρ κυρίως λέγεται ὅταν χειμῶνος ὄντος ἐν τῷ πελάγει στείλαντες τὰ ἄρμενα σαλεύωσι αὐτόθι μὴ διαμαχόμενοι τῷ πνεύματι, Schol. in Soph. h. l. (732).

2) Cur igitur non paedagogus finxit Orestem, ut Myrtilum, mari suffocatum? quia urna sepulcralis afferenda erat (v. 49, 58).

3) 1442—1444.

4) Merito reprehendit T. v. Wilamowitz (op. 1, 190) sententiam eorum qui dicunt cum Voltaire et Parmentier pulcritudinem huius narrationis considerandam esse seorsim et quasi pars non esset dramatis, adiungitque cum Kaibel, in ipsa tragoedia inveniendam esse rationem eorum quae tam longe lateque in ea exponuntur; quam rationem ipse auctor hic, ut saepe alias, in auditoribus reperit. Multo etiam maior est effectus in auditores, si vera sunt quae de Myrtilo dixi hic significato. Nec aliter intellegi, nec observari, potuit illa maris cum arena certaminis quadrigarum coniunctio et fusio.

Digitized by Google

hunc in finem afferre exemplum Amphiarai, qui, quamquam esset mortuus, tamen in inferis viveret gloriosus.

Pace dixerim clarorum virorum, longe aliter sentio: chorus nec ante est eam exhortatus ut se dedat segnitiei et inertibus querimoniis sed contra labori et operi, nec nunc potest hoc exemplum Amphiarai ob ullam rationem aliam adducere nisi ut eam inducat in vindictam; si enim solam consolationem quaereret, alia infinita prius eligeret exempla quam hoc, quod irrisui et contumeliae potius quam solatio esset; etenim quid solatii poterat afferre Electrae, in hoc puncto temporis *quando de morte sui fratris Orestis audivit*, consideratio felicitatis qua gauderet Amphiaraus, cum hic heros ideo crederetur beatus *quia exstiterit inter vivos eius filius* qui eum vindicarit? bene dicit Electra quando putat chorum de consolanda ea agere, ἀπολεῖς.

Perierat Amphiaraus, terra dehiscente, cum equis et curru, eo bello contra Thebas in quod erat profectus ob dolos uxoris Eriphyles quam Polynices torquibus aureis seduxerat; sed quia filius eius, Alcmaeon, occidit impiam parentem, creditus est Amphiaraus in inferis fuisse gloriosus. Sperabat hucusque chorus venturum Orestem; ea spe (v. 319) toto hoc tempore egit; nunc novit eum mortuum: ab ipsa Electra cum Chrysothemi, negotium iam conficiendum dicit, et id curat in hac secunda parte.

Audax hoc consilium aperit hoc commo, occultissime tamen, Electra vero cuncta de sola consolatione vult intellegere. Si pacem et solatium praedicaret chorus hic, nec tam concitatum dialogum adhiberet, nec tam vehementibus duobus primis versibus uteretur [1]).

Remansit in scaena Electra, sicut Clytaemestra dixit [2]), conclamitans τά θ' αὐτῆς καὶ τὰ τῶν φίλων κακά: „O Orestes carissime, ait, ut me tua morte perdidisti! avulsisti enim a meo animo quidquid reliquum erat spei, fore ut vivus venires ultor patris mei meique miserae" [3]); quid autem nunc ipsa sentiat, dicant qui legerint vv. 812—822, ubi desperata ait

1) 824, 825; adde his, quam violenta et simul exilis fiat totius huius loci versio in altera interpretatione; non eam hic transcribam.

2) 803. 3) 808 sq.

Digitized by Google

nec ingressuram se iam domum, et illic ait se esse perituram tabe, et occidi etiam cupit, si quis id largiatur [1]);

ὡς χάρις μέν, ἢν κτάνῃ,
λύπη δ' ἐὰν ζῶ· τοῦ βίου δ' οὐδεὶς πόθος.

Moleste id fert chorus; graviter stomachatus, Iovis fulmina commemorat; interpellatur gemitibus Electrae; tunc huic rem proponit velatissime sub Amphiarai imagine; cum eam credit intellexisse, exhilarescit chorus, cum videt renuentem desperat:

Chor. „Ubi tandem sunt Iovis fulmina, aut ubi lucidus sol, si haec dispicientes, etiam dissimulant? — *El.* ἔ, ἔ, αἰαῖ. — *Chor.* Quid ploras, puella? — *El.* φεῦ. — *Chor.* Ne nimis alte [2]) lamenteris. — *El.* Perdis me. — *Chor.* Quomodo? — *El.* Si spem insinuas mihi de his qui certo inferos adierunt; in me potius deiectam insultas. — *Chor.* Novi enim ego regem illum Amphiaraum [3]) qui aureis quondam mulieris retibus obiit.., et tamen ipse nunc sub terra... — *El.* ἔ ἔ, ἰώ. — *Chor.* regnat aeternus. — *El.* φεῦ. — *Chor.* φεῦ profecto [4]), quandoquidem illa pestis (quae eum occiderat) — *El.* perempta est. — *Chor.* Ita sane [5]). — *El.* Optime id novi; exstiterat enim vindex quidam pro eo qui in luctu erat; *mihi vero* nemo reliquus est; *qui enim erat*, evanuit fato correptus". — *Chor.* δειλαία δειλαίων κυρεῖς, quod est „ignava in ignavis versaris" (cfr. 1027); ea vero intellegit „misera in miseriis versaris" respondetque: „noveram haec ego, nimis noveram hac mea tristissima, diuturna plenaque laborum et odiorum vita". — *Chor.* Quae lamentaris bene noveramus [6]). — *El.* Ne ergo me, ne me eo deducas ubi nulli... [7]) — *Chor.* quid? quid? — *El.* ubi nulli adsunt *fratres* generosi adiutores spei meae. — *Chor.*

---

1) 821, 822.

2) Ita silentium rogarat cum prima illa consilia aggressus est dare (310, 324) et ita etiam postea Orestes silentio negotia tractare cupiet.

3) Si comparationem cum Agamemnone et *Oreste* magis etiam premere vis, observa cum Amphiarao etiam haustum fuisse terra *cognatum* eius *aurigam*, nomine Batonem: χάσμα γῆς Ἀμφιάραον καὶ τὸ ἅρμα ὑποδεξάμενον ἠφάνισεν ὁμοῦ καὶ τοῦτον τὸν Βάτωνα. (*Paus.* 2, 23, 2).

4) Non cepit rem Electra.

5) Putat chorus eam intellexisse.

6) Nimirum non hoc responsum cupiebat chorus.

7) Iam quasi tangit rem; sed non vere.

Digitized by Google

sed mors... omnibus imminet... — *El.* Etiamne qualem ille obiit implicatus loris, celerum equorum in certaminibus? — *Chor.* ἄσκοπος ἡ λώβα, quod significat, „ultra omnem exspectationem calamitas" (certe tam ea quam deflet Electra, quam haec praesens quam dolet chorus, quamque confestim explicabit proximo stasimo). — *El.* „Quid ni, si peregrinus..., sine meis manibus.... — *Chor.* παπαῖ.[1]) — *El.* Conditus est urna, neque sepulcro nec lamentorum a nobis honorem sortitus"?

Sic deficit chorus, nec obtinet quicquam; hic novus Amphiaraus, sive Agamemnon est sive potius Orestes (qui non torquibus muliebribus sed loris equinis innexus perierat), non habet in vivis vindicem ullum qui eum in Orco faciat πάμψυχον. Nec ante Agamemnonis calamitas nec nunc Orestis movet Electram.

Sed quod non efficitur annitente choro, fit renitente Chrysothemi sicut ante. Electram enim reprehendit et illudit et inducere conatur ut conniveat impiis parentibus; effectus vero ille est, ut stomachata Electra audeat etiam proponere ei ut utraque internecionem Aegisthi aggrediantur[2]). Cumque illa exterrita renuat et sororis quam vocat amentiam corrigere conetur, audet tandem Electra, tunc primo[3]), sollemne proferre verbum:[4])

ἀλλ' αὐτόχειρί μοι μόνῃ τε δραστέον
τοὔργον τόδ'· οὐ γὰρ δὴ κενόν γ' ἀφήσομεν.

Quid igitur chorus, qui nuper Electram commune facinus proponentem laudavit[5]), nunc Chrysothemin, quae contraria omnino commendat, extollit his verbis: „Cede, Electra, nihil enim melius, nihil homini utilius prudentia et mente sana"?[6])

---

1) Poterat hic exclamare chorus ut est apud Accium: „audisne haec Amphiarae, sub terram abdite"? — Sed quam nunc non, cito emittet „Vocem", ad infernas sedes, ut hunc Amphiaraum excitet. Cfr. etiam 788—790; praesertim vero v. 792:

ἄκουε, Νέμεσι τοῦ θανόντος ἀρτίως.

2) 956, 957: ξὺν τῇδ' ἀδελφῇ μὴ κατοκνήσεις κτανεῖν Αἴγισθον· Solum igitur *Aegisthum*; nullius alterius est ulla hic mentio occidendi.

3) 957 οὐδὲν γάρ σε δεῖ κρύπτειν μ' ἔτι. — His non sunt contraria quae dicit v. 1049: πάλαι δέδοκται. 4) 1019, 1020. 5) 990, 991.

6) 1015, 1016. — W. Heindl, *Text. Kritisch. Untersuch. zu S. Dramen.* München 1909, 3—6, dat haec verba Chrysothemi, quod choro repugnent.

Digitized by Google

Hoc est unum ex exemplis quae semper proferuntur tamquam argumenta illius quae dicitur „neutralitatis" chori Sophoclei.

Chorus hic idem cogitat quod Electra statim dicit [1]):

ἄπελθε. Σοὶ γὰρ ὠφέλησις οὐκ ἔνι.

Conatus est antea utramque sororem communi consilio sociare; sed nunc vidit Chrysothemin nullius esse auxilii; si quid sit faciendum, sola Electra esse tentandum; illam igitur removere de scaena debet; ideo rogat Electram cedat nec pergat cum illa contendere; cum hanc solam habebit, cum sola rem quam ipsa Electra insinuavit tractabit; de secreto enim et ante [2]) et nunc et postea [3]) semper est summe sollicitus chorus: „nihil prudentia utilius".

Hic est iam tertius gradus consiliorum chori: primus inanis fuit, quia obiit Orestes; secundus etiam, quia Chrysothemis defecit; sit tertius ipsam Electram excitare.

III.

Difficillimum explicatu est hoc stasimum tertium (1058–1096), si choro eas partes assignamus mitigandi iras Electrae, sicut faciunt huius tragoediae interpretes [4]). Non enim apparet quid tunc ei consilii det: non ut temperet animumque refraenet, siquidem stropha incipit concitatissima qua cuncta fulmina, deam et supernas infernasque potestates invocat. Non ut urgeat et properet rem; siquidem tam stricte coercere eam dicebatur cum nihil ipsa criminis pronuntiaverat, qui fiet ut eam nunc, quando iam ipsa cogitavit, impellat? an non hic etiam *moderatio* servanda, ut ante?

Neque vero intellegitur ubi tandem partium se sistat chorus. Pro Electra profecto. Sed laudant, aiunt, eius audax et animosum pectus. Si illud est laudare, dicere eam tamquam lusciniam semper eiulare, elamentabiles fletus edere, nulloque bono animi consilio paratam esse mori, tribuatur id quidem laudi Electrae. Σαλεύειν vero non fortitudinem eius qui maria ignota petit, sed vacillationem, oscillationem, titubationem eius

1) 1031. 2) 310, 324. 3) 1439.

4) Quam exiguus sit et incertus sensus et affectus chori hoc stasimo in communi interpretatione explicat T. v. Wilamowitz op. l. pg. 202.

Digitized by Google

qui fluctu iactatur significat; ut bene dicit Kaibel, προδέδοται τῇ θαλάττῃ ὥστε ἤδη σαλεύειν (pg. 103).

Maior est quaestio de illis verbis διδύμαν ἑλοῦσ' Ἐρινύν. Volunt hic denotatam necem Aegisthi et Clytaemestrae; sed multae sunt difficultates:

1° Electra hucusque nullam mentionem occidendae matris fecerat (cfr. 957) et est tam impium quam non dramaticum quod de matricidio ita, et quidem quasi praeteriens et de re nota, dicat chorus; nec sufficit dicere, quod Kaibel, poeticam cogitationem non permisisse hic separationem, et chorum non immerito putasse Aegisti necem secum laturam mortem Clytaemestrae; nec videtur magis solvere difficultatem quod ait T. v. Wilamowitz pugnantia haec obiter tantum esse dicta, et ne poetam quidem animadvertisse ea. Est res gravissima matricidium, neque tempus quod dicendo impenditur debet in his considerari, sed gravitas eorum quae dicuntur, et est nonnihil discriminis inter proponendum matricidium et non proponendum, etiam si fiat id quam celerrime;

2° Chorus (quidquid de Electra est) ipse nec hucusque nec postea umquam putat interimendam Clytaemestram; cum occidetur, eo inscio et non consentiente, occidetur;

3° non videtur qui possit coniungi τὸ μὴ βλέπειν ἑτοίμα cum διδύμαν ἑλοῦσ' Ἐρινύν· non enim eos perimet postquam fuerit ipsa occlusa aut interempta; sed ne prius quidem: si enim eos occidet, a quibus ipsa postea vexabitur? Dare autem eis verbis sensum disiunctionis non video qui liceat grammatico.

In sola Electra videt iam chorus positam totam spem antiqui criminis ulciscendi, quandoquidem et Orestes est mortuus et Chrysothemis refugit quicquam tentare. Hanc autem Electram ita lacrimis et gemitibus deditam per totum drama est contemplatus chorus [1]), ut iam indignabundus credat evocandos ab inferis esse manes Agamemnonis et Orestis ut hanc inertem puellam excitent, quam ipse chorus etiam studet incendere hac ode; quasi enim faces admovet ardentissimae cohortationis et ab ignavis eiulationibus eam vehementissime dehortatur. „Audis haec Amphiaraë...?"

1) Verbulum enim quod nuper tandem in aestu disputationis (1019) dixit Electra, bene videt chorus non sat esse in querula puella.

Digitized by Google

Qui igitur iam antea commum illis duobus [1]) gravissimis versibus inceperat, nunc, cum viderit etiam Chrysothemin defecisse, illa ipsa fulmina Iovis commemorat quae antea, et alloquitur, non Chrysothemin [2]) quam iam bene de scaena et de memoria pulsam putat, sed Electram, flebilem Electram, quae se semel et iterum et tertio philomelae lugenti comparaverat [3]): siquidem avibus te confers, quidni imitemur sapientissimas aetheris aves quae senescentibus parentibus praebent alimenta? „At non per fulmina Iovis perque caelestem vindictam! non erunt diu impuniti. O *Vox* quae mortales sepultos adis, perge mihi, conclama Atridis qui in inferis iacent tristissima nuntia, deferque illis nimium dolendas ignominias: domesticas quidem res eis prostratas iacere, liberorum vero mutuam discordiam nihil iam habere amicae consensionis [4]), solam [5]) autem et proditam iactari fluctibus Electram, flebiliter semper eiulantem pro patre ut querulam lusciniam et mori paratam et τὸ μὴ βλέπειν ἑτοίμα, et parata luce carere διδύμαν ἑλοῦσ' ἐρινύν, gerens duplicem ἐρινύν. Clarus est, nisi fallor, sensus horum verborum quae ait chorus: pertinebat ad Electram (sic opinabatur chorus) Agamemnonis vindicta, et in id frustra est conatus eam excitare; vidit deinde Orestem etiam periisse, et tunc magis exarsit chorus et maiore etiam aestu conatus est incendere Electram; neutrum potuit; nunc ira percitus est, quia utrumque hoc factum neglegit Electra, et in se suscipit has Erinyas; nam, ut est apud Euripidem Orest. 580, Erinyis tradebatur qui quod debebat non ulciscebatur [6]). Duplici igitur

1) 823, 824. 2) Concedat mihi lector ut non singula referam hic, quibus in hac explicatione a reliquis auctoribus discedo.

3) Iam ante adventum chori v. 107 (τεκνολέτειρ' ὥς τις ἀηδών), et eo praesente v. 148 (αἰὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται) et v. 283 (κἀπικωκύω).

4) Ita clare significat quid doleat chorus, et quid illud tristissimum sit, nempe quod *in facinus* non consentiant, id enim refugit Chrysothemis.

5) Hae sententiae, quae sequuntur, pendent etiam ab ὅτι (1070) et sunt etiam nuntia tristia quae debent ferri in inferos. Nisi enim adduntur praecedentibus haec, nihil est vere triste communicandum Atridis, quod ipsi non norint; norunt enim domesticas res dilapsas esse; quod Chrysothemis non consentit cum Electra, nullum magnum malum est: praesertim si statim dicitur Electram strenuissimam et audacissimam iam esse paratam ad ea quae noluerit Chrysothemis; id autem dicitur in communi huius loci versione.

6) Idem dicit Orestes ipse in Choëphoris saepe, v. gr. 269—296.

Digitized by Google

Atridae debet Vox illa dicere quam ignave agat Electra duplicem illam vindictam seu duplex vindictae argumentum neglegendo et contemnendo. [1])

„Quis ita sit [2]) bene natus et nobilis?" *Str. β'.* „Nemo [3]), qui quidem sit generosus, cum vivit κακῶς (vexatus), mavult foedare sui nominis gloriam inglorius, puella, puella, sicut tu, per vitam perpetuo datam lamentis, elegisti non ferre, facinus armans [4]), duplicem simul gloriam, scilicet et piam (sapientem) et strenuam appellari".

Antist. β'. „Vixeris mihi posthac tam alte supra tuos inimicos fortitudine et divitiis, quam alte infra eos vixisti adhuc. Nam fortuna quidem te non bona utentem repperi, honestatis vero quidquid est optimum secutam, tua erga patrem (*al.* Iovem) pietate".

Toto hoc stasimo chorus nihil facit nisi repetit et inculcat illa ipsa argumenta quibus est nuper usa Electra ut Chrysothemin induceret in facinus; tantaque est utriusque loci similitudo, ut saepe etiam verba eadem resonent. Sicut enim illic Electra solitudinem in quam est redacta lamentata est, ita hic chorus eam explicuit ob eamque summa ira est accensus. Sed Electra illic postquam suam miseriam conquesta est, exhortatur sororem suam „pietatem ostendendam esse in patrem et

---

1) Clytaemestram et Aegisthum hic non denotari ostendi ante; eos *non posse* denotari verbo Ἐρινύς, probat Kaibel (in h. l.) refutatis illis exemplis, quae adduci solent, ut demonstretur vocatos interdum fuisse Erinyas eos qui *obiectum* vindictae fuissent; quibus rationibus ipse, etsi non veretur admittere verbis chori utramque necem innui, at Aegisthum et Clyt. vocare Erinyas refugit omnino, et hanc facit versionem: „sie ist bereit zu sterben für die That die sie plant, wenn sie nur zuvor die doppelte Erinys der von ihr zu erschlagenden Unholde gewonnen hat" pg. 238.

2) Si verum est quod dico, haec locutio contrarium sensum habet ei qui ipsi solet dari; reprehensionis est, non laudis.

3) Illud γὰρ (Jebb. 1082) non est in codd.; posset esse γε. Si *ant. α'* fuisset laudatio fortitudinis Electrae, ut dicitur, haec stropha esset hic summopere intempestiva et praepostera.

4) Remanere adhuc nonnullam difficultatem non nego, sed eam multo esse minorem quam quae ante erant, nemo, credo, non videbit. Saltem verbo καθοπλίσασα numquam sensus dari potest depellendi, qui est plane *contrarius* ei quem semper habuit; nec ullo iure pollemus id mutandi in ἀπολακτίσασα (J. H. H. Schmidt), δ' ἀποπτύσασα (Gleditsch), καταπτύσασα (Paley), καθαγνίσασα (Campbell), καθιππάσασα (Hermann), etc. Cfr. Jebb in h. l.

Digitized by Google

fratrem" (966—968) id autem ut evincat, duplici utitur argumento: 1° felicitatem eo facinore obtentum iri (970—972); 2° gloriam summam et laudem, omni posteritati celebrandam (973—985); quae omnia brevi iterum sermone complectitur, tam thesin quam argumenta, cum dicit in fine: [1])

ἀλλ', ὦ φίλη, πείσθητι, συμπόνει πατρί,
σύγκαμν' ἀδελφῷ, 1° πτῦσον ἐκ κακῶν ἐμέ,
πτῦσον δὲ σαυτήν, 2° τοῦτο γιγνώσκουσ' ὅτι
ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν.

Atque his fere explicit labor chori in hac tragoedia, et ea est causa cur Sophocles ut solet, eum explicantem fecerit quod eius munus in hac fabula fuerit, scil. pietatem flebilem Electrae, *virilem* et *actuosam* facere, docere eam ne pia solum sit, ut luscinia deflens patrem, sed diligens ut ciconia in auxilium parentum [2]). Nam pia quidem est (σοφά), sed non ἀρίστα (1089).

Id de animo Electrae iam obtinuit, nam etsi nunc non dicit, postea certe exponit Oresti (1320) se sine eo aut gloriose triumphaturam aut gloriose perituram. Sed postquam ita animus iam tandem est a choro constitutus, venit ille subito nuntius phocensis (verus Orestes) urnam manibus gestans cremati Orestis, seseque per gradus mirum in modum miraque arte revelat Electrae, eaque chori laetitia, ut exclamet in fine lacrimis se prae gaudio perfundi tam magna fortunae commutatione. [3])

Non est meum agere de his, sed ad chori cognitionem certe pertinent quae statim post anagnorismum colloquuntur Orestes et Electra vv. 1232—1287.

Non solent hic commentatores satis animadvertere gravissimum peccatum dramaticum quod hoc loco, ubi versor, latet: nihil scit Orestes de animo Electrae in vindictam, aut saltem in vindictam hanc per matricidium, praeparato, nam cum in prologo eam non viderit, nec fuerit allocutus, cumque postea

1) 986—989.

2) In avium re publica quamquam plurima licebant, at ea erat antiqua lex, scripta in ciconiarum tabulis: „postquam pater ciconia pullos suos alendo fecerit volatiles omnes, oportet pullos patrem vicissim alere". Arist. *Av.* 1353—1357.

3) 1230, 1231. Iam nunc actio, vel potius executio a manibus chori ad Orestem transfertur, et Electra, quam chorus tandem excitavit, iuvabit fratrem suum.

Digitized by Google

paedagogus nec consuli potuerit (1339 sqq.) nec consultus quidquam de hac re eum docere potuerit (nihil enim ipse est de hac re cum Electra locutus vv. 660—803), ea tantum conicere Orestes potest, quae ex vv. 1155, 1198 colliguntur, quod scilicet *sperabat* olim Electra Orestem venturum esse, *finem malis* quae a matre Electra patiebatur impositurum, et *vindicem matris* futurum.

Id autem tam exile et parvum est ut nullus dramaticus scriptor possit credere licere iam sibi, sine ulla consultatione de tempore, de animo, de modo vindictae, in duplex homicidium et quidem matris necem actores impellere, ut Orestem et Electram impellit Sophocles iam a v. 1288; numquam Orestes ab Electra audierat, matrem *occidendam* esse, et nunc, et ab utroque; vel ut verius dicam, numquam Orestes investigarat num Electra esset in id animo parata. Erat autem id omnino necessarium. Id recte vidit Euripides, qui personatum Orestem inducit Electrae animum diligenter inquirentem, et hanc se ipsam ostendentem acerrimo odio in omnem vindictam paratam. Eur. *El.* (274—282) cf. 1219—1225.

An id fugit Sophoclem? an latet aliquid huiusmodi in dialogo illo lyrico [1]) qui anagnorisin consequitur?

Sive latet, sive non, id certe verum est, dialogum illum non esse scriptum ut per clamores Electrae maior difficultas accedat eventui, nec enim est iam tempus producendi sine necessitate exitus, nec ulla inde maior creata est difficultas; nec scriptum esse ut quasi a nimio furore respirent auditores, nimius enim ille furor hucusque nullus fuit in tragoedia, ut vidimus; nec esse inventum ut Electra plene et perfecte fiat conscia de fratris vita et adventu [2]); nullo enim modo consentire possumus his qui in hac tragoedia summam rem anagnorismum esse aiunt, non vindictam de nece Agamemnonis. [3])

---

1) 1232—1287.

2) Hae sunt quas repperi in AA. huius loci explicationes.

3) Praeterea in communi huius loci interpretatione: 1° describitur Orestes valde formidulosus et quasi matris bellicum furorem expavescens; 2° ridicule fingitur nihil agere Orestes nisi conari ut in silentium reducat sororem; 3° nulla datur vis, nullus sensus brevissimis illis collocutionibus quae in Sophocle semper aliquid latere significant; 4° deest unitas et concinnitas partium inter se, nec

Digitized by Google

Orestes foeminas chori participes facere consiliorum omnino refugit toto tempore; etiam se ipsum dicere, quis esset, noluit Electrae, nisi postquam ab hac quaesivit de earum fidelitate (1203). De vindicta vero toto tempore agit nunc occultissime cum Electra. [1])

Statim postquam sorori aperuit quis sit, huius exsultantem laetitiam ita cohibet Orestes: „Veni quidem, sed exspecta silens. — *El.* Quid vero est? — *Or.* Praestat silere, ne quis nos intus audiat [2]). — *El.* Non, per semper castam Dianam, numquam iam timebo mulieres, inutile pondus, semper domi fixum.

Or. Sed vide, mulieribus etiam adest bellicus furor [3]), bene id nosti *πειραθεῖσά που*". Electra non intellexit totam huius sententiae vim, et data occasione incipit loqui de his quae passa est a Clytaemestra; tunc Orestes sicut olim chorus [4]) cum non est intellectus in similibus adiunctis: „Noveram *et haec*, sed cum *παρουσία φράζῃ* [5]) tunc operum horum commiscendum". — Pergit illa dicere omnia sibi tempora opportuna esse ut haec referat, „siquidem post tam magnas difficultates libertatem loquendi obtinuerit tandem..." — *Or.* Non equidem nego [6]); igitur firma [7]) (serva) illam. — *El.* Quid faciendo? —

---

ulla ostenditur causa cur ex. gr. exclamet Electra, quae exclamat v. 1265—1287. Cfr. KAIBEL pg. 53, PAULUS HOFFMANN. *De anagnorismo* (1910) pg. 15 sq., WILAMOWITZ T. v. op. l. pag. 212 sq.

1) Ipsa omnino singularis metrorum distributio congruit apprime cum cogitatibus quos explico; Electra lyricis versibus loquitur toto tempore, Orestes trimetris, tamquam qui non canit sed negotia sua transigit, et magna contentione.

2) Silentium requirit non metus a matre, sed natura rerum de quibus vult colloqui cum sorore; namque clamores quos nunc maiores elicit quam quos nuper in anagnorismo?

3) Si Orestes innuit Clytaemestram non id quia eam metuit facit, sed significat contra quam venerit; si, quod probabilius puto, innuit sororem, eius animum vult interrogare; id est, etiam mulieres possunt, et debent, bellicas res participare, experientia fortasse id nosti *πειραθεῖσά που*, (conata?) passa aliquid.

4) 854, et ipsa etiam Electra 850.

5) Vereturne etiam hic praesentiam chori? An haec illa *παρουσία* est quam expetebat Electra (948), et illud *φράσας*, quo dolus (197) hanc rem acturus praedicebatur? utrolibet modo potest verti: „quando praesentia favent, tunc..."

6) Iterum idem respondet quasi subiratus, cum Electra non videatur velle intellegere de quibus agat Orestes; cfr. 845. 850. 853. 1251: *ἔξοιδα καὶ ταῦτα*.

7) Saltem Electra (*τί δρῶσα*;) non intellexit hoc verbum sensu recordandi.

Digitized by Google

Or. Ubi (*οὗ*, vel *de quo*) non est opportunum, noli nimium loqui" [1]). — Iisdem denuo insistit Electra, se non cessaturam, siquidem viderit fratrem... — „Tunc vidisti, ait Orestes, quando dii me miserunt ut...", deest versus, quem ut omnes concedunt requirit stropha (cfr. 1244).

Eo versu aliquid magnum, et quidem maxime novum, de quo nulla fuerit ante mentio, dictum esse non dubitabit, qui quae Electra respondet legerit; dicit enim significans aliquid et magnum et latens: „commemorasti rem praecedenti multo maiorem; si qui deus te *in meam domum* [2]) immisit, divinum id equidem puto".

Quidquid illud erat quod Orestes dixit, Electram intellexisse iam de nece [3]) agi, planum est; iam de sua in facinore societate agetur, eodem etiam cauto sermone: *Or.* „Nolim quidem nimium tuum gaudium compescere, et tamen timeo te nimia laetitia exsultantem" [4]). Electra credit id significare Orestem solum sine ea acturum esse negotium: „O qui post tam diuturnum tempus dignatus es apparere hoc gratissimo

---

1) Habet utrumque sensum *οὗ*; hic etiam propter chorum est anxius. Cfr. Eur. *Or.* 638, 639: *ἔστι δ' οὗ σιγὴ λόγου*
κρείσσων γένοιτ' ἄν· ἔστι δ' οὗ σιγῆς λόγος.
V. etiam Eurip. 'Ινὼ fr. 417, Aesch. Προμ. πυρφ. fr. 208.

2) Quod deus aliquis eum miserit, id per se solum, nisi addatur quorsum id fecerit, nihil singulare addit felicitati Electrae, quae nihil hucusque locuta est de vindicta cum Oreste. Domum autem adire Apollo non *iussit* Orestem in fabula Sophoclea, sed quaerenti illi quomodo posset *ulcisci parentem*, respondit Phoebus „dolo et sua ipsius manu iustas neces exsequendo" (36, 37), quod bene interpretatus est Orestes significare se debere domum suam adire, et ideo mittit paedagogum qui viam in domum ei praeparet (38 sqq.); adeo igitur eius adventus cum internecione quae subsequitur est conexus, ut nonnisi instrumentum quoddam sit, quod Apollo elegit in eum finem; ergo si licet aliquid coniectura elicere, cum dixit „deus me misit", addidit *quorsum eum miserit domum*, eo versu qui periit.

Id intellexit perfecte Electra, et de secreto conscia et sollicita, respondet: „si te deus quis misit *in meam domum...*" Eur. El. 95 sqq.: *δυοῖν δ' ἁμίλλαν ξυντιθεὶς ἀφικόμην / πρὸς τέρμονας γῆς τῆσδε.. ζητῶν τ' ἀδελφήν..., ὡς συγγένωμαι καὶ φόνου ξυνεργάτιν λαβὼν τά γ' εἴσω τειχέων σαφῶς μάθω.*

3) Id manifestat tota eius agendi ratio porro.

4) Quem in finem velit eam minus exsultantem, et qua de re proinde hic agatur, aperte declarat ipse Orestes cum paulo post iam negotium exsequens iubet eam dissimulare laetitiam et antiquam tristitiam simulare (1296 sqq.). Nisi hic est sensus, valde inepta sunt haec verba.

Digitized by Google

itinere [1]), ne me videns ita laboriosam"...[2]) — *Or.* „quid vetas"? — *El.* „ne me prives dulcissima participatione tui... conspectus" [3]). — Orestes plane suffragatur: „Immo stomacharer, si alia te agentem viderem" [4]). — *El.* „Approbas ergo"? *Or.* „Quid ni?" — *El.* O dilectae (ad chorum), audivi quam numquam sperassem vocem [5])

...ἔσχον ὀργὰν
ἄναυδον οὐδὲ σὺν βοᾷ κλύουσα
τάλαινα· νῦν δ' ἔχω σε· προὐφάνης δὲ
φιλτάταν ἔχων πρόσοψιν...

Trocheus qui in primo versu periit, non constat quis sit. Si textus sanus est, potest ita verti: „continui [6]) iram meam silentio [7]) et sine ulla voce, dum dicebar [8]) misera; nunc vero habeo *te*, apparuisti autem dulcissimum gerens *conspectum* (*πρόσοψιν*), cuius ego ne in malis quidem oblita fuero".

His dictis iam in opus pergunt; post breve colloquium cum Paedagogo pulcramque eius recognitionem, domum ingrediuntur Orestes, Pylades, Electra, ut iam tandem quae constituerant

---

1) Haec *ὁδὸς* hic denotat eorum inceptum seu rem gerendam, ut Orestes dicit 1295: *ἐχθροὺς παύσομεν τῇ νῦν ὁδῷ*, et Electra 1318: *τοιαύτην ἡμὶν ἐξήκεις ὁδόν*.

2) Habet etiam latina vox duplicem sensum, tametsi voluit Cicero uni tantum significationi eam consecrare (Tusc. D. II, 15, 35).

3) *Πρόσωπον* habet sine dubio eandem significationem atque statim *πρόσοψις* (1286); est autem una ex abusionibus Sophoclis; si enim proprio sensu intellegimus, quid magis ridiculum? „nunc habeo te, venisti *autem* gerens dulcissimam faciem..."; quam aliam gereret? an mutabat facies ut larvas? — Significare igitur videtur „propositum", „plan"; petit Electra, admittat eam sociam facinoris.

4) Vertunt hunc versum „immo stomacharer si alii te impedirent"; quod durius videtur.

5) Praeterquam quod textum huius strophae audacter multi mutant, versiones violentissimas faciunt; vide aliquas collectas et reiectas a Jebbio, Append. v. 1281 sqq. Nullo modo potest ea „vox" significare primum nuntium et adventum Orestis; nimis longe illud abest; sed notat quod *nunc* audivit ex eo.

6) Cfr. *ἔχειν μῦθον* Od. 15, 445; *στόμα σιγῇ* Hipp. 660; *δάκρυα* Od. 16, 191.

7) Videtur significare se antea non ausam fuisse umquam de matricidio mentionem facere (cfr. v. 222); Jebb praeponit *οὐδ' ἄν* et mutat *ὀργὰν* in *ὁρμάν*. Bruhn intellegit illam *αὐδὰν* de nuntio mortis Orestis, hoc silentium *ἄναυδον* interpretatur cum Kaibelio de silentio quo tunc cum illud audivit est usa: „Ich hielt meine Empörung (gegen die Götter) zurück, so dass sie sprachlos war".

8) Cfr. Aesch. *Prom.* 868: *κλύειν ἀναλκὶς μᾶλλον ἢ μιαιφόνος*.

Digitized by Google

perficiant. Et chorus exitum iam imminentem videns breve stasimum et valde planum sensu concinit.

Non illud explicabo; id tantum dictum velim: putat chorus eos domum ingredi ut *dolo* rem exsequantur (1393—1397) id est, ut domi delitescant, et exspectent dum veniat Aegisthus qui tunc abest [1]); de Clytaemestra quae intus est [2]), nihil cogitat, nec eam credit occidendam, ita secreto res acta fuerat inter fratres [3]). Ideo paulo post, dum illi occidunt Clytaemestram et in scaenam regreditur Electra his verbis ad chorum: „viri peragunt rem, tu vero tacita exspecta". — „Quid ergo, ait miratus chorus, *nunc* [4]) quid faciunt? — Electra decipit chorum: „ipsa defert urnam in sepulcrum, ipsi vero *circumsistunt* eam. — *Chor.* Tu vero quorsum huc foras venisti? — *El.* Ut caveam ne Aegisthus nobis necopinatus ingrediatur". — Tum clamor pereuntis Clytaemestrae intus: αἰαῖ· ἰὼ στέγαι φίλων ἔρημοι, τῶν δ' ἀπολλύντων πλέαι et Electra ad chorum: „clamat aliquis intus; audistis, dilectae"? — „Audivi, ait chorus, *inaudita*, et exhorrui". Tunc totam rem demum intellexit. [5])

Hanc Clytaemestrae necem, quam antea non commendaverat, chorus non condemnat postea; sed, ea peracta, iam ad id quod semper habuerat in mente properandum esse ait: „cito corripite vos in vestibulum, et quoniam priora perfecistis, nunc iam haec". Ut silentio et dolo [6]) sit progrediendum, consilium ipse chorus dat; et tandem iam occiso Aegistho, suis moribus omnino consentaneo epiphonemate concludit, quo et labores toleratos a familia Atrei, et sui ipsius difficultates in tragoedia hac commemorat:

---

1) Δολιόπους ἀρωγός... Ἑρμῆς... δόλον σκότῳ κρύψας.

2) Id plane novit chorus 802, 1368; non minus scit Aegisthum abesse (310). Fecit haec Sophocles ut Aeschyli tragoediae memoria suscitaretur spectatorum animis (cf. *Choeph.* 674—885).

3) Nondum video omnino clare num ipsa Electra de *matre* occidenda quidquam intellexerit priusquam, domum ingressa, aperte locuta est cum fratre.

4) Nemo tamen, quod sciam, ullum sensum tribuit huic verbo. Ad hunc locum referebam, cum dicebam chorum antea numquam de Clytaemestrae nece fecisse sermonem.

5) Post haec verba Electrae (v. 1411 οἰκτιρε): ἀλλ' οὐκ ἐκ σέθεν ᾠκτίρεθ' οὗτος οὐδ' ὁ γεννήσας πατήρ confer illa v. 193 οἰκτρὰ μὲν νόστοις, v. 201 ὃ πασᾶν κείνα πλέον ἀμέρα.. et compara versus 1477.. 1479.. cum his quae ante praedixerunt chorus et Electra.

6) Ita credebat antea dolum parari.

Digitized by Google

ὦ σπέρμ' Ἀτρέως, ὡς πολλὰ παθὸν
δι' ἐλευθερίας μόλις ἐξῆλθες
τῇ νῦν ὁρμῇ τελεωθέν.

Non quod constantiae causa conatus sim verba sententiasque contorquere, nec quod voluerim fixam quandam et obstinatam thesin exstruere, sed quia diligenter vestigare chorum eiusque verba factaque qualia viderem ita describere contendi, coactus sum in hac tragoedia nonnulla paulo aliter interpretari, quam eam alii fuerant interpretati; et nonnulla fortasse quae Electrae imaginem credebantur iam ab initio facere taetram et atrocem, erepta sunt nisi fallor ab ea, exstititque sophoclea Electra minus quidem virilis sed multo magis humana, rectius dicam foeminea.

Maiores etiam mutationes passus est chorus, qui dicebatur nulla persona esse in hac tragoedia; si autem sunt vera quae disputavi, tam fixa, tam valida, tam constans persona est, ut exitus ab ea pependerit toto tempore, nisi quod in fine Orestes exsequitur rem.

Id me invitat ut de choro disputem quisnam sit; suntne illae *puellae* (*παρθένοι*), ut dicitur in hypothesi qualesque erant mulieres chori euripidei, an sunt foeminae mycenides aetate provectae?

Est sua utrique sententiae probabilitas; tot sunt hinc quot illinc auctores, tantaque utrobique auctoritate, quodque est magis mirum, iisdem saepe utuntur argumentis.

Non possum non assentiri eis qui illas iam grandes natu existimant; eorum enim argumentis haec, credo, possunt *addi*.

1°. Abstulit Sophocles ab Electra criminis propositum, dedit choro; illi lacrimas tribuit atque domesticas altercationes rixasque, huic vindictae non modo consilium, sed cohortationem, momentorum suggestionem, viae monstrationem, acerrimam, cum id nolit, reprehensionem. Sicut credidit Sophocles Electrae naturae minus illa convenire, ita vidit harum mulierum moribus haec esse consentanea; discrimen autem nisi aetas sit, quod esse potest, cum caetera omnia potius afficere et incendere Electram debeant, quam suas aequales quae nihil sunt inde passae? Ideo illae et temperationem et prudentiam commendant, et tam vehementer exardescunt (490 sqq.) ob turpia consortia.

2°. Et tamen, quamquam ita detestantur Clytaemestrae turpitudinem, numquam eius supplicii faciunt mentionem; solum

Digitized by Google

in Aegisthum irascuntur, solum hunc punitum optant et curant, quod facilius intellegitur si reginae quondam sociae fuere, quam si non eius sed Electrae sunt aequales.

3°. Ea sine dubio causa est cur Orestes tam non fidat eis, nec audeat de suo consilio sermonem apertum ante eas facere, velitque eis rem totam occultare.

4°. Sed quod est omnium praecipuum, vidimus ante ut Sophocles, in tragoediis illis quas de domo Labdaci habemus, senes posuerit in choro, ut cum ea quae tunc agerentur viderent, antiqua alia commemorarent; cum id hae etiam mulieres saepe faciant, non est dubium quin grandes aetate sint; multum enim eas delectat antiqua commemorare, et cogitatus de avitis calamitatibus et factis frequentius earum mentes insiliunt quam ut deceant iuvenes puellas. Id manifestum fit non tam ex locis quibus Aegisthi et Clytaemestrae crimen commemorant ut cum supplicio quod iam adventat conectant (193 sqq., 1384 sqq.), quam ex locis, qui quidem sunt multi, ubi totam familiam Atrei vel Pelopis uno veluti conspectu mente et oculis habere se portendunt. Pelopis πολύπονος ἱππεία earum mentes occupat cum, audito reginae somnio, vindictam iam proximam esse augurantur (505 sqq.). Cum mortem Orestis audiunt, totam iam gentem exstinctam dolent: [1])

φεῦ φεῦ· τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι τοῖς πάλαι
πρόρριζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος.

Et totam hanc ruinam meditatae, quasi conspexerint ut alius post alium defecerit in familia (Agamemnonis) Atridarum, „Vocem" mittunt in infernas domus illam tristissimam et ignominia plenam.

Postremo, in exitu tragoediae non tam Orestis et Electrae vindictam factam, quam Atrei familiam in pristinum decorem gloriamque restitutam canunt illis versibus:

ὦ σπέρμ' Ἀτρέως κτλ. [2])

1) 764 sq.

2) Obstabitne aliquid quominus iterum illa omnibus nota quaestio agitetur utrum Sophoclis Electra praecesserit an Euripidis? num illi et inventio sit tribuenda et perfectio, huic utraque neganda? Pauci sunt qui audeant clarum v. Bruhn sequi, qui contendit Euripidem a Sophocle fuisse correctum et emendatum. Satis multa possunt iis addi quae ipse affert momenta; ea tamen non est huius loci recensere.

Digitized by Google

„BRITTENBURG".

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

Ante aliquot annos nonnulli viri docti nostrates dedita opera quaestionem tractaverunt intricatissimam de locis, quae aetate Romana in patria nostra inter ostia Rheni et Mosae sita erant. Quam quaestionem retractare minime mihi in animo est, cum iis, quae v. d. A. W. Bijvanck exposuit in huius Bibliothecae volumine XLVI (anni 1918), p. 81 sqq., in universum plane astipuler. Unum tamen curiosos harum rerum monere velim.

In iis quas dixi dissertationibus agitur etiam de castelli cuiusdam, ab accolis Brittenburg dicti, fundamentis, quae saeculo XVI et postea in ipso mari prope hodiernum pagum *Katwijk* refluente oceano interdum visa sunt, et quorum imaginem auctores eorum temporum nobis tradiderunt. Hoc castellum Romanum fuisse et tunc, recte meo quidem iudicio, creditum est et nunc a multis creditur, cf. Bijvanck l.l. p. 94: „et nummi inventi tamen et tegulae et inscriptiones iam satis probant castellum fuisse Romanum prope pagum Katwijk hodiernum etiam ante aetatem Severi". Quam sententiam impugnavit v. d. J. H. Holwerda, qui castellum Romanum prope Rheni ostium exstitisse negat cum ob alias rationes tum quod fundamenta, quorum effigiem illae imagines servaverunt, Romani aedificii esse non posse putat. Postquam enim in actis

1) Cf. P. J. Blok, *Leidsch Jaarboekje* 1904, p. 1; J. H. Holwerda, W. A. Beelaerts, P. J. Blok, J. Huizinga, *Bijdragen voor vaderlandsche geschiedenis, 4e Reeks*, VII, a. 1909; J. H. Holwerda, *Berichte der römisch-germanischen Kommission* IV, a. 1908 (ed. a. 1910), p. 81.

Digitized by Google

quae dicuntur *Bijdragen voor vaderl. gesch., 4e Reeks* (1909), p. 10 eas apte sic descripsit: „*Alle teekeningen toonen ons een groot vierkant met ronde hoektorens, de meeste ook met ronde torens in 't midden der muren, binnen hetwelk een tweede vierkant van muren lag, die met de buitenmuren evenwijdig loopen; en daarbinnen weer een vierkant gebouw, door een dwarsmuur in twee gedeelten verdeeld*", ita pergit: „*Nu zijn ons echter alle mogelijke soorten van Romeinsche gebouwen van honderden latere opgravingen bekend; we kennen de legerplaats of de vesting met hun steeds wederkeerende regelmatige vormen; we kennen het woonhuis, de hoeve enz. enz.; doch geen enkel Romeinsch gebouw ons bekend, heeft een dergelijken vorm als we hier zien. Dat wat onze schrijvers ons hier teekenen, kan bijna geen Romeinsch bouwwerk zijn geweest*", et in opere cui titulus *Nederland's vroegste geschiedenis* (a. 1918), p. 103: „*die Brittenburggrondslagen... waarvan de oude teekening niets van die van een Romeinsche vesting heeft, maar sterk op het grondplan van een middeleeuwsch kasteel gelijkt*" [1]). Etiam Bijvanck, quamquam hoc castellum Romanum fuisse putat, tamen id ex eius imagine minime effici posse concedit, cf. quae dixit Mnemos. l.l. p. 94: „quae castelli effigies neque aetatis Romanae neque ullius quantum scio aetatis formas exhibet, ut ex ea effigie quidem minime efficere possimus, utrum arx fuerit castellum Romanorum annon".

Re vera si formas contemplamur eorum castrorum, quae a Romanis primis aerae nostrae saeculis tribus in utraque Germania et in Rhaetia, praecipue in limitibus Germaniae Superioris et Rhaetico, condita effossionibus hac aetate patefacta sunt [2]), manifestum est, ea cum castello, quod prope Katwijk saeculo XVI nonnunquam videbatur, nihil commune habere. Sed forte fortuna accidit, ut eodem anno 1918, quo Holwerda et Bijvanck castellum nostrum formam aetatis Romanae exhibere negabant, de iis urbibus et castellis, quae Romani prope

1) Cf. etiam quae dixit *Berichte der röm.-germ. Komm.* IV, p. 83: „*Diese Grundpläne zeigen m. E., dass wir es hier gewiss nicht mit Römerkastellen zu tun haben. Die hier gezeichneten Gebäude haben offenbar einer späteren Zeit angehört*".

2) Cf. e. g. imagines, quas praebet egregium volumen „*Germania Romana*", tab. 6—8.

Digitized by Google

Rhenum et Danuvium fluvios muniverunt saeculo aerae nostrae quarto, in opere cui titulus *Zehnter Bericht der römisch-germanischen Kommission*, p. 86—167 *(Spätrömische Kastelle und feste Städte im Rhein- und Donaugebiet)*, egregie egerit Eduard Anthes Darmstadtiensis, vir non solum in explorandis patriae suae antiquitatibus indefessus et strenuus, sed etiam animi suavis, venusti, festivi, quem paucis ante annis morte praematura studiis suis ereptum esse lugent omnes, quibus contigit ut eum cognoscerent, et quocum me quondam — cheu, fugaces, Postume, Postume! — Graeciam peragrasse semper meminisse iuvabit. In ea quam dixi dissertatione Anthes primum omnes urbes omniaque castella a Romanis seriore aevo prope Rhenum et Danuvium munita recenset et additis formis accurate describit, tum in universum exponit quae iis propria sint, et demonstrat fere omnibus in rebus ea a prioris aevi castellis discrepare, cf. quae scribit p. 156: „*Soviel aber ist sicher: die Befestigungen der Spätzeit unterscheiden sich nicht etwa nur in Einzelheiten von dem Lagertypus, den wir als Limeskastell zu bezeichnen pflegen, sondern sie haben alles in allem so gut wie gar nichts mit ihm gemein*".

Si vero formas castellorum Romanorum serioris aevi ab Anthesio publici iuris factas [1]) comparamus cum forma Brittenburgi ab auctoribus saeculi XVI delineata [2]), magnam inter eas similitudinem obtinere nemo non videt, quare equidem quin Brittenburgus castellum Romanum eius aevi fuerit nullus dubito. Ipsae grandes turres rotundae, quales Brittenburgum habuisse forma demonstrat et quae in castellis Romanis priorum aerae nostrae saeculorum desiderantur, saeculi quarti castella insigniunt. Compara quaeso exempli gratia Brittenburgi formam, qualis saeculo XVI picta est, infra subiectam [3]),

1) Nonnullas talium castellorum formas ex Anthesii opere selectas habes etiam in *Germaniae Romanae* tabula 27.

2) De iis auctoribus et quae cuique fides tribuenda sit accurate egit Blok, *Bijdragen* l.l., p. 279 sqq.

3) Haec imago desumpta est ex Hadriani Junii *Batavine* editione ea, quae ex officina Plantiniana prodiit anno 1588, p. 114. Junius expressit imaginem, quam Abrahamus Ortelius insignis geographus anno 1568 castelli inscriptionum aliarumque rerum inventarum in lucem dederat. De his aliisque Brittenburgi formis, quae adhuc exstant vel olim exstiterunt, cf. Blok l.l., p. 285 sqq., Bijvanck l.l., p. 94.

Digitized by Google

cum forma ex Anthesii disputatione p. 93 desumpta eius castelli, quod Divitiae (hodie *Deutz*) in ripa dextra Rheni ex adverso Coloniae Agrippinae aedificatum erat ad pontem defendendum, quo Imperator Constantinus Magnus utramque Rheni ripam ibi iunxerat. [1])

In universum inter utrumque castellum magnam similitudinem interfuisse ex imaginibus patet; hoc inter se discrepant,



1. Forma Brittenburgi (Hadrianus Junius, Batavia, 1588, p. 114).

quod Divitiae turres in orbes circumactae erant, Brittenburgus rotundas quidem turres habuit sed ab interioribus partibus apertas. Qua in re Brittenburgus cum ceteris serioris aevi castellis facit, cum Divitienses turres turribus urbium munitarum similes sint, cf. Anthes p. 158 sq.: „*Bei den Kastellen*

1) Ad Brittenburgi formam prope accedunt etiam formae castellorum, quae fuerunt in vicis hodiernis *Jünkerath*, *Bilburg*, *Neumagen*, cf. Anthes p. 103.

Digitized by Google

des einheitlichen Typus von Alzei, Kreuznach und Horburg finden wir ausnahmslos halbrund nach aussen vorspringende Zwischentürme und Ecktürme in etwa Dreiviertelkreis... Die besonders starke Feste Deutz nimmt auch hier eine eigene Stel-



2. Forma castelli Divitiensis (Bericht der römisch-germanischen Kommission X, p. 93.)

lung ein. Ihre Türme sind alle kreisrund wie bei den Städten, und treten gleichweit nach aussen wie nach innen vor" [1]).

Portam in imagine Brittenburgi frustra quaeras, quod non mireris, cum ea aetate qua picta est, non iam muri ipsi et

1) Cf. etiam quae dicit p. 95: „*In Deutz sind die Türme alle kreisrund, in der anderen Gruppe sind sie halbrund nach aussen gerichtet*".

Digitized by Google

portae castelli, sed fundamenta tantum superessent [1]), in quibus ubi portae fuissent non potuit non difficile esse visu, praesertim cum is, qui hanc formam delineavit, amator quidem antiquitatis fuerit sed non peritus archaeologus.

Post murum turritum exteriorem in forma Brittenburgi videmus alterum murum quadratum priori parallelum. Talis murus interior pari undique intervallo ab exteriore distans inventus est etiam in castello, quod fuit Altei (hodie *Alzei*), ab ipso Anthes effosso. Inter utrumque murum ibi erant cellae et cubicula, militibus et usibus domesticis destinata, cf. Anthes p. 112: „*Auf allen vier Seiten fanden sich im Innern an die Umfassung angebaut Mannschafts- und Wirtschaftsräume... Die innere, der Umfassung parallele Abschlussmauer der Anbauten hat o. 93 M. Stärke*", et vide huius castelli formam apud eum p. 110.

Aedificium quadratum bipartitum, quod in medio Brittenburgo exstitisse forma demonstrat, fortasse domus fuit praefecti castrorum et cum praetoriis antiquiorum castellorum comparandum est; fieri tamen potest ut seriore demum aevo ab iis, qui pulsis Romanis castellum occupaverunt, exstructum sit.

Quid sibi velint murorum ductus utrimque, illinc versus orientem solem, hinc occidentem, extra arcis aream procurrentes, non video; fortasse Brittenburgum cum aliis moenibus, quae in mari vicino olim visa sunt, iungebant [2]). Hadriano Junio muri illi extra castellum utrimque procurrentes cloacae videbantur fuisse, „per quas omnium purgamentorum receptacula, quicquid erat sordium, aquam admissam et castellis receptam, proluisse atque in mare exonerasse" suspicatur [3]). Quae opinio per se non absurda est, siquidem Anthes Altei talem cloacam invenit, cf. p. 111 i. f.: „*An der Stelle des*

---

1) Cf. Junius l.l., p. 113 de hac forma: „ichnographia e nudatis fundamentis fideliter expressa".

2) Cf. Blok l.l., p. 288: „*Verder vestig ik er de aandacht op, dat blijkens de verhalen bij Oudaen, Pars e. a. „een half mijl in zee" vóór Katwijk allerlei muurwerk op den bodem werd gevonden... Het is zeer wel mogelijk, dat deze muurwerkresten mèt die aan den mond van den Rijn een geheel hebben gevormd en wij dus in de laatste resten slechts een deel van de vestiging kennen*".

3) Cf. Junius l.l., p. 113 i. f.

Digitized by Google

anfangs vermuteten Nordtors fand sich ein schräg durch die Mauer laufender 2.30 M. breiter, 1.82 M. hoher (nach dem erhaltenen Ansatz der Wölbung berechnet) Entwässerungskanal, offenbar der an der tiefsten Stelle des Kastells gelegene Austritt der Hauptentwässerung".

Aetati, cui Brittenburgum attribuimus, optime convenit ex eius fundamentis plurima saxa ingentia eruta esse [1]), nam cum fossis, quae in antiquioribus castellis nunquam desiderantur, moenia castellorum serioris aevi praemunita non essent, in eorum fundamentis iaciendis saxa permagna adhibere solebant, cf. Anthes l.l. p. 157: „*Bei dem Fehlen des Grabens ist sie* (exteriores horum castellorum muros vult) *durchweg sehr tief fundamentiert und in ihren unteren Teilen vor Durchbrechung und Unterwühlung dadurch geschützt worden, dass man besonders umfangreiche Quadern einfügte*".

Brittenburgus castellum fuit non ita magnum, nam universi operis quodlibet latus complexum esse ducenos quadragenos pedes (nempe Rhenanos, metros igitur hodiernos circiter quinos septuagenos) nobis traditum est [2]). Castellorum, quae Anthes descripsit, nonnullis latera sunt metrorum circiter 165, eaque igitur Brittenburgo non paulo maiora sunt; sunt tamen quae longitudine laterum proxime ad eum accedant et eo vel paulo maiora vel paulo minora fuerint [3]).

Cum inter Brittenburgum et castellum Divitiense magnam similitudinem obtinere viderimus, utrumque eodem fere tempore conditum esse suspicor. Divitiae, suppressis domitisque Francis, in eorum terris castellum faciendum curavit Imp. Constantinus Magnus ipse praesens anno circiter 310 p. C. n., cf. Anthes p. 93 sq., Corp. Inscript. Latin. XIII 8502 (= Riese, *Das rheinische Germanien in den antiken Inschriften* 308; Dessau, *Inscript. lat. sel.* 8937); eidem igitur imperatori et eidem fere aetati etiam Brittenburgum ascribere velim. Accedit

---

1) Cf. Junius l.l., p. 113: „Saxa ingentia e fundamentis eruta, quae vidi, quaternos pedes [Rhenanos sc.] longa ferme erant, ternos crassa, quae anno MDLII ad quadraginta numero refossa annotavi".

2) Cf. Junius l.l..

3) Cf. castella apud vicum *Escheuz*, Anthes p. 134; apud *Irgenhausen*, p. 137; apud *Schaan*, p. 140; apud *Isny*, p. 144; apud *Eining*, p. 146.

Digitized by Google

quod e locis nonnullis Panegyricorum qui dicuntur, a v. c. Blok, *Bijdragen* l.l., p. 277 sq., apte laudatis, scimus Constantium Constantini Magni patrem „Bataviam a diversis Francorum gentibus occupatam omni hoste purgasse" (cf. Incerti Panegyricus Constantino Augusto dictus 5, 3, p. 204 ed. Guil. Baehrens), ab ipso Constantino in Rheni ripa sinistra per intervalla castella disposita esse (l.l. 11, 5, p. 209), „totum armatis navibus Rhenum instructum esse et ripis omnibus usque ad Oceanum dispositum militem imminere" (l.l. 13, 1, p. 210), alarum et cohortium castris toto Rheni limite restitutis (cf. Eumenii pro instaurandis scholis oratio 18, 4, p. 260). Fieri potest ut castellum a Constantino conditum ab Imperatore Valentiniano instauratum sit, nam secundum Ammianum Marcellinum XXVIII 2, 1 (quem quoque locum Blok l.l. attulit) Valentinianus anno 369 „Rhenum omnem a Raetiarum exordio ad usque fretalem Oceanum magnis molibus communibat, castra extollens altius et castella, turresque adsiduas per habiles locos et oportunos, qua Galliarum extenditur longitudo".

Quominus aetati Constantinianae Brittenburgum attribuamus non obstat quod ex eius ruinis inscriptio valde mutila protracta est, e qua effici posse videtur castelli muros imperante Septimio Severo anno 205 a vexillariis legionis I Minerviae restitutos esse [1]). Nimirum saeculo quarto in exstruendis castellis lapides vetustiorum aedificiorum usui adhuc accommodatos usurpare solebant, cf. Anthes p. 157: „*Ein sicheres Kennzeichen für spätrömischen Ursprung einer Festungsmauer bilden die fast überall angetroffenen Ueberreste älterer Skulpturen, Grabsteine und Architekturteile*" [2]). Certum igitur est iam ante imperantem Septimium Severum ad ostium Rheni prope Katwijk castellum Romanum fuisse, quod a Severo instauratum postea — a Francis opinor, cum Bataviam occuparent — dirutum est. Francis a Constantio victis et Batavia ab eo hostibus purgata cum Rheni limes a Constantino restitueretur,

1) Corp. Inscript. Latin. XIII 8828 (= Riese 166); cf. Bijvanck, l.l. p. 93 sq.

2) Cf. etiam quae de castello Divitiensi dicit, p. 95: „*Ältere Baumaterialien, Inschriften und Architekturteile, haben sich zu verschiedenen Zeiten in den Fundamenten der Westfront vermauert gefunden*".

Digitized by Google

in diruti castelli locum, adhibitis quoad fieri potuit antiquis lapidibus, aedificatum est novum, quod per saeculum fere Romani tenuerunt et fortasse tum demum reliquerunt, cum praesidia Romana ineunte saeculo quinto a custodia Rheni discedere iussa sunt. Gentes, quae tum has regiones occupaverunt, aedificium munitissimum, quale ipsi exstruere non poterant, non funditus dilapidasse sed ad usus suos convertisse per se veri simile est [1]), ideoque factum esse puto ut ex eius ruinis non tantum res aetatis Romanae sed etiam medii quod dicitur aevi extractae sint. Fortasse etiam muri, quos in Brittenburgi forma in medio castello delineatos videmus, partim non a Romanis sed posteriore demum aetate aedificati sunt [2]). Postremum nescio quo tempore, superante mari quod patriae nostrae litora ad occasum solis spectantia semper lacessit et paulatim in orientem recedere cogit, castellum ab incolis relictum undis harenisque mersum est, quod ut paulo accuratius cognoscerent solis saeculi XVI eruditis contigit, eorum qui nunc vivunt homines atque aevum agitant, neque spectavit quisquam neque spectaturus est.

In fine huius de Brittenburgo disputationis breviter de alio castello Romano in patria nostra sito agere mihi liceat, nempe de eo cui nomen fuit Flevum, quo anno p. C. n. 28 Olennius Frisiae praefectus rebellantes infensosque Frisios fuga praeveniens receptus est, cf. Tacit. Ann. IV 72 i. f. Credebatur hoc castellum nescio quo loco in Frisia situm fuisse, sed Holwerda suspicionem protulit, nomine Flevi id castellum designari, quod apud hodiernum vicum *Vechten* non longe a Traiecto iam imperatoris Augusti temporibus exstitisse effossionibus demonstratum est, unde Drusi et Germanici expeditiones maritimas profectas esse, hodiernum enim *Vecht* esse fossam

---

1) Idem factum est in castello Divitiensi, cf. Anthes p. 94: „*Dass Grundriss und bauliche Einzelheiten ziemlich gut erforscht werden konnten, ist dem Umstand zu verdanken, dass das Kastell als starke Feste bis ins Mittelalter fortbestanden hat*".

2) Idem suspicatus est Blok, l.l. p. 287: „*Ik merk op, dat wij niet weten, hoe lang de burcht nog bestaan heeft, voordat zij door het water en het zand bedekt is. Het is zeer goed mogelijk, dat oorspronkelijk Romeinsch bouwwerk door latere bewoners van Batavia aanzienlijk vervormd is geworden*".

Digitized by Google

quae dicitur Drusianam [1]). Hoc quidem etiam meo iudicio Holwerda Ritterlingium [2]) secutus recte statuit, sed castellum Flevum eo loco fuisse ubi nunc est *Vechten* minime credo. Iam Holwerda ipse monet huic vico saeculis aerae nostrae secundo et tertio nomen fuisse Fectionis, suspicaturque igitur castello, quod saeculo primo hic exstitit, aliud nomen fuisse atque vico, in quo munitum erat [3]). Quamquam non negandum est fieri posse ut castello et vico diversa nomina indita sint, per se veri simile id non est. Porro castellum Flevum prope Flevum lacum situm fuisse quivis credat, sed Fectio ad Rhenum sita eo loco unde fossa Drusiana ad lacum Flevum declinavit, multum ab eo lacu distabat. Postremum castellum Flevum eodem loco quo Fectionem situm fuisse me quidem iudice eo non potest quod de eo castello Tacitus l.l. haec dicit: „et haud spernendum illic civium sociorumque manus litora Oceani praesidebat". De Fectione vico in regione ab Oceano longe remota sito hoc dixisse Tacitus

---

1) Cf. Holwerda, *Bericht der röm.-german. Kommission* IV, anni 1908 (ed. a. 1910), p. 86: „*Ein solcher Hafen an diesem Orte* (sc. apud hodiernum *Vechten*) *ist aber nur dann zu erklären, wenn wirklich von hier aus ein Seeweg gegen Norden hin vom Rhein abzweigte. Darum scheint mir auch Ritterlings Vermutung einleuchtend, dass die Vecht, welche eben bei Vechten aus dem Rhein in die Flevussee führte, dieser Seeweg gewesen, und dass die Kanalisation derselben die Fossa Drusiana gewesen*", et p. 87: „*Dieses Kastell* (Flevum sc.) *aber, wohin Olennius von den Friesen bedroht sich flüchtet, scheint mir vielmehr dasjenige zu sein, von wo aus die Züge ins nordische Germanenland unternommen wurden und worauf man sich wieder zurückzog und aus den Worten Tacitus', dass die Hilfsarmee* „Rheno devectum", *nachdem sie die Belagerung von Flevum schon aufgegeben fand,* „ad sua tutanda degressis rebellibus", *zu den Friesen geführt wird, möchte ich eher schliessen, dass es nicht in Friesland selbst gelegen. Die Vermutung liegt also auf der Hand, dass dies Castellum Flevum die uns jetzt bekannte Operationsbasis für die Züge ins nordische Germanenland, unser Vechten gewesen sei. So würde dieses Castellum, die Flottenstation am Eingang des Drususgrabens, welcher in die Flevussee führte, selbst Castellum Flevum geheissen haben*". Eadem exposuit *Nederland's vroegste geschiedenis* (a. 1918), p. 128.

2) *Bonner Jahrbücher* CXIV, p. 179.

3) Cf. Holwerda, *Bericht* l.l., p. 87: „*Allerdings führt die bürgerliche Niederlassung hier, die die Inschriften aus dem 2. und 3. Jahrh. uns nennen, den Namen Fectio* (C. I. L. 8815, = Dessau 4757) *aber darum konnte doch das Castellum, ausserdem ein gutes Jahrhundert früher, doch sehr wohl einen andern Namen getragen haben*".

Digitized by Google

non potest; patet sermonem esse de castello propius Oceanum munito. Si quam coniecturam audere velis, suspicari possis castellum Flevum in lacus cognominis ripa septentrionali situm fuisse eo loco, ubi fluvius, qui hodie maris sinus factus servato tamen nomine *Vlie* dicitur, e lacu Oceanum versus profluebat [1]), nam ita cum nomen castelli intellegas tum Tacitum dicentem a militibus illuc considentibus litora Oceani praesideri. Sed hae merae coniecturae sunt; id utique demonstrasse mihi videor, Fectione castellum Flevum situm fuisse non posse. Neque vero mirandum est, imperante Tiberio in ipsa Frisia castellum Romanum fuisse, nam quantus numerus Romanorum fuerit ea aetate in Frisia consistentium e Tacito discimus Ann. IV 73 i. f. narrante per hanc ipsam rebellionem nongentos Romanorum apud lucum, qui Baduhennae vocabatur, confectos, et aliam quadringentorum manum occupata Cruptorigis quondam stipendiarii villa, postquam proditio metueretur, mutuis ictibus procubuisse. Etiam lapis Beetgumianus, quem deae Hludanae conductores piscatus posuerunt (Dessau, Inscr. lat. sel. 1461), et tabula emptionis Tolsumiana a Vollgraffio publici iuris facta (Mnemos. N. S. XLV, a. 1917, p. 341), quam equidem Tiberii aetati attribuere velim (Mnemos. N. S. XLVI, a. 1918, p. 201), quanta fuerit Romanorum in Frisia frequentia demonstrant.

Frisii rebellantes appropinquante L. Apronio Inferioris Germaniae legato Augusti pro praetore obsidionem castelli Flevi solverunt (Tac. Ann. IV 73), sed cum paulo post Apronius a Frisiis cladem acceperit et inde natio Frisiorum Romanis infensa aut male fida esset (Tac. Ann. XI 19), verisimile est castellum tunc a Romanis relictum esse. Corbulo cum anno 47 Frisios subiecisset, praesidium in Frisia immunivit (Tac. l.l.); fortasse antiquum castellum Flevum ab eo instauratum est. Sed eodem anno imperator Claudius praesidia

1) Cf. Mela III 2, 24 (Rhenus) „haud procul a mari huc et illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiamnum et donec effluat Rhenus, ad dextram primo angustus et sui similis, post ripis longe ac late recedentibus iam non amnis sed ingens lacus ubi campos implevit *Flevo* dicitur, eiusdemque nominis insulam amplexus *fit iterum artior iterumque fluvius emittitur*". Cf. etiam Plinius, Nat. Hist. IV 101.

Digitized by Google

cis Rhenum referri iussit: certum igitur est, ab hoc anno utique castellum Flevum esse desiisse, nam quod Ptolemaeus II 11, 12 φληούμ nominat, minime demonstrat, eius tempore hunc locum, nedum in eo castellum Romanum exstitisse.

Ad Euripidis Medeae vs. 11.

Noto hic locus vitio laborat cui emendando multi operam dederunt. Prudentior omnibus ipse poeta, qui non ἀνδάνουσα μὲν
φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα
dederit sed
λαγχάνουσα μὲν
φ. π. ὧν ἀφίκετο χθόνα
sic diserte vulgo hominum obloquens qui omnino negent in melius res humanas mutari. Contrarium illo auctore hactenus Medea docuit quae suo exsilio nihil perdiderit, exsilio enim nacta est (atque adeo nanciscitur) cives (meliores quam quos antea habebat) et de coniuge quod dubitaret non habebat.

Cf. si structurae exemplo etiam opus est Alc. 560:
αὐτὸς δ' ἀρίστου τοῦδε τυγχάνω ξένου,
ὅταν ποτ' Ἄργους δίψιὰν ἔλθω χθόνα.

I. I. H.

Digitized by Google

AD HORATII EPIST. I, XIX, 28.

SCRIPSIT

I. S. PHILLIMORE.

Pauca liceat de eo uersu scribere quo uix alter in Epistulis difficilior extat.

Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus.....

Nam quamuis Bentleium, qui primus acumine solito rationem loci explanauerat, totus ferme interpretum grex secutus sit, restat tamen in quo haereas. Is quidem docuit hanc esse orationis seriem: *Sappho musam temperat pede Archilochi*; quippe hanc, non aliam, seriem flagitare non modo sensum sed „legem uersus et collocationis normam": illud cuiusuis legentis esse ut agnosceret, hoc „nemo" inquit „uti credo, praeter poetas aut in poetis uersatissimos". Igitur aliquid de intima arte innuere uisus magnus ille auctor tamen nullus praestat quod promisit. Nam cum ne satis quidem apte loqui sibi uidebantur diserti Romani si non traiectione uerborum uterentur, tum poeticus uel plurimum decor in hac parte positus esse putabatur. De qua re unus tibi sit pro omnibus testis qui *ad Herennium* scripsit (lib. IV, XII, 18; XXXII, 44). Sed siue peruorsione siue traiectione uti libuerat, illud cauebant ne rem obscuram redderent. Atqui haec Horatii uerba adeo obscura euaserunt ut ante Bentleium interpretes uulgo ratio fugerit; ipse autem cum sic flagitante sensu construenda esse euicerit, idem nihil excusationis attulit cur poeta obscuritatis reus absolui posset. Obscure enim scripsit si aliud sensus, aliud uerborum collocatio suadet. Diu autem multumque dubi-

Digitized by Google

tatum est num sic magis ordinanda essent: *pede mascula Sappho temperat Archilochi musam.* Quid enim hoc prohibebat? Explorata, inquit, argumentatio. Ut fatear istuc, tamen instabo; cur non ordinem quoque uerborum sententiae indicem fecit? Adeone deterius sonabat, si sic:

Temperat Archilochi pede musam mascula Sappho?

Certe non abhorruit ab his numeris siquidem alibi

foret huic ut Mucius ille
bene solis esse maritis
nisi quid te detinet, audi
iuuat illum sic domus et res

scripsit. Quod si hic non fecit, ipsa res documento est factum non oportuisse. Nam quis credat illum hic potissimum dum gloriatur, dum coronam sibi poscit, commissurum fuisse ut ab inuidis obscuritatis crimine premeretur? Fuit igitur, fuit aliquid in ipsa Latinitate quod obstaret quominus uerba secus construere liceret. Lex quaedam dicendi e latibulis eruenda est.

Ergo si est ut haec duo uocabula *temperat musam* necessitate quadam inter se pertineant, tum demum, quocumque modo ordinem perturbaueris, sensus nil mutatur, nulla fit obscuritas. Quod genus ὑφ' ἓν uocant grammatici, scilicet ubi alterutrum uerbum non sine altero plane intelligi potest: ita arte uelut in unam dictionem coeunt.

Multa huiusmodi cuiuis statim succurrunt paulo Latinitatis peritiori: qualia sunt *animum-aduertere*, *pedem-ferre*, *uerba-facere*, *nauem-frangere*, *ruinam-facere*. Fac autem sic scripsisse Horatium: Sappho aduertit Archilochi animum....., Sappho tulit Archilochi pedem....., Sappho fecit Archilochi uerba....., Sappho fregit Archilochi nauem....., Sappho fecit Archilochi ruinam....., nemini non palam erit non Archilochi animum, pedem, uerba, nauem, ruinam nominari sed proxime subiectum iri quo ille genetiuus referri debeat; sententiam enim sic (ut puta) explendam: Sappho aduertit *Archilochi* animum *ad carmina*, Sappho tulit *Archilochi* pedem *e domo*, Sappho fecit *Archilochi* uerba *causa*, Sappho fregit *Archilochi* nauem *similis*, Sappho fecit *Archilochi* ruinam *studio*. Nam ea est harum locutionum ratio ut nemo alterius animum aduertere dicatur, nec nisi ipse ambulans pedem ferre, nec uerba nisi loquendo

Digitized by Google

facere, nec nauem nisi suam frangere, nec ruinam nisi ipse corruat facere; cum tamen nemo suum animum, suum pedem, sua uerba etc. dixerit.

Si igitur ad hoc genus illa quoque locutio *musam-temperare* pertinet, nihil turbatum est ordine per artem poeticam mutato, nec per Horatium licuit ut uerba perperam a lectore coniuncta male procederent: intelligens enim sermonis Latini sine dubio agniturus erat duo uocabula κατὰ τμῆσιν collocata necessario ὑφ' ἕν construi oportere. Locutionis lex, non uersus. Porro autem facile crediderim hic ubi Sappho inducitur, Latine extulisse Horatium aliquod uerbum Sapphicum. Quid enim est *musam temperare*? Plane non, ut Orellius uolebat, *immiscere*, sed potius (quod uir ille doctissimus Paulus Lejay probat) *regere*, *gubernare*, *morem ei imponere*. Ita saepius posuit noster: *Carm.* I, VIII, 7; I, XII, 16; III, IV, 45; IV, XII, 1; *Epist.* II, II, 187. Non tamen ut speres illam potissimum uocem superesse in tantulis Sapphicarum uocum reliquiis. Ceterum nolim te fugiat, cum apud Graecos plura essent uerba, qualia μυσίσδω, μουσόομαι, μουσοπολέω κ. τ. λ., apud Latinos nullum extare sic compositum; itaque, quo tale exprimeret, fore ut aliquam lexin ad hoc exemplum Horatius figuraret quale est illud *musam temperare*.

Quare statuendum esse uidetur eam inesse in ipsa locutione necessitatem ut statim, quamuis interposito Archilochi nomine transgressio facta esset, tamen legentes recte accipere cogerentur.

Quodsi cui longior in re exponenda fuisse uidebor, breuitati non nimium studui, ne ipse fierem obscurior dum obscuritatis crimine Horatium liberare conor.

Digitized by Google

DE GROTII SOPHOMPANEA.

SCRIPSIT

C. VAN VOLLENHOVEN.

1. Grotius cum, mense Martio anni 1621 ex arce Lupestena elapsus, in Gallia exsul morabatur, per quattuor illic annos exspectabat donec rerum in Hollandia status mutaretur interiretque Mauritius, quod accidit m. Aprili anni 1625. Inde laeta eum alebat spes Fredericum Henricum illum fore prioris imperii victimis „salvatorem Nassovicum" quem vaticinatus erat Vondelius. Annis qui secuti sunt multa dabant animum: in pace vivebant Utenbogardus Episcopiusque, qui a. 1626 redierant; nemo obstiterat quominus Remonstrantium aedes a. 1630 Amstelodami exstrueretur; negotia exhibebat nemo septem Remonstrantibus illis pastoribus, qui e carcere Lupesteno m. Iulio a. 1631 effugerant; consederantque eodem illo anno lites controversiaeque de religione omnes. Tandem m. Octobri a. 1631 id quod diu meditatus erat perfecit, neglectoque acerbo illo decreto, quod m. Maio a. 1619 fuerat pronuntiatum, Lutetia Roterodamum, Delphos, Amstelodamum rediit. Quem habuerit eventum res novimus omnes: non minus periculi plenam se ei Hollandia annis 1631 et 1632 praebuit quam fuerat a. 1621. Ergo m. Aprili a. 1632 Amstelodami navem conscendit exterosque petit, idque Hamburgum, quae urbs in medio triginta annorum bello a neutris steterat partibus. At hic et Dochinshudae ad Albim et mox in ipso Hamburgo, cum nullum haberet quid ageret quid moliretur consilium, cum nullo sustentaretur reditu dispersaque eius esset familia, cum maximo suo detrimento est

Digitized by Google

expertus quid esset vitae annos perdidisse undecim (inde a vitae anno 38° usque ad 49um). Non divino consilio sed hominum manu vitam suam sentit fractam dissipatamque; integros menses viginti exigit quibus nullos vita eius alacris et sedula vidit demissiores et omnium rerum desperationem propius accedentes. Tres illi anni „Germanici" (a. 1632 ad 1635) notati sunt sterilitate in homine, cuius fuit proverbium *ruit hora*, perquam mira et vix credibili: recte observat vir clar. Fruinius in doctis illis quas exhibuit diarium, cui „Gids" nomen, disputationibus de Grotio et Maria, quas, si nonnullis annis postea scriptae essent, laetiora de Grotio narraturas fuisse sumere licet, illic eum desedisse in otio tantum non perfecto et omnis laboris experti. Nullum enim e maioribus eius libris deberi annis Hamburgensibus. Annotant tamen Fruinii operum variorum editores (ex ipsius Fruinii annotationibus) excipiendam esse *Sophompaneam* tragoediam Latinam anni 1634 de Iosepho satrapa Aegyptio qui cum fratribus rediit in gratiam.

2. Sophompaneae, quantum video, tempus hoc Hamburgensis desperationis vulgo assignant. Grotium illum, quem desidem esse suorum librorum suarumque chartarum cogebat inopia (quasi vero non in arce Lupestena miracula edidisset sua fretus memoria, paucis adiutus libris qui identidem ad eum mittebantur), Grotium illum tempus Hamburgense trivisse aiunt seque delectasse primum Euripidis vertenda Iphigenia Taurica, quae numquam in lucem publicam prodiit, deinde nova scribenda tragoedia de argumento sacro, ipsius Euripidis exempla secutum et praecepta Aristotelica. Iam 18 annos natus, ut otium suum solaretur, *Adamum exsulem* fecerat (1601), aetatis anno 25 *Christum patientem* (1608), nunc aetatis annus 51 *Sophompanea* explet triada dramatum biblicorum. In hac serie mere literaria Sophompaneas commemoratur a biographis: a Casparo Brandtio (a. 1727 et 1732), Burignio (a. 1752 et 1754), Ludeno (a. 1806), Vreelandio (a. 1917). Burignius eo procedit ut dicat Grotium, Hamburgi si gravius quidquam invenire potuisset, aliud quaesiturum fuisse quod magis ipsius aetati fuisset accommodatum, Ludenusque illud iudicium ultro reddit acerbius demonstrando non ingenio eius, creandi cupido, tragoediam natam sed ex ipsa rerum natura, quae Grotio alio usu temporis inter-

Digitized by Google

dixerit. Aliis quoque auctoribus — quorum Crassius videtur[1]) a Grotio a. 1635 perfectam absolutamque tragoediam, cum Parisiis legatus ageret, coniecisse — Sophompaneas nil fuit nisi celebre illud opus dramaticum quod a. 1635 Amstelodami in lucem prodierit, eodem anno bis ibidem prelo sit subiectum[2]), annis 1639, 1645 et 1670 Lugduni Batavorum et Amstelodami iterum editum inter *Poemata omnia* (non separatim), latine ut videtur semel tantummodo scenae commissum (ab athenaei Dordraceni alumnis a. 1660), sed iam a. 1635 ab ipso Vondelio in nostrum sermonem translatum et ornatum hoc titulo: *Sophompaneas sive Iosephus aulicus*, ad Royardii tempus usque probatum populo et saepius actum quam ullum, si Gysbrechtum excipias, drama Vondelianum, vivo Vondelio duodecies et postea sexies separatim editum, superstite Vondelio undeseptuagies scenae datum. Pertinere ergo Sophompaneam ad Grotium poetam, non ad Grotium politicum, ad desidem et desperantem, non ad agilem illum strenuumque. Eane opinio viris historicis probari potest?

3. Conamina quibus a. 1634 a Suecicis effectum est ut Grotius ad causam Suecicam pertraheretur, licet certa fide et accurata rerum notitia hic illic careamus, ducta esse per biennium (ut minimum dicamus) constat. Quin etiam non temere coniicitur iam ipsum Gustavum Adolphum per Salvium qui tunc Hamburgi „residebat" ad res Saxonicas et Westphalicas pro Suecia procurandas eiusmodi aliquid tentasse. Sed mox fulguris instar percrebruit fama de rege apud Lutzenam die 16 m. Nov. a. 1632 pro causa communi occiso. At brevi intervallo idem ille Salvius ad Grotium transmittit epistolam Oxensternii, Berolini scriptam amicitiaeque plenam, qua magnus ille cancellarius Grotium invitat ut secum ad deliberandum congrediatur. Sequitur ad invitationem illam responsum nil certi promittens — quem cursum tota res habuerit minime apparet —, et licet ex epistola, quam Grotius mense Maio 1633 in Galliam misit, eluceat eum adversus Galliae regem nullo se vinculo obstringere velle, nec tamen spem de Gallia

1) In *Laudatione Hugonis Grotii* (a. 1796).

2) Roggei *Bibliotheca Grotiana*, I, 1883, pp. 54—55. Editio prima et tertia apud Blavium, editorem celebrem Amstelodamensem, secunda plagium literarium Ianssonii qui fuit Blavii vicinus ille famosus (usque ad Blavii migrationem a. 1637).

Digitized by Google

mox revidenda omittere, eadem permanet dubitatio anxietatis plena; eandem cognoscimus ex epistola quam m. Augusto 1633 ad Gulielmum Grotium scripsit — in qua legitur et illud πεινῶ γὰρ μηδὲν τὸν βίον ὠφελῶν —; sub hiemem a. 1633 repetita esse videtur Suecica invitatio, sed tunc nihil aliud legimus nisi stomacho laborare Grotium. Grotii dubitatio praeter spem reditus in patriam, varia amicorum consilia et Suecicorum consiliorum incertam fidem haud dubie illam quoque habuit causam quod nesciebat num posset abrumpere vinculum quod ipsum cum Hollandia iungeret, et quod metuebat molestias, quae legato Suecico sibi essent subeundae apud magnum illum sed perfidum cardinalem Riceliacum.

4. At m. Octobri a. 1633 res bene procedere videtur. Eo enim mense Maria Hugonem suum visit, Hamburgum iterum ex Hollandia profecta ut cum eo de communibus deliberaret consiliis. Nam ex epistola, quam ad fratrem d. 8 m. Novembris 1633 misit illa, et ex iis, quas scripsit Grotius ipse mensibus Novembri et Decembri, subito sonus auditur laetior, quem diu non audiveramus quique desperationi Hamburgensi facit finem. Quodsi illa effecit ut tandem aliquando res serio agi videretur, illa iterum salutem attulit marito. Prolatando enim corrumpi omnia poterant. Dubitari enim non potest quin consentiant inter se Suecia, quae ad se Grotium invitat, Gallia, quae praebuit hospitium, Hollandia, quae et nunc ei est carissima omnium. Si nunc consilium Suecicum suum habet eventum, post quindecim annorum segne otium spes allucescit non solum vitae publicae et negotiosae sed etiam qua ne Grotius quidem ullam vidit utiliorem utpote qua communi Europae consulet paci Sueciam cum Hollandia ad certum foedus adducendo. Tunc enim tragoediam inchoatam esse, quae m. Aug. a. 1633 nondum commemoratur sed m. Febr. 1634 iam erat perfecta, est verisimile: „tragoediam recens mihi natam" eam nominat Grotius ipse in epistola d. 11 m. Martii a. 1634. Quid quod ab eo tempore ea est vicissitudo inter consilium Suecicum et Sophompaneam quam alternare inter se videmus Didericos et Florentios primos Hollandiae nostrae comites. M. Ianuario a. 1634 nova a Suecia invitatio, m. Februario eiusdem anni quod perscriptum erat ad Vossium mittitur. D. 8 m. Martii a. 1634 ad fratrem

Digitized by Google

Gulielmum se anxium fatetur Grotius de Sueciae tergiversationibus, de suae tragoediae sorte d. 11 m. Martii a. 1634 ad Vossium. Sub finem m. Aprilis a. 1634 Grotius Francofurtum iter facit ut cum cancellario rem ad finem perducat, sub finem m. Maii Francofurto Vossium ut librum imprimi maturet hortatur. D. 11 m. Iulii a. 1634 fratrem suum et per illum Ordines Principemque edocet se a magistratibus Suecicis legatum creatum, d. 15 m. Iulii a. 1634 tragoediam Vossio dedicatam signat. D. 8 m. Ianuarii 1635 Moguntiaco proficiscitur ad sedem sibi Lutetiae destinatam, quo m. Martio eiusdem anni advenit; m. Aprili vel Maio a. 1635 in lucem prodit Sophompaneas ille tam diu exspectatus.

En totam rei de qua agitur historiam externam quae dicitur. Quae satis iam declarat quam sit parum probabilis, ne plane absurdam dicam, opinio eorum qui censent a Grotio tragoediam illam factam tempore desidiae inertis. Quod contra est: reditus ille ad pristinum vigorem et ardorem animi arte cohaeret cum reditu — et qualis ille fuit! — ad vitam toti Europae tam salutiferam.

5. At magis etiam interna historia tragoediae eiusmodi commendat vinculum. Non quod Grotius cogitare potuerit de semet ipso pingendo tamquam qui et Sophompaneae et Grotii redderet imaginem, vel de condenda tabula quae, ut illa Vondeliana Palamedem Barneveldiumque, sic Iosephum Grotiumque inter se opponeret, sed tragoediam iterum iterumque legentes non possumus non suspicari ad Iosephum suum adductum esse Grotium eo quod tantam haberet similitudinem sua sors cum veteris illius Hebraei condicione quodque Genesis narratio tam insigni eum consolaretur mutatae vitae exemplo. Privatus ille et contemnendus civis post quindecim annos rerum adversarum plenos iam iam futurus est vir politicus quem multi suspiciunt populi; pauperculus ille aliorum hospes, quem precario alunt bibliothecae alienae, statu splendebit magnifico; innocens ille, quem sua in exsilium misit patria eandem illam patriam ultro sibi devinciet fortiter pugnando pro communi Europae pace a qua Hollandiae pendet salus. Et, quod maximum est, ne fingi quidem posset invitatio illa Suecica, si intra patriae fines se continuisset Grotius, hospes rerum quae alienigenas moverent

Digitized by Google

homines. Non ergo mali illi anni 1619 iudices, non Ordines anni 1632 in exsilium eum pepulerunt, sed Deus ipse eum ante eos dimisit; illi cogitaverunt de eo malum, sed Deus vertit illud in bonum [1]). Exsul ille, qui in epistola m. Decembri a. 1631 patriae maledixerat verbis usus Scipionis: „nec ossa quidem mea habebis", Dei voluntatem repercussam videt antiqui illius Hebraei imagine, exemplo illo sacrosancto se sustentat, iam pudet eum siquod eum exagitavit odium, iam mentem suam alio conversam declarat biblico dramate incluso versibus. Quamquam haud diffitemur aliquas hic partes egisse delectationem literariam; solum esse dramatis argumentum rem politicam suamque non contendimus.

6. Lutetiaene degens Grotius iam vir politicus et multorum populorum agens negotia Riceliaci imitari debebit exemplum, viri illius fraudulenti? Iam ipsa dedicatio rogare haec videtur. Nosti, ait, amicissime et praestantissime Vossi, Mosem „in legum sanctissimarum vestibulo" sibi licere arbitratum esse iuxta tres patriarchas exemplum ponere etiam „viri in imperio versantis, virtutibus non tantùm domesticis, sed et publicè profuturis egregii" ideoque ita Iosephum depinxisse [2]) ut nullum alium decessorem sibi fingeret quam ipsum illum Iosephum, multum ab illis remotus magistris artis politicae „qui nobis quoties figurare virum *principem* volunt, ponere solent hominem compositum ex dolis malis ac perfidia, Deique ac legum omnium, tum communium, tum cuique populo propriarum obdurato contemtu". Iosephus ille de quo Vondelius a. 1640 erat dicturus: „Iosephus si paulo clarius fuisset locutus, quantum miseriarum saepe fuisset evitatum", Iosephus ille Aegypti satrapa non potestatem se nactum esse opinatur nisi ut ea utatur tamquam humile Dei instrumentum:

Rerum parenti maximas grates ago
Laudesque summas, quod Phari trepidis volens
Consulere rebus me voluntati suae
Legit ministrum ....

---

1) Geneseos 40: 15; 45: 5, 7, 8; 50: 21; Psalm. 105: 17.

2) Grotius ipse inter fontes suae tragoediae nominat: Philonis Iudaei vitam *politici* seu de Iosepho (Βίος πολιτικοῦ, ὅπερ ἐστὶ περὶ Ἰωσήφ).

Digitized by Google

7. Nonne metuendum est ne Grotii mores corrumpantur magnificentia illa qua carere non potest legatus Sueciae ad primam totius Europae aulam missus? Ad hanc quaestionem hoc dat responsum ipsa tragoedia. Satrapa Iosephus vel maiorem tulit magnificentiam sed ea usus est tamquam officio sibi imposito, non tamquam fastus praetexto, omnem metuebat arrogantiam quemadmodum testatur actu primo:

inter ea quae regiis
Parenda iussis, fulgor est qualem exigit
Persona vitae: qui micans oculos tenet
Animosque plebis: *utor hoc ego, non fruor.*

Quique sua vitia probe nosset ipse poeta Iosephum suum idem repetentem facit ad Manassen filiolum: Si tu, mi fili, (ait) umquam ad celsiorem locum vocatus eris,

Tum fastus absit, mentis inflatae tumor...
Si dignitas tua laesa, si damnum datum,
Da facile veniam...
Dat ipse se facilibus exorabilem,
Suaque lege quemque metitur Deus.

In sacra scriptura nusquam, ut mihi videtur, causa est cur tantum illi loco praebeatur ponderis; Macropedii et Libeni et quicumque praeterea Iosephum in scenam induxerunt non ii fuisse videntur qui sic drama suum exornaverint.

8. Ecquid Grotius, Sueciae minister, sponte fiet adversarius rerum quae sunt e re Unitarum Provinciarum? quod si fiet nonne multis videbitur ultionis cupidus? Epistulae quas d. 11 m. Iulii a. 1634 ad Ordines et Principem scripsit clare contrarium testantur. „Ita ut", haec ipsa eius verba sunt, „Sueciae, quemadmodum spero, Regis et populi commodis inserviens, simul me non inutilem praebeam Hollandiae eiusque sociis pro quorum salute, simulque pro vestro, viri amplissimi, regimine felici, Deum Omnipotentem precari nunquam desinam". Hac quoque in re viam monstravit Iosephus, qui, Pharaonis numquam immemor, simul tamen salutem suis Hebraeis attulit:

Nec munere una vivit Aegyptus meo:
Et *Syria* nostram postulat supplex opem.
...Qui cuncta fecit, cuncta qui vigili Deus
Oculo intuetur, nilque sine cura sinit,

Digitized by Google

Et eminus consilia disponit sua,
Vobis futurum sospitatorem *ac patri*
Praemisit huc me.

Et quo quid sibi velit sentiatur melius, Grotius qui ceteroquin fideliter sacram scripturam sequitur, huc transfert verba quibus Iosephus se fratribus ignovisse declarat, quae in Genesi post Iacobi mortem demum sequuntur, iisque in primo et in quarto actu suum sibi praebet pondus atque momentum:

Ego ira fratrum mihi quod intendit necem,
Meque illa mercem fecit et duram dedit
In servitutem, *deleo ex animo omnia*,
Ad lenitatem natus, a sancto patre
Ad eam institutus, et malis exercitus.

Nunc omnis taceat ira propter vincula Hagae Comitum sibi iniecta, abeat nunc metus carnificis, sileatur de arce Lupestena et de Mauritio:

Ex animo procul
Dothan minaeque mortis et tristis specus,
Et Arabes abeant. Somniis constat fides.
Satis hoc: nec aliud maius a vobis volo.

Quid quod et parvulus ille Benjamin — quem Grotius certos locos e sacra scriptura et traditam historiam secutus puerulum facit qui tremit cum solus est relictus in aulae conclavi magnifico (actu tertio) quique comam suam ceream mulcendam praebet (actu quarto) —, ipse ille parvulus denuo paulisper loquens inducitur ut verbis facundis fratres doceat civibus ex animi sententia ignoscendi officium etiam repraesentari ipsius patris Iacobi exemplo.

9. Haec autem, quae hucusque sunt disputata, nil probant praeter hoc: *potuisse* Grotium, cum tragoediam suam componeret, duci rebus, aut *verisimile esse* eum ductum esse rebus quas ipse esset expertus. Duo tamen praebet indicia drama quae illam speciem haud leviter augent.

Prius illud pertinet ad annorum numerum, qui Iosephum Memphide fratribus ignoscentem separat ab illo qui fratrum culpa omne malorum genus perpetitur. Ab altera parte hoc observetur, in vincula esse coniectum Grotium m. Augusto a. 1618, scripsisse vero tragoediam sub finem a. 1633, ergo liber-

Digitized by Google

tate per 15 annos caruisse. Ab altera notetur disertissime declarare Genesis librum inter tempus quo Iosephum conveniunt fratres et Dothanicum illud intercessisse 22 annos; atqui Iosephus, cum abducebatur, 17 annos natus erat, cum satrapa creabatur 30, sequuntur anni septem fertilitatis, et duo sterilium istorum, ergo Iosephus cum fratres alloquitur annos 39 natus est. Tamen Grotius in prima editione (actu quarto) satrapam declarantem inducit se 15 annis fratres numquam aspexisse:

Quam vestra fratres colla, non visi mihi
Totos per annos quindecim, amplecti libet.

Consulto a Genesis narratione hic recessisse Grotium quis credat? Errorem suum iam m. Februario a. 1634 deprehendit et legere vult „Plus quàm per annos bis decem", editio tertia (secunda editio Blaviana) habet:

Totos per annos bis decem, amplecti libet.

At mihi primae editionis illud „quindecim anni" sic demum explicandum videtur ut Grotius vel septem annos fertilitatis neglexerit vel ut sui eum anni 15 in errorem induxerint; huius vero „dilemmatis" quod aiunt prius membrum utique respuendum mihi videtur.

Alterum indicium, de quo modo dicebamus — non fugit illud Grotii interpretem Anglum, Franciscum Goldsmith, qui suum edidit Sophompaneam a. 1652 —, ad Grotium attinet maritum. Plane neglegitur aut dissimulatur Asnethe illa de qua Genesis narrat, sed tragoediam qui legit fugere non potest tragicum omnem arripere occasionem ad laudandam vel uxorem sui immemorem:

Asnethe nitido sola iacens thoro,

vel matrimonium omnis felicitatis causam:

Fortunata domus, quam parili fide
Indivulsa regit copula coniugum,

vel mariti indivisam fidelitatem:

Unam totus amat.

Sic chorus quartus in memoriam vocat recentius illud Vondelianum carmen „Waer werd opreghter trou" hisce vocabulis:

Hinc est coniugii fides
Omni federe sanctior.

Haud facile hic quisquam a se hanc repellat suspicionem:

Digitized by Google

„nonne Maria quoque fuit cui hanc sortis mutationem, hoc malorum omnium effugium debuerit Grotius?" Simulque reputet una cum Sophompanea iterum prelo esse submissam illam ad Franciscum Thuanum „Silvam" hexametris illis numerosis agentem de arce Lupistena, de arca, de Maria, quibus ex omnibus Grotii poematis fortasse nullum est magis poeticum, certe nullam quod magis sumptum sit ex ipsa poetae vita, magisque referat ipsius cogitationes. [1])

10. Sed quocumque modo se res habet, coniecturae nostrae de Grotio in Sophompanea *suae* mentis anxietates depingere, Grotium Parisios iter facientem *sibi* satrapam Pharaonis proponere tamquam imaginem quam imitetur et quam ipsa ei exhibuerit historia, eius coniecturae *argumentum* tantummodo peti posset ex aliqua epistola Grotii ipsius vel e verbo quod ei exciderit. At quominus eiusmodi aliquid eloqueretur virum nobilem et honesto loco natum ipsa urbanitas retinere poterat: ergo in epistola qua m. Februario a. 1634 opus suum Vossii iudicio submittit hoc solum dicit, nescire se quo modo ad tertiam illam tragoediam sit delapsus: „ex Graecorum" ait „lectione, nescio quo modo, eo sum perductus". Adesse debuit spes praeclara ipsum Grotium cogendi ad negandum vel affirmandum aliquid cum Vondelius sub finem a. 1635 suam versionem in lucem edebat, nam Vondelius probe sensit quae ratio inter Sophompaneam ipsiusque Grotii vitam intercederet. In prooemio ad „Iosephum aulicum", quam tragoediam m. Octobri a. 1635 vertit, cum Grotius iam sex menses Lutetiae in summa degebat rerum copia, Vondelius haec scripsit [2]): „dum ego versus interpretor et versuum exitus inter se adapto et eo negotio mirifice delector, saepe mihi in mentem venit in tragoedo revixisse Iosephum vel tragoedum Iosephi vestigia esse secutum". Sed hanc coniecturam, quam ego veram esse censeo, Vondelius non est persecutus; cum a. 1637 Gysbrechtum suum Grotio dedicat, ne verbo quidem eam tangit. Sic et Casparus Brandtius, cum Vondelii insignem illam sententiam

1) Cf. Schroeteri *Beiträge zur Geschichte der neulateinischen Poesie Deutschlands und Hollands* 1909 pp. 248—251.

2) Cf. et Vossii dictum „Iosephi sui instar" in epistola eius ad archiepiscopum Cantuariensem, 8 Augusti 1635 (pp. 361 infra).

Digitized by Google

affert, nihil inde efficit, nihil discit. Quid vero Grotius? Nota est et saepe citatur sententia, quam, fama versionis Vondelianae accepta, scripsit ad Vossium, sed, quod mirum videatur, ad Vondelium ipsum eiusque iam in lucem editam interpretationem nusquam vestigium apparet, quo respiciatur ad Vondelii coniecturam quam in illo prooemio erat prolocutus. Sic nos spes effugit quam iam conceperamus de Grotio ipso audiendo.

Sed effluxerant quattuor anni, et nobis nil tale exspectantibus illa redit. Nunc tamen non ipse Grotius in causa, sed filius eius natu minimus Didericus (Crayenburch). Iam per tres annos in armis fuit ille in Germania, militabatque in glorioso exercitu Bernardi ducis Vinariensis, in cuius fuit proximo comitatu, cum morte admodum subita, m. Iulio a. 1639, satis iuvenis ille dux communi Protestantium causae eripitur. Quid nunc agat Didericus? Iam supra facultatem habui monendi, quomodo Iosephus in primo actu Manassen puerum humilitatis admoneat. Sed praecedit aliquid; Iosephi praecedunt verba:

> Ades Manasse, si tibi quondam viro
> Pars se aliqua regni credit, Aegyptus tibi
> Sit patria: sic est merita. benefactis data
> Remunerare.

Atqui ubi dubium facit Vinariensis mors iuvenem Didericum ita ut deliberare incipiat ecquid forte se offerat ad militiam capessendam pro Provinciis Unitis, Grotius epistola ad Gulielmum fratrem missa et fratrem et filium ne illud faciat obtestatur sed se conferat ad Vinariensis successorem et heredem marescallum Bannerium. Sed quibus verbis hic Grotius utitur? „Mementote" sic est in epistola „illud in Sophompanea: Aegyptus tibi sit patria; sic est merita. Suedia nobis patria est. Ei vitam nostram dicare debemus, ab ea honores mereri et exspectare. Magna est Bannerii virtus... Exercitus Suedici multi sunt: multa loca: multa spes..." Et ad argumentum ex causa Diderici alterum argumentum accedit. Grotius — id quod ex epistolis annis 1643 et 1644 datis apparet — sibi persuasum habet olim se ad Ordines scripsisse se munere Suecico accipiendo Hollandiam cum Suecia mutasse, civem se factum Suecicum; sed in ipsis anni 1634 m. Iulii epistolis nihil ex hoc genere legitur, sed legitur in loco Sophompaneae

Digitized by Google

quem supra citavimus quique quinque mensibus prius scriptus est. Ita Grotius suam causam cum Sophompaneae causa communicat atque confundit.

11. Quodsi nunc mihi disputationis meae adstringendus sit nodus iterumque in utramque partem sit quaerendum, utrum Sophompaneas scriptus sit ad taedium pellendum an propter animi laetitiam e spe renata ortam, nullone modo ista tragoedia ipsius vitae curriculum prodat an artissime cum eo cohaereat, me iudice ét factae eius absolutaeque tempus ét ipsum argumentum ét locutiones quibus interdum Grotius usus est, eos refellunt qui nil hic cernunt nisi desperationem et studium delectationis literariae, et pro mea pugnant coniectura laetam hic apparere eius qui tragoediam scripsit spem futuri et totam cohaerere cum rebus quas Grotius est expertus.

12. Quae si conclusio mea vera est, ecquid sic proficimus ut rectius de tragoedia iudicemus? Nil, ne quid dissimulem, in hoc genere proficimus. Nam quamvis intellegamus quantum intercedat inter veteris et hodiernae linguae usum in re poetica [1]), et laeti concedamus fieri potuisse ut haec tragoediae latinae imitatio Vondelium amantiorem rei dramaticae redderet, tamen, praesertim cum de Shakespeariano quod 20 vel 40 annis maius est opere cogitamus, Sophompaneam pluris facere non possumus quam doctum et arte factum poema, licet nos quoque ut patres nostros deleniat detineatque dulcis illius semperque sonorae Latinitatis sonus [2]) felixque saepe compositio.

An sic aliquid proficimus ad nostrae patriae, vel totius Europae historiam melius cognoscendam? Nihilo magis.

---

1) L. Muelleri *Hugo Grotius als Latijnsch dichter beschouwd* 1867 pp. 44—49; L. Muelleri *Geschichte der klassischen Philologie in den Niederlanden* 1869 pp. 191, 195—211.

2) L. Muelleri 1867 pp. 55—56, 1869 p. 198. Neque Hoeufftii *Parnasus Latino-Belgicus* 1819 pp. 129—134: Grotius), neque Hofmanni Peerlkampii *Liber de vita doctrina et facultate Nederlandorum qui carmina Latina composuerunt* 1838 (pp. 325—336: Grotius) neque Schroeteri *Beiträge zur Geschichte der neulateinischen Poesie Deutschlands und Hollands* 1909 (pp. 223—252: Grotius) de Sophompanea ullum facit verbum.

Digitized by Google

Sed hoc lucramur, sic certe mihi videtur, quod viri magni mores melius intuemur et ingenium eius nobile suo aestimamus pretio. Laetam illam phantasiam ante oculos habens seque videns iam Suecicum magistratum suo tamen Hollandico populo non minus profuturum quam Hebraeis suis profuerat Iosephus, subito nunc post biennium dubitationis plenum, novi laboris tam appetens ut vel Oxensternius ei tardior (*βοείῳ ποδί*) ire videatur, Grotius nihili facit quindecim illos annos turpis exilii, et etiam Hamburgensem istam miseriam contemnit, haud praesagiens decennium illud iam iam futurae potentiae tanto maiorem allaturum tristitiam et tam acerbum adversus suos et amicos et ipsam patriam frigus ut mox iam, a Christina revocatus cum esset Grotius, vitae illius, inanis sed tam laeta quae promiserat, vix alius finis vel fingi possit quam inutilis reditus, immatura mors, lectus ab omnibus desertus, exsequiae amore et desiderio carentes.

Additamentum I.

Ex epistolis Grotii, ad Grotium, de Grotio.

18 Januarii 1633, Lugduni Batavorum, Salmasius Vossio (*Salmasii Epistolae*, I, n° 37).

.... Mirum etiam mihi visum est Hugonis nostri silentium qui integro jam cum dimidiato hoc anno vertente non solum nihil litterarum dedit, sed ne quidem mentionem ullam mei fecit in his litteris, quas ad communes amicos scriptitavit....

16 Februarii Kal. Nov. 1633, Amstelodami, Vossius Merico Casaubono (*Vossii Epistolae*, I, n° 195).

.... Is [Hugo Grotius] nunc Hamburgi agit; non dubito, quin illi tristissimus fuerit nuncius, de excessu fortissimi Suecorum Regis. Nam ab eo amabatur et aestimabatur. Imo Rex jam in mandatis non uni dederat, qui cum eo colloquerentur, ut operam et consilium suum sibi addiceret. Pretium offerebat, quale Legatis dari solet, uti ex fidis hominibus accepi....

9 Aprilis Kal. Nov. 1633, Hamburgi, Grotius Vossio (*Epistolae quotquot*, n° 315).

.... Uxor meliora sperando diem de die ducit: interim labi-

Digitized by Google

tur aetas, tempus praeterit, vereor ne et occasiones quae se nobis hinc, illinc offerunt, effluant, miserum est diu pendêre...

3 Augusti 1633, [Hamburgi,] Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 322).

....Ego hic in mira solitudine vivo, homines enim etiam literati sunt ἀκινώνητοι. Etiam hoc taedium facilè devorarem, si libros et schedas omnes haberem. Possem enim moliri aliquid publico utile, mihi non inglorium. Ea cùm desint, nunc demum mihi captivus videor. πεινῶ [1]) γὰρ μηδὲν τὸν βίον ὠφελῶν....

8 Februarii 1634, [Hamburgi,] Grotius Vossio (*Epistolae quotquot*, n° 337).

Expertus pridem, Vir praestantissime, quàm difficile esset Tragoediae et leges implere et virtutes assequi, opus primum puerili impetu in Adamo tentatum exsule: juvenili deinde audacia in Christo patiente resumptum, intermisi ad hanc usque aetatem, desperatione assequendae laudis, nunc cùm in eam partem vitae devenerim, quae ut venae est minus uberis, ita aliquem profectum judicii solet ostendere, ex Graecorum lectione, nescio quo modo, eo sum perductus ut rem, quam difficilem judicandam, experiendam tamen, ducerem. Pro Graecis fabulis sacram sumsi historiam insignem eo quod περιπέτειαν habet et ἀναγνωρισμὸν; mitto ad te, veterem meorum operum censorem, primùm ut videas, deinde ut si non displicet, ex Blavio [2]) nostro discas, velitne editionem suscipere, sed forma paulo augustiore, quali olim prodit Heinsii Auriacus [3]), additis ne librum parvitas sua dedeceat, sacris poëmatis antehac editis, et purgatis nunc ab erroribus quos annotatos mitto. Mallet forte Blavius omne opus poëmatum à me recognitum et Gallicanis foetibus auctum praelo dare: sed quo minus talem editionem nunc moliar multa me retinent, quorum aliqua facilè tua conjectura assequetur, inspecto salo in quo adhuc sunt res meae, quae efficiunt ut domi inimicos habens alios alibi parare non debeam. Προσφώνησιν ad Megistanum aliquem [4]) mittam

1) Vir doct. P. C. Molhuysen legi vult: πονῶ. Locus graecus non repertus est; vir doct. J. M. Fraenkel conferri iubet Aeschyli *Prometheos* vs. 342 sq.

2) Blaeu; editor et typotheta Amstelodamensis (p. 344 supra).

3) Danielis Heinsii tragoedia „Auriacus", de principis Gulielmi caede agens, a. 1602 Lugduni Batavorum edita.

4) Significat ipsum Vossium.

Digitized by Google

propediem, nisi renuncies Blavio non integrum esse hanc editionem parare ad mercatum Francofortensem. Video omnia mea in Germania ab omnis fortunae hominibus quaeri, quo magis spero vendibilem librum et hic fore, et in Gallia, Anglia, Polonia....

17 Februarii Kal. Nov. 1634, Hamburgi, Grotius Vossio (*Epistolae quotquot*, n° 338).

Misi nuper ad te, virorum et amicorum optime, Tragoediam à me novam Sophompaneam in qua quid mutandum censeas, tuum, ut soleo, judicium exspectabo, unius interim loci in quo error est calculi, corrigendi labore te levabo, is est Actus quarti scena prima, ubi in Josephi jam fratribus patefacti verbis sic posueram

nec visi mihi
Totos per annos quindecim amplecti libet.

Cùm scribere debuerim

Plus quàm per annos bis decem.

Nam ut scis 17 ferme annorum cùm esset venumdatus est Josephus. Anno aetatis suae tricesimo factus, ut Romani loquerentur, Praefectus praetorio. Inde septennis foecunditas Aegypti et biennis fames facilis collectio....

11 Martii Kal. Nov. 1634, Hamburgi, Grotius Vossio (*Epistolae quotquot*, n° 341).

Nuper ad te, Vir clarissime atque optime, tragoediam quandam recens mihi natam miseram, per praesidiariae navis praefectum Coddium qui nunc ad nos reversus est. Miseram etiam per Hertochfeldium loci unius emendationem. Exspecto autem primùm judicium tuum, ut, si quid mutandum censes, mutem: deinde et illud, an ibi edi possit, alioqui alium, minùs certè idoneum, Typographum in Germania quaesiturus. Voluissem potuisset edi in tempus mercatus Francofurtensis, id nunc video vix esse ut obtineatur. Causa autem festinandi mihi non fuerat alia, quàm quod ex promisso dedicandi operis aut opusculi alicujus reus tenerer: et in jure cautum habeamus, plus eum solvere qui citius solvit....

23 Martii 1634, Amstelodami, Vossius Grotio (*Vossii Epistolae*, I, n° 197).

....atque haec eo etiam lubentius commemoro, ut causam

Digitized by Google

videas cur plurimis literis tuis non responderim. Quarum postremis partim mihi Tragoediam misisti tuam, partim significas, ut locum quendam corrigi velis. Simulac eas accepi, quia ipse exire non poteram, per filium arcessivi Blauwium: Qui velle se excudere dixit, sed negabat id ullo modo ante proximas nundinas Francofurtenses fieri posse. Addebat, nec se, nec alium habere literas qualibus Auriacus excusus, sed visurum quae proximè accederent. Juro, nisi festinato opus putares, Francofurto tales procuraturum, quales petis. Video ejus praelum fervere plurimis, pluraque sub manibus habere; quare vix puto, ante duas hebdomades orsurum editionem: nempe ubi ea absoluta, quae Francofurtum mittere cogitat. Sed ulterius si moram nectat, non patiar. Nec sanè is est qui calcaribus egeat, praesertim in tuis; unde certum lucrum: nisi vicinus Jansonius, ut solet, minoribus excudat typis, quo minori pretio divendat...

16/26 Maii 1634, Francofurti, Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 330).

....Literae tuae, Frater optime, quas 24 Aprilis et quas 5 Maji ad me dedisti, ad me transmissae sunt Francofurtum, quò diu invitatus ab illustrissimo Cancellario tandem veni. Excepit is me perbenignè...

28 Maii 1634, Amstelodami, Vossius Grotio (*Vossii Epistolae*, I, n° 228).

....Hesterna die iterum legi Sophompaneam tuum; sed non sine multis lachrymis. Nec enim mihi cornea fibra est. Movebar argumento ipso, de certissimis scripturarum fontibus hausto, et à te tam graphicè nobis expresso. Movebar quoque recordatione Authoris, magni sanè totius orbis eruditi, praecipui item, si non unici, Belgicae ornamenti: cui ubivis potius, quam in Patria, maximis à se beneficiis affecta esse licet...

3/13 Julii 1634, Francofurti, Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 330).

Vides, mi Frater, literas quas ad Principem et ad Hollandos scripsi.... In mea re Cancellarius progreditur *βοείῳ ποδί* [1]).

---

1) Plutarchi *Quaestiones Graecae* 36 (locum repperit vir doct. P. C. Molhuysen).

Digitized by Google

Omnes eum dicunt bonae esse fidei: quod si est nostra optimè se habebunt...

15 Iulii 1634, Francofurti, Grotii *Sophompaneae* dedicatio ad Vossium (in ipsis tragoediae editionibus necnon *Epistolis quotquot*, n° 348).

....Tantis virtutibus tuis, et in me meritis, eximium aliquid muneris debebatur: sed cùm disjectis hactenus chartis librisque meis sedem certam constituere nondum potuerim, eoque nec operam majoribus imponere ultimam et irrevocabilem manum; memor interim humanorum casuum, solvendo adhuc impar, pignore tamen vel exiguo dato, testari volui quantum quamque libenter deberem...

2/12 Augusti 1634, Francofurti, Grotius Vossio (*Epistolae quotquot*, n° 339).

....Sophompaneam nostrum tibi non displicuisse, quin et nostri in ea lectione tibi non resuscitatam quidem, neque enim dormire eam apud te unquam credidero, sed acriore sensu impressam memoriam, est quod mihi gratuler. Sollicitudinem tamen pro me nimiam deponas, velim. Prospicient mihi Deus et magnus Cancellarius, nostri supra meritum aestimator. Esse in patria qui mihi non desinant optima optare, hoc quoque inter solatia est. Ejusdem patriae incommodis indoleo, maximè cùm video et pacem illis displicere et vix esse unde bellum gerant...

5 Septembris 1634, Amstelodami, Vossius Meursio (*Vossii Epistolae*, I, n° 236).

....Suum enim Sophompaneam nomini dicavit meo. De Josepho se aperiente fratribus in Aegypto Tragoedia est. Qua nihil omni hoc seculo eo in genere divinius scriptum puto. Editionem ejus proximo mense ordietur Blauwius: Et tuorum simul operum quae dilata quidem hactenus: sed testis ego esse possim, quòd nihil hic segnitie vel socordia sit peccatum, sed solum ob nimium vicinum, qui omne commodum incommodo non Blauwii solum sed etiam publico intercipere conatur, recudendis confestim quae maxime placent...

11/21 Septembris 1634, Francofurti, Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 336).

....De me adhuc videbimus. Ego non dubitabam quin hoc

Digitized by Google

mercatu habituri essemus Tragoediam meam cum sacris. De iis quae addenda mones, vix quicquam video dignum sacris adjungi, nisi fortè natalitia mendis liberata. Minimè verò illud de Deipara [1]). De Baptismi expositione fiat quod vultis. Quid si silva ad Thuanum addatur? nam et ejus pars ad sacra pertinet. Cogita cum D. Vossio. Ad Vossium epistolam inscripsi Romano more, ut et ad Regem: existimavique quae ei debentur praeconia ita liberaliter in epistola posita, ut in ejus fronte non desiderarentur... Si unquam agitur Sophompaneas noster, vestitus Aegyptiaci, Aethiophici [sic], Palaestini petendi essent à Salmasio...

5 Aprilis 1635, Lutetiae, Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 341).

.... Iosephus spero hoc Paschate prodibit: miror pridem nihil me de eo intelligere....

15 Maii 1635, Amstelodami, Vossius Grotio (*Vossii Epistolae*, I, n° 258).

....Ac propemodum metuo, ne ista legens, fortasse rideas... Et verò cum multa variaque meum hoc officium sint morata, nihil aequè tamen ac illud, quod de Sophompanea, ac caeteris poematis sacris, certi aliquid respondendum putarem, ac de hebdomade in hebdomadem, à Blauwio rejicerer. Nihil aeque mihi grave in talium genere fuit, quàm quod sic eluderet, ut neutiquam satisfacere postulatis tuis possem. Bene interim, quod tandem se exsolvit, nec inelegantibus Typis excudit, et ut emendate excuderetur, mecum providit: si quid tamen oculos fugerit, vel melius nunc occurrerit tibi, quàm prius, velim perscribas, ut saltem editione ea, quae minoribus Typis sequetur, corrigatur. Non dubium enim quin vicinus Jansonius, uti in opere tuo de Jure Belli fecit, ita haec etiam poemata minori forma divulgare cogitet. Huic malo non aliter occurrere Blauwius posset, quam Typis itidem exiguis, sed elegantioribus recudendo... Sophompaneae XX. Exemplaria fratri tuo tradidit Blauwius, decem melioris, totidem vulgaris chartae. Caetera ad te utriusque chartae mittit; sed plura missis, si voles, à Bibliopola accipies. Nam si benè Blauwium novi, non

1) Cf. Grotii *Epistolae quotquot*, appendix, nis 85 et 114.

Digitized by Google

is est, qui ad exemplaria paucula attendat. Ipse ex duodecim exemplaribus, quae mihi pro opera debet, in Angliam aliqua mittam: uti Junio, Casaubono, aliis; ante omnes Reverendissimo et Illustrissimo D. Archiepiscopo. Quod tantus [1]) egregium animi foetum nomini meo dicaris, et antea multum solatii attulit filium lugenti, et nunc magnitudinem beneficii hujus cogitanti, summam adfert voluptatem. Quare quod antea etiam feci, iterum, iterumque meo, et meorum nomine nunc facio...

25 Maii 1635, Amstelodami, Vossius Salmasio (*Vossii Epistolae*, I, n° 260).

....Grotii eximii Sophompaneam credo, vel jam acceperis, vel paucissimis diebus accipies à fratre ejus Guilhelmo Grotio Hagensi Jurisconsulto. Sin is cessarit, non committam ipse ut diutius frauderis. Maximae mihi voluptati fuit, quod intelligerem bonis omnibus laudatissimum virum non ab Illustrissimo Oxensternio modo sed à Regno Suecico missum ad Regem Christianissimum...

26 Maii 1635, Hagae Comitum, Gulielmus Grotius Salmasio (Vollenhoven, *Broeders gevangenisse*, 1842, pp. 42, 63—64).

Prodit tandem, Nobilissime Vir, diu desideratus fratris foetus, quem in superiore Germania conceptum, inferior sero nunc demum partu, edit. Ejus exemplum ut ad te mitterem jam diu est cum frater mandavit: accipe igitur ejus munusculum, et pauculas hasce a me litteras, non ornandi muneris, sed testandi officii mei causa, additas. Quo applausu Sophompaneas a doctorum choro excipiendus sit nescio, neque enim, ut olim ille [2]), divinus sum; certe tibi, quo majorem aetas nostra censorem non habet, argumentum vel hoc nomine placiturum confido, quod livoris dentem cum Sophompanea non semel sis expertus: qui tamen ut illi [3]) ad dignitatem regi proximam promovit gradum, ita et te ad summum claritudinis evexit fastigium...

26 Maii 1635, Amstelodami, Vossius Meursio (*Vossii Epistolae*, I, n° 261).

....Addo et Sophompaneam maximi et tui amantissimi Hugonis Grotii. Quod eo facio lubentius, quia mihi operam

1) Legatur: tam. 2) Ipse Iosephus. 3) Ipsi Iosepho.

Digitized by Google

hanc suam consecravit. Certus sum multum voluptatis tibi attulisse, quod homo Batavus suis ante neglectus, nullo merito suo, nunc Deo propitio ad illud fastigii decus sit evectus, ut legatus sit Regni Suecici ad Christianissimum Regem ...

28 Iunii Kal. Nov. 1635, Lutetiae, Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 347).

Sophompaneas ubi moretur nescio. Dudum est quod de eo mihi scripserat Vossius, missosque libros significaverat, quos tamen nec vidi, nec ubi sint accepi.... De Tragoedia nostra quae sint judicia amicorum, inimicorum, eruditorum, vulgi scire aveo ...

2 Augusti Kal. Nov. 1635, [Lutetiae,] Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 350).

Libros quos nuper desiderare me scripseram Tragoediae nostrae accepi non ita multò post... Quandoquidem verò Blavius in minori forma aliam parat editionem, ne ei praeripiat lucrum πῆμα κακὸς γείτων [1]), ideoque si qua typotheta peccavit, aut ipse curis posterioribus emendandum censerem, eorum indiculum poposcit, eum nunc ad te mitto, rogoque ut ad eum diligenter corrigantur omnia: quod ideo dico quia in poëmatis nunc alterùm editis video quaedam quae emendanda monueram non emendata. Illud maximè miror, cur Silvae non illum quo Lutetiae edictus [2]) est annum [3]), sed alium [4]) rebus ea contentis minùs congruentem apposuerint...

[8 Augusti,] 29 Iulii Kal. Vet. 1635, Amstelodami, Vossius archiepiscopo Cantuariensi (*Vossii Epistolae*, I, n° 266).

....Illustrissimus Reginae ac Regni Suecici Legatus ad Galliarum Regem Hugo Grotius, paulo antequam dignitate ea auctus, tragoediam scripsit de Josepho fratres agnoscenti. Speramus eum Josephi sui instar pro magnis malis, quibus affectus à suis, in dignitate hac praelustri multa beneficia iis collaturum. Tragoedia ea inscribitur Sophompaneas, nomine Aegyptio, quod Pharao dederat, ad Graecam consuetudinem inflexo. Alioqui pro eo apud Mosem est juxta Masoretica puncta Saphnath-Pahaneach, apud Josephum Psontomphanecus, cor-

1) Hesiodi *Opera et dies*, 344. Cf. p. 344 supra.
2) Legatur: editus. 3) Scil. 1622. 4) Scil. 1634.

Digitized by Google

ruptius apud Ruffinum Psonthonfanicos. Exemplar mitto, propterea quia nomini inscripserit nostro. Addidi et alterum, domesticorum cui voles, ornatius missurus, si ad manum fuisset aliquod...

9 Augusti Kal. Nov. 1635, Lutetiae, Grotius Vossio (*Epistolae quotquot*, n° 453).

....Petrus noster... Sophomphaneam [sic] si vertit ipse pietatis nomine, aut laudandus erit aut excusatus. Neque tamen nolim idem ab aliis praestari, quibus ut aetatis ita fortè et peritiae ad poësin est plus aliquanto: Palma est publica...

23 Augusti 1635, Lutetiae, Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 354).

....D. Peiresius Senator Aquensis missam ad se à Puteanis Tragoediam meam cum iis quae accedunt, statim nec inspecta (alioqui enim, ut puto non fecisset) misit Romam ad Barbarinum Cardinalem. Quae Theologorum et aliorum apud vos de iis scriptis sint judicia scire aveam...

20 Decembris 1635, Lutetiae, Grotius Vossio (*Epistolae quotquot*, n° 527).

...Vondelium ex filii literis intelligo Sophomphaneae [sic] nostro eum exhibuisse honorem, ut eum sua, id est felicissima manu, Batavica civitate donarit. Magnas illi gratias debeo, quod qui de suo praestare potest meliora, amicitiae testandae causa, in meis vertendis laboraverit...

21 Februarii 1636, Lutetiae, Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 367).

....Sophomphaneae [sic] versio utraque se mihi probat: filii excitatior nervosiorque est quàm speraveram...

11 Octobris 1639, Lutetiae, Grotius marescallo Bannerio (*Epistolae quotquot*, n° 1257).

Adoptatus in eam gentem cujus gloriam ac fines arma Excellentiae Vestrae propagant, vota feci, ut debui pro ejus victoriis, victorias ipsas apud Regem Ministrosque ejus non quidem pro rerum dignitate, attamen pro mea facultate praedicavi, laetatusque iis sum vehementer tum publico nomine, tum meo etiam privato, quod frater Excellentiae Vestrae is fuerit qui primus mihi de adsciscenda mihi in patriam Suedia injecerit cogitationem... Eo Principe [duce Vinariensi] exempto rebus

Digitized by Google

humanis nemo mihi apparuit alius, cui potiùs eum [Didericum filium] traderem, quàm Excellentiae Vestrae...

19 Novembris 1639, Lutetiae, Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 472).

....Filium natu minimum [Didericum] quod attinet, et dixi ei et scripsi jam saepe quàm indignum sit nobis eum periculis se objicere eorum hominum causa, qui omni bello crudelius in rempublicam et nos grassantur. Apud D. Brederodium nihil potest sperare nisi exiguum aut tardum incertumque. Nam et ille alios habet quos respiciat nobis iniquos. Mementote illud in Sophompanea. Aegyptus tibi sit patria. Sic est merita. Suedia nobis patria est [1]). Ei vitam nostram dicare debemus. Ab ea honores mereri et exspectare. Magna est Bannerii virtus... Quod si militia actuosa filio displicet, sperem aut in domo D. Bannerii aut in curatione aliqua operum, machinarum, aliarumve rerum operam ejus posse esse utilem et cum honore. Ego certè non cessabo eum juvare et ut spero tot alibi amicos quot in Batavis inimicos reperiam: quibus inimicis si supplicem se facere in animum induxit, haud dignus est qui me patrem vocet. Exercitus Suedici multi sunt: multa loca: multa spes...

3 Octobris 1643, [Lutetiae,] Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 672).

....Ego certè Hollandus esse desii, idque satis significavi Ordinibus Hollandiae, cùm Suedico Regno meam operam addixissem. Neque enim scripsi ut subditus...

20 Augusti 1644, [Lutetiae,] Grotius Gulielmo Grotio (*Epistolae quotquot*, appendix, n° 719).

....Cùm ego valedixi Batavis et Belgis, hoc significavi me factum gentis alterius, quid illi de me dicant aut sentiant non curare: neque ullum habere revertendi animum...

Additamentum II.

De nomine Sophompanea.

Nomen Sophompaneas — quod et apud Grotium et apud

1) *Epistolae quotquot*, n° 1305 (14 Ianuarii 1640, Grotius Barlaeo): „Suedia, Patria nunc mea".

Digitized by Google

Vondelium Franciscumque Goldsmith vocalem e habet brevem — apud Flavium Iosephum Ψοθομφάνηχος legitur, apud Origenem et in Septuaginta Ψονθομφάνηχ, apud Aquilam Σαμφανή (Ἀσαμφανή) vel Σαφαμφανή, apud Symmachum Σαφαθφανή [1]). Hieronymus (*Quaestiones hebraicae*, ed. De Lagarde, 1868, p. 61) scribit: Zapfanethfane, annotatque: „licet hebraice hoc nomen absconditorum reppertorem sonet", Egyptice significat salvatorem mundi. Syrus solum habet: ὁ εἰδὼς τὰ κρυπτά; Vulgata: salvatorem mundi. Grotius (*Annotata ad Vetus Testamentum*, I, 1644) annotat ad Genesin 41 : 45: „*Salvatorem mundi.* Vocem hîc Aegyptiam quae Hebraïcè scribitur ṣfnth p'nḫ [2]) LXX. et Iosephus scribunt Ψονθομφανήχ. Interpretantur autem Iosephus idem, et Philo, Onkelos, Ionathan, Rabbi Solomo, Rabbi Levi omnes κρυπτῶν εὑρέτης. quare ab hac sententia discedendum non est".

Felix nominis forma „Sophompaneas" e Grotii ingenio orta esse et verbum graecum σοφός continere putatur.

---

1) Cf. Vossii epistolam ad archiepiscopum Cantuariensem, 8 Augusti 1635, pp. 361—362 supra.

2) Hic transcriptum est.

Digitized by Google

AD THEOPHRASTUM XV 6.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM.

Vir arrogans dicitur *οὐκ ἔχειν συγγνώμην οὔτε τῶι ἀπώσαντι αὐτὸν ἀκουσίως οὔτε τῶι ὦσαντι οὔτε τῶι ἐμβάντι*: ita codices nisi quod Laurentianus 86, 3 pro *τῶι ἀπώσαντι* praebet *τῶι ῥυπώσαντι* [1]), quam lectionem Foss, Lipsienses alii calidius arripuerunt, repudiavit Diels optimo iure observans post Homerum verbo *ῥυποῦν* (sensu transitivo) neminem nisi Byzantinos nonnullos usum esse, velut Schol. Arist. Nub. 88 *ἐκστρεψον· ἀντὶ τοῦ μετάβαλε. ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ῥυπουμένων ἱματίων καὶ ἐκστρεφομένων*, Schol. Arist. Ach. 426 *τὰ δυσπινῆ· τὰ ἐρρυπωμένα, τὰ ῥυπαρά*. Alias coniecturas a viris doctis ad h. l. prolatas recensere supervacaneum est: pleraeque enim Musis invitis natae sunt neque refutatione egent. Diels autem cum Petersenio vocabula *τῶι ὦσαντι* expunxit, quod remedium minime placet: quis enim quo consilio inserturus erat?

Sed rectam viam nobis iam monstravit Casaubonus, vir admirabilis, qui aptissime contulit Sen. de benef. VI 9, 1 „num quid est iniquius homine qui eum odit a quo in turba calcatus aut *respersus* aut quo nollet impulsus est", quae sententia mire cum nostra conspirat: participio enim „impulsus" respondet participium „*τῶι ἀπώσαντι*" (qui eum de crepidine depulit), participio „calcatus" respondet „*τῶι ἐμβάντι*", participio „respersus" — quid? Ante paucos annos scribendum esse conieci *τῶι ἄρσαντι*, coll. Theocr. XV 31 (loquitur mu-

1) Teste quidem Immischio coniectura est Fossii.

Digitized by Google

liercula irata) δύστανε, τί μευ τὸ χιτώνιον ἄρδεισ; Sed hanc coniecturam nimis incertam nunc iam reicio; nam elegantius et probabilius locum emendari posse mihi persuasum est. Scripsit, nisi omnia me fallunt, Theophrastus: καὶ οὐκ ἔχειν συγγνώμην οὔτε τῶι ἀπώσαντι ἀκουσίως οὔτε τῶι ⟨ἀρδαλ⟩ώσαντι οὔτε τῶι ἐμβάντι.

Verbum satis rarum ἀρδαλοῦν, respergere, quo etiam Hippocrates utitur, legitur Philem. fr. 59:

Αἰγύπτιος θοἰμάτιον ἠρδάλωκέ μου.

Cf. Etym. m. 436, 41 ἠρδάλωσε — ἀντὶ τοῦ ἠσβόλησεν, ἐμόλυνεν, Erotianus 56, 10 Klein τὸ μολῦναι ἢ ῥυπᾶναι ἀρδαλῶσαι λέγεται καὶ ἄρδαλος ἄνθρωπος ὁ μὴ καθαρῶς ζῶν.

Iam vides lectionem cod. Laur. 86, 3 τῶι ῥυπώσαντι fortasse participio τῶι ἀρδαλώσαντι adscriptam fuisse, ut verbum insolitum explicaretur.

Ad Platonis Gorgiam p. 485 A.

Φιλοσοφίας (Callicles verba haec sunt) μὲν ὅσον παιδιᾶς χάριν καλὸν μετέχειν καὶ οὐκ αἰσχὸν μειρακίῳ ὄντι φιλοσοφεῖν.

Rescripsi παιδιᾶς pro tradito παιδείας, quod ferri nullo modo potest. Sed restat vitium vix minus absurdum. Quae enim est ἀγροικία eius qui hic, vel negans, adiectivum quod est αἰσχρόν adhibet? Sed lege οὐκ ἄχαρι; omnia rectissime habent. Sequitur mox χαρίεν μοι φαίνεται et opponitur Πικρόν τί μοι δοκεῖ χρῆμα εἶναι. Conferatur et Phaedr. 265 D. τούτων δέ τινων ἐκ τύχης ῥηθέντων δυοῖν εἰδοῖν, εἰ αὐτοῖν τὴν δύναμιν τέχνῃ λαβεῖν δύναιτό τις, οὐκ ἄχαρι (nam et hic agitur de re leviore quidem sed non ingrata).

I. I. H.

Digitized by Google

AD SOPHOCLIS OEDIPUM REGEM.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Vs. 2 sq.: τίνας ποθ' ἕδρας τάσδε μοι θοάζετε
ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι;

Ex Eur. Suppl. vs. 10:

ἱκτῆρι θαλλῷ προσπίτνουσ' ἐμὸν γόνυ

apparet ἱκτηρίοις κλάδοισιν non cum ἐξεστεμμένοι iungendum esse, sed cum ἕδρας... θοάζετε. Itaque, ne constructio verborum ambigua sit, vs. 3 distingui iubeo sic:

ἱκτηρίοις κλάδοισιν, ἐξεστεμμένοι.

Ramos manu (cf. vs. 143: τούσδ' ἄραντες ἱκτῆρας κλάδους), vittas capite gerunt pueri (cf. Eur. Herc. Fur. 525 sq.: τέκνα.. κρᾶτας ἐξεστεμμένα). Cf. velim etiam vs. 19 sq.: τὸ δ' ἄλλο φῦλον ἐξεστεμμένον..θακεῖ.

Vs. 31 sqq.: θεοῖσι μέν νυν οὐκ ἰσούμενόν σ' ἐγώ
οὐδ' οἵδε παῖδες ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι,
ἀνδρῶν δὲ πρῶτον ἔν τε συμφοραῖς βίου
κρίνοντες ἔν τε δαιμόνων συναλλαγαῖς.

Non possum quin suspicer poetam scripsisse ἰσούμενος, ut teste Blaydesio [1]) coniecit Stanleius, collato Hom. Od. XVI, 187. Similiter Herodotus genus medium verbi ὁμοιοῦν usurpavit l. I[i] c. 123: τὰς πάθας τὰς Κύρου τῇσι ἑωυτοῦ ὁμοιούμενος.

Vs. 37: καῖ ταῦθ' ὑφ' ἡμῶν οὐδὲν ἐξειδὼς πλέον,
i. e. nihil quod usui sibi esse posset e nobis cognoverat.

1) Advers. crit. in Soph., Halis Saxonum, a. 1899, p. 4.

Digitized by Google

Vs. 287: *ἀλλ' οὐκ ἐν ἀργοῖς οὐδὲ τοῦτ' ἐπραξάμην*, i. e. *οὐδὲ τοῦτ' ἐν ἀχρήστοις ἐποιησάμην*. Recte in Herwerdeni lexico Plut. Arat. c. 43 verba *μηδὲν ἀργόν* redduntur per *μηδαμῶς ἄχρηστον*.

Vs. 374 sqq.:

ΟΙΔ. *μιᾶς τρέφῃ πρὸς νυκτός, ὥστε μήτ' ἐμέ*
μήτ' ἄλλον, ὅστις Φῶς ὁρᾷ, βλάψαι ποτ' ἄν.
ΤΕΙ. *οὐ γάρ σε μοῖρα πρός γ' ἐμοῦ πεσεῖν, ἐπεί*
ἱκανὸς Ἀπόλλων, ᾧ τάδ' ἐκπρᾶξαι μέλει.

Ita hunc locum edere solent usi coniectura Brunckii. Nam in codicibus et in papyro Oxyrrh. 22 legitur:

οὐ γάρ με μοῖρα πρός γε σοῦ πεσεῖν.

Quae lectio tradita idoneum sensum praebere mihi videtur, dum verba dividas hoc modo:

ΟΙΔ. *μιᾶς τρέφῃ πρὸς νυκτός, ὥστε μήτ' ἐμέ*
μήτ' ἄλλον, ὅστις Φῶς ὁρᾷ, βλάψαι ποτ' ἄν.
οὐ γάρ με μοῖρα πρός γε σοῦ πεσεῖν.. ΤΕΙ. *ἐπεί*
ἱκανὸς Ἀπόλλων, ᾧ τάδ' ἐκπρᾶξαι μέλει.

In papyro paragraphus vs. 376 superpicta est eodem modo quo in Iliade Bankesiana l. XXIV[1] vs. 549. Consimiliter coryphaeum loquentem interpellat Oedipus Oed. Col. vs. 480. Iure autem de nostra quoque fabula dixit Tycho de Wilamowitz[1]): „Im Oedipus... zeigt sich... völlige Freiheit des Personenwechsels".

Vs. 454 sqq.: *τυφλὸς γὰρ ἐκ δεδορκότος*
καὶ πτωχὸς ἀντὶ πλουσίου ξένην ἔπι
σκήπτρῳ προδεικνὺς γαῖαν ἐμπορεύσεται.

Sic codices. Sed ex scholio huic loco appicto: *τὸ σκῆπτρον δεικνὺς τύμβολον τῆς ἑαυτοῦ εὐγενείας, ὅτι ἐκ βασιλέως πτωχὸς ἐγένετο*, efficitur scholiastam pro *σκήπτρῳ* legisse *σκῆπτρον*. Itaque legendum esse censeo cum Villoisonio:[2])

ξένην ἐπί
σκῆπτρον προδεικνὺς γαῖαν ἐμπορεύσεται,

1) Die dramat. Technik des Soph., p. 69, 1.

2) Long. Past. ed. Villoison, animadv. p. 85. Teste Blaydesio (op. laud. p. 25), *σκῆπτρον* legitur etiam in cod. Paris. 2787, et apud Reiskium.

Digitized by Google

i. e. ἐμπορεύσεται ἐπὶ ξένην γαῖαν προδεικνὺς τὸ σκῆπτρον, baculum protendens. Quod ipsius scholiastae interpretatio a vera ratione, ut recte dixit Erfurdtius, aberrat, hoc nihil ad rem.

Fatendum quidem est verbum q. e. προδεικνύναι rarissime ita usurpari, ut significet *protendere*. Duo tantum alia exempla huius usus adferre in promptu est, scilicet Luc. Herc. 1: τὸ τόξον ἐντεταμένον ἡ ἀριστερὰ προδείκνυσι, et schol. T Hom. Il. XXIII, 690: προδεδειχότος τὸ πτερύγιον Ἐπειοῦ. Sed hi loci sufficere mihi videntur ad demonstrandum verbum προδεικνύναι nonnumquam significare: *porrigere*, *protendere*, *proferre*. Antiquissimum compositum esse putaverim, in quo verbum δεικνύναι non *ostendere*, sed *regere*, *dirigere* significarit.

Cf. Aesch. Prom. 404 sq.:

(Ζεὺς) ὑπερήφανον θεοῖς
τοῖς πάρος ἐνδείκνυσιν αἰχμάν,

superbam pristinis diis intentat cuspidem.

Vs. 540 sqq.: ἆρ' οὐχὶ μῶρόν ἐστι τοὐγχείρημά σου
ἄνευ τε πλήθους καὶ φίλων τυραννίδα
θηρᾶν, ὃ πλήθει χρήμασίν θ' ἁλίσκεται;

Euripidis fabulae plurimis locis, Aeschyli raro (cf. Aesch. ed. Wilamowitzii praef. p. XXX) additamentis ab actoribus deturpatae sunt. Hos quoque quos supra exscripsi versus, qui praecedentibus ἀσυνδέτως adnexi sunt, pro frigida interpolatione habeo, primum quod sententia haec Oedipo prorsus indigna videtur, deinde quod Creontem gratia et amicis in urbe Thebis non carere manifestum est, tum quod ne ipse quidem Oedipus tyrannidem adeptus est per πλῆθος et χρήματα.

Vs. 566 sq.:

ΟΙΔ. ἀλλ' οὐκ ἔρευναν τοῦ κανόντος ἔσχετε;
ΚΡ. παρέσχομεν, πῶς δ' οὐχί; κοὐκ ἠκούσαμεν.

Aut sententia, interpellante Oedipo, non absolvitur aut mecum statuendum est ἀκούειν hic, ut saepius in Novo Testamento (v. Ev. Luc. XXII, 71; Ioh. I, 40; VII, 51) absolute positum esse.

Vs. 577 sqq.:

ΚΡ. τί δῆτ'; ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν γήμας ἔχεις;
ΟΙΔ. ἄρνησις οὐκ ἔνεστιν ὧν ἀνιστορεῖς.

Digitized by Google

ΚΡ. ἄρχεις δ' ἐκείνῃ ταὐτὰ γῆς ἴσον νέμων;
ΟΙΔ. ἂν ᾗ θέλουσα, πάντ' ἐμοῦ κομίζεται.

Quid hi versus sibi velint, liberiore paraphrasi usus aperire conabor:

Cr. Age, dic mihi, nonne tu, cum advena et ἰδιώτης esses, meae sororis per matrimonium, quod tibi obtulimus, regno inter nos potitus es?

Oed. Non negaverim.

Cr. Quid? nonne iam aequo cum illa et pari iure Thebas regis?

Oed. Immo quaecumque illa ex me petit, libenter ei concedo.

Vs. 758 sq.: ἀφ' οὗ γὰρ κεῖθεν ἦλθε καὶ κράτη
σέ τ' εἶδ' ἔχοντα Λαίου τ' ὀλωλότα...

Hic commentatorum phalanx perturbatur et magno cum stupore demirantur, qui fieri potuerit, ut servus iter e Phocide in Boeotiam tam diu protraxerit, ut Thebas demum post initia regni Oedipi reverterit. Res est simplicissima. Ipse Oedipus persuasum habebat se omnes comites Laii occidisse (vs. 813: κτείνω δὲ τοὺς ξύμπαντας). Unus tamen e servorum numero quamvis male mulcatus rixae superfuerat et post longum tempus e vulneribus recreatus domum redierat.

Vs. 772 sq.: τῷ γὰρ ἂν καὶ μείζονι
λέξαιμ' ἂν ἢ σοί, δι' τύχης τοιᾶσδ' ἰών;

His verbis primo obtutu haec sententia subesse videtur: „cuinam enim potentiori haec dicere possim quam tibi?" Sed hoc nemini prudentiori placebit, cum Iocaste non tamquam regina, sed tamquam coniunx resciscere cupiat, quae Oedipi animum angant. Quapropter rem ita componere solent ut τῷ μείζονι λέξαιμ' ἄν; fere dictum esse contendant pro: „cuinam melius, cuinam commodius haec dicerem?" Sed quis est quin videat sic, ut probabilis sententia eruatur, vim adferri grammaticae? Iam in editione Sophoclis quam paravit Guilielmus Dindorf legitur haec adnotatio: „μείζονι. μειζοναϊ pr., α in ι mutato a m. ant. erasoque ϊ". Et Kuiperus quoque in editione sua testatur in codice Laurentiano exaratum esse μείζονα, quod deinde manus recentior in μείζονι correxerit. Quae lectio ab omnibus fere spreta mihi unice vera esse videtur: τῷ γὰρ ἂν

Digitized by Google

καὶ μείζονα λέξιμ' ἄν; idem est quasi dicas: σοὶ γὰρ ἂν τὰ μέγιστα εἴποιμι. Emendatio loci debetur Arthuro Platt (Class. Quart. 1911, p. 258). Nec tamen inutile mihi visum est idem rursus urgere, cum neque Iebbius in editione sua, a qua ille orsus est, neque ipse Platt animadverterit lectionem μείζονα non meram coniecturam esse, sed a prima manu codicis Laurentiani confirmari.

Vs. 866 νόμοι (i. e. τὰ ἄγραπτα νόμιμα) vocantur ὑψίποδες, οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες. Ὑψίπους cum magis epitheton equi, canis, hominis denique, quam legis esse videatur, haud scio an cum Herwerdeno legendum sit ὑψιπόλεις, qua voce Sophocles usus est Antig. vs. 370. Respondet voci in antistropha choriambus ἀκρστάταν. Cetera, collato loco Empedoclis [1]) cuius Sophoclem memorem fuisse constat:

ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος
αἰθέρος ἠνεκέως τέταται διά τ' ἀπλέτου αὐγῆς,

ita corrigenda esse arbitror ut pro τεκνωθέντες scribatur τ'ἐκταθέντες. Bergkius aliquando coniecerat τανυσθέντες vel ἐκταθέντες, quod utrum metro repugnet annon, haud facile dictu est.

Vs. 906 sq.: φθίνοντα γὰρ Λαΐου ⟨παλαίφατα⟩
θέσφατ' ἐξαιροῦσιν ἤδη.

Cum vis verbi ἐξαιρεῖν hoc loco obscura sit, et simul non praesens tempus, sed futurum requiri videatur (cf. supra vs. 897 sqq.: οὐκέτι τὸν ἄθικτον εἶμι γᾶς ἐπ' ὀμφαλόν... εἰ μὴ τάδε χειρόδεικτα πᾶσιν ἁρμόσει βροτοῖς), quaerere velim numne Sophocles scripserit ἐξεροῦσιν. Sequuntur haec: κοὐδαμοῦ τιμαῖς Ἀπόλλων ἐμφανής, ad quae facile subaudias: ἔσται. „Iam vetera de Laio oracula iacere praedicabunt [2]) et nusquam Apollo coletur". Cf. Antig. vs. 1012 sq.

Vs. 1031 in codice Laurentiano a prima manu scriptus erat sic:

τί δ' ἄλγος ἴσχων ἐν καιροῖς λαμβάνεις,

1) Diels, Vorsokratiker, Emped. frg. 135.

2) Nihil obstare puto, quominus verbum q. e. ἐξαγορεύειν cum accusativo cum participio construatur. Cf. Kuehner-Gerth, Griech. Gramm. II, 2, p. 52 sq. 72.

Digitized by Google

licet eadem in margine ἴσχοντ' adscripserit; in Parisino hoc modo exaratus est:

τί δ' ἄλγος ἴσχοντ' ἐν κακοῖς [1]) με λαμβάνεις;

quae lectio multis viris doctis hodie placet, licet pleonasmo eam laborare apertum sit. Equidem in priore lectione codicis Laurentiani particulam veri latere suspicatus quaestionem Oedipi in duas partiendum esse arbitror:

τί δ' ἄλγος ἴσχον; ἐν κακοῖς με λαμβάνεις;

Respondet illi nuntius:

ποδῶν ἂν ἄρθρα μαρτυρήσειεν τὰ σά.

Cui Oedipus:

οἴμοι, τί τοῦτ' ἀρχαῖον ἐννέπεις κακόν;

Hic rursus haereo inconcinna oratione conturbatus. Oedipum enim, si quid video, attonitum esse consentaneum est, cum cernat pastorem Corinthium occultas notas corporis sui nosse, non vero indigne ferre, quod ille ipsa re coactus certissimum narrationis suae indicium dedit. Sed haec labecula eodem quo supra usi sumus remedio detergeri potest, modo versum distinguas sic:

οἴμοι, τί τοῦτ'; ἀρχαῖον ἐννέπεις κακόν.

Cf. Oed. Col. 542 sq.:

ΧΟ. δύστανε, τί γάρ; ἔθου φόνον
ΟΙΔ. τί τοῦτο;

Sequuntur haec:

ΑΓ. λύω σ' ἔχοντα διατόρους ποδοῖν ἀκμάς.
ΟΙΔ. δεινόν γ' ὄνειδος σπαργάνων ἀνειλόμην.
ΑΓ. ὥστ' ὠνομάσθης ἐκ τύχης ταύτης ὃς εἶ.

Ne haec quidem sana esse credo. Quod ad primum versum attinet, rectissime adnotavit Robertus: „dass der Korinther das Oidipuskind mit den Fussfesseln aus der Hand des Thebaners erhalten haben sollte, um es als sein Kind aufzuziehen, und dann vor dessen Augen die Fesseln entfernt hätte, ist eigentlich schwer auszudenken" [2]). Deinde neminem admonitum latebit, quam contorte dictum sit illud: ἀνειλόμην ὄνειδος σπαρ-

1) Cf. Eur. Hipp. 1391: ἐν κακοῖς ὤν.
2) Robert, Oidipus, I, p. 76.

Digitized by Google

γάνων. Postremum cum unusquisque noverit locutionem: „puerum expositum tollere", permirum accidit, quod verbum ἀνελρεῖσθαι, quo proprie sublatio infantis designatur [1]), hic de alia re usurpatur, praesertim cum iunctum sit cum vocabulo quale est σπάργανα. Cf. Menandri Circumt. vs. 14 sq.:

λέγει δὲ πρὸς τὴν μείραχ', ὡς ἀνείλετο
αὐτήν, ἐν οἷς τε σπαργάνοις δίδωσ' ἅμα.

Hae difficultates evanescent et nervos habebit tota oratio, si scribemus:

ΑΓ. δυοῖν σ' ἔχοντα διατόρους ποδοῖν ἀκμάς...
ΟΙΔ. δεινόν γ' ὄνειδος. ΛΓ. σπαργάνων ἀνειλόμην,
ὥστ' ὠνομάσθης ἐκ τύχης ταύτης ὃς εἶ.

Λύω vs. 1034 scripsisse poetam vel propterea non credo quod vs. 1349 sq. scripsit:

ὄλοιθ' ὅστις ἦν, ἀπ' ἀγρίας πέδας
νόμαδ' ὃς ἐπιποδίας ἔλυσ'..

Σπαργάνων, i. e. ἐκ σπαργάνων ἀνειλόμην σε, e pannis te sustuli; cf. Soph. El. 1139:

οὔτε παμφλέκτου πυρός
ἀνειλόμην, ὡς εἰκός, ἄθλιον βάρος.

Priusquam enim pannis infantem exueret (σπάργανα non esse fascias sive ligamina corpori infantis arte circumvoluta olim evicit van Hoorn [2]), cernere non poterat pastor pedes eius perforatos esse. Cf. Paus. I, 38, 9: λέγεται δὲ... τὸν ποιμένα εὑρόντα τοῦς παῖδας ἐνταῦθα σφᾶς λοῦσαι πρῶτον ἀπολύσαντα τῶν σπαργάνων.

Vs. 1071 sq.:

ΙΟ. ἰού, ἰού, δύστηνε· τοῦτο γάρ σ' ἔχω
μόνον προσειπεῖν, ἄλλο δ' οὔποθ' ὕστερον.

Haec pariter ac supra verba ἆλις νοσοῦσ' ἐγώ (1061) Iocaste

1) Cf. Aristoph. Nub. 531, Isocr. Philipp. 66, Epicur. ap. Epict. diss. I, 23, 7; Men. Disc. 33, 46, 113 Koerte (= 75, 88, 155 van Leeuwen), Circumt. 14, Sam. 140, 159, 196; Act. Apost. VII, 21; Cramer, Anecd. Oxon. III, 193; Paus. II, 26, 5; Apoll. Bibl. II, 147.

2) Van Hoorn, De vita atque cultu puerorum; diss. Amstel. 1909, p. 6—16.

Digitized by Google

submissa voce effert. Chorus eam nihil dicentem audit itaque vs. 1074 sq. se metuere fatetur,

ὅπως
μὴ 'κ τῆς σιωπῆς τῆσδ' ἀναρρήξει κακά.

Vs. 1088 sqq.: οὐ, τὸν Ὄλυμπον, ἀπείρων, ὦ Κιθαιρών, οὐκ ἔσῃ... μὴ οὐ σέ γε καὶ πατριώταν Οἰδίπουν καὶ τροφὸν καὶ ματέρ' αὔξειν. Cum subjectum verbi αὔξειν desideretur, vide ne legendum sit: μὴ οὔ σ' ἐμέ.

Vs. 1128. Et hoc loco et vs. 1142 οἶσθα idem valet atque latine *meministi*. Cf. Antig. 166, Ai. 1291.

Vs. 1165 sqq.:

ΘΕ. μή, πρὸς θεῶν, μή, δέσποθ', ἱστόρει πλέον.
ΟΙΔ. ὄλωλας, εἴ σε ταῦτ' ἐρήσομαι πάλιν.
ΘΕ. τῶν Λαΐου τοίνυν τις ἦν γεννημάτων.

Hoc ita actum esse in theatro arbitror, ut Oedipus post vs. 1165 telum subito arreptum iugulo pastoris genua sua complexi intentarit. Nam ni ita se res habeat, vix intellegere possis, cur ille tam cito proferat quod modo celare conabatur.

Vs. 1348: ὡς σ' ἠθέλησα μηδ' ἀναγνῶναί ποτε.

Lectio tradita optime defendi potest, dummodo meminerimus, quid interesse soleat inter ἐθέλειν et βούλεσθαι. „Utinam numquam", dicunt senes Thebani, „decrevissemus te regem agnoscere".

Vs. 1422 sq.:

ΚΡ. οὐχ ὡς γελαστής, Οἰδίπους, ἐλήλυθα
οὐδ' ὡς ὀνειδιῶν τι τῶν πάρος κακῶν.

Cum Creon chorusve nusquam Oedipo exprobrentur, quod sceleratus sit, voce κακῶν significari censeo non Oedipi facinora, sed iniurias, quibus Creon ab Oedipo obrutus erat (v. vs. 532—537, 548, 582, 627, 642).

Vs. 1425 sqq.: τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν Φλόγα
αἰδεῖσθ' ἄνακτος Ἡλίου, τοιόνδ' ἄγος
ἀκάλυπτον οὕτω δεικνύναι...

Haec verba locutus ipse Creon, opinor, caput Oedipi velamine obtegit. Quod poeta sapienter ita administrasse videtur,

Digitized by Google

quia molestum fuisset spectatoribus, si regis filiolae, quae post vs. 1470 adducuntur, foedata patris ora conspicerent.

Vs. 1471 sq.:

ΚΡ. ἐγὼ γὰρ εἶμ' ὁ πορσύνας τάδε
γνοὺς τὴν παροῦσαν τέρψιν, ἣ σ' εἶχεν πάλαι.

O sententiam tortuosam, cuius nulla explicatio excogitari possit, quae non statim repudietur. Ecquid poeta scripsit:

γνοὺς τὴν παροῦσαν τέρψιν, ἣ σ' εἶχ' ἄν, πάλαι,

„cum diu cognovissem, quae laetitia te hoc puncto temporis teneret (si tibi filias tuas adduxissem)"? Praeivit mihi Godofredus Hermannus qui verba poetae eodem modo interpretatus est quo ego, nisi quod ἣ σ ἔχει scripsit ex auctoritate codicis cuiusdam recentioris.

Ad Ibidem.

189 sq. Ut in unum Ibidem omnia damnatorum transferantur mala et alia et illa Sisyphi exoptat poeta sic:

Sisyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis:
versabunt celeres nunc nova membra rotae.

Vel Sisyphi lapidem vel Ixionis rotam (nam hi quodam modo inter se confunduntur) propter *celeritatem* commemorare non solent poetae. *Lentitudo* et *tarditas* utrique tormento convenit magis. Ergo non *celeres* sed *veteres* requiritur. Vetus est poena sed novus reus.

I. I. H.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE IN CICERONIS ACADEMICA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Varro Ciceronem accusat quod a vetere Academia defecerit. Tullius autem sic se defendit:

Acad. I 4, 13 „Quid ergo" inquam „Antiocho id magis licuerit nostro familiari, remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere? certe enim recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime quamquam Antiochi magister Philo, magnus vir ut tu existimas ipse, *negaret* in libris, quod coram etiam ex ipso audiebamus, duas Academias esse, erroremque eorum qui ita putarent coarguit".

Plasberg pro *negaret* proposuit *negare solet*, quod ratione palaeographica minus commendatur, quocirca praetulerim *negat re*. Sententiam autem Batave sic verto: Philo echter, de leermeester van Antiochus, een groot man, gelijk gij zelf hem beschouwt, beweert inderdaad in zijn geschriften, wat wij persoonlijk uit zijn eigen mond plachten te hooren, dat er geen twee Academies zijn en hij heeft bewezen, dat zij, die zoo dachten, dwaalden.

Itaque ablativus ille *re* idem significat atque *reapse* (de Republ. I § 2) et *re ipsa* (Somn. Scip. § 16 = de Republ. VI 24).

Lucullus Philonis sententiam quam impugnaturus est, refert sic:

Lucull. § 48 Deinde cum mens moveatur ipsa per sese, ut et ea declarant quae cogitatione depingimus et ea quae vel

1) Seqaor editionem a Plasbergio recognitam minorem (1922), cuius textus non multum differt ab editione maiore ub eodem curata (1908).

Digitized by Google

dormientibus vel furiosis videntur non *inquam* veri simile sit sic etiam mentem moveri, ut non modo non internoscat vera illa visa sint anne falsa, sed ut in is nihil intersit omnino, ut si qui tremerent et exalbescerent vel ipsi per se motu mentis aliquo vel obiecta terribili re extrinsecus, nihil ut esset qui distingueretur tremor ille et pallor, neque ut quicquam interesset inter intestinum et oblatum.

Madvig nimis licenter correxit: *nonnumquam veri simile est*, at Plasberg pro sua consuetudine sensum bene perspexit coniciens: *non intellegitis quam*. Equidem unam modo litteram nempe ī (= *in*) corruptam duco, fuit autem haec, nisi omnia me fallunt, *l*, ita ut quondam scriptum esset *N L quam*. Ergo notissima formula: *non liquet* a librario intellecta non est. Revoco igitur: *non liquet quam* veri simile sit sic.... intestinum et oblatum? Utile videtur totum hunc locum Batave vertere: vervolgens daar de geest 't vermogen heeft zichzelf te bewegen, gelijk de beelden bewijzen, welke onze fantasie schept en die, welke zich aan slapenden of razenden vertoonen, is 't dan niet duidelijk, hoe waarschijnlijk zich de geest ook zoo kan bewegen, dat hij niet alleen niet onderscheidt, of die verschijningen waar dan wel onwaar zijn, maar dat alle onderscheid verloren gaat, zoodat bijv. als menschen beefden en bleek werden, hetzij vanzelf door een aandoening van binnen, hetzij door een uitwendigen prikkel, er niets zou zijn, waardoor men dat beven en bleek worden kon onderkennen en er geen verschil zou bestaan tusschen wat in de ziel zelve zijn oorsprong had en van buiten op haar inwerkte?

Quanquam saepe difficile est res internoscere, quae inter se simillimae sint, tamen eae habendae non sunt plane eaedem; nimirum sic σκεπτικοὶ cognitionem tollere volunt. De hac re legimus:

Lucull. § 54 sed si satis est ad tollendam cognitionem similia esse multa multorum, cur eo non estis contenti, praesertim concedentibus nobis, et cur id potius contenditis quod rerum natura non patitur, ut non suo quidque genere sit tale quale est, nec sit in duobus aut pluribus nulla re differens ulla communitas? ut *sibi sint* et ova ovorum et apes apium simil-

Digitized by Google

limae: quid pugnas igitur aut quid tibi vis in geminis? conceditur enim similes esse, quo contentus esse potueras; tu autem vis eosdem plane esse non similes, quod fieri nullo modo potest.

Sententia incipiens ab: *ut... sint et ova* manifesto exemplum affert, quaerendum igitur est verbum unde pendeat coniunctivus *sint*. Quod facile videtur inveniri posse, nam *sibi*, quod scribebatur *fibi* vel *fiui*, nos ducit ad *fit ut*. Ediderim igitur: ut fit ut sint et ova e. q. s.

Neque hic interpretatio Batava supervacanea videtur: Waarom beweert gij liever iets, wat in strijd is met de natuur, dat 't n. l. niet [1]) waar zou zijn ten eerste, dat elk ding door zijn aard is, wat het is; ten tweede dat in twee of meer dingen een gelijkheid kan voorkomen, zonder dat eenig verschil te ontdekken valt? Gelijk 't bijv. gebeurt, dat eenige eieren en bijen onderling de grootste gelijkheid bezitten. Waarom vecht gij dan? Wat wilt gij met uw tweelingen? men geeft toe, dat zij op elkaar gelijken, waarmee gij tevreden hadt kunnen zijn, gij wilt echter, dat zij volkomen dezelfde, identisch zijn, niet maar op elkaar gelijken — hetgeen onmogelijk is.

De magnitudine solis Cicero Epicurum deridens profert haec: Lucull. § 123. Quid tu Epicure, loquere: putas solem esse tantulum? „Egone? nobis *quidem* tantum. Et vos ab illo inridemini et ipsi illum vicissim eluditis.

Et color totius loci et ratio palaeographica suadet ut pro *quidem* restituamus *sesquipedem*. Construendum autem censeo: nobis sesquipedem tantum puto solem esse, i. e. magistri nostri arbitrantur solem magnitudine sesquipedis esse.

Luculenter haec verba illustrantur iis quae leguntur supra (§ 82): Quid potest sole maius, quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant maiorem esse quam terram: quantulus nobis videtur: mihi quidem quasi *pedalis*; Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum quam videatur, sed non multo; ne maiorem quidem multo putat esse, vel tantum esse quantus videntur.

1) De *ut non* conferenda sunt quae Plasberg enarrat in editione maiore (pag. 95).

Digitized by Google

Denique confero Lucr. V 164—5

nec nimio solis maior rota nec minor ardor
esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.

Democriti rationem impugnans Lucullum Cicero sic alloquitur:

Lucull. § 125 tune aut inane quicquam putes esse, cum ita conpleta et conferta sint omnia, ut et quod movebitur *corpus* ⟨*coetui*⟩ corporum cedat et qua quidque cesserit aliud ilico subsequatur.

Inserui *coetui* motus iis quae Lucretius exponit de primordiis rerum V 427—9

propterea fit uti magnum volgata per aevum
omne genus *coetus* et motus experiundo
tandem conveniant ea e. q. s.

Ut *corpus* (quod supplementum, debemus Lambino) periit similitudine cum voce *corporum*, sic *coetui* (scriptum *cetui*) praetermissum est similitudine cum verbo *cedat*.

Antiochus Ascalonita, qui a Tullio vocatur (§ 132) germanissimus Stoicus, Academiam imbuere conatus est praeceptis Porticus. Ita fieri potest ut Cicero Antiochum cum Zenone Stoico componat. Hic nostra interest afferre haec tantum:

Lucull. § 135 quid illa in quibus consentiunt num pro veris probare possumus, sapientis animum numquam nec cupiditate moveri nec laetitia ecferri? age haec probabilia sane sint; num etiam illa, numquam timere numquam dolere: sapiensne non timeat ne patria deleatur, non doleat si deleta sit? *durum*, sed Zenoni necessarium, cui praeter honestum nihil est in bonis, tibi vero Antioche minime, cui praeter honestatem multa bona, praeter turpitudinem multa mala videntur, quae et venientia metuat sapiens necesse est et venisse doleat. Sed quaero quando ista fuerint Academia vetere *dunttia*, ut animum sapientis commoveri et conturbari negarent.

Pro *dunttia* Halm olim substituere voluit *dictata*, Philippson nuper (Phil. Woch. 43 (17 Feb. 1923) col. 152) δόγματα. Equidem Ciceroni reddendum censeo: Sed quaero quando ista *fuerit in* Academia vetere *duritia* e. q. s. Pertinet autem substantivum *duritia* ad adiectivum *durum*, quod paulo supra legitur.

Digitized by Google

In extremo dialogo Catulum Cicero interrogat, quid sentiat. Ille respondet:

Lucull. § 148 „ad patris revolvor sententiam, quam quidem ille Carneadeam esse dicebat, ut percipi nihil putem posse, adsensurum autem non percepto id est opinaturum sapientem existumem, sed ita ut intellegat se opinari sciatque nihil esse quod conprehendi et percipi possit. *per* epochen illam omnium rerum conprobans illi alteri sententiae, nihil esse quod percipi possit, vehementer adsentior".

Catulus igitur non est verus σκεπτικός, qui cavet omnino ne assentiatur neve neget, attamen appropinquat eorum rationi, qui nunquam aiunt: „hoc ita est", sed „hoc ita videtur, qui docent οὐδὲν ὁρίζειν, nam Catuli sapiens assentitur quidem, sed ita ut continuo addat: „mihi conscius sum cognitionis meae imperfectae, nihil scio, opinor tantummodo". Itaque non multum abest quin ἐποχὴν probet. Quamobrem edendum videtur: *prope* epochen illam omnium rerum conprobans e. q. s.

Catuli responsum sic Batave verto: Ik keer terug tot het gevoelen van mijn vader, waarvan hij verklaarde, dat het dat van Carneades was. Ik ben n.l. van meening, dat men niets met zekerheid kan kennen, houd het er echter voor, dat een wijze ook wel kan toestemmen in wat hij niet ten volle heeft begrepen, d. w. z. dat hij tot op zekere hoogte iets kan gelooven, maar met dien verstande, dat hij inziet, dat hij slechts gelooft, en weet, dat er niets is, wat men met juistheid begrijpen en vatten kan. Terwijl ik dus slechts bijna de epoche ('t zich onthouden van 't uitspreken eener overtuiging) ten opzichte van alle dingen kan goedkeuren, heeft die andere stelling, dat er niets is, wat men begrijpen kan, mijn algeheele instemming.

Sumo igitur voces *per* et *pro* inter se confusas et praeterea syllabam *pe* ante *epochen* omissam esse.

Digitized by Google

OBSERVATIONES VARIAE IN SOMNIUM SCIPIONIS.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

In opere suo elaborato et eleganti, quod inscribitur *Cicero im Wandel der Jahrhunderte* (pag. 82), Zielinski paucis tantum verbis laudavit Somnium Scipionis, sed disseruit certe in pulcherrimo illo epilogo sex Ciceronis librorum, qui sunt de republica, sapienti viam suam esse monstratam: oportere illum se a civibus non secernere, verum capessere rempublicam suspicientem tamen astra, aeternam animi sui immortalis patriam. Paulo copiosius Diels in disputatione c. t. Himmels- und Höllenfahrten von Homer bis Dante (Neue Jahrb. XXV (1922) pag. 247) contendit Christianos Latinae saltem ecclesiae medii aevi temporibus usque ad aetatem Dantei, quod attinet ad fidem vitae post mortem, pependisse a Somnio Scipionis et Vergilii descriptione inferorum. Quod mihi verissimum videtur: etiamnunc et ascensu in caelum depicto a Tullio et Aeneae κατα βάσει a Marone narrata movemur sanctiore quodam sermone, quam qui in ceteris libris, ad quos utraque expositio pertinet, nobis obvius est. Non minus enim orator Arpinas quam vates Mantuanus Posidonii instinctus est ardore, sive divinus ille fuit sive mysticus. Genus dicendi altius assurgens mire cum sententiis sublimibus concinit: locutiones cascae, allitterationes in prisca Latinitate semper quaesitae, particulae obsoletae vel insolitae, traiectiones verborum efficiunt, ut in Somnio et in sexto Aeneidos quasi σεμνότης quaedam inveniatur.

Digitized by Google

Somnium Scipionis praeterea non caret colore poetico. Quae si singula diligenter cognoverimus, fortasse hic illic rectius iudicabimus de textu Somnii constituendo.

Primum conspicuae sunt duplices allitterationes, quae in unaquaque fere paragrapho [1]) deprehenduntur e. g. summe Sol (§ 1, VI 9); concilia coetusque (§ 5, VI 13); mortis metu (§ 6, VI 14); mens mundi (§ 9, VI 17); comites consequuntur (ibid.); posteris prodere (§ 15, VI 23); digito demonstrari (§ 18, VI 26) cet.

Interdum auctor vocalium quoque allitterationem affectavit e. g. eluviones exustionesque (§ 15, VI 23); agitatur aliunde (§ 19, VI 27); oriuntur omnia et oriri omnia (ibid.); ab aliis ad alios (§ 12, VI 20) cet.

Minus frequentes sunt triplices allitterationes e. g. sed sic Scipio (§ 8, VI 16); subiecti sunt septem (§ 9, VI 17); caeli stellifer cursus cuius conversio est concitatior (§ 10, VI 18).

Nonnunquam allitteratio coniungitur cum παρηχήσει e. g. vita via (§ 8, VI 16) luce lucebat (ibid.) luce lustrat (§ 9, VI 17); lateribus latior (§ 13, VI 21).

In ultima narrationis sententia asyndeton et allitteratio una reperiuntur: ille discessit; ego somno solutus sum.

Haud facile in carminibus invenias pulchriorem ἐναλλαγήν quam (§ 10, VI 18): ille caeli *stellifer cursus*.

Neque anaphoram Tullius praeteriit (§ 4, VI 12): in *te* unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas, *te* senatus *te* omnes boni *te* socii *te* Latini intuebuntur; adde (§ 18, VI 26) siquidem est deus *qui* viget *qui* sentit *qui* meminit *qui* providet *qui* tam regit e. q. s.

Ad hanc figuram provocans tueor lectionem a Zièglero receptam (§ 16, VI 24): namque ut olim deficere sol hominibus exstinguique visus est cum Romuli animus haec ipsa in templa penetravit, quandoque *ab eadem parte* sol *eodemque tempore* iterum defecerit, tum signis omnibus *ad idem principium* stellisque revocatis expletum annum habeto.

Post *ab eadem parte* et *eodemque tempore* verba *idem principium*, quae Macrobii Commentarius in Somnium Scipionis

1) In paragrapho septima (VI 15) quattuor exempla reperiuntur.

Digitized by Google

continet (pag. 620 ed. Eyssenhardt), optime se habent et perspicuitati inserviunt.

Personificatio satis audax legitur (§ 14, VI 22): num aut tuum aut cuiusquam nostrum *nomen* vel Caucasum hunc quem cernis *transcendere* potuit vel illum Gangen *tranatare*? At minus rara haec est (§ 21, VI 29): impulsuque *libidinum* voluptatibus *oboedientium*.

Poeticas voces Somnii plerasque enumeravit Meissner et in commentario suo et in Praefatione (pag. 10 adnot. 25) velut caelites (§ 1, VI 9); Grais (§ 8, VI 16), nuncupatis (ibid.), extimus (§ 9, VI 17), angustata [1]) (§ 13, VI 21), proles (§ 15, VI 23) cet.

Huc accedunt dictiones poeticae, quales (§ 9, VI 17) in quo (sc. caelesti globo) sunt infixi illi qui *volvuntur* stellarum *cursus* sempiterni et (§ 13, VI 21) hic autem alter (sc. cingulus) *subiectus aquiloni*, quibuscum verbis conferatur Verg. Georg. III 381

..... (gens) Hyperboreo septem *subiecta trioni*.

Quoniam igitur auctor manifesto id agit ut poetica sit sua ratio scribendi, cum cod. *V* et Macrobii Commentario (Eyssenh. 539) et Zieglero edendum censeo (§ 7, VI 15): *circos* suos orbesque conficiunt celeritate mirabili, praesertim cum in paragrapho sequenti (§ 8, VI 16) de orbe lacteo dicatur (§ 8, VI 16): erat autem is splendidissimo candore inter flammas *circus* [2]) elucens. Hic Cicero sibi ipse exemplo est, nam in eius versione Arati Phaenomenon legimus:

248 vidisti magnum candentem serpere *circum*
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.

Nonnulla verba, quam vim praecipue in prisca Latinitate inducebant, eam retinent in Somnio e. g. *templum* significans *spatium* ter usurpatur (§ 7, VI 15; § 9, VI 17; § 16 VI 24);

1) Quod merito defendit Hauler (in Diario c. t. Wiener Studien, 42. Bd. (1921) pag. 182) contra Zieglerum, qui Macrobii Commentarium (pag. 599) secutus *angusta* edidit.

2) Hic Ziegler errat commemorans in apparatu critico Macrobium scripsisse *circulum*, quippe qui in Commentario (pag. 544) habeat *circus lucens*, at in textu continuo (pag. 656) *circus clucens*. Observandum est in Somnio nullum legi deminutivum.

Digitized by Google

tuerentur positum est pro *intuerentur* (§ 7, VI 15) cet. In his numerandum est *conlacrimavit* (§ 1, VI 9), de quo interpretes tacent, quanquam reperitur in Plauti epitaphio:

et numeri innumeri simul omnes *collacrumarunt*,

et in Terentii Andria (vs. 109) nonnunquam *conlacrumabat*.

Huc pertinet etiam particula *quandoque* (§ 16, VI 24): *quandoque* ab eadem parte sol eodemque tempore iterum defecerit (§ 16, VI 24). De hoc verbo Schmalz observat (Synt. pag. 555): Cicero hat es in einer Formel und in dem altertümlich gefärbten Somnium Scipionis.

Ex priscorum usu positum est etiam *itaque* in prima paragrapho, ubi Masinissa dicit: grates....ago, quod....conspicio in meo regno et his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine recreor ipso: *itaque* numquam ex animo meo discedit illius optimi atque invictissimi viri memoria. Rectissime de hoc verbo iudicat Kühner-Stegmann exponens (II 2 § 173, anm. 2 pag. 132): Auffallend ist, dass im Altlatein zuweilen *itaque* ein begründendes Epiphonem im Sinne von *ita* einleitet, quod illustrat hoc exemplo Plaut. Pers. 480

hunc hominem ego hodie in transennam doctis deducam dolis:
itaque huic insidiae paratae sunt probe.

Quocirca iniuria Ziegler *itaque* mutavit in *ita*. [1])

Primum locum sententiae obtinet *igitur*, sicut apnd Comicos et Sallustium, in Somnio (§ 17, VI 25): *igitur* alte spectare si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dederis nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum.

Vel semel valet idem atque *aut* nempe (§ 19, VI 27): ita fit ut motus principium ex eo sit quod ipsum a se movetur; id autem nec nasci potest nec mori; *vel* concidit omne caelum omnisque natura et consistat necesse est. Ex Schmalzio (Synt. pag. 502) laudo: *vel* bekommt schon im Altlatein bei Cato.... die Bedeutung von *aut*. [2])

Iure mea quidem sententia Ziegler servat tradita verba (§ 7, VI 15): quaeso.... pater sanctissime atque optime, quo-

---

1) Hauler quoque tuetur *itaque* (Wien. Stud. 42 (1921) pag. 91 sq.).
2) Idem fere docet Kühner-Stegmann II 2 § 169, 5 (pag. 110).

Digitized by Google

niam haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? „non est ita", inquit ille „*nisi enim cum* deus is, cuius hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest".

Sunt qui *cum* delendum censeant, sed consulto addenda hac voce multo impensius pater monet filium ne manum sibi inferat, cum modo arcessitus a deo in caelum ascensurus sit. Vehementer miror Haulerum [1]) a memoria septem codicum recedere, cum praesertim ei lectio difficilior plerumque placeat. Iam Aquilius agens de ventre, quem sibi solarii instar esse profitetur canit (Ribbeck fragm. Comic. pag. 38 vs. 6):

ubivis monebat esse, *nisi quom* nil erat.

Sallustius evidenter ἀρχαΐζων scribit (Bell. Iug. 44, 4): plerumque milites stativis castris habebat, *nisi cum* odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat.

Verum optime Ciceronis verba defenduntur Statii versibus hisce (Silv. V 1, 170—2):

iamque cadunt vultus oculisque novissimus error
optunsaeque aures, *nisi cum* vox sola mariti
noscitur.

Ziegler offendit in negatione *non* bis posita in hac sententia (§ 15, VI 23): quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscuiusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, *non modo non* aeternam sed ne diuturnam quidem gloriam adsequi possumus. Verum dubitari vix potest quin Cicero hoc adverbio [2]) usus sit, ut maiore cum vi immortalitatem gloriae infitiaretur. Grammaticae praecepta non semper et ubique valent: cedunt nonnunquam arti poetae aut perspicuitati gravitati ubertati, quibus inservit orator. Sic tradita scriptura est servanda (In Catil. IV 19): id ne unquam posthac *non modo non* confici, sed ne cogitari quidem possit a civibus, hodierno die providendum est. Iniuria Halm et C. F. W. Mueller ediderunt

1) Wien. Stud. 42 (1921) pag. 96 sq.

2) Hauler quoque l.l. pag. 183 probat *non* servandum esse.

Digitized by Google

non modo [*non*]; vel ipsa clausula constans e choriambo et cretico tuetur codicum lectionem.

Memoratu dignum est in hoc tam parvo epilogo tot imperativos futuri inveniri [1]). Nimirum eis formis longioribus, quas nemo Catone in libro de agricultura saepius videtur adhibuisse, quibus Propertius quoque indulgebat, delectabatur Tullius recte intellegens tales formas pleniores idcircoque proprias sermonis cotidiani et forensis bene convenire praeceptis ut *ita* dicam semidei, cum eae in legibus pactis testamentis potissimum usurparentur.

Scipio nepotem admonens de brevitate gloriae cum alia dicit tum haec (§ 14, VI 22): ipsi autem qui de nobis loquuntur, *quam* loquentur *diu*? Hic Meissner adnotat: Tmesis um das betonte *diu* an die signifikante Tonstelle zu bringen. Verum quis non videt, ut pulchra clausula ex duobus creticis constans existeret, auctorem a tmesi non abhorruisse?

Eadem ratio Ciceronem cogit verbum *est* repetere (§ 20, VI 28): nam haec est propria natura animi atque vis; quae si est una ex omnibus quae se ipsa moveat, neque nata *certe est* et aeterna *est*. Hic optimam clausulam (creticum et spondeum) esse natam nemo non videt, at Meissner docet: Bemerke die Wiederholung von *est* zur nachdrücklichen Bekräftigung des Schluszsatzes.

In extrema paragrapho tertia Africanus nepoti portendit haec (§ 3, VI 11): eritque cognomen id tibi per te partum quod habes adhuc *hereditári(um) à nóbis*. Merito Ziegler sequitur cod. W, nam clausula, quae constat e cretico et trochaeo (vel spondeo), multo frequentior [2]) est quam clausula huius verborum ordinis *a nobis hereditarium*, quem recepit Meissner, Hauler defendit [3]). Insuper praetereundum non est *per te partum* et *hereditarium a nobis* luculentum efficere chiasmum.

Similis causa movet me, ut cum Zieglero, cum codice R, cum tribus antiquis editionibus principio Africani orationis

1) Sunt autem hi: *sic habeto* (§ 5, VI 13 et § 18, VI 26); *habeto* (§ 16, VI 24); *scito* (§ 16, VI 24; § 18, VI 26); *spectato et contemnito* (§ 12, VI 20).

2) Zielinski computatione facta numerum eiusmodi clausularum hac figura describit 23,3 %.

3) Hic Zielinski utitur hac figura 1,1 %.

Digitized by Google

scribam (§ 2, VI 10): ades animo et omitte timorem Scipio, et quae dicam *memoriae trade*. Haec clausula [1]) (paean IV et trochaeus) longe anteferenda est illi, quam efficiunt verba *trade memoriae*, quae lectio tamen placuit Meissnero et Haulero.

Si nunc totam indolem Somnii cogitatione mihi fingo, de industria puto Scipionem, ubi turbas a T. Graccho factas attingit nepotemque adhortatur, poetice locutum esse (§ 4, VI 12): hic tu Africane ostendas oportebit patriae lumen *animi ingeniique tui consiliique*.

Necessario vocabula *animi* et *ingenii* arte copulata sunt; ex animo et ingenio oritur prudentia consiliumve, quare *consilii* quoque coniunctione *que* adnectendum est. Sic nascitur geminatio particulae *que*, quam poetae quidem adamant, sed boni prosae orationis scriptores vitant. Hic usus autem a nostro loco minime alienus est. Peculiari quoque huius libelli naturae tribuendum est, quod Cicero [2]) ne a clausula heroica (*consiliique*) quidem abstinet. Quotiens Tacitus imprimis in Annalibus hac clausula „vetita" utitur!

Restat ut paucos locos editionis a Zieglero curatae defendam contra Haulerum.

Initio Somnii legimus: Cum in Africam venissem M' Manilio consuli ad quartam legionem tribunus ut scitis militum, nihil mihi fuit potius quam ut Masinissam convenirem *regem*, familiae nostrae iustis de causis amicissimum.

Hauler virgula posita post *convenirem* verbum *regem* coniungere vult cum continuo sequentibus, quod haec vox, si pertineret ad *Masinissam*, collocata esset ante *Masinissam* [3]) quodque aliquid momenti habeat „der Umstand dasz dieser König ein der Scipionenfamilie besonders verpflichteter Freund war". *Regem* non sine causa seiunctum esse a Masinissam ipse Hauler concedit: haec eius verba sunt: (es entsteht) eine besondere Hervorhebung des Begriffes *rex*. Quod re vera opus est, nam

1) Zielinski harum clausularum numerum repraesentat figura 2,4 %, cum *trade memoriae* ei vix clausula esse videatur.

2) Clausula heroica Tullius utitur etiam (In Catil. I 30): neminem tam improbum, qui *non fateatur*.

3) Ceterum ne apud Ciceronem quidem *rex* semper praecedit nomen; cf. In Verr. IV 70 *Antiochum regem*, quod redit de imp. Cn. Pomp. § 55 cet.

Digitized by Google

opponuntur inter se *tribunus militum* et *regem*; quoniam *tribunus militum* in fine coli legitur, *regem* quoque in extremo colo ponatur necesse est. Etiam parum decorum esset, si omisso titulo Tullius scripsisset *Masinissam*, qui tam bene de populo Romano meritus erat.

Initio Somnii Masinissa dis sic grates agit: grates tibi ago summe Sol, vobisque reliqui caelites, quod ante quam ex hac vita migro, conspicio in meo regno et his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego *nomine recreor ipso*. Hac lectione, quam Ziegler fretus codice *V* et duabus antiquis editionibus recepit, omnis emphasis cadit in *nomine*, quod premendum est. Hauler autem praefert *cuius ego nomine ipse recreor*, quae verba plerique codices exhibent. Contra Zieglerum opponit *recreor ipso* clausulam heroicam efficere, sed nihil nos cogit *recreor* pro dactylo habere: Zielinski [1]) vix duo exempla afferre potest, quae probare videntur *cr* syllabam praecedentem producere. *Ipse* vero Hauler tuetur „aus dem bekannten Gebrauch von *ipse*, das so oft abweichend vom Deutschen ohne Berücksichtigung des äuszeren Gegensatzes auf das Subjekt bezogen erscheint, wie *me ipse diligo*, *mihi ipse confido*, *per me ipse*, *se ipse non continet* u. sonst". Sed horum exemplorum nullum quadrat in nostrum locum, nam in illis nominativus *ipse* opponitur aut accusativo aut dativo pronominis personalis aut reflexivi, hic tamen nominativus *ego* iam per se magnam habet vim neque aliud subsidium desiderat. Cum autem Masinissa manifesto dicere velit: vel nomen Scipionis me recreat, Cicero *nomine* ab *ipso* divisit vocabulo *recreor*.

Contra Ziegler recte nominativum *ipsa* (oppositum accusativo *se*) e Macrobii Commentario (pag. 627) recepit (§ 20, VI 28): nam haec est propria natura animi atque vis; quae si est una ex omnibus quae se *ipsa* moveat, neque nata certe est et aeterna est.

Haulero facile astipulor defendenti *itaque* contra Zieglerum (l.l. pag. 91 sq.). Verum parum idonea mihi videntur haec verba (pag. 92): „Die Gesprächigkeit des greisen Masinissa

1) Das Clauselgesetz pag. 173.

Digitized by Google

(vgl. *multisque verbis ultro citroque habitis*) weisz Cicero durch die Fülle der Kopulativpartikeln und die Breite des übrigen Ausdruckes gut zu zeichnen". Attendamus a Cicerone Masinissam fingi unam modo sententiam dicentem: certe rex quicunque minor natu haud paucioribus verbis usus esset, ut Scipionem laudaret. Postremo ex *multisque verbis ultro citroque habitis* discimus non solum senem sed etiam iuvenem multa locutum esse. Utrius ergo „Gesprächigkeit" indicatur, utrum senis an iuvenis.... an neutrius?

Quod attinet ad *ultro citroque*, semel tantum asyndeton *ultro citro* usurpat Tullius nempe de nat. deor. II 85 (cf. Antibarb. Krebs-Schmalz pag. 285). Ubi est igitur illa abundantia particularum?

De siderum suos orbes volventium concentu haec Africanus narrat (§ 10, VI 18): Quae cum intuerer stupens, ut me recepi, „quid? hic" inquam, quis est qui conplet aures meas tantus et tam dulcis sonus? „hic est, *inquit*, *ille*, qui intervallis disiunctus inparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, inpulsu et motu ipsorum orbium efficitur e. q. s. De his verbis Hauler scribit (l.l. pag. 94).... „es wird nicht mit Ochsner, Moser.... Ziegler u. a. in dieser Antwort zwischen *inquit* und *ille* ein Komma zu setzen sein, so dasz ziemlich gekünstelt *hic est.... ille*, *qui* zu verbinden wäre, sondern in Übereinstimmung mit dem Vorhergehenden scheint es natürlicher *hic est* (näml. *sonus*) direkt mit *qui* zu verknüpfen". Hic Hauler nonne refutari potest observando *inquit* respondere τῷ *inquam*. Ergo qui *ille* coniungit cum *inquit* (id quod plane supervacaneum est) parallelismum turbat. Nunc autem *ille* emphatice ponitur: haec est notissima illa symphonia (cf. τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο)!

Digitized by Google

TERTULLIANI ADVERSUS MARCIONEM IN LIBRUM QUARTUM ANIMADVERSIONES.

SCRIPSIT

PETRUS CORSSEN.

(Continuantur ex pag. 261.)

Quae Kroymannus ad p. 455, 3 in apparatu critico adnotavit: 'alium ⟨deum⟩ a Christo (nusquam praedicatum)', ea suo iure eum in ipsum textum recipere potuisse apparet et ex loco simillimo quem contulit (476, 14 'nusquam omnino alium deum a Christo reuelatum') et ex ipso horum verborum cum praecedentibus conexu (455, 1 'ut accusarent eum... non qua noui dei professorem'). Item 456, 9 lacunam textus in margine inferiore recte sic expleri iubet: 'hac uoce ⟨erasa⟩ os ei obstruxit.' Minus bene 457, 10 negationem interposuit: 'Deus meus, clamabo per diem et ⟨non⟩ exaudies'. Extat illa quidem in ipso psalmo (21, 3 *οὐκ εἰσακούσῃ*), sed Tertullianus sive casu sive consulto eam neglexit. Pergit enim: 'Et alibi...: Voce mea ad dominum exclamaui et exaudiuit me'. Neque egregiam Latinii coniecturam 'auditum pacis' 457, 16 pro 'auditum patris' spernere debuit. Repetiit enim T. illud ex Es. 52, 7 (cf. 457, 6 'euangelizans auditionem pacis').

Verba 455, 21: 'Quod (i. e. sabbatum) etiam si destruxisset, merito (sc. destruxisset) qua dominus, magis (sc. merito destruxisset) ille qui instituit (i. e. deus)' quomodo interpretanda essent docuit Engelbrecht, nisi quod priorem virgulam ante 'merito' omisit.

458, 5 'Mutat et Petro nomen de Simone, quia et creator Abrahae et Sarrae et Ausae nomina reformauit... Sed [et] cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multae materiae solidae aeque

Digitized by Google

nomen de suo accommodarent'. Engelbrecht 'et' post 'cur' poni voluit. Neque vero id interrogat T., cur Iesus Petri quoque nomen mutando effecerit, sed cur Simoni Petri potius nomen quam nescio quod aliud indiderit, cum multae essent materiae solidae, a quibus vocari posset. 'Et' post 'sed' vel potius 'set', quod olim fuisse veri simillimum est, ut per errorem scriberetur, facillime fieri potuit. 'Solidae aeque' pro 'solidaeque' scribendum esse sagaciter perspexit idem Engelbrecht. Sed 'aeque' ad 'solidae' referri, id quod E. vult, collocatione verborum vetari persuasit mihi amicus meus C. Goesch. Multas materias aeque atque petram nomen accommodaturas fuisse intellegendum est neque tamen siluit, cur hoc potissimum nomen Christus elegisset. Voluit id peculiare et proprium esse Simonis. Itaque cum ipse lapis et petra apud Esaiam (8, 14) vocatus esset, suis potius quam non suis figuris usus est. V. 11 'Itaque adfectauit carissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare, puto, proprius quam de non suis'. 'Proprius', i. e. 'magis proprium', (cf. 481, 28 'necessarius lumet') pro 'propius' suasit Pamelius.

459, 1. 'Venio nunc ad ordinarias sententias eius, per quas proprietatem doctrinae suae inducit, ad edictum, ut ita dixerim, Christi: Beati mendici' q. sqq. Haec quoque verba interpretandi viam monstravit E., cum 'ad edictum', quod superiores editores cum praecedentibus coniungebant, quo referendum esset, significavit. Ordinarias enim T. vocat benedictiones quae leguntur Lc. 6, 20—22, ut ordinariam dicit orationem dominicam (De ieiun. c. 15 s. f.). 'Ordo', inquit (De resurr. c. 2 III 27, 6 ed. Vindobon.), semper a principalibus deduci exposcit', atque ibidem haereticos vituperat, quod nunquam ordinarie tractent. Quod igitur ipsum secundum ordinem est, cum a principalibus deduci possit, gravissimum et summi momenti est, ut Seneca philosophiam non esse rem subsicivam, sed ordinariam, dominam esse dicit (ep. 53, 9). Utque ad normam orationis dominicae, quippe quo dominus docuerit, quo modo orandum esset, omnes orationes dirigendae sunt, sic sententiis illis ordinariis summa doctrinae Christianae quasi nuce continetur, ut cum edictis praetoriis comparari possint, quibus praetores declarabant, qua ratione ius dicturi essent.

Minus recte K. in sequentibus: 459, 10 'Quid ergo mirum,

Digitized by Google

si et ab adfectibus creatoris ingressus est per huiusmodi dictionem semper mendicos et pauperes... diligentis consolantis adserentis uindicantis, ut hanc Christi quasi priuatam benignitatem riuulum credas de fontibus saluatoris?' interpunctionem antecessorum suorum mutavit, cum 'per huiusmodi dictionem' vel potius 'benedictionem' (sic enim T. scripsisse persuasum habeo) a participiis quae sequuntur separavit. Hoc enim sentit T.: Ut Christus Novum Testamentum benedictione miserorum initiavit, sic creator suum erga omne genus humilium affectum semper benedicendo exhibuit. — Non de fontibus salvatoris, sed creatoris T. Christi benignitatem derivasse vix est quod commemorem. Ex hoc consensu N. et V. Testamenti concludit creatoris esse regnum quod a Christo repromittatur: 460, 23 'Cui tantus adfectus in omnem condicionem humilitatis [creatoris] est, eius erit et regnum quod a Christo repromittitur.' 'Creatoris' removendum esse vidit K.

Quod esurientibus quoque regnum promittatur (461, 2), id se praeterire potuisse T. dicit, quoniam eidem sint atque pauperes, 'si non et hanc promissionem creator specialiter in euangelii, scilicet sui, praestructionem destinasset.' Sic enim haec interpungenda sunt; nam creatoris, non alterius dei evangelium esse etiam atque etiam monere Tertulliano cordi erat.

Postquam hanc promissionem ab Esaia deduxit, quaerit, nonne tertiae quoque — 'beati plorantes, quia ridebunt' — aliquid simile in V. Testam. inveniatur: 461, 15 'Videbimus et contraria ista, an Christo praeministrentur; interim quod esurientibus saturitatem repromittit, creatoris est.' Aut sic cum codice F scribendum est (cf. 459, 5 'iam hoc ipsum, quod a benedictionibus coepit, creatoris est'), aut cum R 'dei creatoris'. Neque vero 'contraria ista' ad esurientes et saturatos, ut Kr. putat, sed ad plorantes et ridentes spectant atque horum quoque benedictionem ab Esaia Christo subministratam esse adfirmatur: 'Decurre sententiam Esaiae: Ecce qui serviunt mihi oblectabuntur.... et haec contraria apud Christum recognosce'. Neque enim imperativus 'recognosce' in futurum 'recognoscemus' mutandus est. Pro 'contraria ista' nescio an 'contraria sequentia' scribendum sit.

Coniectura palmari Kr. 462, 24 errorem librariorum, qui

Digitized by Google

omnes ante eum fugit editores, correxit. Non enim 'excidio', sed 'ex odio' in ipsum praedicato T. se probaturum esse scripsit filium hominis esse secundum creatorem. Idem optime 463, 9 pro 'et' scripsit 'ergo'. Inducitur enim conclusio argumenti, qua filium hominis eundem esse, propter quem nomen Christianum in odio sit, efficiatur. Neque vero fieri potuit, ut Tertullianus scriberet: 'Ergo qui natus est, ipse erit filius hominis'. Non enim de eo hic agitur, utrum Christus in vico Bethlehem natus sit an statim de caelo descenderit, sed idemne sit, qui in V. Test. adnuntietur, necne. Hunc iam venisse negavit Marcion, probaturus erat T. idque hoc modo: Odium in Christum creatoris praedicatum esse, iam in odio esse nomen Christianorum a Christo deductum. Si non venisset, odium nominis personam nominis praecessisse. Quod quia factum esse non posset, non alium Christum venisse, sed qui venisset eundem esse atque qui praedicatus esset.

Quod Christus Lc. 6, 24 Vae dicit divitibus, id quomodo interpretandum esset, dissentiebant inter se Marcionitae (464, 1 sqq.). Erant qui affirmarent Vae illud non tam maledictionis quam admonitionis esse. Contra T.: 464, 6 'Nemo', inquit, 'comminabitur, ne quid fiat, nisi qui factum uindicabit; nemo uindicarit, nisi qui norit irasci'. Libri habent 'faciat' pro 'fiat'. 'Ne quid fiat' se olim scribere voluisse confitetur K., id quod mihi multo rectius videtur quam quod Engelbrechtio auctore in textum recepit 'ne quid quis faciat'. Alii Marcionitae inesse aliquid in illa interiectione maledictionis concedebant, neque tamen ex sua sententia Christum eam pronuntiasse, sed divites ut iram creatoris caverent monere atque suam bonitatem creatoris asperitati opponere voluisse contendebant. Hanc quoque interpretationem T. in ipsorum eius auctorum detrimentum vertit: 464, 20 'Alioquin qualis est ille, qui ut suam insinuaret bonitatem creatoris opposuit asperitatem?' In sequentibus variant libri mss., cum alii (M G) habeant: 'Infirma commendatio est quae de alterius destructione fulcitur', alii (R F): 'Dei (de F) alterius infirma commendatio est quae destructione fulcitur'. K. illam, ego hanc lectionem longe praefero. Nam T. hoc loco non in universum loqui probatur eis quae praecedunt. Si enim in universum loqueretur, non dixisset 'creatoris', sed 'alterius

Digitized by Google

asperitatem'. Dicendum igitur erat, cuius esset commendatio. Deinde si amplectimur lectionem codicum M G, pronomen 'alterius' referendum est ad deum creatorem. Hoc autem ab usu Tertulliani abhorret. Nam cum suum deum Marcionis deo opponit, hunc alterum deum appellat, velut 435, 24 'statim auersarentur destructorem legis et prophetarum et utique inprimis alterius dei praedicatorem'. Infirmam igitur dicit dei Marcionis commendationem, quod creatorem destructurus esset.

Quibus quae addit sic scripta fuisse puto: 'Atquin opponens asperitatem creatoris timendum eum confirmauit; si timendum, magis utique [ob]audiendum quam neglegendum, et incipit iam Christus Marcionis creatori ⟨obaudire⟩ docere'. Cf. locum similem 476, 2, quem infra tractabimus.

Quamobrem K. verba 'quoniam — fructibus' (465, 19) loco removerit, non intellego; nam tantum absonant ab eo loco, in quem ea transtulit, quam consonant cum eo, ubi tradita leguntur. Quae si intacta remanent, non necesse est 465, 23 'uti' pro 'itaque', quod in codice Goerziensi legebatur, scribere.

Rectissime K. 468, 10 scripsit: 'Sicut iniuriae prophetarum non pertinuissent ⟨nisi⟩ ad deum ipsorum, ita nec gratiae pseudoprophetarum displicuissent nisi deo prophetarum', itemque 469, 11, quo loco T. cumulum affert spinis disserendi, ut creatorem talionem iubentem excuset: 'aperitur nobis, quomodo oculum pro oculo et dentem pro dente censuerit, non ad secundam iniuriam talionis permittendam, quam prohibuerat interdicta ultione (Zach. 8, 17 et Deut. 32, 35), sed ad primam coercendam[, quam prohibuerat] opposito talione, ut unusquisque respiciens licentiam secundae iniuriae a prima semet ipsum contineret'. Sed errat K. in eo quod particulam 'an' (468, 27) idem valere posse putat ac 'nonne'. Excidit littera n̄ post 'an' (= 'an non'). Deinde quae sunt initio paginae 469 enuntiata non recte inter se coniunxit. Quaerit enim T., nonne creator quoque disciplinam patientiae praedicet, cum per Zachariam malitiae fratris aut proximi nos meminisse vetet: 'An non disciplina patientiae praedicatur penes creatorem, si per Zachariam praecipit [1]): "ne unusquisque malitiae fratris sui meminerit",

1) libri 'praecepit'.

Digitized by Google

sed nec proximi, nam et rursus: "malitiam, inquit, proximi sui unusquisque ne recogitet"?' Ad quod ipse respondet: 'Multo magis patientiam indixit iniuriae qui indixit oblivionem'. Tum 469, 20 'legis talionem' pro 'legis taliones' scribendum, v. 25 duae voculae tollendae sunt: '(iniuriae) quam et lex [et] [1]) per talionem uoluerat impedisse, certe [quam] prophetia manifeste coercuerat'.

Ut multo magis creator patientiam doceat quam Christus, sic plus misericordiae T. in Deuteronomio, quippe quod indigentes omnino esse nolit, quam in Evangelio omni petenti dari iubente postulari exponit. Itaque pro eis quae tradita sunt 470, 22 'Ne quis ergo indigeat datorem, imperatam habes in Deuteronomio formam creatoris: "non erit, inquit, in te indigens", aut cum Rhenano scribendum est: 'indigeat, datori imperatam', aut cum Pamelio: 'indigeat, in datorem imperatam' (cf. 471, 9 'in omnes praecepit'). Datori enim curandum esse, ne quis sit indigens.

Rectissime K. indicavit, quomodo lacunae 471, 8 et 12 supplendae sint.

Verba corruptissima 472, 14 'ut ad legem uoluntati sperem factum' sic mutavit Rhenanus: 'ut ad legem uoluntatis parem factum', quae quid significent, equidem non intellego. Docet T., quod Christus, sicut nobis fieri velimus ab hominibus, ita et nos illis facere iubeat, id fieri non posse, nisi sciamus, quid debeamus nobis velle et nolle. Id autem nos scire non posse, si nobis praecipiat deus novus et ignotus, qui nos antea non instruxerit, quid deberemus velle et nolle, ut nulla sit in nobis convenientia voluntatis et facti. Statuit igitur certam quandam legem voluntatis, quam si nesciamus divisa sint in nobis voluntas et factum. Inconvenientia quadam voluntatis et facti nos agere sicut ethnicos, quod factum a lege voluntatis separemus. Quae cum ita sint, licet vel potius necesse est scribere: 'Non enim definiit, quid mihi atque aliis debeam uelle uel nolle, ut a lege uoluntatis separem factum et possim alii non praestare quod ab alio mihi uelim praestitum'.

Paulo infra 472, 23 sic scribendum esse putaverim: 'Itaque

1) 'et' om. etiam R.

Digitized by Google

deus Marcionis ⟨etsi⟩ cum maxime reuelatus sit, tamen [reuelatus] non potuit huius praecepti... compendium emittere'.

Negat T., cum in V. Test. pignus debenti reddi iubeatur, iuberi ei quoque qui solvendo sit reddi: 473, 25 'Nam et supra "Et pignus", inquit, "reddet debenti", utique si non sit soluendo'. Verbis corruptissimis quae subsequuntur 'quia solutori utique pignus restituendum esse utrum homo scriberet' difficile est mederi, quamquam quin lenissima coniectura Ciacconi 'soluturo' pro 'solutori' (cf. 474, 7 'exsoluturo') recipienda sit et alterum 'utique' post alterum male repetitum recte Kroymanno displiceat, dubium esse non posse puto. An scribamus: 'quia soluturo pignus restituendum esse uerum nemo crederet'?

Haud minorem difficultatem praebent quae ad Deut. 24, 12—13 et 15, 2 interpretandos afferuntur 474, 6: 'Porro cum debitum dimitti iubet, utique non exsoluturo, plus enim est, et si exsoluturos, cum reposci uetat, quid aliud docet quam non exsoluturo feneremus, qui tantum detrimentum fenori indixit?' Particula 'porro' non novum aliquod argumentum adici, sed potius verba Deuteronomii quae praecedunt explicari et confirmari indicatur. Vitium inesse in verbis 'plus enim est et si' cognovit Engelbrecht, sed quod 'plus' idem valere atque 'nimium' existimat, id valde dubito. Amplioris ambitus corruptelam esse et T. verbis Deuteronomii 'dimittes omne debitum quod tibi proximus debet et fratrem tuum non reposces' non tantum creditoribus detrimentum imponi quantum videretur demonstrare studuisse putaverim. Quid, si scripsit: 'Porro cum debitum dimitti iubet — utique non exsoluturo, plus enim est, si et exsoluturo (sc. dimitti iubet), ⟨quam⟩ cum reposci vetat — quid aliud docet quam: "Non exsoluturo feneremus!" qui tantum detrimentum fenori indixit?'

Quod scriptum sit Lc. 6, 35 'et eritis filii dei', id Christum Marcionis dicere potuisse T. negat. Non licere ei nos filios sibi facere, qui filios procreare nos vetet, neque filios nos esse posse spadonis (i. e. dei illius ignoti), qui nihil creaverit, cum habeamus patrem qui universa creaverit, qui si non animalibus facultatem filios gignendi dedisset, omnino non essemus; at statim ab initio fuisse hominem eius filium. Haec si fuit Ter-

Digitized by Google

tulliani sententia, verba tradita duobus mutatis sic interpungenda sunt 474, 16: 'Et si marem ac feminam non miscuisset creator et si non universis quoque animalibus filios concessisset, non eram. Eius ante paradisum, ante delictum, ante exilium, ante duos unum denuo factos filius fui...; ille nunc me rursus filium nuncupat'. Pro 'non eram' traditum est 'hoc eram', quod quomodo explicari possit, non intellego. Quae antea scripta erant 'ante duos, unum. Denuo factus filius fui' in integrum restituit K. Principio enim unus erat homo; postquam ex ossibus eius deus feminam formavit, erant duo, unum denuo facti sunt matrimonio coniuncti. Ad Gen. 2, 24 iam Rigaltius verba corrupta revocaverat neque tamen correxit.

Item suavem dici posse deum illum 'ne cognitum quidem usque adhuc' negat 474, 25, quippe a quo nulla beneficia praecessissent hoc genus suavitatis, qualia sol et imbres, qui ⟨non⟩ feneravisset non recepturus ab humano genere, ut creator. — Negationem inserendam esse ante verbum fenerandi vidit K. Libri mss. habent 'qua soles et imbres'. Pluralis 'soles' tolerari possit, si T. non ad Mt. 5, 45 spectet. Sed cum ipsam vocem domini commemoret, pluralem et hic et v. 23 errore librariorum natum esse putaverim. 475, 4 in M 'soles et imbres', in R 'solem et imbres' scriptum est.

Quaerit T. 475, 20, quod Lc. 6, 37 sq. suam cuique retributionem obtingere dictum sit, a quo ea nobis contingat, ab hominibus, an a creatore, an ab ipso Christo. Postquam alterum et tertium idem valere exposuit, quoniam retribuere non posset nisi qui iudicaret, iudex autem secundum Marcionem non deus ille optimus, sed creator esset, optionem dat Marcionitis, nisi forte plus intersit regulam magistri tenere quam verba Christi reputare eique oboedire. Intellexit enim E., quomodo verba tradita v. 27 sqq. supplenda essent: 'Eligant itaque Marcionitae, ne tanti sit de magistri regula excidere quam ('quanti' K. cum Latinio) Christum aut hominibus aut creatori ⟨oboediendum⟩ docentem habere'. — Verba 476, 2 'Sed caecus caecum ducit in foveam' cur K. ab eis quae sequuntur separaverit, non intellego, praesertim cum haec ipsa egregie sic emendaverit: 'Corrigunt ('credunt' libri mss.) aliqui Marcionem'. Verbum corrigendi vel emendandi unicum in hunc

Digitized by Google

locum quadrare ex eo apparet, quod subinde Appellem Marcionis de discipulo emendatorem appellat.

476, 16 recte traditum est in R: 'Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientia sui'. Deinde 476, 17 sic scribendum est: 'Tamdiu ergo et Iudaei non alium deum norant quam praeter quem neminem adhuc appellabant nec alium deum appellabant quam quem solum norant', cum librarii per errorem 'norant' pro priore 'appellabant' scripserint.

476, 24 'Quis item adiecisse potuisset: "et non facitis quae dico?" utrumne qui cum maxime latere temptabat an qui a primordio ad illos et legis et prophetarum eloquia mandauerat?' Libri 'cum maxime edocere' pro 'cum maxime latere'.

477, 3 'Quis et inobaudientiam illis exprobrare posset, etiamsi numquam alias exprobrasset?' Falso 'qui' pro 'quis' in libris scriptum est. Tria deinceps enuntiata sunt in eundem modum conformata: 476, 20 'Quis videbitur dixisse?' v. 24 'Quis item adiecisse potuisset?' 477, 3 'Quis et inobaudientiam illis exprobrare posset?'

477, 10 'Proinde ⟨de⟩ extollenda fide centurionis (v. Lc. 7, 1—10) incredibile, si is professus est talem se fidem nec in Israhele invenisse, ad quem non pertinebat fides Israhelis, sed nec exinde pertinere poterat adhuc cruda ut probaretur vel compareret, ne dixerim adhuc nulla'. Non est quod de verbis 'sed — nulla' dubitemus, modo pro eo quod traditum est 'compararetur' scribatur 'compareret'. Dicit enim T., si Christus alterius esset dei, non habuisse eum, cur miraretur, quod intra brevissimum tempus postquam apparuisset talem fidem apud eos non invenisset, qui alium Christum expectarent. Difficile dictu est, quomodo quae sequuntur sananda sint, nec ego me ipsa Tertulliani verba invenisse spondeam, tamen paulo propius ad ea quam quae K. suadet haec accedere putaverim: 'Sed cur non licuerit illi alienae fidei exemplo uti? Quoniam si ita esset, ⟨dixisset⟩ talem fidem nec in Israhele umquam fuisse; ceterum dicens talem fidem ⟨nec in Israhele se inuenisse⟩ debuisse ⟨se dicit talem fidem⟩ invenire in Israhele, qui[que] ad haec uenisset, uti eam inueniret, deus scilicet et Christus Israhelis, quam non suggillasset nisi exactor et sectator eius'.

Digitized by Google

Pugnat T. cum Marcione ex eo, quod Iohannes auditis virtutibus Christi scandalizatus esse dicatur, colligente eum speravisse, i. e. putavisse, vel intellexisse Christum alterius dei esse: 478, 18 'Itaque Iohannes, communis iam homo et unus de turba' (sc. quoniam, postquam Christus praedicare coepisset, spiritus sanctus qui in Iohanne fuisset, in illum redisset,) 'scandalizabatur quidem qua homo, sed non qua alium Christum sperans uel intellegens, qui neque unde speraret, ut nihil noui docentem uel operantem'. K. spreta Latinii magis speciosa quam vera coniectura 'qui neque eundem speraret' ipse scripsit 'qui neque ⟨haberet⟩ unde speraret'. Equidem vestigia Latinii secutus probabiliora invenisse mihi videor 'qui neque eum desperaret'. Declarat enim interrogatio illa: 'Tu es qui uenis, an alium expectamus?' dubitasse Iohannem neque tamen desperasse Iesum eum esse qui veniret.

478, 23 'Iohannes autem certus erat neminem deum praeter creatorem, uel qua Iudaeus, ⟨ne dicam⟩ etiam prophetes' K. coll. 384, 13 et 387, 23. Optime idem v. 25 'Plane facilius quis haesitabit' pro 'quasi haesitauit'.

T. Iohanni crimini dat, quod Christum non ex operationibus agnoverit: 479, 6 'Atque adeo hoc erat Iohannis scandalum, quod dubitabat ipsum uenisse quem expectabat, quem ex praedicatis operationibus agnouisse debuerat, ut dominus per easdem operationes agnoscendum se nuntiauerit Iohanni'. Si recte scripsit K. 'debuerat' pro 'debuerant', scribendum etiam erat 'expectabat' pro 'expectabant'. Quod 'ex' et 'et' inter se commutata esse existimat (libri: 'et praedicatis operationibus'), eius rei non desunt exempla [1]). Neque tamen K. extremum enuntiatum a praecedentibus, quibuscum arte cohaeret, separare debuit. Nam quia dominum non agnovit, hic Iohanni nuntiat ex operationibus se esse agnoscendum. — Multo corruptiora sunt quae sequuntur. Sed si quis consideraverit, ut decuerit Christum creatoris ad Esaiam provocare, sic dedecuisse Christum non creatoris, non dubitabit, quin T. sic scripserit: 479, 10 'Quae

1) Velut falso 'et' in R, recte 'ex' in M scriptum est 465, 20 466, 11. 21 524, 3 567, 26; falso 'et' pro 'ex' in utroque: 'et tot festis .. elegit' (corr. R^3) 559, 2; falso 'ex' in R, 'et' in M, quem recte secutus est K. 560, 28. Contra 507, 20 cum R 'exsuscitatus' pro 'et suscitatus' scribendum erat.

Digitized by Google

cum constent praedicata in Christum creatoris, sicut ad singula ostendimus, satis peruersum, ut Christus non creatoris per ea se nuntiarit intellegendum, per quae magis Christum creatoris agnosci competebat'. Libri: 'ut Christum non creatoris per ea renuntiarit... compellebat'.

Quod Iohannes a Iesu maior omnibus filiis mulierum idemque minor vocatur eo qui modicus sit in regno dei, id Marcion interpretabatur, quasi alterius dei, i. e. creatoris, esset Iohannes, alterius, i. e. dei optimi, regnum. At T. non solum Iohannem, sed etiam regnum, in quo modicus quis maior sit Iohanne, eiusdem esse creatoris affirmat: 479, 22 'ipse erat intellegendus, cui praecursor ministrauerat maior quidem omnibus natis mulierum, sed non ideo subiectus ei, qui minor fuerit in regno dei, quasi alterius sit dei regnum, in quo modicus quis maior erit Iohanne, alterius Iohannes... Siue enim de quocunque dicit modico, siue de semet ipso per humilitatem,... tantundem est: creatori competit et Iohannem ipsius esse, maiorem natis mulierum, et Christum uel quemcumque modicum, qui maior Iohanne futurus sit in regno aeque creatoris'. 'maior quidem' R 'maiori quidem' M 'maior is quidem K., 'siue de semet ipso per humilitatem' K. pro 'per humilitatem de semet ipso' M R. Idem recte 'quemcumque modicum' (cf. supra 'de quocumque modico') pro 'quemque modicum'. Praeterea membra orationis recte inter se distinxit, cum pro 'tantundem et' 'tantundem est' [1]) scribendum esse intellegeret. Minus bene 'dei' sic interposuit: 'in regno dei — aeque creatoris —' quo debilitavit vim orationis. Dicturus enim erat T. regnum aeque creatoris esse atque Iohannem.

480, 17 'ut peccatricis paenitentia secundum creatorem meruerit ueniam ⟨misericordiam⟩ praeponere solitum sacrificio'.

V. 19 'per paenitentiam ex fide iustificata ab eo audiit', 'iustificata' pro 'iustificatam' K.

481, 11 'Non enim audiebant ultra qui aures habebant, sed ostendebat aures cordis necessarias'. Libri 'ultro', quod quomodo explicari possit non video. Audiebant illi quidem aure, sed non amplius; Christus autem ostendebat etiam corde audiendum esse.

---

1) Ita 438, 26 in M 'et' pro 'est' scriptum est.

Digitized by Google

Cum Marcion dei creatoris per Esaiam comminationem 'Aure audietis et non audietis' Christi pronuntiationi 'Qui habet aures audiat' opposuerit, ut quantum interesset inter Evangelium et V. Testam. demonstraret, T. Christum non minus comminari contendit: 481, 15 'Si dignum sensum pronuntiationi accommodes pro sensu eius, qui auditum ('auditui' libri) suscitabat, etiam dicendo: "Uidete, quomodo audiatis" non audituris minabatur. Sane non minatur mitissimus deus, quia nec iudicat nec irascitur'. 'Non minatur' egregie K. ex 'nominatur' restituit. Ut hoc dictum, sic ne illud quidem dei Marcionis esse posse: 'Ei qui habet dabitur, ab eo autem qui non habet etiam quod habere se putat auferetur ei'. Sic enim T. argumentatur: 481, 21 'Quid dabitur? Adiectio fidei uel intellectus uel salus ipsa. Quid auferetur? Utique quod dabitur. A quo dabitur et auferetur. Si a creatore auferetur, ab eo et dabitur; si a deo Marcionis dabitur, ab eo et auferetur. Quoquo tamen nomine comminatur ablationem, non erit eius dei, qui nescit comminari, quia non nouit irasci'. Verba 'A quo dabitur et auferetur' non, ut editores existimant, per interrogationem dicta sunt. Nisi enim T. ipse statuisset ab eodem dari et auferri, non potuit Marcionitis optionem dare, utrum deum suum eum esse vellent qui daret an qui auferret, ut, sive hoc sive illud eligerent, eum comminari concedendum esset, cum eum comminari posse negarent, quia irasci non posset. Pro 'quia non nouit' libri 'qui non nouit'.

Marcionitas verba Iesu dicentis lucernam non abscondi nec esse occultum quod non cognoscatur et in apertum veniat (ὃ οὐ μὴ γνωσθῇ καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ) suo Christo tribuentes sic irridet T.: 481, 26 'Miror autem, cum lucernam negat abscondi solere qui [se] tanto saeculo absconderat maius et necessarius lumen, cum omnia de occulto in apertum ⟨ueni⟩re promittit qui deum suum usque adhuc obumbrat'.

483, 2 'Dic mihi, omnibus natis mater aduiuit? omnibus natis adgenerantur et fratres? Non licet patrem magis et sorores habere uel et neminem?' Libri 'patres'.

— 10 'sed [et] ex causae necessitate' recte K.

— 11 'Tam proximas enim personas foris stare, extraneis intus defixis ad sermones eius, amplius et auocare eum a

Digitized by Google

sollemni opere quaerentes, merito indignatus [est] non tam abnegavit quam abdicauit'. Eng. pro 'est' 'eas', K. praeter 'est' etiam 'quaerentes' deleri vult. Pro 'abnegauit', quod numero sermonis Tertullianei magis respondet, K. cum maiore parte codicum 'negauit'.

Ex eo quod Christus nomina matris et fratrum in eos transtulit, qui verba eius audiebant (Luc. 8, 21), T. concludit contrarium atque Marcion, quia illa nomina transferre non potuisset, nisi fuissent, qui ea haberent: 483, 17 'Nemo autem transfert quid, nisi ab eo qui habet id, quod transfert'. Non igitur est, cur verba 'ab eo' e medio tollamus, neque enim matrem Christus transtulit, sed nomen matris. Negavisse autem Christum matrem et fratres T. dicit, non quin essent, sed quod alii eis nominibus digniores essent. Non enim haec inter se separanda sunt, sed iustus enuntiatorum ordo servatus est hic: 483, 19 'quomodo negauit eos qui erant? Meritorum scilicet condicione, non ex proximorum negatione... Ceterum (i. e. quod attinet ad sanguinem) ex hoc magis matrem et fratres confitebatur, quod illos nolebat agnoscere, quod alios adoptabat: confirmabat quos ex offensa negauit, quibus non ut ueriores ⟨alios⟩ substituit, sed ut digniores'.

Verba corruptissima 484, 10 'Lege et sorte familiae dirimendae in transitu eius Iordanis machaeram fuisse' cum ad IV Reg. 2, 14 spectare sagaciter perspexit, K. viam emendandi munivit. Ventos et mare Christo oboedientia non novum dominum, ut Marcion contenderet, sed auctorem suum agnovisse T. exponit. Sic famulos Christi Moysen mari rubro imperavisse, Heliam Iordanen pallio quasi machaera diremisse, Iosuam ut eiusdem aqua staret effecisse. Verbis 'sorte familiae' 'profete (= ae) Heliae' subesse persuasum habeo. Totum locum sic fere legendum esse censeam: 'Lege [1]) et prophetae Heliae pallium ad dirimendam ⟨undam⟩ in transitu eius Iordanis machaerae fuisse, cuius impetum.. et Iesus docuerat.. stare'. 'pallium' a Kroym., 'undam' ab Eng. mutua sumpsi.

Exponit T. daemonem legionem alium Christum nisi creatoris ignorasse, quoniam a Iesu petierit, ut sibi in abyssum

1) 'Lege' respondet imperativo qui praecedit v. 5 'inspice'.

Digitized by Google

abire liceret, id quod a creatore ei petendum fuerit. Ex eo autem sequi, ut ne creator quidem alium noverit, quia si novisset, etiam universae familiae is innotuisset qui in eodem mundo conversaretur. Haec mihi quidem paucis exceptis et codice R conservata et ab editoribus recte interpuncta videntur: 485, 17 'Quod antem dominus comperisset, iam et universae familiae innotuisset in eodem mundo et intra eundem ambitum caeli, ⟨in⟩ quo peregrina diuinitas conuersaretur. In quantum ergo et creator scisset eam et substantiam ('— ae' libri mss.) eius, si fuisset, in tantum, quia nulla fuit, non alium daemones sciebant quam dei sui Christum. Non enim id peterent ab alio, quod meminissent petendum sibi a creatore, ueniam scilicet abyssi creatoris'. Pro 'id peterent' libri 'depetunt', 'peterent' Ursinus, 'depeterent' K.

Optime K. 486, 10 'Ut confessionem certe prouocaret, ut timorem ⟨re⟩probaret'. Idem recte sequentibus 'Sic et Adam aliquando quaesierat quasi ignorans' subiectum addendum esse sensit, sed nescio an potius 'dn̄s' post 'aliquando' quam 'creator' post 'quaesierat' exciderit.

Cum Marcion mulierem sanguine fluitantem, quod fide sua contemptum legis praestitisset, salvam fecisse contenderet, T. eam potius ex fide creatoris egisse demonstrare studet: 486, 22 'Et cui eredibile, ut mulier nullius adhuc ⟨noui⟩ dei conscia, nullius adhuc nouae legis initiata, legem inrumperet eam, cui adhuc tenebatur?... In quem deum credens? quem sperans? Creatorem. Certe enim ex fide tetigit. Si ex fide, ⟨ex fide⟩ creatoris, quae alium deum ignorabat'. Legem igitur eam infregisse, cum Christum tangeret, quamquam incredibile videatur, tamen non negat, sed ex fide creatoris id factum esse confirmat. Quod quomodo fieri potuerit, ut legem propter ipsam fidem, propter quam non debuerit, violaret, deinde explicaturus sic pergit: 'Et quomodo legem eius inrupit? Tam enim inrupit, si inrupit, quam ex fide creatoris. Quomodo autem utrumque conueniet, ut et inruperit et ex fide eam inruperit, propter quam inrupisse non debuit? Dicam'. ⟨Noui⟩ addidit K. Pro 'quem sperans? Creatorem'. Kroym. cum M 'cui spernens creatorem?' dativo 'cui' interpretatione addita 'wem zu Liebe', R 'quem spernens? creatorem'. 'Quomodo

Digitized by Google

autem' K. pro 'quomodo enim'. — Paulo superius idem pro 'sanitatem donare' recte coniecit 'sanitate eam donare'.

Contradictionis illius in adiecto explicatio, quae sequitur post 'dicam' 487, 3 recte codice R servata est nec K. codicis M gratia aut v. 5 pro 'in Christo, qua sic eum tetigit' 'in Christo, qua si eum tetigit' aut v. 13 'ille' pro 'illa' scribere debuit. Uno tamen loco aliquid intercidisse censeam: 487, 8 'Itaque non temere interpretata est sibi legem ea contaminari significantem, quae essent contaminabilia, non deum quem in Christo ⟨operari⟩ confidebat'. Cf. v. 5 'eum deum certa erat operari in Christo', 540, 15 'deum operantem in prophete'.

487, 18 'Hanc fidem' (i. e., ut modo explicaverat, fidem in intellectu positam) 'probans, Christus eius feminae, quae solum credebat creatorem, [eius] fidei se deum respondit, quam probauit'.

Finem facit T. de muliere sanguinante disserendi, cum dicit, si aemulus legis Christus fuisset, eum mentiturum fuisse, quia vere pollui non posset, i. e. eum mentiturum fuisse, si muliere illa sananda legem violare videri vellet. Affirmaverat enim Marcion Christum eam sanare cupivisse, ut legem contactum talium mulierum non admittentem a se contemni appareret (v. 486, 14). Contra T. sic argumentatur: Legem a Christo Marcionis violari omnino non potuisse. Nam cum corpore vacuus esset, eum tangi non potuisse, si tangi non potuisset, non potuisse pollui. Ergo mentiturum eum fuisse, si contra legem se egisse simularet. Quae si ita sunt, recte superiores editores verba libris mss. tradita sic distinxerunt: 487, 25 'Qui ergo non potest contaminari prae inanitate substantiae, quomodo voluisset? Ut aemulus legis mentiebatur, qui non uere polluebatur'.

488, 4 'boui quoque terenti libertatem oris ad ueniam pabuli ex opere summouendi ante praecepit'. Quid substituendum esset pro verbo summovendi, vidit Ursinus, nisi quod pronomen possessivum addere neglexit. Scriptum enim erat antiquitus: 'pabuli ex opere suo sumendi'. Cf. Prov. 24, 29 'Reddam unicuique secundum opus suum'.

— 8 'Nemo testatur quod non iudicio destinatur: inhumanitatem qui in testationem redigi iubet iudicem comminatur'.

Digitized by Google

Qui iudicem comminatur aliquid iudicio destinat. Ergo 'destinatur' per errorem pro 'destinat' scriptum est.

— 10 'Nullum deum nouum a Christo praedicatum', non 'probatum' Tertullianum scripsisse ex eo sequitur, quod deinde, si Christus aut Iohannes aut Helias aut unus ex veteribus prophetis fuisset, ut quidam asseverabant (Lc. 9, 7), non utique ob hoc eum suscitatum esse dicit, ut alium deum post resurrectionem praedicaret.

Comparat T. Christum quinque milia hominum quinque panibus et duobus piscibus in solitudine saturantem cum creatore Israhelitas in deserto pane caelesti servantem, ut Christum exemplo creatoris egisse demonstret: 488, 14 'Pascit populum in solitudine de pristino scilicet more'. Quodsi pergit: 'Aut si non eadem est maiestas, ergo iam minor est creatore', apparet Marcionem novum quoddam miraculum illud Christi fuisse affirmavisse, cuius exemplum in V. Test. non exstaret, cum T. id quidem genere idem, sed non amplitudine fuisse contendat. Deinde exponit Christum in eo quoque pristinum exemplum idque Heliae secutum esse, quod alimentorum illorum magnam partem superesse voluerit: v. 19 'Adeo autem ea fuit maiestas, ut et pabuli exiguitatem non tantum sufficere, uerum etiam exuberare de pristino uoluerit exemplo'. In his deesse aliquid recte sensit K. Neque vero T. 'Adeo autem eadem fuit maiestas' scribere potuit, quoniam pronomini 'idem' eum sensum adhibuit, ut non genus, sed amplitudinem miraculi significaret, neque Christus hoc loco amplius cum ipso creatore, sed cum Helia comparatur. Difficile est ipsum verbum quod periit restituere, sed quod ad sententiam attinet, T. maiestatem illam fuisse 'non novam' vel 'veterem' scripsisse putaverim. Cf. 489, 6 'O Christum et in nouis ueterem'!

489, 23 'eam causam indicti silentii protulit, quae non Petri errorem demonstraret⟨, sed⟩ obeundarum passionum necessitatem'. 'sed' merito addidit Rhenanus.

Rectissime K. lacunam statuit 490, 11 et quomodo ea explenda esset indicavit. Intellexit enim T. cum Es. 57, 1 coniunxisse Ps. 115, 6: '⟨sed et honorabilis (vel: 'pretiosa in conspectu domini'), inquit Dauid, mors⟩ sanctorum eius'. Si absunt quae K. addidit, verba quae sequuntur 'utique non

Digitized by Google

simplex nec de naturae lege communis' non habent quo referantur nec ulla fit mentio mercedis martyrum, quam in V. Test. praedictam esse modo significaverat (v. 8).

Idem a verbis 'Ut et hic tamen iudicem adcognoscas' 490, 14 novam verborum periodum initium capere cognovit membraque eius coniecturam Engelbrechti amplexus recte distinxit. In eo mihi videtur errare, quod 490, 18 post verba ex Lc. 9, 26 allata aliquid intercidisse putat.

490, 24 Christus Marcionis promptus et paratus de caelo delapsus per ludibrium Christo in utero feminae coagulatione quadam 'humoris genitalis' (cf. Adv. Hermog. c. 29 p. 157, 3) formato opponitur: 'Non ⟨in⟩ uulua licet uirginis, tamen feminae coagulatus, etsi sine semine, [tamen] ex lege substantiae corporalis ex feminae humore' q. sq. 'Etsi non semine' libri, 'ex feminae humore' Rhenanus pro 'ex semine et humore', sed cod. M. qui incognitus erat Rhenano, teste Oehlero pro 'semine' habet 'femine'. Quod K. in textum recepit 'ex sanguine et humore' mihi non probatur. T. enim ex auctoritate evangelii Ioh. 1, 13 Christum ex sanguine natum esse negavit (v. De carne Christi c. 19), neque K. ad eiusdem libri c. 4 provocare debuit. Ibi enim de hominis, non de Christi partu agitur. Neque vero ante 'coagulatus' aut 'prolatus, non' (Kroym.) aut 'iaculatus, non' (Eng.) interponendum est. Nam totum ordinem nascendi, cuius finem facit ipse partus, ita T. describit, ut a primo initio incipiat. Itaque quod illi in principio poni volunt postea 491, 4 Marcionis verbis sic exprimitur: 'per corporis cloacam effusus ad terram'. Quod scripsi 'etsi sine semine', id quamquam audacius quam probabilius scriptum esse haud nego, tamen si non ipsis verbis, at sententiae Tertulliani respondere spero. V. enim De carne Christi c. 16 sub finem: 'Sicut terra conversa est in hanc (i. e. Adami) carnem sine viri semine, ita et dei verbum potuit sine coagulo in eiusdem carnis transire materiam'. Hoc quidem loco coagulum illud humoris et sanguinis (De carne Christi c. 4) intellegit, neque vero omne coagulum negat. Nam in c. 19, postquam scripsit: 'Neque enim quia ex sanguine negavit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis', Christum similiter atque caseum ex lacte natum esse exposuisse videtur, quamquam

Digitized by Google

verba adeo corrupta sunt, ut quomodo sananda sint non videam: 'Nam ex coagulo in caseo eius est substantiae quam medicando constringit, id est lactis'. — Verbum deliberandi quod legitur 491, 3 'non decem mensium cruciatu deliberatus' utrum corruptum sit an idem significet atque liberandi, dubito.

Non erat difficile Tertulliano demonstare Moysi et Heliae locum non esse cum Christo Marcionis: 492, 10 'Siccine ('sic in' libri mss., 'sicin' K. 'siccin' ed. Mign.) alienos demonstrat illos, dum secum habet? Sic relinquendos docet ('decet' per errorem K.) quos sibi iungit? Sic destruit quos de radiis suis exstruit?' Has rhetoricas interrogationes quae vocantur esse K. intellexit. Pergit T.: 'Quid faceret Christus ipsorum?' Ad quod primo ipse per irrisionem respondet: 'Credo, secundum peruersitatem tales eos reuelasset, quales Christus Marcionis debuisset, aut quoscumque alios [secum] quam prophetas suos'. Debuit Christus Marcionis Moysen et Heliam non tales revelare, quales relevantur in Evangelio, sed potius quoscumque alios quam prophetus suos; ex quo sequitur, ut Christus Evangelii non sit Christus dei ignoti, sed creatoris, id quod sequentibus declarat: 'Sed quid tam Christus creatoris (scil. 'faceret') quam secum ostendere praedicatores suos'? Quod dicit 'secundum peruersitatem', id videtur idem valere atque 'in peruersum', i. e. 'contrariam in partem', quod legitur De praescr. haeretic. c. 30 s. fin. ('apostolos in perversum aemulantur'), 'secum' ex versu sequenti ('secum ostendere') invasit.

Verba 'Igitur et Petrus, meritum contubernium Christi sui agnoscens indiuiduitate eius, suggerit consilium: Bonum est hic nos esse' q. sq. 492, 22 recte tradita sunt. De anima c. 51 ineunte T. cuiusdam insepulti cadaver prae animae individuitate diu servatum esse ex Platonis Politia refert. Cf. etiam huius ipsius libri 498, 24 'eum, qui se tam indiuiduum illi comitem offert'. Ita Petrus Christum cum Moyse et Helia artissime coniunctum videns eos contubernium Christi meruisse cognovisse dicitur.

Nimium K. tribuit auctoritatis codici M, ut saepius, cum scripsit 493, 3 '...obumbratus scilicet uirtute diuina. De quo cum inter nos et psychicos quaestio est, interim facile est amentiam Petri probare'. Recte R ceterique: '...diuina, de

Digitized by Google

quo inter nos et psychicos quaestio est. Interim' q. sq. Item cum eisdem scribendum erat 493, 24 'sub eodem etiam ambitu nubis, quam nemo dubitabit de aëre creatoris conglobatam, nisi et nubes suas illo deduxerat, qui et ipse per caelum creatoris uiam ruperat'. 'ambitu nubis quem' M F 'quam' cet. 'quam' eo magis scribendum est, quod etiam in M 'conglobatum' prima manu in 'conglobatam' mutatum est. 'qui' pro 'quia' scripsi, quod ni fit, parum constat, quis illo, i. e. in eum locum, ubi Moyses et Helias cum Christo in claritate videbantur, nubes suas deduxisse dicatur.

493, 5. 'Quomodo enim Moysen et Heliam cognovisset, [nisi in spiritu] — nec enim imagines eorum uel statuas populus habuit, similitudines lege prohibente — nisi quia in spiritu uiderat?' 'nisi in spiritus' tollendum Kroym., 'habuisset' pro 'habuit' secundum 'cognouisset' scriptum esse Eng. vidit. Cf. etiam Adv. Marc. II 22 p. 364, 23: 'Proinde et similitudinem uetans fieri omnium, quae in caelo et in terra et in aquis' (Exod. 20, 4).

494, 10. Vocem illam ex nube sonantem 'Hic est filius meus' sic interpretatur T., quasi dictum sit esse illum filium quem promiserit, ut id a deo Marcionis dictum esse non posse demonstret, 'cui possit responderi: "Ipse enim tu quis es qui dicas: Hic est filius meus, de quo non magis promisisti quam te ipsum, quod prius eras, reuelasti?"' Libri 'praemisisti'; verum iam intellexit Oehlerus neque tamen in textum recipere ausus est.

— 13. Nescio, quam ob rem K. interposuerit 'nisi quem'.

495, 13 '... Moysi et Heliae, de quibus et Zacharias uidit in figura duarum olearum' q. sq. 'De quibus' quid sibi velit, intellegi non potest. Per errorem id scriptum esse pro 'quos' putaverim, cum v. 15 sequatur 'de quibus dictum est'.

— 24. 'Ceterum dei faciem iam audierat: nemo homo uidebit me et uiuet' (Exod. 33, 20). 'me' om. M. Recte Oehlerus, ut mihi quidem videtur: 'ceterum de dei facie iam audierat' q. sq.

Quae leguntur a 497, 2—15 K. interpolatoris esse putat. Equidem nescio an ea ex alia eiusdem operis editione addita sint [1]). Sed quia longum est de ea re hoc loco agere, nunc in eam inquirere supersedeo.

1) Cf. praefationem totius operis.

Digitized by Google

497, 15. 'Quis non ita iniustitiam increpationis retudisset, si eius eum credidisset, qui nondum queri debuisset?' Rectissime Eng. monuit pro 'eum' scribendum esse 'eam'.

Marcione in libro Antitheseon creatoris in pueros Heliseo illudentes crudelitati Christi infantium amorem opponente T. creatorem Christo non minora eius affectus documenta exhibuisse demonstrare studet: 498, 3 'Ita et haec adfectio Christo ⟨communis⟩ cum creatore est'. Libri: 'Ita et haec adfectio Christi cum creator est', 'cum creatore est' Rhenanus, 'cum creatoris est' Eng. Kroym. Vereor, ne tam lenibus remediis sententia Tertulliani restitui non possit.

498, 5. Non bene fecit K., quod pro 'conubium auersatur' e codice M 'conubium aduersatur' recepit.

— 10. 'At enim quanto credibilius, ut eius deputetur adfectio in paruulos, qui benedicendo conubium in propagationem generis humani ipsum quoque fructum conubii [benedicendo] promisit.' Quae sequuntur 'qui de infantia primus est' quid significent, non intellego.

— 13. 'Repraesentat creator ignium plagam Helia postulante in illo pseudopropheta. Agnosco iudicis seueritatem, e contrario Christi ⟨lenitatem increpantis⟩ eandem animaduersionem destinantes discipulos super illum uiculum Samaritarum'. Suo iure K. Pamelii coniecturum 'lenitatem increpantis' recepit, quibus verbis omissis non est, quo referantur quae sequuntur: 'Agnoscat et haereticus ab eodem seuerissimo iudice promitti hanc Christi l e n i t a t e m', quibus respondet ad opprobria Marcionis. Nam omnia illa inde a 'repraesentat Samaritarum', non solum primum enuntiatum, ex libro Marcionis sumpta sunt.

Recte K. 500, 4 'differentiam' pro 'offerentiam', v. 8 'instruxerat' pro 'struxerat' scribendum esse censet. Quod v. 19 scripsit 'Sic et domini istud: in quam introissent domum, pacem ei dicere⟨nt, de⟩ exemplo eodem est', id mihi quidem parum probabile videtur. Fortasse quod in libris mss. legitur 'Sic et dominus ut' ex 'Sic et dominus iussit' natum et 'est' postea in fine additum est.

500, 22. 'Haec erunt nostrae potius anthitheseis, quae comparant, non [quae] separant Christum'. Fortasse etiam supra

Digitized by Google

499, 5 alterum pronomen relativum delendum est: 'ad salutem uocat quem non recusat uel etiam [quem] ultro uocat'.

501, 10. 'Quod enim longe fuerat aliquando, id potest dici adpropinquasse.' 'fuerat' recte Oehlerus pro 'fuerit'.

— 14. 'Omne quod subitum est, cum adnuntiatur, tunc primum speciem inducens [tunc primum] accipit tempus'.

Quae verba K. 501, 23 addenda esse censet, ea certe principio non possunt afuisse: 'Quid enim ad illos, si adpropinquaret regnum, nisi quia cum iudicio adpropinquat in salutem scilicet eorum, qui adnuntiationem eius recepissent, ⟨in perditionem eorum, qui eam non recepissent⟩?'

501, 23. 'Quomodo, si comminatio non potest sine executione, habes deum executorem in comminatore et iudicem in utroque, sic et puluerem iubet excuti in illos in testificationem interdictae etiam terrae eorum, nedum communicationis reliquae'. Haec verborum comprehensio non in duas dividenda est. 'Non potest' significat 'non potest esse', ut Resurr. carnis c. 45 p. 92, 1 'priora non possunt'. Pro 'interdictae' R 'et haeret', M 'ei. haeret' vel secundum Kroym. 'eius' (per abbreviationem scriptum) 'haeret.' 'eieratae' Kroym. 'Interdictae' scripsi, quod T. 'communicationis interdictum' Christi ex exemplo creatoris Ammonitas et Moabitas propter inhumanitatem et inhospitalitatem in ecclesiam recipi vetantis derivat (502, 7).

503, 20. 'Et a quo abscondita? et a quo reuelata? Si a deo Marcionis, abscondit et reuelauit qui omnino nihil praemiserat, in quo aliquid absconditum esse potuisset'. Sic optime Eng. pro eis quae tradita sunt 'Si a deo Marcionis abscondita et reuelata'.

504, 2. 'Quamquam et si in aliquo deliquissent erga deum ignotum, pone nunc notum, non tamen zeloten eum experiri debuissent, qui dissimilis creatoris inducitur'. 'Pone' non est adverbium, ut putat K., et si esset, non potest idem significare quod 'retro'. Sed est imperativus velut 'puta' 'fac', cf. θές, τίθει apud Platonem, πολ. 573 D. 'Pone nunc notum' igitur idem valet atque 'licet nunc notus sit'.

Quod Christus dicat omnia sibi a patre tradita esse, id nisi a Christo creatoris dictum esse non posse T. affirmat, cum omnia sint creatoris (505, 12). Aut si solus homo Christo tra-

Digitized by Google

ditus sit, hominem non esse omnia. Sed etiamsi Marcion 'omnia' ita interpretetur, quasi omnia hominum genera intellegenda sint, haec quoque secundum Ps. 2, 8 Christo a creatore tradita esse. Aut si deus ille ignotus et ipse habuerit aliqua sua, quae omnia filio tradere potuerit, ostendat Marcion aliquem ex omnibus istis, ut in fidem et exemplum sit. — Existimo igitur verba illa 505, 24 'Aut si habet et ipse aliqua sua, quae omnia filio traderet pariter cum homine creatoris, ostende unum aliquem ex omnibus in fidem, in exemplum' recte tradita esse, nisi quod pro 'habet' 'habuit' scribendum sit. Nam quoniam notionem vocis 'omnia' ita deminuit, ut ad solos homines pertineret, non iam erat, quod T. scriberet 'aliquod ex omnibus', ut auctore Ciacconio scribi solet, sed paene necessario genus masculinum adhibuit. Certe vero non scripsit 'aliqua sua omnia', sed ita 'omnia' ad 'aliqua' referri voluit, ut si modo deus Marcionis aliqua ipse habuerit, ea omnia filio tradidisse intellegatur. — Satis frigidam hanc interpretationem esse facile concedam, sed forsitan idcirco a Tertulliano non aliena sit.

506, 5 'creatorem omnibus notum, et Israheli secundum familiaritatem et nationibus secundum naturalem'. K. cum Gelasio 'naturam' pro 'naturalem'. Rectius Oehlerus coniecit 'naturalem legem', quamquam et ipse Gelasii coniecturam sequi maluit. Sed T. ipse Adv. Iud. c. 2 ante legem Moysi scriptam in tabulis lapideis legem fuisse non scriptam dicit, quae naturaliter intellegeretur, et cur Ahraham amicus dei deputatus sit quaerit, si non de aequitate et iustitia legis naturalis.

ERRATA.

243, 24 M *G* R^3 244, 14 G *R*^{3} 250, 26 ca*r*ere 251, 6 *Gal.* 2, 9 — 15 quid*e*m 251, 17 ueritatem *eorum* 255, 8 *Heliseum* del. — 20 *ut supra* '*famula suo*' *ex sua* del. 257, 3 in *N* 258, 9 *n*ominis 259, 31 *G*elenii 261, 19 *intercidisse* affirmare.

Digitized by Google

DE DINONE COLOPHONIO NEPOTIS IN VITA DATAMIS AUCTORE.

SCRIPSIT

J. H. THIEL.

Veri esse simillimum vitam Datamis Nepotem e Dinonis Persicis deduxisse quis neget? Ipse enim Nepos hoc significat, affirmans *se plurimum de Persicis rebus Dinoni historico credere* (Nep. *Con.* 5, 4). Attamen nemo adhuc, quantum scio, argumenta conquirere conatus est ad id, quod veri tam simile esset [1]), demonstrandum. Quare haud inutile puto parvum quoddam indicium in lucem trahere, quod aliquanti tamen in hac re momenti videatur.

Plutarchi vitam Artaxerxis inde a c. XXII maximam partem e Dinone originem trahere certum est. Verum quid ex Dinone deductum sit, quid contra Plutarchus Heraclidi Cymaeo, alteri auctori, hic debeat, distinguere haud promptum. At hoc saltem pro certo, opinor, demonstrari potest, extremam partem, quae agit de coniuratione a Dario contra Artaxerxem facta (XXVI sqq.), ex *Dinone* deductam esse. Plane enim Plutarchus hic congruit [2]) cum Trogo Pompeio, cuius narratio exstat apud Justinum 10,

1) Cf. Ed. Meyer *Forschungen* 2, p. 69 et Fr. Leo *die Griechisch—Römische Biographie* p. 200.

2) Quae discrepant, parvi momenti sunt: Just. 10, 1, 1 *Ariaratus* habet, Plut. XXX *Ariaspes*; Just. 10, 2, 4 Artaxerxem Aspasiam *Solis* sacerdotem capientem fingit, Plutarchus (XXVII) *Anaitidis*. Qua in re Plutarcho credamus necesse, quoniam cultus Mithrae indolem prorsus virilem exhibet neque feminas in sacerdotium admittit (vide Cumont, *textes et monuments relatifs aux mystères de Mithra* I, p. 330). Quod Dinonem, rerum Persicarum valde peritum, ignorasse quis credat? Error igitur Trogo vel Justino tribuendus est, in quem inductos crediderim loco Just. 1, 10, 5, vide von Gutschmid *kleine Schriften* V, p. 62.

Digitized by Google

1—2. Communem auctorem utrique subesse ex eo maxime apparet, quod et Plutarchus et Trogus odium Darii in patrem ex amore Aspasiae ortum contendit (Just. 10, 2, 1 sqq.; Plut. XXVI sqq., cf. Aelian. *var. hist.* 12, 1). Nil enim melius quam error communis [1]) (Aspasia, Cyri amica, tempore coniurationis vetula plus quam quinquaginta annorum fuit!) auctorem communem arguit.

Primum et secundum Trogi libros ex Dinone deductos esse demonstravit Gutschmid (*kleine Schriften* V). Ceterum in libris quoque sequentibus (3—10) Trogus Dinonis opere usus est; confer modo locum Nep. *Con.* 3, 2 sqq., quem locum e Dinone originem trahere ipse Nepos (vide supra) testatur, cum loco Just. 6, 2, 12 sqq. [2]) Ergo si decimus quoque Trogi liber ad Dinonem referendus est, *facere non possumus quin etiam Plutarchi narrationem coniurationis Dinoni tribuamus.* Quod ex eo quoque conicias, quod Plutarchus (XXX) Artaxerxem mortuum esse dicit nonagesimum quartum aetatis annum agentem: e Dinone hoc desumptum (fragm. 29). Neque illud obstat, quod extrema pars capitis vicesimi septimi, quae agit de Tiribazo et Amestri, ex Heraclide Cymaeo deducta est (cf. XXIII). Haec enim narratiuncula cum coniuratione ipsa perquam laxe coniuncta est. Crediderim igitur Plutarchum ipsum vel auctorem eius hoc ex Heraclide desumptum Dinonis narrationi inseruisse.

Iam redeamus ad Datamis vitam eiusque caput nonum comparemus cum initio capitis vicesimi noni vitae Artaxerxis. Qui loci non quod ad *res*, verum quod ad *verba* attinet, mirum in modum congruere mihi videntur:

Plutarchus.	Nepos.
ἀκούσαντι δὲ τῷ Ἀρτοξέρξῃ καὶ τὸ παρ' ἰδεῖν κίνδυνον τηλικοῦτον, ἀμελήσαντα τῆς	cum nuntiatum esset quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero, de quibus, quod

1) Plutarchus et Trogus alias quoque errorem communem habent: uterque expeditiones in Aegyptum et Cadusios susceptas falso ordine memorat (Plut. *Art.* XXIV, Trog. *Proleg.* 10); nec non adverte αὐτὸς-ipse. Quod tamen fortasse casui tribuendum.

2) Vide *Rivista di Filologia* 31, p. 411 sqq.

Digitized by Google

διαβολῆς, δεινὸν ἐδόκει, καὶ τὸ πιστεῦσαι μηδενὸς ἐλέγχου γενομένου δεινότερον.

inimici detulerant, *neque credendum neque neglegendum putavit, experiri* voluit, verum falsumne esset relatum.

Ipsa Dinonis verba, opinor, bis hic legimus. In narratione duorum simillimorum inter se casuum — Artaxerxes et Datames eundem dolum adhibent, ut certiores fiant de amicorum coniuratione ab indicibus haudquaquam fidis delata — eadem sententia usus est, quae miro casu bis diversis itineribus ad nos pervenit.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES

IN PAPYROS NONNULLAS GRAECAS.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

1. Papyrus Gissensis 22 [1]) epistulam continet ad Apollonium, qui ultimis annis regni Trajani imperatoris et Hadriani primis fuit στρατηγὸς νομοῦ Ἀπολλωνοπολίτου Ἑπτακωμίας in Aegypto superiore, missam ab Eudaemoni socru eius. Veri simile est eam scriptam esse cum Apollonius, postquam in Aegypto inferiore prospere contra Iudaeos rebelles pugnavisset, domum rediturus esset, cf. quae exposui *Tijdschrift voor geschiedenis* XXXVII, 1922, p. 134. Eam ita edidit Kornemann:

[Εὐδαιμ]ονὶς Ἀπολλωνίωι τῶι
[.....]μοτάτωι υἱῶι πολλὰ χα(ίρειν).
[Πρὸ π]ά̣ν̣[τ]ων εὔχομ[α]ί σε
[τὸν ἀγ]αθ[ὸν] ἀσπ[άσ]ασθαι [καὶ] τὴν
5 [γλυκυ]τάτην σου ὄψιν προσκυ-
[νῆσαι] νῦν ὄντως ἀμοιβ[ὴ]ν
[...] τῆς εὐσεβείας μου ἀ-
[ναλ]αμβανούσης σε ἀπρόσ-
[κοπ]ον καὶ ἱλαρώτατον κτλ.

Initium ita supplere velim: Ἀπολλωνίωι τῶι [διαση]μοτάτωι υἱῶι, nam Eudaemonis, quae generum laude bellica ornatum admirabatur, apte eum illustrem nominare potuit, neque vox διασημότατος tempore quo haec epistula scripta est, iam tituli vice fungebatur, sicut usurpari solebat saeculo tertio, cum ii equites Romani superioris dignitatis, qui latine „viri perfectissimi" dicebantur, graece voce „διασημότατος" designabantur. Firmatur hoc supplementum eo quod A. Stein in docta commen-

1) *Griechische Papyri im Museum des Oberhessischen Geschichtsvereins zu Giessen, hrsg. von E. Kornemann und P. M. Meyer*, Heft I, p. 65.

Digitized by Google

tatione cui titulus „*Griechische Rangtitel in der römischen Kaiserzeit*" (*Wiener Studien* XXXIV, 1912, p. 163) exposuit vocem διασημότατος aetate Hadrianea nonnunquam adhiberi de iis hominibus nobilibus, qui Romani quidem non essent sed honoribus fungerentur in patriis suis: „*Διασημότατος findet sich vor seiner offiziellen, für die hohen Reichsbeamten ritterlichen Standes eingeführten Anwenduug gelegentlich in ganz eigenartigem Gebrauch bei einheimischen Würdenträgern, z. B. bei einem Pontarchen in Hadrianischer zeit (I G R III 115 = Dittenberger Or. Gr. II 529), den seine Tochter in dem von ihr gesetzten Grabmal als ἀπό τε σῶν [προ]γόνων διασημότατον καὶ ἀπὸ τῶν ἰδίων αὐτοῦ φιλοτειμιῶν λαμπρότατον rühmt... Die erste korrekte Anwendung von διασημότατος findet sich... in einer Papyrusurkunde aus dem Jahre 209 (Berl. Sitz. Ber. 1910, 713), wo* Claudius Iulianus *ὁ διασημότατος genannt ist, derselbe, der im Jahre 201* praef(ectus) annon(ae) *mit dem Rangtitel* p(erfectissimus) v(ir) *ist* (C I L VI 1603 = Dessau I 1346)."

Versus 7 initio supplendum videtur [ἤδη], et pro ἀ[ναλ]αμβανούσης forsitan melius restituas ἀ[πολ]αμβανούσης, ut Eudaemonis haec scripserit: *cum nunc revera quasi remunerationem tandem mea pietas recuperet te integrum et hilarum.*

2. Papyrus Gissensis 76 epistula est ab Herode quodam, cui Apollonius domum suam Hermopolitanam reficiendam commiserat, ad eum Heptacomiam missa. Herodes affirmat se in opus suum totam curam impendere:

Ὅτι δὲ ἀδιαλεί-
π⟨τ⟩ως τοῦ[τ]ο ποιῶ ων..[..τὰ δι]αφέροντά σοι ἢ αὐτα [τ]ὰ ἔργα ἐλθόντι σο[ὶ] μαρτυ[ρήσει].

Ita haec edidit P. M. Meyer, sed litteres ων post vocem ποιῶ incertas esse adnotavit, et hanc versionem addidit „*Dass ich das unaufhörlich tue..., werden deine Angelegenheiten oder die Arbeiten selbst wenn du kommst bezeugen*, lacuna non suppleta. Suspicor Herodem haec dicere: *diligentiam meam perpetuam is qui hic* (Hermopoli sc.) *negotia tua procurat, vel, si huc veneris, ipsum opus tibi testificabitur*, et igitur post ποιῶ supplere velim: [ὁ διέπων τὰ δι]αφέροντά σοι, cf. Pap. Giss.

Digitized by Google

48, 1 Ποτάμων διέπων τὴν ἐγλογιστίαν Ἀνταιοπολίτου, Plutarch. Pericl. 12, 6 πάντα δὲ (nempe τὰ Περικλέους ἔργα) διεῖπε καὶ πάντων ἐπίσκοπος ἦν αὐτῷ Φειδίας.

3. Papyrus Gissensis 47 (= Wilcken, *Chrestomathie* 326) epistula est ad Apollonium Copto ab amico quodam, cuius nomen in lacuna papyri interiit, scripta, qui in eo emporio varias res pretiosas Apollonii iussu emerat et ad eum mittendas curaverat. Erant inter eas etiam toreumata, quae ad Apollonium missa erant in cistam ligneam condita, nam ita accipienda esse puto verba vs. 23 sq.: τῆς πεμφθείσης σοι ὑπὸ τὰ ζῴδια ξυλίνης θήκης. Praepositione enim ὑπὸ cum accusativo iuncta Graeci in Aegypto habitantes utebantur si qua res portabatur, cf. Wilcken, *Chrestom.* 96, pag. VII, 2 ναῦλον ὄνου ἑνὸς ὑπὸ δένδρα καὶ βᾶις = *vectura asini qui arbores et palmas transportabat* [1]). Minus recte igitur P. M. Meyer in huius papyri commentario p. 66 agi putat de cista toreumatis ornata: „*eine hölzerne Truhe, auf der sich ζῴδια (Tierchen, Tierbilder) befinden. Da ein ἀργυρακόπος der Lieferant ist, werden diese „Tierchen" Silberarbeit sein: Tierreliefs oder Beschläge, Griffe in Tierform auf dem Deckel der Truhe*".

Nescio an etiam vox ζῴδιον aliter explicanda sit quam Meyer l.l. eam explicavit. Vox ζῴδιον enim significare potest „astrum", et locutione τὰ ἑπτὰ ζῴδια septem planetae designari possunt, cf. E. Maass, *Die Tagesgötter in Rom und den Provinzen*, p. 122 sqq. Planetae antiquis dei erant, quorum singuli, nempe Saturnus, Sol, Luna, Mars, Mercurius, Juppiter, Venus, certe inde ab aetate hellenistica singulis hebdomadis diebus praesidere credebantur, quod inventum Aegyptiacum esse tradit Cassius Dio XXXVII 18, 1 sq.: τὸ δὲ δὴ ἐς τοὺς ἀστέρας τοὺς ἑπτὰ τοὺς πλανήτας ὠνομασμένους τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι κατέστη μὲν ὑπ' Αἰγυπτίων, πάρεστι δὲ καὶ ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους, οὐ πάλαι ποτὲ ὡς λόγῳ εἰπεῖν ἀρξάμενον· οἱ γοῦν ἀρχαῖοι Ἕλληνες οὐδαμῇ αὐτό, ὅσα γε ἐμὲ εἰδέναι, ἠπίστωντο. ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ πάνυ νῦν (i. e. ineunte tertio p. C. n. saeculo) τοῖς τε ἄλλοις ἅπασι καὶ

1) Haec constructio ex usu linguae Aegyptiacae sumpta est, cf. Ermann, *Hermes* XXVIII p. 479.

Digitized by Google

αὐτοῖς τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιχωριάζει κτλ. Dei quos enumeravi septeni saepe una ita depingebantur et effingebantur ut sentires repraesentari planetas dierum rectores. Sic ponebantur in thermis aetate imperatoria, arae iis dedicatae erant in circorum spinis, imperator Septimius Severus ut erat arti mathematicae deditus in honorem eorum aedificavit Septizodium, imprimis vero in oriente colebantur, cf. Maass l.l., p. 138 sqq. Quare suspicor τὰ ζῴδια, quae Apollonius sibi emi iusserat, fuisse sigilla argentea septem deorum planetarum.

Pro cista, in qua haec sigilla ad Apollonium mittebantur, scriptor huius epistulae quadraginta drachmas pignoris loco fabro argentario numerare debuit, ideoque ab Apollonio petiit ut eam ad se remittendam curaret, nam cista argentario reddita se ab eo suum recuperaturum esse, cf. vs. 22 sqq.: Διονυσίου τοῦ ἀργυροκόπου κατασχόντος μου ὅλας (δραχμάς) μ′ εἰς ἐνεχύρου λόγον τῆς πεμφθείσης σοι ὑπὸ τὰ ζῴδια ξυλίνης θήκης· ἢν, ἐὰν δόξῃ σοι, κύριέ μου, ἀναπέμψεις μοι, ἵνα ἀποδοὺς δυνηθῶ ἀπολαβεῖν τὸ ἴδιον· ῥᾳδίως γὰρ παρά σοι ὅμοια αὐτῇ γενέσθαι δύναται. Haec ultima ita vertit Meyer: „*denn leicht könnte auch bei dir gleiches mit ihr geschehen*", quod non intellego. Equidem suspicor non ὅμοια, sicut ediderunt Meyer et Wilcken, scribendum esse, sed ὁμοία, et vertendum: (cistam ad me remitte) „*nam facile apud te* (Heptacomiae sc.) *similis ei* (nempe cista aliqua ei quam tibi misi similis) *praesto esse potest*".

4. P. M. Meyer anno 1920 anthologiam edidit, cui titulus: *Juristische Papyri. Erklärung von Urkunden zur Einführung in die juristische Papyruskunde.* Quem librum utilissimum non iis viris doctis destinavit qui disciplinae papyrologicae totam vitam impendunt, sed iis vel iuris peritis vel philologis vel historicis, qui, sicut scriptor harum observatiuncularum, studiorum suorum gratia papyros forenses tractare discere cupiunt, aditum ad eas patefacere voluit. Equidem e praefationibus et commentariis bonae frugis plenis, quos singulis papyris addidit, permulta me didicisse libenter profiteor, neque igitur metuo ne ingrati animi arguar si unius ex iis quas edidit papyris aliam interpretationem proponam.

Sub N° 14 Meyer edidit papyrum Oxyrhynchitam 1467,

Digitized by Google

anni p. C. n. 263, quam totam hic subicio. Initium papyri periit, quo fit ut ante verba, a quibus papyri pars hodie superstes incipit, desiderentur cum nomen praefecti Aegypti, cui hic libellus datus est, tum nomen mulieris quae eum composuit — est Αὐρηλίᾳ Θαϊσοῦς ἡ καὶ Λολλιανή, quam nomen civem Romanam fuisse arguit —, denique voces e. g. νόμοι γεγένηνται, quas editores Angli suppleverunt. Quae praeterea litterae singulae iis supplendae fuerint, non noto, designatis tantum supplementis maioribus:

....., διασημότατε ἡγεμών, οἵτινες ἐξουσίαν διδόασιν ταῖς γυναιξὶν τκῖς τῶν τριῶν τέκνων | δικαίῳ κεκοσμημέναις ἑαυτῶν κυριεύειν καὶ χωρὶς κυρίου χρηματίζειν ἐν αἷς ποιοῦνται οἰκονομίαις, πολλῷ δὲ πλέον τκῖς γράμματα | ἐπισταμέναις. Καὶ αὐτὴ τοίνυν τῷ μὲν κόσμῳ τῆς εὐπαιδείας εὐτυχήσασα, ἐνγράμματος δὲ καὶ ἐς τὰ μάλιστα γράφειν εὐκόπως | δυναμένη, ὑπὸ περισσῆς ἀσφαλείας διὰ τούτων μου τῶν βιβλειδίων προσφω⟨νῶ⟩ τῷ σῷ μεγέθι πρὸς τὸ δύνασθαι ἀνεμποδίστως ἃς ἐν | τεῦθεν ποιοῦμαι οἰκονομίας διαπράσσεσθαι. Ἀξιῶ ἔχειν αὐτὰ ἀπροκρίτως τοῖς δικαίοις μου ἐν τῇ σῇ τοῦ διασημοτάτου τάξι, ἵν' ὃ βεβο | ηθημένη καὶ εἰσαεὶ ὁ[μοίας?] χάριτας ὁμολογήσω. Διευτύχει. Αὐρηλία Θαϊσοῦς ἡ καὶ Λολλιανὴ διεπεμψάμην πρὸς ἐπίδοσιν. Ἔτους ἴ Ἐπεὶφ κά. ‖ Ἔσται σοῦ τὰ βιβλία ἐν τῇ [τάξι].

Meyer huic papyro pro titulo praescripsit: *Gesuch einer civis Romana an den Statthalter um Befreiung von der Geschlechtsvormundschaft durch das ius (trium) liberorum*, et in praefatione hanc interpretationem dat: *Eine ingenua (s. Z. 4) beantragt auf Grund der augustischen lex Iulia et Papia Poppaea und ihrer Ausführungsbestimmungen für Aegypten (Z. 1 ff.) Befreiung von der Vormundschaft durch das ius liberorum.* Sed neque ut a tutela liberaretur, Aurelia a praefecto Aegypti petivit, neque, si petivisset, praefectus id ei tribuere potuisset, nam sine tutore agere iam poterat e legibus Iulia et Papia Poppaea, quia tres liberos enixa erat et litteras facere noverat; quod ius iis feminis, qui id non lege habebant, solus princeps ea aetate privilegii loco dare poterat, nunquam praefectus Aegypti potuit, cf. Mommsen, *Röm. Staatsrecht* II³ p. 888, Kübler, *Savigny-Zeitschrift* XXX, *Romanist. Abtlg.*, p. 164.

Digitized by Google

Aurelia igitur non petit ut praefectus se tutela liberet, sed ei declarat se ius trium liberorum habere: non *αἰτεῖται* (— quod fecit mulier, quae per libellum papyro Oxyrhynchita 56 (= Meyer N°. 15) servatum petens ut sibi tutor ad actum daretur, haec scripsit: *αἰτοῦμαι ... ἐπιγραφῆναί μου κύριον πρὸς μόνην ταύτην τὴν οἰκονομίαν τὸν δεῖνα* —), sed *προσφωνεῖ* (vs. 17), de cuius verbi significatione (= *jemandem eine (schriftliche) Erklärung abgeben)* vide ipsum Meyer, *Griech. Texte* p. 18 sqq.

Hanc declarationem Aurelia ad praefectum misit ne quis sibi negotia sua gerenti impedimento esset, nam scribit vs. 15 sqq.: „*nimiae securitatis ergo* (tot overmaat van zekerheid) *per huncce meum libellum declarationem mitto celsitudini tuae, ut libere quae inde ab hoc tempore negotia geram perficere possim*". Quod quo modo per hunc libellum consequi potuerit, apparet ex iis, quae his subiunxit et quibus quid a praefecto peteret significavit, vs. 21 sqq.: *Ἀξιῶ ἔχειν αὐτὰ ἀπροκρίτως τοῖς δικαίοις μου ἐν τῇ σῇ τοῦ διασημοτάτου τάξι.* Quae verba Meyer non recte intellexisse mihi videtur, nam in commentario suo ea inde a voce *ἀπροκρίτως* ita vertit: „*ohne dass dadurch vorgegriffen wird meinen in den Akten der statthalterlichen Kanzlei* (*τάξις*), *nachweisbaren Rechten*". Meyer igitur voces *ἐν τῇ σῇ — τάξι* iunxit cum verbis *τοῖς δικαίοις μου*, sed mea quidem opinione iungenda sunt cum vocibus *ἀξιῶ ἔχειν αὐτὰ* (i. e. *ταῦτά τὰ βιβλιδία μου*), et sententia quam exscripsi ita vertenda est: „*cupio habere huncce libellum, salvis iuribus meis, in tuo tabulario.*" Hanc interpretationem unice veram esse manifestum est ex subscriptione, quam praefectus huic libello subscripsit, vs. 30: *Ἔσται σοῦ τὰ βιβλία ἐν τῇ τάξι, servabitur libellus tuus in meo tabulario.*

Ex iis quae exposui sequitur, si qua femina tertio partu ius trium liberorum adepta id publice sanciri cuperet, eam per libellum praefectum Aegypti iuris sui certiorem facere, et hunc eo quod libellum ad se datum in tabulario suo deponeret affirmare se mulieris ius ratum habere. Quo facto si quis mulieri suas res sine tutore agenti obsistere vellet, ad praefectum provocare poterat.

Digitized by Google

OBSERVATIONES QUATTUOR IN PAPYRUM „RYLANDS" LXXVII.

SCRIPSIT

B. A. VAN GRONINGEN.

Inter eas papyros, quas bibliothecae, in qua servantur, nomine „*Rylands*" vocare solent, non minimum locum obtinet septuagesima septima. Textus est Hermupolitanus, anno p. C. n. 192 conscriptus. Ingeniosissimo commentario, qua sunt doctrina, plurima illustraverunt editores (viri docti J. DE M. JOHNSON, V. MARTIN, A. S. HUNT); postea doctus Francogallus, P. JOUGUET dico, de isdem rebus fusius disputavit in dissertatione cui inscribitur „*Sur les métropoles égyptiennes à la fin du IIe siècle après J.-C. d'après les papyrus Rylands*" (Revue des Études Grecques XXX 1917 p. 294—328); magni quoque ducendae sunt viri docti G. MÉAUTIS adnotationes breviores in opere cuius inscriptio „*Hermoupolis-la-Grande*" (p. 118—123). Cum autem non semel per hos menses ad illum textum animum attendere debuissem, constitui ut pauca, quae fortasse melius intellegi et explanari posse existimo, lectoribus proponerem.

I.

Non unum documentum in ea papyro legimus; quot autem fuerint, pro certo iam affirmari non potest. A fine incipienti est epistulae exemplum, quam ad eum pagi magistratum, quem τὸν τοῦ νομοῦ στρατηγὸν vocabant, dederunt ἄρχοντες τῆς πόλεως [1]).

1) Ne Graecis verbis nimis refertam orationem adhibeam, illum „strategum", hos autem „urbis praesides" vocabo; simili modo nomina singulorum magistratuum Graeca non repudiabo (exegeta, cosmeta etc.). Quod mihi ignoscant sermonis elegantiae studiosi.

Digitized by Google

Operae pretium est totam perscribere, quippe quae iis quae expositurus sim, maximi momenti sit. Supplementa quae editores dederunt, certissima omnia, non indicabo:

Ἄρχοντες Ἑρμοῦ πόλεως τῆς μεγάλης Σαραπίωνι τῷ καὶ Ἀπολλωνίῳ στρατηγῷ Ἑρμοπολίτου τῷ φιλτάτῳ χαίρειν. (48) Ἀχιλλεὺς Νεαρχίδου τοῦ καὶ Κορνηλίου ἀγορανομήσαντος ἀγόμενος εἰς κοσμητείαν ὑπό τινων κοσμητῶν ὑπέσχετο ἐπὶ σοῦ ἐξηγητεύσειν. Ἡμῶν δὲ προτρεπομέ—(49)νων αὐτὸν ἀναδέξασθαι τὴν κοσμητείαν διὰ τὸ μὴ πολλοὺς ἔχειν τὴν πόλιν κοσμητάς, πλειόνων ὄντων ἐπιλόγχων ἐξηγητῶν, Ἀσπιδᾶς πατὴρ Ἑρμᾶ (50) κοσμητεύσαντος ἔστεψεν αὐτὸν ἰδίῳ κινδύνῳ τὴν κοσμητείαν, καθὰ δι' ὑπομνημάτων σου ἀνείληπται. Τῆς οὖν ἀρχῆς τῇ πόλει ἀδιαπτώτου οὔσης ἐξ ὁποτέ—(51)ρου αὐτῶν, ἐπιστέλλεταί σοι ὅπως ἀκόλουθα τοις ἐπὶ σοῦ γενομένοις προνοήσαι πρᾶξαι, εἰς τὸ τὴν πόλιν ἀπολαβεῖν τὴν ἀρχήν. (Ἔτους) λβ' Φαρμοῦθι ιγ (is est octavus Aprilis anni p. C. n. 192); sequuntur subscriptiones.

Media pars maior est (a vs. 32 ad medium vs. 47) et servat ἀντίγραφον ὑπομνήματος eiusdem strategi, in quo ea ipsa, quae apud eum acta sunt (τὰ ἐπὶ σοῦ γενόμενα), describuntur: nempe Achillem a nonnullis cosmetis propositum ad cosmetae munus capiendum, nunc coram strategō a populo clamoribus invitari, urbis praesidibus praesentibus, ut honorem suscipiat; certa de causa [1]) Achillem eum recusare, verum sponte τὴν ἐξηγητείαν se inire velle profiteri; defensorem autem praesidum (τὸν πρόδικον) [2]) variis modis ei obstare, nihil tamen agere; paulo post cosmetas accitos iniuste se gerere Achillem demonstrare, imperatorio decreto adhibito; cum autem ipse Achilles nihil polliceatur, opportune Aspidam, κοσμητεύσαντος cuiusdam patrem, intercedere his verbis: ἰδίῳ κινδύνῳ στέφω τὸν Ἀχιλλέα τὴν κοσμητείαν; defensorem velut allevatum, statuere tandem factum esse ut necessarius magistratus non intermitteretur (ἤδη γὰρ ἡ ἀρχὴ ἀδιάπτωτός ἐστι τῇ πόλει); strategum postremo acta conscribi iubere.

Haec omnia in papyri pagina altera, quae tota fere servata

1) Quae causa fuerit, leges infra p. 427.

2) Dubitandum non videtur quin recte ita interpretati sint editores, altera explicatione reiecta, nempe vocem Πρόδικος viri nomen proprium esse.

Digitized by Google

est, leguntur. Prior contra mutilissima est, quippe cuius maior pars a laeva desit [1]). Unum certum est, ante strategi acta fuisse epistulam alteram ad plures homines datam, teste versu 32: (Ἔτους) λβ′ μηνὸς Ἐπεὶφ κθ′ (is est 23 Iulii, anni p. C. n. 192), ἔρρωσθαι ὑμᾶς εὔχ( ) φίλτατοι; in ea epistula iterum insertum esse documentum aliquod, quod docet versus prior: ἕως τούτου τὸ ἀντίγραφον, acta nimirum coetus cuiusdam vel causae publicae, quoniam commemorantur verba Harpali cuiusdam, tum rhetoris, cui nomen Hierax, tum etiam eius magistratuum collegii quod οἱ διέποντες τὴν τῶν στεμμάτων διοίκησιν vocabatur. Quibus de rebus agatur, obscurum est, praesertim cum nomina non legantur nisi quae alia sint atque in ulterioribus instrumentis; omnia autem inter se aliqua ratione olim cohaesisse, mihi quidem pro certo est [2]). Locum si quaeras, a quo ἀντίγραφον quod diximus, incipere possit, quod videam, ante ceteros de versu 10 tibi cogitandum erit, quem ita supplere delectat: (ἔτους) x Λυρηλίου Κομμόδου Καί]σαρος τοῦ κυρίου Ἀθὺρ δ'; in vs. 11 vox, quae est προσαγαγόντες, fortasse de arcessendis viris dicitur [3]). Annus autem procul dubio semper idem est, tricesimus secundus scilicet [4]) (dies igitur est secundus Novembris anni p. C. n. 191). Editores putaverunt hoc ἀντίγραφον epistulae insertum esse, quam strategus ad urbis praesides scripsit (nonne conferunt vs. 5 ἐπιστολὴ τοῖς ἄρχουσι, et vs. 32 φίλτατοι, collato 47 φιλτάτῳ?), itaque in vs. 32 legerunt εὔχ(ομαι) numero singulari; quod autem minime certum videtur, primum quia alii atque ἄρχοντες „carissimi" esse possunt, tum quia ἐπιστολὴ etiam ἐπιστολῇ legi potest, denique quia expectandum erat ἀντίγραφον ἐπιστολῆς (cf. vs.

1) Si in utraque pagina litterarum numerus par fuit, in priore non minus centum in singulis versibus desunt, quo fit ut suppleri non possint.

2) Sine iusta causa documenta tali modo non coniunguntur. Ipsa Achillis designatio me iudice ea causa non fuit. Pagina prior in tota papyro, ni fallor, non fuit prima.

3) Cf. e. g. Xen. Cyr. 3, 2, 12 (πρ. τῷ Κύρῳ αἰχμαλώτους), Thuc. 5, 61 (πρὸς τὸν δῆμον); si papyrum mavis, cf. e. g. Pap. Bouriant (= Archiv. I p. 298 sqq. = Mitteis, Chrest. 96) III 8, 10 (τῷ δικαστηρίῳ).

4) Minus recte v. d. Jouguet (l.l. p. 322) de tricesimo tertio (essent Kalendae Novembres anni 192) cogitare videtur, neque magis ei assentiri possum, cum eum esse diem conicit, quo magistratus factus est Achilles. Cf. infra p. 428 sqq.

Digitized by Google

31, 32, 47). Vir doctus Jouguet (p. 320) numerum pluralem εὐχ(όμεθα) his de causis praetulit: primos totius papyri versus habere strategi nomen casu dativo expressum, postea casu genitivo aliorum hominum, qui honoribus functi sunt, nomina; ea enim pertinere posse ad praepositionem παρά in lacuna supplendam; esse igitur epistulam ad strategum datam ab iis ipsis qui posteriores litteras scripserunt. Nescio an aliquatenus erret vir doctus. Legimus enim in vs. 1: Σαραπίωνι τῷ καὶ Ἀπο]λλωνίῳ στρα(τηγῷ) τοῦ αὐτοῦ νομοῦ; pagi nomen ita exprimi non potest, nisi antecedit eiusdem plana designatio [1]). Itaque nomina quae sequuntur genitivo casu expressa, minime eos, a quibus epistula missa est, significare possunt. Si Sarapioni—Apollonio missa esset, eius qui misisset, viri aut collegii, antea iam exstitisset nomen; porro eiusdem pagi fuisset magistratus, et ita scribendum fuisset: Ὁ δεῖνα *magistratus* τοῦ Ἑρμοπολίτου νομοῦ Σαραπίωνι–]–στρατηγῷ τοῦ αὐτοῦ νομοῦ. Cum autem semper fere in epistulis papyraceis prius scribatur eius nomen, cui dignitas maior aut certe non minor, seu ipse dederit seu ad eum datae sint litterae, posterius autem, cui minor, praeterea cum pagi summus magistratus sit ipse strategus et is sine collegis agat, facere non possum quin eum dativum ad epistulae inscriptionem non pertinere putem. Quo fit ut nihil remanere ex iis existimem, quae editores et commentator de priore pagina affirmaverint. Neque magis mihi contigit ut perspicerem qua ratione interpretari, ne dividere quidem deberemus, exceptis quae supra de versu 10 conieci.

Primam illam observationem, qua nihil certi monere potui, ceteris me compensaturum et quasi expiaturum esse spero, quae non negant, sed contendunt et defendunt.

II.

Quantum scimus, singulae metropoles singulos quotannis cosmetas habebant [2]), qui eius honoris muneribus officiisque fungebantur. Mirum igitur est, si in vs. 41 nostrae papyri de

1) Cf. in vs. 47 litterarum inscriptionem, quae ita se habet: στρα(τηγῷ) Ἑρμοπολ(ίτου).

2) Cf. F. Oertel, „*Die Liturgie*" 1917, p. 330, ubi testimonia invenies.

Digitized by Google

pluribus cosmetis sermonem esse videmus [1]). Res aperta est, operae tamen pretium est eam definite proponere: cosmetae hoc loco dicuntur ii qui congregati cosmetarum societatem, *τὸ τῶν κοσμητῶν κοινόν*, efficiunt. Deest sane, quod recte monuit v. d. Jouguet (p. 306) ipsius *κοινοῦ* plana mentio; fac tamen ipsum vocabulum tunc nondum in usu fuisse, at certe erant collegia aliqua sive corpora, quorum membra erant non solum *ἔναρχοι* urbis praesides, sed etiam per certum quoddam tempus magistratus designati (*ἀποδεδειγμένοι*), itemque officiis iam functi; qui cuncti annuas impensas pro virili parte tolerabant et suo quisque tempore *ἔναρχοι* erant [2]); Achilles noster profitetur se quotannis bina talenta collaturum esse, si exegeta factus erit [3]). Haec breviter exposui ut satis difficile vocabulum, quod textus noster offert primus, melius tractare possem. Est adiectivus *ἐπίλογχος* (in vs. 43, 44, 49), quod rectissime a voce simili, quam in tragoedia sensu „cuspide instructi" legimus, editores statim distinxerunt; dubitantes autem idem valere autumaverunt atque *ἀποδεδειγμένος*, altera interpretatione reiecta, quam v. d. Jouguet postea (p. 317 sqq.) accepit et suis argumentis defendere conatus est, nempe ita designari „supernumerarium" magistratum. Vix dubito quin haec versio recte se habeat, quae multo melius conveniat cum participii illius *ἐπιλαχών* [4]) sensu. Cum autem *τὸν ἐπίλογχον* suppositicium magistratum esse contendit, „*destiné à remplacer le titulaire en cas d'incapacité*", vicarium quendam, quo fit ut edicto imperatorio cautum esse asseverare debeat, ne singuli exegetae crearentur sine trinis vicariis [5]), viro docto assentiri non possum. Qua de causa non minus tribus supernumerariis Achilli opus

1) *Μεταπεμφθήσονται δὲ καὶ οἱ κοσμηταί*; cf. 42 *Διογένης καὶ Διόσκορος καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς κοσμηταί*; cf. etiam 48 et 49 supra laudatos p. 422.

2) De iisdem rebus cf. Jouguet l.l. p. 303 et librum de gymnasiarcho Aegyptiaco agentem, quem brevi in lucem missurus sum; ibi quoque fusius de *κοινοῦ* quid sentiam, exponitur.

3) *Ἀνεδεξάμην ἐξηγητείαν ἐπὶ τῷ κατ' ἔτος δύο τάλαντα εἰσφέρειν* (vs. 38), cf. vs. 35.

4) Testimoniorum ipse iustum numerum dedit (p. 317 n. 4). Animadvertas quaeso nostrae voci sortiendi sensum certe non inesse; sorte non ducuntur *οἱ ἄρχοντες*.

5) Edictum non iam legitur; papyri textum vide infra p. 426.

Digitized by Google

fuisset? Neque explicatur, neque explicari posse videtur: nam si recte egisset Achilles, dummodo tres vicarios sibi addidisset, quandoquidem non cosmetam sed exegetam se fieri fecit maximi, statim idoneorum nomina ipse edidisset, aut magistratum, cuius id officium, ut ederet, rogavisset; quibus autem de rebus nihil legitur.

Tum vicarii supervacanei essent, nam semper in Aegypto qui designaverunt, τὸ κοινὸν igitur, designatum praestant; quin etiam ea de causa societates, quas dixi, constitutae sunt. Mea igitur sententia exegetae, qui ἐπίλογχοι dicebantur, una cum ipso exegeta, quem στεφανηφόρον [1]) vocabant, non designabantur [2]), aliaque interpretandi via quaerenda est.

Et editores et commentator Francogallus vocabula, quae sunt ἐπίλογχος et στεφανηφόρος, inter se opposuerunt. Quod summo iure factum esse puto; quin ita omnia habes! Στεφανηφόρος ἐξηγητής is nimirum est, quem saepius ἔναρχον vocabant, ἐπιλόγχους autem ceteros esse puto, qui eiusdem societatis sint, designatos scilicet exegetas itemque nonnullos ἐξηγητεύσαντας; amplius singulos ea aetate quotannis fuisse designatos non probatur [3]); eorem autem qui muneribus iam functi, adhuc in κοινῷ erant, numerus semper idem esse non potuit, urgentibus ceterorum magistratum vacationibus. Quae si vera sunt, optime intellegere mihi videor, quid divi Antonini sibi voluerit edictum. Papyri textus ita se habet, variis uncis iterum neglectis:

Διογένης (qui cosmetarum nomine verba facit) εἶπεν· Ἐμάθομεν τὸν Ἀχιλ—(43)λέα προβαλόμενον ἑαυτὸν εἰς ἐξηγητείαν ἀπόντων ἡμῶν, τοῦτο δὲ οὐκ ἐξῆν, ὁ γὰρ θειότατος Ἀντωνῖνος διὰ διατάγματος ἐκέλευσεν μὴ συγχωρεῖσθαι ἀνευ̣ τριῶν ἐπιλόγ—(44)χων εἰς ἐξηγητείαν· πολλῶν οὖν ἐπιλόγχων ὄντων ὀφείλει εἰς τὴν κατεπείγουσαν ἀρχὴν πραβαίνειν, ὡς ἀναγνώσομαί σοι τὸ διάταγμα.

Ad recte interpretandum, si quid video, interest non ab iis,

---

1) Cf. vs. 34—5: Ἀχιλλεὺς εἶπεν· — ἐπιδέχομαι στεφανηφόρον ἐξηγητείαν.

2) Cf. vs. 44. Miror, qua ratione sibi interpretatus sit v. d. Jouguet participium praesentis in vs. 49: πλειόνων ὄντων ἐπιλόγχων ἐξηγητῶν.

3) Cf. Oertel, l.l. p. 327.

Digitized by Google

quae primum dixit Diogenes, incipere, sed ab ulterioribus eius verbis, quibus affirmat, cum multi sint supernumerarii exegetae, ad necessarium officium Achilli transgrediendum esse. Itaque illud ἄνευ τριῶν ἐπιλόγχων significare ratus „nisi sint tres (neque plures) supernumerarii exegetae", cavisse principem puto ne quis ad cosmetae [1]) munus invitatus, sua sponte exegetae munus polliceretur, si essent in societate exegetarum, praeter singulorum annorum ἐνάρχουσ, amplius tres, concessisse igitur (ut aliis verbis utar), ut ita se gereret, si exegetarum κοινόν tres summum supernumerarios haberet. Facile est intellectu plerosque cives, quos „patria" [2]) sibi cosmetas cupiebat, quod necesse esset, suo marte in exegetarum societatem transgredi maluisse, dummodo maior esset cosmetarum collegio; inter plures enim collegas sumptus leviores et periculum minus. Talia admitti noluit Antoninus edixitque ne fierent, sed concessit, si minima [3]) esset societas, in quam transire mallent.

III.

Optime quoque, his rebus freti, qua de causa ille Aspidas suo periculo Achilli cosmetae munus detulerit, explanare possumus. Filius eius Hermas, titulo κοσμητεύσαντοσ ornatus, in cosmetarum societate adhuc est et in partem impensae venit. Quare ita mihi ratiocinatum esse videtur Aspidas: „si munus vacuum manserit, filii sumptus, mei igitur patrimonii onera maiora fient; Achilles autem se τὴν κοσμητείαν ferre non posse, improbe affirmat, quippe qui satis dives sit; quin igitur ipse eum praestem, quem sciam muneris sumptibus sufficere?" Caveas igitur ne amicitiae ergo cogites Aspidam professum esse se designationis periculum accepisse, ut Achillem onere aliquo levaret; immo filii privataeque utilitati serviens ita

1) Cum nusquam appareat ad omnes magistratus pertinuisse edictum, prudens de solis exegetis cosmetisque verba faciam.

2) Cf. vs. 34: πειθόμενοσ τῇ ἐμαυτοῦ (inquit Achilles) πατρίδι, ἐπιδέχομαι κτλ.

3) Haec animum inclinant ut credam exegetarum societatem minus trinos supernumerarios habere non potuisse, et praeter singulos designatos minimum fuisse binos ἐξηγητεύσαντασ; quo etiam fieri ut suo anno peracto, binos aut plures adhuc annos in societate remanere exegetae debuerint.

Digitized by Google

egit. Ea quoque de causa textus non ipsius titulo (siquidem talem habebat, quod verisimile puto) Aspidam designat, sed filii, cum minime intersit patrem munere quodam iam functum esse, sed filium κοσμητεῦσαι. Fraudis quam sibi proposuit, conscientia commotus Achilles nihil amplius arguere neque iam honorem repudiare videtur; itaque Aspidae interventu honorem sumere cogitur [1]). Quodsi tamen postea patuerit eius rem familiarem officio non sufficere, periculum sine dubio apud Aspidam erit, qui tamen eam ipsam ob causam quod illius patrimonium optime τῇ κοσμητείᾳ convenire existimet, illum praestat.

IV.

Ad eam quaestionem, cuius pondus maximum est, nunc pervenimus. Is enim primus est textus, qui de designando urbis praeside data opera agit. De omnibus urbium praesidibus sermo non est; cum tamen nihil legamus quod ad solos cosmetas pertinere debeat [2]), ceteros quoque ἄρχοντας eadem ratione creari potuisse verisimile videtur. Scripserunt de ea re carptim editores in prooemio et commentario, fusius v. d. Jouguet, brevius sed, quantum video, rectius v. d. Méautis. Non semper tamen bene explanatum est vel satis perquisitum quid e textu effici posset. Quid ergo in ea re haec papyrus nos docet? Ut quam brevissime dicam, *quae fuerit usitata et ordinaria praesides designandi via et ratio*; atque minus recte ad hunc diem singularia et inusitata potius quam communia et generalia considerata sunt. Quod si verum est, maioris momenti eo fit ipse textus, quam si, quae extra ordinem evenissent, enarraret.

Ante omnia paucis repetenda sunt quae viri docti senserint. Editores primum statuunt Achillem iam rogatum esse cosmetam, antequam apud strategum ageretur [3]); postea autem praesides in salebras incidisse putant, et ea de causa epistulam quam

1) Cf. infra p. 432.

2) Dicendum vix erit omnes praesides non a cosmetis propositos esse, sed gymnasiarchos a gymnasiarchis, exegetas ab exegetis, cosmetas a cosmetis, ceteros a ceteris.

3) „*Duly nominated*" (p. 28), cf. (p. 29) „*some form of nomination preceded*".

Digitized by Google

legimus, ad strategum dedisse; affirmant postremo multis argumentis freti, quae non omnia mihi recta videntur, strategum non extra ordinem intervenisse, iudicis personam gerentem, sed suas semper partes habere in designando. Ceterum quid de strategi, societatis, populi, ceterorum officiis et muneribus in ea re putent, aut qua ratione semper designati sint ἄρχοντες, aut quae tantum nunc extra solitum ordinem facta sint, non definite legimus.

Vir doctus Jouguet diversa defendit: apud strategum nihil agendum fuisse, nisi certamen exstitisset [1]), quod certamen iam antea ortum esse necessarium est; tum reliquum fuisse ut decerneretur utrum Achilles an Aspidas fieret magistratus; in priore pagina fuisse quae huic conventui apud strategum facto succederent.

Ingeniosus denique vir Méautis primum exponit quid inter populi acclamationes et cosmetarum cooptatio intersit [2]), tum duos apud strategum velut actus esse contendit, quorum alter publica designandi caerimonia sit (ad vs. 41), alter efficiatur eo quod Achilles exegetae munus praetulerit; deinde Achillem non iam recusavisse ratus, epistulam ad strategum ob eam rem missam esse scribit, ut electio a summis auctoritatibus confirmaretur.

Auctores minime consentire patet. Itaque operae pretium est rem ab initio repetere et gradatim singulas res cognoscere et inspicere.

1) Achilles ἄγεται εἰς κοσμητείαν ὑπό τινων κοσμητῶν (vs. 48). Quid haec sententia valeat, requiritur. Estne vera designatio et creatio, an potius nihil nisi propositio? Minus difficile est hoc quam illud defendere, non una de causa: verbum ἄγειν proponendi rationi melius convenit; verisimile non est praecipuos urbis magistratus creatos esse, dummodo „a quibusdam collegis" cooptati essent; post curias metropolitanas a Septimio Severo institutas, curiae officium erat praesidum designatio [3]),

1) p. 323: „*Nous constatons que, sauf en cas de conflit, personne n'y* (= in designando) *intervient que les magistrats municipaux eux-mêmes*".

2) p. 121. Infra eadem fere leges.

3) Cf. Oertel o. l. p. 345 (cum testimoniis).

Digitized by Google

non ipsorum; neque alia ratione explanari potest quare populus adsit et clamores edat. Itaque Achillis nomen a cosmetis datum est, et de ea re certiores sunt facti et strategus (cf. infra) et ceteri ἄρχοντες, quorum pars mox aderit, et ipse Achilles.

2) Apud strategum, nonnullis praesidibus praesentibus et ipso Achille, populus Hermupolitanus exclamat (vs. 34): Στεφέσθω Ἀχιλλεὺς κοσμητείαν! μιμοῦ τὸν πατέρα [1]), τὸν φιλότιμον, τὸν γέροντα φῶτα! His vocibus civitas edit, quem sibi cosmetam cupiat. Velim attendas populum adesse — non sane totum, at tamen ex parte — quia procul dubio adesse potest, immo debet, atque eius clamores perscribi in actis publicis, quia necessarii sunt. Aegyptiacam metropolem liberam esse fingebatur, neque libertas esse potest, nisi populus ipse suos magistratus eligendi ius habet. Quod nunc vocibus suis Achillem eligit, id certe evenit, quod a cosmetis iam propositus est: etenim dixi metropolem libertatis *imagine* frui. Hoc tamen certum videtur: si iam antea a populo invitatus esset Achilles, nunc non adesset civitas, nedum clamaret; quae antea iam facta sunt, designationem praeparaverunt, quae nunc demum iustum initium habet [2]).

3) Patriae invitanti Achilles respondere debet, quod ita facit ut cosmeta fieri nolit, sed exegetae honorem sponte offerat. Utrum iam antea τὴν κοσμητείαν repudiavit et alterum honorem se malle declaravit, an nunc primum publice ita loquitur? Litterae supra transcriptae (p. 422) de priore illa professione nihil docent; at breves sunt; sed in actis strategi nihil magis commemoratur, quae satis ampla sunt. Attamen, si iam antea quid cuperet, edidisset Achilles, apud strategum initium non fecisset populus, sed Olympiodorus defensor his fere verbis: „Per litteras (vel praesens) certiores nos fecit Achilles se cosmetae honorem repudiare, sed exegetam fieri malle. Cum autem civitati cosmeta opus sit, curae tibi sit ut patriae nostrae in hac re consulas, et Achillem adducas aut cogas ad concedendum". De his tamen nihil. Ne cosmetae quidem adsunt, sed arcessendi sunt, postquam Achilles sua enuntiavit, et eos

1) Pater teste vs. 48 ἀγορανόμος fuit.

2) Verbo ἄγειν (cf. p. 429) *proponendi* vim inesse, inde quoque patet.

Digitized by Google

antea hoc propositum minime novisse ex ipsorum verbis patet (vs. 42—3): Ἐμάθομεν τὸν Ἀχιλλέα προβαλόμενον ἑαυτὸν εἰσ ἐξηγητείαν ἀπόντων ἡμῶν· τοῦτο δὲ οὐκ ἐξῆν [1]). Quae omnia si vera sunt, nullo pacto conici potest iam antea Achilli certamen fuisse cum cosmetis vel praesidibus ceteris, vel Aspida, vel nescio quo. Nemo ad id tempus pro magistratu cognovit quid rogationi publicae responsurus esset Achilles. Itaque non fuisset ulla strategum appellandi causa, nisi semper ad eum designationis certa pars pertinuisset.

4) Quae Achilles proposuit sine ullo dubio non semper proposita sunt sed extra solitum ordinem eveniunt; his etiam factum est ut actio apud strategum paulo proferretur [2]). Cosmetae enim nunc demonstrant Achillem edictum imperatoris transgredi velle. Attamen ideo nihil magis accipit, neque strategum nunc intervenire legimus seu petendo seu iubendo: ex ipso populo auditur proxima vox.

5) Aspidas enim, iis rebus commotus, quas supra (p. 427—8) exposuimus, ἰδίῳ κινδύνῳ στέφει τὸν Ἀχιλλέα τὴν κοσμητείαν. Aperte praedicandum est vocem illam στέφειν meram translationem esse. Scimus quidem magistratuum insigne fuisse coronam, sed eam soli ferebant ἔναρχοι. Legimus enim in alia papyro [3]) a stratego primo anni Aegyptiaci die in gymnasio coronatum esse (sensu stricto et vero) gymnasiarchum, quo die honoris annus incipit. Porro etiam corona ornatus aliquis eo ipso muneris officiis et insignibus praeditus videtur, quod de Achille affirmare minime possumus [4]). Quare minus recte hanc esse „coronandi caerimoniam" affirmaverunt, cum „metaphorice" tantum coronetur Achilles, quod nihil aliud valeat nisi ad tempus eum designari, dum acta confirmentur. Unum tamen gravissime monere velim, nempe Achillem, nisi provo-

---

1) Cave intellegas τοῦτο referre ad ἀπόντων ἡμῶν! Edictum enim, quod supra p. 426—7 interpretatus sum, docet principem noluisse talia *omnino* fieri.

2) Minus recte mea quidem sententia de duobus „actibus" scripsit v. d. Méautis; est semper idem actus, idemque conventus. Quod primum in tribunali sedet strategus, postea autem apud „Caesareum", id nihil refert; ceterum cur id factum sit, e textu non apparet.

3) Pap. Paris. 69 II 6 sqq. (= Wilcken, *Chrest.* n. 41).

4) Quod ex epistula, quam legis supra p. 422, patet; cf. infra p. 433.

Digitized by Google

caverit ad praefectum, ipsum cosmetam fore; textus id plane docet his verbis: Ὀλυμπιόδωρος (is est defensor) εἶπεν· ἔχομεν δὴ φωνὴν τοῦ Ἀσπιδᾶ ὅτι ἰδίῳ κινδύνῳ αὐτὸν στέφει. Καὶ ὀφείλει στεφῆναι (Achilles nimirum) [1]). Siquidem muneri exercendo Achilles minus aptus erit, periculum haud dubie apud eius nominatorem erit, sed ex iis deligendus non est alteruter minusque recte scripsit v. d. Jouguet (p. 319): „*Nous savons que l'exercice de la magistrature est assuré, sans doute soit par Aspidas, soit par Achilleus. Mais qui décidera entre les deux?*" Si quis deliget, is erit ipse Achilles, cui decernendum est utrum appellare velit an rem integram relinquere, et explorandum sufficiatne magistratui res familiaris an minus idonea sit. Postremo animadvertas rem nunc ad finem pervenisse Aspidae verbis; ἔχομεν δὴ φωνήν, inquit defensor; tali professione vel promisso seu ipsius designati seu sponsoris cuiusdam opus erat, nam honores non iniungi sed sponte accipi fingebatur. Ad eventum utique pervenerunt; civitas enim cosmetam habebit Achillem, qui si appellaverit et muneri impar visus erit, habebit Aspidam. In hac re magni momenti est urbis praesides rem absolvere non posse; si designandi officium praesidum esset, nisi certamen exstitisset, nunc proclamaret strategus: „En cosmetam; ulteriora ipsi curate". Sin diversa vera sunt, quod demonstrat epistula mense Aprili ad strategum data, iterum [2]) sequitur ut semper in creandis praesidibus strategus intervenire debuerit.

6) Aequum erat Achilli tempus aliquod dari ut, quid sibi agendum sit, decernat: proponatne bonorum cessionem [3]), an ad praefectum appellet, an potius acquiescat? Haec altera est causa, qua de causa nihil amplius iubet strategus nisi: „quae dicta sunt, conscribi". Sed est altera et maior, quam recte exposuit vir doctus Méautis (p. 123): in hac quoque re, ut in plerisque rebus, stratego arbitrium non esse. Idem quoque summo iure (*ibid.*) Achillem non iam recusavisse defendit.

7) Epistula enim a praesidibus ad strategum missa non ideo

1) Cf. supra p. 428.

2) Cf. supra p. 431.

3) De ea cessione bonorum (ἡ τῶν ὑπαρχόντων ἔκστασις) cf. C. P. R. 20.

Digitized by Google

scripta est, quia nescio qua de causa res turbata est, sed quia nondum confirmata est designatio a summis auctoritatibus. [1])

Ut breviter enuntiemus, quid in tota hac re extra ordinem evenerit, id ipsum, quod Achilles κοσμητείαν fugiens ἐξηγητείαν suscipere voluit, neque usitatum neque commune fuit; quae singularis pollicitatio Aspida interveniente irrita facta est. Unum hoc si excipimus, papyrum nostram docere solitam designandi rationem affirmare possumus. Deinde si quaeris, quid in multiplici illa designandi ratione gravissimum sit, respondendum videtur *specie* populi adhortationes et viri propositi professionem, *re ipsa* autem priorem propositionem, quam facit societas, et ultimam praefecti confirmationem multo maius momentum habere.

Itaque, ut finem disserendi tandem faciam, quomodo cosmetae et, ni fallor, ceteri quoque ἄρχοντες τῆς μητροπόλεως ea aetate designati sint, paucis complectar.

Cooptato ab iis, qui τοῦ κοινοῦ sunt, viro idoneo, sive quem idoneum putant, et praesidum societate certiore facta, apud strategum atque per eum cetera tractantur. Die constituta ad tribunal eius conveniunt praesides nonnulli et populi pars et viri ipsi cooptati. Praesidibus auctoribus, clamoribus populus voluntatem significat. Inde ut semper idem fiat necesse non est: aut accipitur munus, seu libenter seu defensione facta, et statim in acta ea declaratio refertur, aut obstinate repudiatur [2]); quod si accidit, iterum fieri potest alterutrum: aut in detrectando perseverat cooptatus vir et ad praefectum praesidibus appellandum erit, nisi alium idoneum proposuerint cosmetae, aut invenitur aliquis, qui sibi amicove consulens vel etiam inimico nocens, illum praestare velit, quo vadimonio ille coactus non iam recusare potest. Semper autem nihil aliud strategus iubet nisi τὰ εἰρημένα ὑπομνηματισθῆναι.

Num ita designatio obsoluta est? Minime; etiamsi designatus praeses ipse non appellaverit, strategus iterum intervenire debebit. Noli de sanciendo cogitare; non enim is est strategus

1) Admirationem movet inveniri commentatorem, Aegypti rerum peritissimum virum Jouguet (p. 323), qui putet res tanti momenti ipsis metropolitanis commissas fuisse. Cf. supra p. 429.

2) In nostro textu peculiaris est recusatio, sed recusatio.

Digitized by Google

qui tam gravia officia suis annumeret. A praefecto vel ab epistratego, eius vicario, cum appellationis disceptatio, tum etiam designationis comprobatio, stratego interveniente, dari debebit.

Animadvertas denique quaeso ita varia munera ratione distributa esse: ordinem, de quo agatur, quod ipse designatum collegum praestare debeat, cooptare et, si casus incidat, quae proposuerit, defendere; populum, ut qui libertatis imagine fruatur, suam voluntatem specie proclamare, re ipsa proposita probare; eum, quem cooptaverint, dum prorsus inhabilis ne sit, sponte aut invitum munus suscipere; strategum, qui semper minores magistratus cum maioribus coniungat, omnia litteris mandare summisque auctoritatibus permittere; praefectum denique vel eius vicarium, quod e re publica sit, sancire.

Digitized by Google

DE C. JULIO PRISCO

ADDENDUM.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

Commentationis meae de C. Julio Prisco, huic volumini p. 286 sqq. insertae, exemplar cum ad virum reverendissimum J. B. Chabot misissem, is qua est comitate ad me rescripsit constare

1. in inscriptione Palmyrena (de qua vide supra p. 292 sqq.) erasum esse nomen Prisci, vocis enim ΠΡΕΙΣΚΟΥ vestigia prorsus certa adhuc dispici posse,

2. numerum anni cum in huius inscriptionis textu Graeco tum in Palmyreno clare insculptum esse neque dubitari posse quin is numerus sit 554 (= 242/3 p. C. n.).[1])

Quae cum ita sint et in hac igitur inscriptione C. Julius Priscus, imperatoris Philippi frater, non ipse Philippus, nominetur, sequitur mea quidem opinione lapicidam in insculpendo anni numero errorem commisisse, nam anno 242/3 Priscus nondum ad praefecturae praetorii gradum provectus erat, cf. quae exposui p. 295.

1) Ita Chabot: „Je puis vous affirmer, non seulement d'après mon examen, mais aussi par l'examen que mes confrères Clermont-Ganneau et Haussoullier ont fait des empreintes et de la photographie (celle-ci reproduite dans mon Choix d'Inscriptions de Palmyre, pl. XXI) que: 1° la restitution ΠΡΕΙΣΚΟΥ est absolument certaine d'après les vestiges, 2° la date est écrite très distinctement ΑΝΦ dans le grec, et non moins distinctement dans le palmyrénien".

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA.

SCRIPSIT

A. J. KRONENBERG A. I. fil.

Plutarchi moralia rec. G. N. Bernardakis, Lips. 1888—96.

5 B (= Bern. I 10, 20) μοιχεύοντες καὶ οἰκοφθοροῦντες —. Non agitur de eis qui rem familiarem dilapidant sed qui omnium perambulant cubicula; quam primum revocemus veterem emendationem κοιτοφθοροῦντες, quod latet in tradita lectione κιττοφοροῦντες, restituamus etiam 12 B (I 27, 11) γυναικῶν κοιτοφθορίαι γαμετῶν pro οἰκοφθορίαι.

7 B (I 15, 9) ἕως ἔτι μέμνημαι τῆς παιδείας — 'institutionis huius' i. e. ⟨ταύτης⟩τῆς παιδείας recte Xylander in versione: totus liber est de educatione, hic τῆς φραστικῆς παιδείας praecepta dantur. Permulta Xylander tacite in versione emendavit ('In mea versione liquet quid legendum suspicatus sim' ad 436 C), quorum nonnulla in sequentibus enotare in animo est.

7 D (I 16, 11) τί τὸ συλλήβδην αἱρετὸν τί τὸ φευκτόν· Constans formula est, quam tradere dicitur Vulcobii exemplar, τὸ αἱρετὸν καὶ φευκτόν, non τὸ φευκτόν, quod Hercherus edidit.

8 D (I 18, 12) καὶ τί ταῦτα; Scribo καὶ τίνα ταῦτα; Spectant haec ficti interlocutoris verba ad superiora 'πέμποντας εἰς παιδοτρίβου τοὺς παῖδας ἱκανῶς ταῦτα διαπονεῖν' ubi ταῦτα in universum τὴν τῶν σωμάτων ἀγωνίαν designant.

Digitized by Google

8 D (I 18, 18) *ἰσχνὸς δὲ στρατιώτης πολεμικῶν ἀγώνων ἑθὰς ἀθλητῶν καὶ πολεμίων Φάλαγγας διωθεῖ.*

Hinc me non expedio nisi abiecto [*πολεμικῶν*] quod non quadrat in eos qui adhuc domi praeparantur ad bellum. *ἀθλητῶν ἀγῶνες* dicuntur sicut 79 E *ἀγὼν πυκτῶν.*

9 B (I 19, 27) *Ἤδη δέ τινας ἐγὼ εἶδον πατέρας, οἷς τὸ λίαν Φιλεῖν τοῦ μὴ Φιλεῖν αἴτιον κατέστη. τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν, ἵνα τῷ παραδείγματι Φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον;*

Servata Reiskii interpunctione scribo *τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν;* (cf. 210, 25 *τί δὲ τοῦτ' ἐστιν;* et saepius sic) *ἱκανῷ παραδείγματι Φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον* (cf. VI 307, 23 *παράδειγμα ἱκανόν*). Exemplum paulo post sequitur: *ὥσπερ γὰρ κτέ.*

10 E (I 23, 20) *ἀλλ' οὐδὲν ἧττον ἐκείνων, ὥσπερ θεῶν ἱεροΦάνται καὶ δᾳδοῦχοι τῆς σοΦίας ὄντες, ὅσαπέρ ἐστιν ἐν δυνατῷ, ταῦτα μιμεῖσθαι καὶ περικνίζειν ἐπιχειροῦμεν.*

Sicut *ἱεροΦαντῶν* officium est *τὸ μιμεῖσθαι*, ita *δᾳδούχων* est non 'circumtitillare' sed 'illuminare': *Φωτίζειν*. Litteram *Φ* pro *περι* compendiose scripto accepit librarius: hinc prima mali labes. Cf. I 197, 8 *ὁ δ' ἐντὸς* (sc. *τοῦ ἱεροῦ*) *γενόμενος καὶ μέγα Φῶς ἰδών*).

20 D (I 48, 8) *ὅσα δ' εἴρηται μὲν ἀτόπως εὐθὺς δ' οὐ λέλυται, ταῦτα δεῖ τοῖς ἀλλαχόθι πρὸς τοὐναντίον εἰρημένοις ὑπ' αὐτῶν ἀνταναιρεῖν, μὴ ἀχθομένους τῷ ποιητῇ μηδὲ χαλεπαίνοντας ἀλλ' ἐν ἤθει καὶ μετὰ παιδιᾶς δεχομένους* (traditur *λεγομένοις*).

De accusativi forma restituenda editori concedendum est, de ipso verbo non item; verbum dicendi, cui optime *τὸ 'ἐν ἤθει καὶ μετὰ παιδιᾶς'* adiungitur, mordicus tenendum est. Suadet enim Plutarchus ut cum poeta benevole et iocose confabulemur, quod quo modo faciendum sit, subinde exemplo monstrat: *εὐθύς* (hoc verbo exempla induci solere non est quod moneam), *εἰ βούλει, πρὸς τὰς Ὁμηρικὰς τῶν θεῶν ῥίψεις* respondendum est: *'οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι'* (et quae plura sequuntur); eodem modo Euripidi et Sophocli responde. Itaque supplendum est *καὶ μετὰ παιδιᾶς ⟨προσδια⟩-*

Digitized by Google

λεγομένους. Tam διαλέγεσθαι πρός τινα quam προσδιαλέγεσθαί τινι usurpare solet Plutarchus.

25 D (I 61, 3) ἄνευ δὲ τοῦ ἀληθοῦς μάλιστα μὲν ἡ ποιητικὴ τῷ ποικίλῳ χρῆται καὶ πολυτρόπῳ. τὸ γὰρ ἐμπαθὲς καὶ παράλογον καὶ ἀπροσδόκητον, ᾧ πλείστη μὲν ἔκπληξις ἕπεται πλείστη δὲ χάρις, αἱ μεταβολαὶ παρέχουσι: τοῖς μύθοις· τὸ δ' ἁπλοῦν ἀπαθὲς καὶ ἄμυθον.

Xylander vertit: 'quod simplex sit, id neque fabulis est neque animo perturbando aptum'; verum ἄμυθον non est 'fabulis non aptum' sed 'in quo non inest fabula': vide Plutarchum ipsum I 37, 22 οὐκ ἴσμεν δ' ἄμυθον οὐδ' ἀψευδῆ ποίησιν. Tamen res eodem redit: aeque ineptum est dicere 'simplex oratio non convenit fabulis, quia fabulis aptum non est' atque si dicas 'quia in simplici oratione fabula non inest'. Quid igitur? Periit una littera, unde AMTΘON factum est quod fuerat AMOTCON. Sicut hic opponuntur inter se τὸ ποικίλον τῆς ποιήσεως et τὸ τοῦ ἁπλοῦ ἄμουσον, ita 7 B (I 15, 11) ἡ τοῦ μονοκώλου λόγου ἀμουσία et (15) τὸ τῆς ποικιλίας τερπνόν. Cf. etiam 347 F (I 461, 18) ἡ δὲ Κόριννα τὸν Πίνδαρον ἐνουθέτησεν ὡς ἄμουσον ὄντα μὴ ποιοῦντα μύθους, ὃ τῆς ποιητικῆς ἔργον εἶναι συμβέβηκε.

30 F (I 74, 12) καὶ τῷ (Wyttenbach pro τὸ)

'χαῖρε δ' Ἀθηναίη πεπνυμένῳ ἀνδρὶ δικαίῳ'

τοιοῦτον ἐπιλογισμὸν δίδωσι, μήτε πλουσίῳ τινὶ μήτε καλῷ τὸ σῶμα μήτ' ἰσχυρῷ τὴν θεὸν χαίρουσαν ἀλλὰ φρονίμῳ καὶ δικαίῳ ποιήσας. καὶ πάλιν τὸν Ὀδυσσέα φάσκουσα μὴ περιορᾶν μηδὲ προλείπειν

'οὕνεκ' ἐπητής ἐστι καὶ ἀγχίνοος καὶ ἐχέφρων'

ἐνδείκνυται μόνον εἶναι τῶν ἡμετέρων θεοφιλὲς καὶ θεῖον ἀρετήν. Si recte emendavit Wyttenbach, ad ποιήσας subiectum erit Homerus, quamquam is nomine ipso non indicatur, ad φάσκουσα rursus Ἀθηναίη. Simplicior exsistet oratio si pro ποιήσας scripseris ποιῆσαν, integro servato τὸ.

33 D (I 81, 4) ὁ Ζήνων ἐπανορθούμενος τὰ τοῦ Σοφοκλέους

'ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ'

Digitized by Google

μετέγραφεν

οὐκ ἔστι δοῦλος, ἢν ἐλεύθερος μόλῃ,
τῷ ἐλευθέρῳ νῦν συνεκφαίνων τὸν ἀδεᾶ κτέ.

Scribe συνεμφαίνων. Significare est ἐμφαίνειν (II 297, 9; 536, 14; III 311, 11), simul significare συνεμφαίνειν (II 326, 24).

34 C (I 83, 14) τοὺς νέους ἐθίζειν τὴν κοινότητα συνορᾶν καὶ μεταφέρειν ὀξέως τὸ οἰκεῖον.

Xylander 'sentiantque expedite, quid quo familiariter transferri possit' i. e. ⟨εἰς⟩ τὸ οἰκεῖον.

43 D (I 105, 16) τάχα μὲν γὰρ οὐδ' 'ἀμαθίην κρύπτειν ἄμεινον' ὥς φησιν Ἡράκλειτος, ἀλλ' εἰς μέσον τιθέναι καὶ θεραπεύειν.

Aegroti non ut ipsi curent vulnera sua proferre solent sed ut curentur: εἰς μέσον τιθέναι [καὶ] θεραπεύειν.

45 B (I 109, 24: In auditorio civiliter se gerere oportet: inter cetera eius qui audit officia sunt) πρόσβλεψις αὐτῷ τῷ λέγοντι καὶ τάξις ἐνεργοῦ προσοχῆς.

'Ordo attentionis' nihil est, ergo nec potest praescribi: praescribitur autem τάσις προσοχῆς (I 192, 19 τὸ προσέχειν καὶ τετάσθαι τὴν ἄσκησιν, 200, 26 τὸν ἐθισμόν, ἰσχὺν ἐμποιοῦντα τῇ προσοχῇ καὶ τόνον).

45 F (I 111, 4) οἱ δὲ τὰς ξένας φωνὰς τοῖς ἀκροατηρίοις νῦν ἐπεισάγοντες[,] οὗτοι⟨,⟩ καὶ 'θειῶς' καὶ 'θεοφορήτως' καὶ 'ἀπροσίτως' ἐπιλέγοντες — ὑπερασχημονοῦσι.

Distinctionem ulterius promovi: cum contemptu quodam et irrisione designantur οἱ ἐπεισάγοντες οὗτοι (III 323, 17 τῶν ἐξηνίων τούτων).

56 E (I 137, 3) οὗτος (adulatio) Αἴγυπτον ἀπώλεσε, τὴν Πτολεμαίου θηλύτητα καὶ θεοληψίαν καὶ ὀλολυγμοὺς καὶ τυμπάνων ἐγχαράξεις εὐσέβειαν ὀνομάζων καὶ θεῶν λατρείαν.

Eiusdem Ptolemaei post fit mentio (145, 8) τυμπανίζοντος καὶ τελοῦντος, ubi coniecturis erat abstinendum: est ille qui Philopator audit, Magnae Matris cultor religiosissimus: ὁ βασιλεὺς (Vita Cleom. 33) αὐτὸς οὕτω διέφθαρτο τὴν ψυχὴν ὑπὸ γυναικῶν καὶ πότων, ὥστε, ὁπότε νήφοι μάλιστα καὶ σπουδαιότα-

Digitized by Google

τος αὐτοῦ γένοιτο, τελετὰς τελεῖν καὶ τύμπανον ἔχων ἐν τοῖς βασιλείοις ἀγείρειν (erat enim μητραγύρτης et habebat τύμπανον (ibidem 36), instrumentum in istis sacris usitatum (Mor. 763 A = IV 437, 5: τὰ μητρῷα καὶ τὸ τύμπανον)). Quid igitur illae τυμπάνων ἐγχαράξεις aliud sunt quam librarii error? Conferamus Eurip. Cycl. 205 τυμπάνων ἀράγματα et scribamus ἀράξεις.

63 C (I 153, 9) ἡ μὲν γὰρ παρὰ τοῦ Φίλου χάρις ὥσπερ ζῷον ἐν βάθει τὰς κυριωτάτας ἔχει δυνάμεις κτέ.

Non potius arcanam aliquam his et reconditam doctrinam subesse putaverim quam scribae perversam diligentiam, id quod supplendi causa adscriptum fuerat, pro correctione substituentis, unde 'animal' evasit quod debebat esse 'focus cinere superiecto sopitus': ὡσπυρον (περζω) i. e. ὥσπερ ζώπυρον. (II, 190, 7 ζώπυρα).

71 D (I 172, 10) ἰδίᾳ δε νουθετεῖν ὀΦείλομεν.

'privatim eras admonendus' (Xylander) i. e. ἄΦειλεν sc. Aristomenes.

73 F (178, 7) ἠθικώτερον γὰρ οἶμαι τοῦ 'ἠδίκησας' καὶ 'ἠσχημόνησας' τὸ 'οὐκ ἐπέστησας' καὶ 'ἠγνόησας'.

Sic edidit Bernardakis Reiskium partim, partim Wyttenbachium secutus. Lenius emendatur (traditur enim καὶ οὐκ ἐπέστησας τοῦ ἠγνόησας) per transpositionem τὸ[υ] 'ἠγνόησας' καὶ 'οὐκ ἐπέστησας'.

76 A (I 183, 16) οὗτοι μὲν οὖν (qui virtutem nisi perfecta sit malitiae aequant) ἑαυτοὺς ἐλέγχουσιν, ἐν μὲν ταῖς σχολαῖς ἴσην ἀδικίαν τῇ Ἀριστείδου τῇ Φαλάριδος τιθέμενοι, καὶ δειλίαν τὴν Βρασίδου τῇ Δόλωνος, καὶ νὴ Δία τὴν Μελήτου μηδ' ὁτιοῦν τὴν Πλάτωνος ἀγνωμοσύνην διαΦέρουσαν, ἐν δὲ τῷ βίῳ καὶ τοῖς πράγμασιν ἐκείνους μὲν ἐκτρεπόμενοι καὶ Φεύγοντες ὡς ἀμειλίκτους, τούτοις δ' ὡς ἀξίοις πολλοῦ τὰ μέγιστα καὶ χρώμενοι καὶ πιστεύοντες.

Sententiae non convenit ἀμειλίκτους, sed ἀμίκτους vel ἀνομιλήτους. Illud praefero: Pomp. 28 Φύσει μὲν ἄνθρωπος οὔτε γέγονεν οὔτ' ἐστιν ἀνήμερον ζῷον οὐδ' ἄμικτον, Nic. 11 τὸ μὴ Φιλάνθρωπον ἀλλ' ἄμικτον et sic saepius τὸ Φιλάνθρωπον et τὸ

Digitized by Google

ἄμικτον inter se opponit Plutarchus. Huc non facit locus corruptus 167 D (I 410, 14) οἱ μὲν (οἱ ἄθεοι) οὐχ ὁρῶσι τοὺς θεοὺς τὸ παράπαν, οἱ δὲ (οἱ δεισιδαίμονες) κακοὺς ὑπάρχειν νομίζουσιν· εἰ μὲν παροράσιν, οἱ δὲ δοξάζουσι φοβερὸν τὸ εὐμενὲς καὶ τυραννικὸν τὸ πατρικὸν καὶ βλαβερὸν τὸ κηδεμονικὸν καὶ τὸ ἄμικτον ἄγριον εἶναι καὶ θηριῶδες, ubi diu Reiskius, ab editore neglectus, emendavit τὸ ἀμήνιτον coll. 492 A εὐμενῆ καὶ ἀμήνιτον, confer etiam 413 D, quo praecipue loco Reiskii emendatio commendatur: τὸν δὲ θεὸν εὐμενῆ φύλαττε καὶ ἀμήνιτον.

77 B (I 186, 11) ἂν δ' ἀπέλθωσιν ὑπὸ πραγμάτων ἄλλων καὶ ἀσχολιῶν —

'avocantur' Xylander i. e. ἀπελαθῶσιν. Idem 85 A (I 205, 7) οὐκ ἂν ἔτι — οὐδεὶς ἀποτρέψειεν 'nulla res' i. e. οὐδέν.

94 E (I 229, 12) οὕτως ἀεὶ μὴ τὸν εὐχερῶς περιπλεκόμενον ποιεῖσθαι συνήθη καλόν, ἀλλὰ τοῖς ἀξίοις σπουδῆς καὶ ὠφελίμοις αὐτοὺς περιπλέκεσθαι δοκιμάζοντας.

Si quis δεῖ pro ἀεὶ corrigere velit cum Wyttenbachio, corrigat etiam οὕτω[ς]: sic enim semper Plutarchus ante consonantem. Sed graecitati non repugnat ἀεὶ cum infinitivo coniunctum ad vim imperandi vel suadendi efficiendam. Necesse autem non ut καλόν deleatur sed ut suppleatur συνήθη κα⟨ὶ φί⟩λον, vide infra φιλίαν δεῖ καὶ συνήθειαν σῴζειν, 145 B (I 355, 12) φίλους καὶ συνήθεις. Sufficiant haec exempla ex innumeris.

102 F (I 250, 24)

'ἀλλ' αὐτὸς αἰεὶ μίμνε, τὴν σαυτοῦ φύσιν
σῴζων βεβαίως, ὥστε χρυσὸς ἐν πυρί.'

πεπαιδευμένων δ' ἐστὶ καὶ σωφρόνων ἀνδρῶν πρός τε τὰς δοκούσας εὐτυχίας τὸν αὐτὸν εἶναι, καὶ κτέ.

Audacius emendo μεῖναι?

104 A (I 253, 10) ἀνθρώπων γὰρ ὄντως θνητὰ μὲν καὶ ἐφήμερα τὰ σώματα, θνηταὶ δὲ τύχαι καὶ πάθη καὶ πάνθ' ἁπλῶς τὰ κατὰ τὸν βίον.

Satis novimus illud 'γὰρ ὄντως' ubi aliquem auctorem laudat Plutarchus; fuerint haec:

Digitized by Google

ἀνθρώπων γὰρ ὄντως

θνητὰ μὲν κἀφήμερα
τὰ σώματα, θνηταὶ δ' αἱ τύχαι ⟨τε⟩ καὶ πάθη',

tum, ut solet, caudam appendit: καὶ πάνθ' ἁπλῶς —.

Euripidis esse possunt: cf. Heracl. 866: ἐφήμεροι τύχαι.

104 B (I 254, 4) ὁ δὲ Πίνδαρος

'τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ
ἄνθρωπος'

ἐμφατικῶς σφόδρα καὶ φιλοτέχνως ὑπερβολῇ χρησάμενος τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἐδήλωσε. τί γὰρ σκιᾶς ἀσθενέστερον; τὸ δὲ ταύτης ὄναρ οὐδ' ἂν ἐκφράσαι τις ἕτερος δυνηθείη σαφῶς.

ἕτερος ἢ Πίνδαρος? Sed ne Pindarus quidem, et ob id ipsum laudatur quod summum tetigit. Restitue ἑτέρως (sc. quam somni imagine). Adverbio ἑτέρως utitur Plut. et alibi et II 541, 22.

106 C (I 259, 17)

'ὦ θάνατε παιὰν ἰατρὸς μόλοις'.
'λιμὴν' γὰρ ὄντως ''Αΐδας ἀν' αἶαν.'

ἀνιᾶν ante Wyttenbachium invenit Xylander:

'O mors, veni nostris certus medicus malis,
Qui portus humanis es tempestatibus'.

110 A (I 268, 19) τῷ γὰρ ὄντι πολλοὶ διὰ τὴν οὐδένειαν καὶ τὴν πρὸς τὸν θάνατον διαβολὴν ἀποθνήσκουσιν, ἵνα μὴ ἀποθάνωσι.

Non possum non suspicari διὰ τὴν ⟨ἰδίαν⟩ οὐδένειαν.

115 C (I 281, 23) πρὸς δὲ δὴ τούτοις διὰ στόματος ὢν (Halmius pro ἐν) τοῖς ἀνθρώποις ὁρᾷς καὶ ἐκ πολλῶν ἐτῶν περιφέρεται θρυλούμενον. 'τί τοῦτ';' ἔφη.

Quam primum revoca ὡς, quod traditum est pro καὶ, et adde ⟨τὸ⟩διὰ στόματος ὄν.

117 C (I 286, 20) ἐὰν ταχέως (ἀποθάνῃ τις), ὀδύρονται λέγοντες 'ἀνηρπάσθη'. ἐὰν μακρῶς, μέμφονται ὅτι καταφθινήσας καὶ τιμωρηθεὶς ἀπέθανε.

Sicut illi lamentantur 'subito ereptus est!' ita hi μέμφονται ὅτι 'καταφθινήσας', 'καταμαρανθεὶς' ἀπέθανε. V 77, 5 πολλοὶ πρὶν ἀνθῆσαι περὶ τὸ βῆμα κατεμαράνθησαν, II 434, 14 (ἡ δύναμις) ἀπομαραινομένη καὶ φθίνουσα.

Digitized by Google

118 E (I 289, 26) Nuntiata morte filii Anaxagoras ait: '*ἤδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα τὸν* (add. Hercherus) *υἱόν*'.

Non vidisse Hercherum quid faciendum esset! III 205, 20 (*Ἀναξαγόρας*) *ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ παιδὸς εἶπεν 'ἤδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα'*, 233, 4 *'ἤδειν θνητὸν γεννήσας*. Adde Epictet. Diss. III 24, 105 *μέγα γὰρ ἐπὶ πάντων τὸ 'ἤδειν θνητὸν γεγεννηκώς'* et quos locos ibi citat Schenkl.

126 E (I 309, 27) *οὕτω καὶ ἡμεῖς οὐδέποτε μεμνήμεθα λιτῆς διαίτης καὶ σώφρονος ἄνευ καύσεων καὶ καταπλασμάτων.*

Est quidem medicorum urere et secare; sed qui ventri nimis indulsit et *ἐκ πλησμονῆς* laborat, is non *κΑύσεων* indiget sed *κΛύσεων*. 311, 23 (*οὐ δεῖ*) *ἐμπλήσαντας τὸ σῶμα καὶ βαρύνοντας ὑποκαθαίρειν αὖθις καὶ ὑποκλύζειν, ἀλλὰ διατηρεῖν εὐσταλές*, 313, 23 *πολλὰς ἡμέρας κεῖνται καθαιρόμενοι καὶ καταπλασσόμενοι*, 329, 14 *κλυστῆρα προσδεκτέον.*

127 C (I 311, 22) *ἀντλοῦντες καὶ ὑπεξαιροῦντες τὴν θάλατταν.* Locum, si ad manum fuisset, Lobeckius non oblitus esset emendare, qui emendavit 126, 5 (*τὸ μεταιρόμενον ὕδωρ*) ubi nunc legitur *μετερώμενον*. Cf. III 328, 19 *ἐξερᾶσθαι* (Emperius pro *ἐξοράσθαι*). Scribe *ὑπεξερῶντες*.

140 B (I 342, 15) *τὸ συνακολασταίνειν καὶ παροινεῖν οὐ μεταδιδόασι ταῖς γαμεταῖς.*

Cf. infra 20 *παροινίας καὶ ἀκολασίας καὶ ὕβρεως αἰδούμενος αὐτὴν ἑτέρᾳ μεταδίδωσιν* et scribe *τοῦ συνακολαστκίνειν*. Non nisi cum genitivo struit Plutarchus.

145 D (I 356, 1) *προειδυῖα τὸν χρόνον, ἐν ᾧ συμβαίνει τὴν σελήνην ὑπὸ τῆς σκιᾶς ἁλίσκεσθαι.*

Non *ὑπὸ Τῆς*, sed *ὑπὸ Γῆς σκιᾶς*. Adi 169 A (I 414, 12), quem locum plene exscribo ut Reiskio suus honor sit: *οὐ γὰρ γῆς ἀντίφραξις ἐν μέσῳ γενομένης Φοβερόν, οὐδὲ δεινὸν ἐν καιρῷ περισδων σκιᾶς πρὸς σελήνην ἀπάντησις, ἀλλὰ δεινὸν το τῆς δεισιδαιμονίας σκότος ἐκπεσόντος ἀνθρώπου συγχέαι καὶ τυφλῶσαι λογισμόν*, ubi Reiskius (— traditur enim *ἐμπεσόντος* —) *σκότος ἐμπεσὸν τὸν ἀνθρώπου συγχέαι — λογισμόν*. Adi etiam si tanti est II 516, 22 *ἐκλείπει ἡ σελήνη πανσέληνος, ἐναντίαν*

Digitized by Google

τοῦ ἡλίου στάσιν ἔχοντος πρὸς αὐτὴν, εἰς τὴν σκιὰν ἐμπίπτουσα τῆς γῆς. Mihi dubium non est quin idem mendum insit in 181 B (II 25, 13) τὴν ἀρίστην κεκτημένοι οὐ γεωργοῦσι, ne necesse sit interpretari omnium qui ubique sint terrarum optimum esse agrum quem Thessali incolant nec colant, quod nimio plus videtur.

152 D (I 373, 7) Aesopi παρρησίαν cum per iocum corripuisset Solon 'σὺ γὰρ' ἔφη ὁ Αἴσωπος 'οὔπω γέγραφας ὅτι ὅμοιον οἰκέτας μὴ μεθύειν, ὡς ἔγραψας Ἀθήνησιν οἰκέτας μὴ ἐρᾶν μηδὲ ξηραλοιφεῖν'.

Salutem non attulit Reiskius [ὅτι ὅμοιον] delens, perlucet enim quid voluerit Aesopus: nondum hic Corinthi pro legislatore vetuisse Solonem inebriari servos, sicut Athenis vetuit amare et ungui: οὔπω γέγραφας⟨ἐν Ἐφύρᾳ⟩ νομοθετῶν οἰκέτας μὴ μεθύειν. Scio me in audaciae crimen incurrere; ecce modestiorem invenies:

154 E (I 378, 18) μετατραπεὶς δ' ὁ Χίλων ἀπεφήνατο τὴν μάλιστα νόμων ἥκιστα δὲ ῥητόρων ἀκούουσαν πολιτείαν ἀρίστην εἶναι.

Nihil in his novandum: quaestio proposita quaenam esset optima πολιτεία ἰσόνομος Chiloni et alioquin morosiori et ἀριστοκρατικῷ ἐν τοῖς μάλιστα bilem moverat ut qui nullam omnino agnosceret πολιτείας ἰσονομίαν: itaque ut palam faciat nihil sibi esse cum re tractata, respondet quidem sed aversus et dum ceteri omnes hic talem, talem ille δημοκρατίαν vel δῆμον commendant, solus ille optimam 'πολιτείας' formam adumbrat, devitato nomine odioso vel potius re odiosa prorsus reiecta. Chilonis ingenium graphice depictum mihi videtur.

155 C (I 379, 25) σὺ δὲ τὰ τεκτόνων καὶ λιθοξόων ἔργα περινοστεῖς, οἶκον ἡγούμενος οὐ τὰ ἐντὸς ἑκάστου καὶ οἰκεῖα, παῖδας καὶ γάμον καὶ φίλους καὶ θεράποντας.

Nubila discutiet mutata distinctio: σὺ δὲ τὰ τεκτόνων κ. λ. ἔργα περινοστεῖς οἶκον ἡγούμενος, οὐ τὰ ἐντὸς κτέ. Verbo περινοστεῖν (circumire) tam proprio significatu utitur Plutarchus (Dion 28 περιενόστουν ἐν τῇ πόλει καταμεμιγμένοι τοῖς Συρακουσίοις, Pomp. 67 ὑπατείας καὶ στρατηγίας ἐν τῷ στρατοπέδῳ

Digitized by Google

περινοστοῦντες ἐμνῶντο) quam cum adiuncto participio ut fere sit pro ipso verbo cuius est participium: 485 D (III 260, 9) πᾶσι περινοστεῖ φθονῶν. Cf. I 190, 12 ἱστορίας ἀνκλεγόμενοι περίασιν.

166 A (I 406, 6) ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς καὶ δαπανῶσι καὶ ταράττουσιν, εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἐμπεσόντες.

Xyl. 'sese decipiunt, ac conturbant, sumtusque faciunt in agyrtas atque impostores incidentes' i. e. ταράττουσι καὶ δαπανῶσιν.

168 C (I 412, 20) ἀλλ' ὠθεῖται μὲν ἔξω νοσοῦντος ὁ ἰατρός, ἀποκλείεται δὲ πενθοῦντος ὁ νουθετῶν καὶ παραμυθούμενος Φιλόσοφος.

Recordemur quomodo Plutarchus ipse παραμυθητικῷ λόγῳ Apollonium consolatus sit, non tamquam philosóphus sed tamquam amicus (I 248, 17: ἡ περὶ σὲ διάθεσις ἀπαιτεῖν ἔοικε τὴν παρὰ τῶν Φίλων βοήθειαν), recordemur etiam quanti illos Euripidis versus faciet (I 249, 8; 167, 25)

'λυπουμένῳ μὲν μῦθος εὐμενὴς Φίλων,
ἄγαν δὲ μωραίνοντι νουθετήματα,'

et corrigamus Φίλο[σοφο]ς. Etiam 153, 13 medicus et amicus auxilium ferunt.

175 D (II 10, 13) 'μωρολογεῖς Διονύσιε'· 'μοναρχήσω μὲν οὖν' εἶπε.

'Stultas orationes habebis' Xyl. = μωρολογήσεις.

199 B (II 74, 29) Ex vita Cat. Mai. 8 supple 'δόξετε γὰρ ⟨ἢ⟩μὴ πολλοῦ τὸ ἄρχειν ἄξιον ἢ μὴ πολλοὺς τοῦ ἄρχειν ἀξίους ἡγεῖσθαι.

200 A (II 77, 17) Ἐπεὶ δὲ παρελθὼν (Scipio) εἰς τὸ τεῖχος, τῶν Καρχηδονίων ἐκ τῆς ἄκρας ἀμυνομένων, μὴ σὺ τὴν διὰ μέσου θάλασσαν οὐ πάνυ βαθεῖαν οὖσαν τοῦ Πολυβίου συμβουλεύοντος αὐτῷ κατασπεῖραι τριβόλους σιδηροῦς ἢ σανίδας ἐμβαλεῖν κεντρωτάς, ὅπως μὴ δικβαίνοντες οἱ πολέμιοι προσμάχωνται τοῖς χώμασι· ἔφη —.

Quid apertius quam in 'μὴ σὺ' latere verbum finitum, ad ἐπεὶ scilicet referendum, idque verbum quid sit, ipsum τὸ

Digitized by Google

'χώμασι' indicare: Ἐπεὶ δὲ — ἔχου τὴν θάλασσαν? Appianus 121 ὁ Σκιπίων — χῶμα εἰς τὴν θάλασσαν ἔχου μακρόν. Eadem imperfecti forma apud Plutarchum invenitur Anton. 38 ἔχου πρὸς τὴν πόλιν χῶμα. De ἐπεὶ cum imperfecto cf. 117, 24 ἐπεὶ ἐώρα, de obiecto (ἔχου)τὴν θάλασσαν cf. Crass. 10 νύκτα νιφετώδη καὶ πνεῦμά τι χειμέριον παραφυλάξας ἔχωσε τῆς τάφρου μέρος (ubi diu correxit Reiskius πνεύματι).

207 F (II 98, 27) Τῶν δὲ Εὐρυκλέους κατηγόρων ἑνὸς ἀφειδῶς καὶ κατακόρως παρρησιαζομένου καὶ προαχθέντος εἰπεῖν τι τοιοῦτον 'εἰ ταῦτά σοι, Καῖσαρ, οὐ φαίνεται μεγάλα, κέλευσον αὐτὸν ἀποδοῦναί μοι Θουκυδίδου τὴν ἑβδόμην·' διὸ ὀργισθεὶς ἀπάγειν ἐκέλευσε·

Si nusquam alibi verbo διοργισθῆναι usus esset Plutarchus, etiam tum corrigeres διοργισθείς.

209 D (II 103, 27) Μεγαβάτου δὲ τοῦ Σπινθριδάτου παιδός, ὃς ἦν κάλλιστος τὴν μορφήν, προσελθόντος αὐτῷ (Agesilao) ὡς ἀσπασομένου καὶ φιλήσοντος διὰ τὸ σφόδρα δοκεῖν ἀγαπᾶσθαι, ἐξέκλινεν· ὡς δ' ἐπαύσατο ἐκεῖνος προσιών, ἐπεζήτησεν αὐτὸν ὁ Ἀγησίλαος· τῶν δὲ φίλων φαμένων ὡς αὐτὸς εἴη αἴτιος, τρέσας τὸ τοῦ καλοῦ ⟨φίλημα, τοῦ μὴ ἐντὸς⟩ φιλήματος ἐλθεῖν, καὶ ⟨εἰ⟩ μὴ ἀποδειλιάσει, ἥξειν ἐκεῖνον· χρόνον οὐκ ὀλίγον πρὸς αὐτῷ γενόμενος ὁ Ἀγησίλαος καὶ διασιωπήσας 'οὐδὲν' ἔφη 'δεῖν πείθειν ἐκεῖνον ἡμᾶς (corrige δεινὸν — ὑμᾶς) κτέ.

Verba φίλημα τοῦ μὴ ἐντὸς inconsultius supplevit editor ex Ages. 11, necessario etiam εἰ supplens; locum exscribo ut appareat aliter hic aliter illic narrari historiolam: hic omnino desistit puer visere Agesilaum et inquirit in eum Laco (cf. 259 F χρυσὸν ἐζήτει), illic venire pergit ille et salutare sed citra osculum: Καί ποτε τοῦ Μεγαβάτου προσιόντος ὡς ἀσπασομένου καὶ φιλήσοντος ἐξέκλινεν. Ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνος αἰσχυνθεὶς ἐπαύσατο καὶ τὸ λοιπὸν ἄπωθεν ἤδη προσηγόρευεν, ἀχθόμενος αὖ πάλιν καὶ μετεμελόμενος τῇ φυγῇ τοῦ φιλήματος ὁ Ἀγησίλαος προσεποιεῖτο θαυμάζειν, ὅ τι δὴ πάθων αὐτὸν ὁ Μεγαβάτης ἀπὸ στόματος οὐ φιλοφρονοῖτο. 'Σὺ γὰρ αἴτιος' οἱ συνήθεις ἔφασαν 'οὐχ ὑποστὰς ἀλλὰ τρέσας τὸ φίλημα τοῦ καλοῦ καὶ φοβηθείς· ἐπεὶ καὶ νῦν ἂν ἔλθοι σοι πεισθεὶς ἐκεῖνος ἐντὸς φιλήματος· ἀλλ'

Digitized by Google

ὅπως αὖθις οὐκ ἀποδειλιάσεις'. χρόνον οὖν τινα πρὸς ἑαυτῷ γενόμενος ὁ Ἀγησίλαος καὶ διασιωπήσας 'Οὐδὲν' ἔφη 'δεινὸν πείθειν ὑμᾶς ἐκεῖνον κτέ.'

Decepit editorem forma genitivi Φιλήματος, quem humanus error librarii restituit(!) post τοῦ καλοῦ: verba ὡς αὐτὸς εἴη αἴτιος (sc. τοῦ παύσασθαι αὐτὸν προσιέναι) per se partes suas agunt, sicut illic. Quiescant itaque haec et operemur in verbo ἐλθεῖν quod sequitur: ὡς αὐτὸς εἴη αἴτιος, τρέσας τὸ τοῦ καλοῦ φίλημα[τος]· εἰ θέλει καὶ μὴ ἀποδειλιάσει, ἥξειν ἐκεῖνον. Tam θέλειν quam ἐθέλειν verbo utitur Plutarchus.

212 B (II 111, 6) τὸ κάλλιστον τῶν μαθημάτων παιδευθησομένους.

⟨ὡς⟩ τὸ κάλλιστον supplendum ex Ages. 20. Item 213 E (II 115, 9) μικροῖς τοῖς παιδίοις ⟨οὖσι⟩ — συνέπαιζε ex Ages. 25 fin.

214 B (II 116, 13) ταῖς ἐκ τοῦ νόμου αἰτίαις ὑπευθύνων ὄντων.

'Lego ἀτιμίαις' Xylander. Non potuit brevius simul et verius, cf. Ages. 30 τὰς ἐκ τῶν νόμων ἀτιμίας et ex his apophthegmatis 191 C (II 53, 22) πάντας τοὺς τρέσαντας ἀτίμους εἶναι τοῦ νόμου κελεύοντος.

216 D (II 123, 4) Ἀκρότατος, ἐπεὶ οἱ γονεῖς αὐτὸν ἄδικόν τι συμπρᾶξαι αὐτοῖς ἠξίουν, μέχρι τινὸς ἀντέλεγεν· ὡς δὲ ἐνέκειντο, εἶπεν 'ἕως μὲν παρ' ὑμῖν ἦν, οὐκ ἠπιστάμην δικαιοσύνης οὐδεμίαν ἔννοιαν· ἐπεὶ δέ με τῇ πατρίδι παρέδοτε καὶ τοῖς ταύτης νόμοις, ἔτι δὲ δικαιοσύνῃ καὶ καλοκαγαθίᾳ ἐπαιδεύσατε ὡς ἠδύνασθε, τούτοις πειράσομαι ἢ ὑμῖν ἕπεσθαι· καὶ ἐπεὶ θέλετε ἄριστα πράττειν, ἄριστα δὲ τὰ δίκαια —, πράξω ἃ θέλετε· ἃ δὲ λέγετε παρκιτήσομαι'. Corrige ἔτι τε (et tandem quamvis tardius) et καὶ εἴ με θέλετε ⟨τὰ⟩ ἄριστα πράττειν.

218 B (II 128, 7) 'ἀγνοεῖν μοι δοκεῖς ὅτι ὁ εἰδὼς λόγον καὶ τὸν τοῦ λέγειν καιρὸν οἶδεν'.

Sumpta sunt haec ex vita Lycurg. 20, ubi magis λακωνικῶς 'Ο εἰδὼς λόγον καὶ καιρὸν οἶδεν'. Moneo propter editoris coniecturam λέγειν pro λόγον.

Digitized by Google

222 D (II 140, 12) καὶ τότε μὲν ἀπηλλάγη (Callicratidas) — τῇ δ' ἐχομένῃ, ὡς πάλιν αὐτὸν (Cyrum) πίνειν ἤκουσε καὶ οὐ προϊόντα — ἀπηλλάγη εἰς Ἔφεσον κτέ.

Non ut prodiret Cyrus, rem incredibilem, expectabat Callicratidas, sed ut ipse admitteretur ad Cyrum, cf. Lysand. 6, ubi iisdem paene verbis res narratur: ἐπεὶ δὲ — οὐ παρείθη. Ergo scribe καὶ οὐ παριέντα. Indidem remedium petendum puto verbis sequentibus ὤμνυε δὲ — ὡς, ὅταν πρῶτον εἰς Σπάρτην παραγένηται, πάντα ποιήσει (traditur ποιήσειν), scilicet: ὤμνυε δε — ἢ ⟨μὴν⟩ πάντα ποιήσειν. Nic. 16 (et ubi non?) πίστιν ἔδωκεν ὁ δῆμος δι' ὅρκων, ἢ μὴν ἐάσειν —. Quam saepe ἢ, ὡς, καὶ in mss. confundantur non opus est monere.

223 C (II 142, 27) 'τοῦ μὲν ⟨adde ἐμὲ⟩ κακῶς λέγειν ὑμεῖς κύριοι, τοῦ δὲ κακῶς ὑμᾶς ποιεῖν ἐγώ.'

225 A (II 147, 12) Leonidae apophthegma 3: Λεγόντων δὲ τῶν ἐφόρων ὀλίγους ἄγειν αὐτὸν εἰς Θερμοπύλας, 'οὐκ †ἄλλας†' ἔφη 'πρὸς ἣν βαδίζομεν πρᾶξιν.'

Apophth. 4: Πάλιν δὲ αὐτῶν εἰπόντων 'μή τι ἕτερον διέγνωκας ποιεῖν ἢ τὰς παρόδους τῶν βαρβάρων κωλύειν;' 'τῷ λόγῳ' ἔφη, 'τῷ δ' ἔργῳ ἀποθνούμενος ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων'.

Graecitas laborat tam in plurali τὰς παρόδους quam in participio ἀποθνούμενος quod non habet unde pendeat; causa est in Dorismo non adservato et in eo quod horum apophthegmatum artissimum nexum solvit librarius: Leonidae responsum (3) non intellexerant ephori, rursus itaque rogant 'μή τι ἕτερον διεγνωκὼς (sc. ἄγοι εἰς Θερμοπύλας) ποιεῖν ἢ τᾶς παρόδω τὼς βαρβάρως κωλύειν; Quod pertinet ad †ἄλλας†, fieri potest ut aliquo modo ex Θερμοπύλας ortum sit: Laconi certe sufficit: 'οὐ πρὸς ἣν βαδίζομεν πρᾶξιν'. Conferatur tamen V 240, 22 ('πολλούς') et II 148, 11.

(Continuabuntur).

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINQUAGESIMUM SECUNDUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1924.

Digitized by Google

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
De Propertii Eleg. I 21, scripsit P. H. Damsté	1—7
Ad Propertii I 3 vs. 16, scripsit P. H. Damsté	8
Sophoclea, scripsit Ioh. P. Postgate	9—26
Sophoclei chori persona tragica (continuantur ex vol. LI, pag. 326), scripsit Ign. Errandonea, S. I.	27—60
Ad Plutarchi Moralia (continuantur ex vol. LI, pag. 448), scripsit A. J. Kronenberg A. I. fil.	61—112
Observationes grammaticae et criticae in Salvianum (accedit appendix de Gennadii capite LXVIII), scripsit C. Brakman I.f.	113—185
Corrigenda ad Sophoclea, scripsit I. P. Postgate	185
Ad Petronii Carmina (P L M Vol. IV Ed. Baehrens), scripsit P. H. Damsté	186—188
De Euripidis Thebaide posteriore, scripsit Th. Zielinski . .	189—205
In Memoriam Iacobi Ioannis Hartman	206
De lapide cylindro, scripsit Guilielmus Vollgraff. . . .	207—211
Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex Vol. L pag. 368), scripsit J. C. Naber.	212—220
Ad Vergili Bucolicon VI 43—44, scripsit I. S. Phillimore .	221—224
Tertulliani adversus Marcionem in librum quartum animadversiones (continuantur ex vol. LI, pag. 411), scripsit Petrus Corssen	225—249
Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex pag. 220), scripsit J. C. Naber	250—275
Propertiana (ad Lib. II), scripsit P. H. Damsté	276—292
ΔΕΚΑΝ, scripsit G. V.	292
Ad Lysiae orationem primam, scripsit P. Groeneboom . .	293—298
Sophoclei chori persona tragica (continuantur e pag. 60), scripsit Ign. Errandonea S. I..	299—328
Animadversiones in Auctorem ad Herennium, scripsit C. Brakman I. f.	329—336

Digitized by Google

Pag.

In Memoriam Iani van Leeuwen I. fil.
Vita, Satiram composuit I. I. Hartman . . . . . 337—348
Ad Platonem, scripsit I. A. Fitz Herbert 348
De Terminalibus, Regifugio, mense intercalari, scripsit H. I. Rose . . . . . 349—357
Archilochus Eratostheni comparatus, scripsit I. van IJzeren. 358—376
Donatea, scripsit L. Rank . . . . . 377—404
Sophoclei chori persona tragica (continuantur e pag. 328), scripsit Ign. Errandonea S. I. . . . . 405—412
Ad Thucydidem, scripsit Fitz Herbert 412
Propertiana (Ad Lib. III), scripsit P. H. Damsté. . . . . 413—427
Firmiciana, scripsit C. Brakman I. f. . . . . 428—448

Digitized by Google

DE PROPERTII ELEG. I 21.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Nihil simul et verius et evidentius esse quam Quintiliani praeceptum 'Interpretationem praecedere debet emendata lectio' quivis agnoscit. Rursus nemo non concedet iusti interpretis esse officium, antequam lectionem aliquam corruptam iudicet atque ad eam emendandam accedat, certissimis argumentis hoc praestituere: locum vitiosum sibi visum interpretationem probabilem admittere nullo modo posse. Attamen in Propertii carminibus interpretandis multi huius praecepti saepe immemores fuerunt, ut Postgatius pridem monuit [1]) et ipse exemplo luculentissimo nunc iterum demonstrabo. Nusquam enim criticos peius grassatos esse arbitror quam in libri primi elegiolam XXI, quam cum aut deformata in editionibus aut coniecturis importunissimis obruta sit, in libris mss. integram exstare contendo:

1 Tu, qui consortem properas evadere casum,
Miles, ab Etruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestrae proxima militiae!
5 Sic te servato ut possint gaudere parentes,
Nec soror acta tuis sentiat e lacrimis,

1) Select Elegies of Propertius, London 1885 p. 249: That the text of Propertius as preserved to us in these MSS. is far from perfect, every scholar will concede. It is none the less clear, however, that in many quarters there is a disposition to make it out to be more corrupt than it is, and to apply alteration in place of interpretation.

Digitized by Google

Gallum per medios ereptum Caesaris enses
Effugere ignotas non potuisse manus
Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea!

Vir igitur, quem Propertius hos versus pronuntiantem fecit, Gallus quidam est, propinquus ipsi poetae, ut versus 7 carminis sequentis docet. Aufugerat sanus salvusque per aggeres et vineas, quibus Octavianus anno 41 a. C.n. Perusiam oppidum et L. Antonium consulem clauserat, sed concidit ex vulneribus, quae sicarii ignoti ei deinde intulerant. Iam iam moriturus commilitonem conspicit, qui ipse quoque ex urbe obsessa se eripuit, tam graviter vulneratum ut tumeant oculi prae lacrimis, quas vulnerum dolores ei excutiunt. Invocat profugum festinanter nimirum se proripientem; quis sit aperit atque exoptat ut domum redire ita ei liceat ut parentes gaudere possint, nec non cavere iubet ne soror eius eademque sua aut uxor aut sponsa praemature sortem suam flebilem discat et commune gaudium luctu perturbet. Denique petit ut aliquanto post doceat mulierem quo loco in Etruscis montibus inter tot ossa dispersa requiescant sua.

Hac explicatione praemissa deinceps versus percensere liceat, qui viros doctos perduxerunt ut de toto carmine tam diversa sentirent et ad locos singulos tot coniecturas supervacuas proferrent.

Distichon primum difficultatem non praebet, sed vs. 3

Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?

iam varie ab editoribus explicatur.

Paleius significationem esse videri dicit: Quid torques oculos ad gemitum meum, ita ut turgeant lacrimis prae miseratione? Addit tamen haec: If *torques* could be used for *detorques*, we might be tempted to translate 'Why do you turn away your eyes, filled with tears at my moans?'

At Postgatius animadvertit: *turgentia*, *not* 'swelling, filled with tears', as P.; *turgere* and *tumere* always mean to *be swollen*, to *have* swelled. So here the soldier's eyes *have swollen* from the tears extorted by the pain of his wounds: they are *not* filling with the tears of pity (*'prae miseratione'* P.).

Recte haec quidem, ut exempla quae attulit probant, sed

Digitized by Google

assentiri non possum Postgatio, ubi interpretatur *nostro gemitu*, 'nobis gementibus', abl. of attendant circumstances, et porro: *torques*, is neither for *detorques*, as P. suggests, nor, as Kuinoel absurdly supposes, 'rack your eyes with weeping', but simply *turn*. A preposition might have been expected, as in Aen. 12. 670 *oculos ad moenia torsit*.

Si quis Postgatii interpretationem accipere velit, nimirum recipienda ei sit etiam lectio librorum deteriorum *qui*, ab eo recepta; sin minus, Galli interrogatio prorsus absurda esset. Gallus vero cum versu sequenti quis sit amico profugo renuntiet, quo eum moveat ut paulisper in fuga consistat et mandata sua audiat, versus nostri consilium hoc esse mihi est persuasissimum: Quid (a) nostro gemitu turgentia (vulnerum doloribus) lumina (de)torques? Verbum simplex *ponere* apud poetas saepissime pro composito *deponere* scriptum invenimus: quid mirum igitur, si Propertius pro *detorques: torques* posuit, cum praesertim verbis *nostro gemitu* locum, a quo miles oculos torserit, significarit?

De Heinsii coni. *interitu* pro *gemitu* deque Baehrensii *maesto* vel *longo* pro *nostro* dicere opus non est.

Vs. 4: Pars ego sum vestrae proxima militiae!

Nonnulli (Kuinoel, Hertzberg) *proxima* explicare voluerunt = *proxime* i. e. *modo, nuper*, id quod tempus praesens *sum* omnino vetat. Atque Paleius lectionem traditam satis stabilivit locis ex ipso Propertio et ex Aeschyli Agamemnone allatis interpretans: 'closely connected by common ties', quamquam nescio an praestet Postgatii versio: 'I am the nearest of your fellow-soldiers'.

Rursus reicienda est coni. *prodita*, quam Baehrens proposuit. Iam sequitur distichon, de quo intellegendo variae doctorum virorum sunt discrepantesque sententiae:

Sic te servato ut possint gaudere parentes,
Nec soror acta tuis sentiat e lacrimis,

quod tamen hoc uno modo interpretandum esse aio: Utinam tibi contingat ut sic te serves ut parentes tui te videant non mutilum vel debilem, sed ita ut gaudere possint, nec soror tua e tuis lacrimis ea sentiat, quae vere acta sunt.

Ita Postgatius quoque verbum *acta* intellexit: 'the real

Digitized by Google

history of his death' et rursus: 'Do not destroy her fond belief that I was killed in honourable battle', neque quicquam mutare ausim, quamquam erat cum pro *acta* corrigendum esse putarem: *ante*, sed vim participii non satis senseram et cum Rothsteinio explicabam: „Der Tote nimmt an, dass sie den Fliehenden nach seinem Schicksal fragen wird, und er bittet ihn sie das Geschehene wenigstens nicht sofort aus seinen Thränen merken zu lassen".

Iam vero nihil omnino mutandum esse censeo.

Attamen tres summi viri operam suam studiumque navarunt ut poetam ipsum emendarent.

Puccius, memor illius obsecrandi formulae, quae ex Horatiano 'sic te diva potens Cypri' nobis est notissima, hic quoque eam desideravit atque Propertio obtrudere voluit; induxit igitur *ut*, quod post *servato* nunc legitur. Deinde Beroaldus *nec* vel potius *ne*, quod traditur et aeque bonum est, immutavit in *haec*; denique Scaliger pro *acta* substituit nomen proprium *Acca*, ratus scilicet sororem illam esse sororem Galli, quae accuratius nimirum significanda esset, atque *haec acta* putidam esse abundantiam.

Tres illae mutationes ad unam omnes perversae sunt.

Adversus Puccii et Passeratii rationem, qui voculam *ut* expungendam esse tot editoribus persuaserunt, haec in medium proferre velim.

Si locus aliquis in cunctis codicibus excepto nullo nobis ita traditus est ut bonam aptamque praebeat sententiam, merum est arbitrium vocabulis delendis et immutandis adeo eum locum transformare donec figuram rhetoricam acceperit, quae aliunde nota est atque nostrum quoque locum non dedeceat. Sic fiet quod in Graecorum tragoedia: ὕβρις ὕβριν τίκτει. Hic coniunctio *ut* expulsa primordium fuit malorum, finis autem *Acca* in scenam producta.

Postgatius monuit, Propertium imperativi formas longiores adamare nec non elisionem post finem pedis secundi, et exempla attulit in Proleg. p. CX et CXXXIV, sed ipsam rem eorum sententiam redarguere opinor, qui sororem moribundi dici putant, inter quos Postgatius ipse est: *soror* '*my* sister'. So we say 'father', 'mother', omitting the personal pronoun. Nempe

Digitized by Google

Brandtius (Quaest. Prop. 33) argumentatus est, fieri non posse ut *parentes* vs. 5 et *soror* vs. 6 ad homines diversos referantur, sed omnino necesse esse ut utrique ad unum eundemque virum pertineant, ergo ad commilitonem Galli. Improbanda tamen Brandtii opinio est, profugum fuisse fratrem viri moribundi, quam Rothsteinius bene refutavit animadvertens pium officium *ossa legendi* vs. 9 vix ac ne vix quidem sorori uni mandari potuisse, dum frater securus fratrem morientem relinqueret, atque etiam verba *sic te servato ut possint gaudere parentes* inepta futura fuisse, si alter e filiis interiisset. Idem editor monuit, suspicionem Lachmanni (Kl. Schriften 248), sororem moribundi matrem poetae fuisse, ideo veram esse non posse.

Vs. 7: Gallum per medios ereptum Caesaris enses.

Marklandus pro *ereptum* legi iussit *elapsum*, quod nonnullis persuasit, sed haec coniectura èt propter rem palaeographicam improbabilis èt per se ipsa supervacanea est. Locus ex Aen. (VI 110): *illum ego per flammas et mille sequentia tela eripui his umeris*, quem Postgatius attulit, lectionem satis confirmat neque opus iam est Rothsteinii interpretatione nimis quaesita: „hier die Entrückung aus sonst unvermeidlichen Untergang durch göttliche Hilfe". Est *ereptum* participium verbi *se eripere* h. e. evadere, elabi, et *per* = 'from amidst', ut Postgatius docuit, 'it never = *inter*', ut Paleius contendit.

Iam restat distichon ultimum:

Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea!

Quam mirae horum versuum explanationes videbuntur quamque manifesta nihilominus erit eorum sententia ei qui semel interpretationem unice veram cognoverit!

Housmannum hanc ante me perspexisse praemoneo, sed illas priusquam eam refero enumerare lubet.

Paleius explicat: „Tell her this, that she may not search in vain for my corpse among the slain, but may know that my body was mangled and my bones shattered over the mountain passes.'. *Haec* igitur ad *quaecumque* referri credidit, quo facto ad explicationem coactus est, quam nemini satisfacere posse puto neque Postgatio placuit, qui pro *quae-*

Digitized by Google

cumque scripturam codicum duorum posteriorum *quicumque* recepit (ut Hosius postea in ed. Teubn. nec non Phillimorius in ed. Bibl. Oxon.), ascribens: I cannot believe that Propertius could have made Gallus say that '*all* the bones on the mountains of Etruria were his'.

At Propertius id minime contendit, ut mox videbis.

Rothsteinius quoque *haec* ad *quaecumque* pertinere ratus est, sed explicat: „Wenn sie sich aufmachen kann, diese Pflicht (sc. *ossa legere*) zu erfüllen, so ist die Leiche längst unkenntlich geworden; deshalb soll sie, wo sie Gebeine findet, sie für die Ueberreste ihres Bruders (lege: sponsi vel mariti!) halten, auch wenn gar keine Möglichkeit mehr vorhanden ist die Identität fest zu stellen. Sie soll nicht hoffen noch etwas Erkennbares von dem Körper ihres Bruders (sic!) finden zu können, sondern sich zufrieden geben, wenn sie nur überhaupt irgend etwas findet".

At, hercle, vero bis in hisce vir doctus sibi oblocutus est, qui supra ad vs. 6 disseruerit: „Die hier genannte Schwester kann nur die des Fliehenden sein, dessen Eltern eben genannt sind. Wenn sie von dem Tode des Gallus unmittelbar und zunächst betroffen wird, so muss sie auch zu ihm in naher Beziehung gestanden haben, seine Braut oder Gattin oder vielleicht seine Mutter gewesen sein".

Hartmanus noster eodem modo versus interpretatur et insuper pro *sciat* legendum esse censet: *putet* (Mnemos. XLIX p. 337—9).

Illas explicationes perversas esse omnes atque quamvis textus traditi mutationem iniustam esse docet Housmani unice vera interpretatio (J Ph XXI p. 184) quae est: „et licet soror mea (hoc *mea* falsum esse supra post Brandtium exposui) sescenta alia invenerit, sciat haec ossa mea esse", vel fusius paulo: Tu dux ei eris ad haec mea ossa, cum inter multas occisorum reliquias dubitabit quae tandem sint meae.

Omnes difficultates ex eo provenisse vides, quod *haec* ad *quaecumque* respicere male crediderunt et vim propriam illius pronominis non agnoverunt.

Denique poemation nostrum soluta oratione sic reddo:

Tu, commilito, qui, dum saucius e Perusiae operibus te

Digitized by Google

proripis, casum evadere properas qualis me afflixit, quid lumina tua, vulnerum doloribus tumentia, alio detorques? Ille ego hic iaceo, qui vinculis artissimis tibi iunctus sum! Utinam ita salvus domum redeas ut parentes tui gaudere possint et caveas ne soror tua e lacrimis tuis praemature sentiat, Gallum suum (sponsum vel maritum), cum per medios hostes se eripuisset, manus ignoti sicarii effugere non potuisse, sed morte miserrima occubuisse, postea a te discat, inter multa occisorum ossa, quae in his Etruriae montibus dispersa invenerit, haec mea esse.

Digitized by Google

AD PROPERT. I 3 VS. 16.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Et quamvis duplici correptum ardore iuberent
Hac Amor hac Liber, durus uterque deus,
Subiecto leviter positam temptare lacerto
Osculaque admota sumere et arma manu,
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem
Expertae metuens iurgia saevitae.

Pro *et arma* (in cod. Groning. *et* abest!) coni. Scaliger *tarda*, Heinsius *rapta* vel *carpta*, Gronovius *ad ora*, Koch *cara*, Rossberg *grata*, Baehrens *avara*, Palmer *rara*, Risberg *inerma*.

Qui locum interpretari sunt conati (Lachmann, Rothstein) non senserunt, id *admota manu* post *subiecto lacerto* ita repetitionem esse frigidissimam et Propertio prorsus indignam.

Gronovius unus perspexisse videtur, cum alterius lacerti significatum sit officium (sc. ut Cynthiae leviter positae subiceretur), alterius quoque manus operam a poeta nimirum fuisse indicatam, ergo ad verba *admota manu* desiderari loci notionem, ad quem manus admoveretur. Iam inspice quaeso Lucret. IV 1107:

atque in eost Venus ut muliebria conserat arva

et L. Apulei Ἀνεχόμενος ex Menandro (P L M Baehr. IV 114) vs. 17:

reserentque sulcos molles arvo Venerio,

qui loci mihi quidem vix ullam dubitationem reliquerunt quin scripserit noster:

Osculaque admota sumere *ad arva* manu.

Digitized by Google

SOPHOCLEA.

SCRIPSIT

IOH. P. POSTGATE.

Quod Sophoclis tragoediarum Tibi, Lector Beneuole, emendator et quodam modo enarrator hoc tempore prodierim, uelim Arthuro C. Pearson, uiro egregio, acceptum referas; is enim poetae, ut ita dicam, sui recensionem nouam Oxoniensibus facturus ne nostram quidem in schidia corrigendis operam aspernatus effecit ut ad studia non deserta illa quidem sed per pluris annos intermissa et ipse denuo erigerer. sed, prohoemio longo ne morer te, iam ad singula ueniamus.

AIAX.

1027 ἔμελλε σ' Ἕκτωρ καὶ θανὼν ἀποφθίσειν

Satis inconstanter quidam hic codicibus obsecuti ἀποφθίσειν verbum apud Atticos quidem scriptores nusquam alibi repertum Sophocli attribuunt, idem isdem refragati in *Oed. Tyr.* 967 κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν ab eo κτανεῖν abiudicant. quis enim nescit in talibus uariare codices solere et τὸ μέλλειν et post et ante Sophoclem cum aoristo infinitiui a scriptoribus interdum coniungi, ut a Pindaro in *Olymp.* VII 61, ab Euripide in *Ione* 760 μέλλω θανεῖν. nec temere noster, ut opinor, θανεῖν et ἀποφθίσαι cum isto μέλλω coniunxit, in ceteris consuetudinem secutus. aoristi enim proprium est ut quae momento temporis agantur haec potissimum exprimat, in quo genere nihil nece insignius. de ui uerbi huius cum aoristo coniuncti digna quae legantur Plattius quoque disputauit *Classical Quarterly* IV pp. 158 sq.

Digitized by Google

1280 sq.

τίς ταῦτ' ἀπεῖρξεν; οὐχ ὅδ' ἦν ὁ δρῶν τάδε
ὃν οὐδαμοῦ φῄς, οὗ σὺ μή, βῆναι ποδί;

Haec ad ipsa uerba uersus 1231 spectare omnes fatentur, et si illic dedit Sophocles ποῖ βάντος ἢ ποῦ στάντος οὗπερ οὐκ ἐγώ, quod a libris recentioribus accipiunt, etsi Laurentianus ποῦ exhibet, hic multo magis οὐδαμοῖ dedisse putandus est, cum ad illud βῆναι iam ποδί quoque accesserit.

1353 sq.

Αγ. κλύειν τὸν ἐσθλὸν ἄνδρα χρὴ τῶν ἐν τέλει.
Οδ. παῦσαι· κρατεῖς τοι τῶν φίλων νικώμενος.

Istius παῦσαι ab u. 483 excusatio petenda est atque haud scio an ipsa origo. hic et simplicius est quam pro Vlixis omnia lenientis calliditate et ad id quod agitur uix satis conueniens. nam quod Jebbius uertit 'be content' hoc στέρξον uel ἔχσον est, non παῦσαι. uitium sensit Nauckius, coniectato πιθοῦ etsi dubitanter. sed respiciendus est Aeschylei *Agamemnonis* locus 932 sq. hic Sophoclis animo obuersatus; illinc, atque adeo ex u. 934. illud repetas uerbum, ne Sophocli quidem ignotum (adi *Oed. Col.* 591), quo non tacere rex hominum Agamemnon iubetur sed cedere. πάρες dico, a librariis non sine excusatione aliqua minus intellectum in peiusque mutatum. longum est locos omnes percensere in quibus tali modo in Sophoclem peccatur: paucos hos tantum exempli gratia adlego, *Aiac* 50, *Electr.* 676, 751, *Oed. Tyr.* 1197, *Antig.* 366, 519, 1222, *Philoct.* 220, 1392.

ELECTRA.

159 sq. κρυπτᾷ τ' ἀχέων ἐν ἥβᾳ
ὄλβιος, ὃν ἀ κλεινὰ
γᾶ ποτε Μυκηναίων
δέξεται εὐπατρίδαν Διὸς εὐφρονι
βήματι μολόντα τάνδε γᾶν Ὀρέσταν.

Haec si sana sunt, felix fuit Orestes exulans maerens egenus: immo omnium, si rem spectas, miserrimus, tum denique felix futurus cum fauente Ioue in patriam reduceretur. tu ὄλβιον

Digitized by Google

repone. uides ὄλβιον ante ὅν positum esse ut in *Aiace* 358 ἅλιον ante ὅς: uides etiam quanto cum sententiae commodo.

1087 τὸ μὴ καλὸν καθοπλίσασα.

Haec ab interpretibus uexata sunt potius quam enucleata. noue fortasse dictum hic καθιοπλίζειν ut sit 'armis obruere', genus poenae proditorum turpitudini conueniens. iam omnibus nota est fabula illa Tarpeiae, de cuius interitu Simylus apud Plutarchum in *Romuli uita* 16 ὅπλα δ' ἐπιπροβαλόντες ἀρειμανέων ἀπὸ χειρῶν | κούρῃ ἐπὶ στυγερῇ κόσμον ἔθεντο Φόνου.

1458 sq.

σιγᾶν ἄνωγα κἀναδεικνύναι πύλας
πᾶσιν Μυκηναίοισιν Ἀργείοις θ' ὁρᾶν.

Hic σιγᾶν sincerum uidetur, contra ἀναδεικνύναι corruptum. ansam correctionis fortasse praebebit codex quidam e recentioribus Pearsoni, Abbat. Flor. 41. hic enim ἀναγνύναι, ab ἀνα⟨φρα⟩γνύναι profectum esse quod conicias, syllaba per ὁμοιόγραφον hausta, deprauationis genus in Sophoclis tragoediarum libris saepius grassatum. satis erit in re nota *Philoct.* 202 τειρομένου ⟨του⟩ proferre ubi του addidit Porsonus. sic in *Oed. Tyr.* 944, *Philoct.* 860 de quibus infra dicetur. nam ἀναφράξαντες· ἀναπτύξαντες ἀναπετασάντες Hesychii lexicon et Sophocles ipse in *Antigona* 241 ἀποφράγνυσαι (uel ἀποφάργνυσαι).

Oedipus Tyrannus.

59 sqq.

εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι
νοσεῖτε πάντες καὶ νοσοῦντες ὡς ἐγὼ
οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ

Νοσοῦντες illud, nominatiuus suspensus qui dicitur, multis locis excusatur, ab Elmsleio congestis et a Blaydesio repetitis, in quibus tamen omnibus unius tantum uerbi ratio grammatica perturbata est, ceterorum manet integra, quod in hunc locum uides non cadere. nihil enim est quo spectare possit illud ἐξ ἴσου, quod tum demum cum uerbis ὡς ἐγὼ coniungi poterit si his aut antecesserit aut proximum fuerit ut apud Sopho-

Digitized by Google

clem *Electr.* 532 et Euripidem *Ion.* 1363 *Orest.* 882, itaque reponendum ἐμοί. quod ut mutaretur effecit ὡς male intellectum; idem enim est atque ὅτι.

222 sq.

νῦν δ', ὕστερος γὰρ ἀστὸς εἰς ἀστοὺς τελῶ,
ὑμῖν προφωνῶ πᾶσι Καδμείοις τάδε·
ὅστις ποθ' ὑμῶν Λάιον τὸν Λαβδάκου
κάτοιδεν ἀνδρὸς ἐκ τίνος διώλετο,
τοῦτον κελεύω πάντα σημαίνειν ἐμοί·
κεἰ μὲν φοβεῖται τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν
αὐτὸς καθ' αὑτοῦ· πείσεται γὰρ ἄλλο μὲν
ἀστεργὲς οὐδέν, γῆς δ' ἄπεισιν ἀβλαβής·
εἰ δ' αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονὸς
τὸν αὐτόχειρα, μὴ σιωπάτω· τὸ γὰρ
κέρδος τελῶ 'γὼ χἠ χάρις προσκείσεται.

De re maxima in tempore periculosissimo graui edicto hic agit Oedipus; in quo socordiae sese, poetam suum inscitiae damnaturus erat nisi uerbis disertissimis omnia pronuntiasset. pulcherrime hoc cauit uir rerum praeterquam suae prudentissimus. principio uniuersos appellat Thebanos, u. 223, eosque quicquid de Laii interfectore sciunt patefacere iubet (u. 225); deinde ad singulos conuersus primum cum ipso interfectore agit, deinceps cum ceteris. hos indicare sibi iubet illum quicumque, undecumque sit. quod nullo modo fecerit, nisi in u. 230 pro illo ἐξ ἦ 'ξ quod coniecit Vauvilliersius reddetur; alioqui de Thebanis indicibus ne uerbum quidem erit sed omnia cauillantibus libera. nihil ultra mutandum est; ἄλλον enim ciuem (ἀστόν quod malunt quidam), non alienigenam esse et res et ratio nos docet. ad interfectorem ut redeamus, semet ipsum indicare quem iubet iussitue Sophocles, uetant Sophoclis pars maior editorum, diuolso a sententia sua participio ὑπεξελών aut etiam in ὑπεξελεῖν corrupto. quodsi rem teneas, nusquam est in quo haereas. in uersu 227 denotatur homo facti sibi conscius, in sequenti quid facere debeat docetur. hic facile ex u. 226 πάντα σημαινέτω intellegitur, etiam facilius πάντα σημαίνειν si cum Jebbio legas αὐτόν. nunc de uerbis τοὐπίκλημ' ὑπεξελών uideamus. quae uerba hoc sibi uolunt

Digitized by Google

'subtracto' uel 'sublato de medio crimine', quod duplici modo intellegi poterit. participium ὑπεξελών anteacto iam tempori adnecti potest ut sit 'si timet *eo nomine quod* crimen adhuc reticendo sustulit ciuibusque magnam importauit calamitatem', nec prorsus aliter Lycurgus in *Leocrate* § 17 προδιδοὺς ἐφοβήθη (seu φοβηθείς), hoc est ὅτι προδίδωσι. potest autem liberius esse dictum, cum nullo eius temporis quo timuisse reus dicitur respectu, ut sit 'si timet crimen idque reticendo sustulit', uel 'si timens crimen sustulit'. rarioris locutionis (quae grammaticos tamen non omnes latuit; conferas quae a F. Cartero disputata sunt, *Classical Review* IX pp. 3 sq., 249 sq.) insigne praebet Pindarus exemplum, multis ante annis (1886) a nobis de hoc ipso loco disputantibus adlatum, *Nem.* I 61 sq. ποίαις ὁμιλήσει τύχαις, ὅσσους μὲν ἐν χέρσῳ κτανών, ὅσσους δὲ πόντῳ θῆρας ἀιδρειδίκας.

287 sq.

ἀλλ' οὐκ ἐν ἀργοῖς οὐδὲ τοῦτ' ἐπραξάμην.
ἔπεμψα γὰρ Κρέοντος εἰπόντος διπλοῦς
πομπούς

Tragoedorum Graecorum peritos haudquaquam fefellit diuersa uerbi genera interdum inter se commutari ut ὁρᾶν et ὁρᾶσθαι, συγγιγνώσκειν et συγγιγνώσκεσθαι (quod notat T. G. Tucker, uir doctissimus, ad Aeschyli *Choephoras* 405 sq. et *Supplices* 190). sed in istud πράσσειν talis licentia minus conuenire uidetur, recteque in *Aiace* u. 45 grauibus testibus obsecutus Pearsonus ἐξέπραξεν Sophocli reddidit. hic etiam durius ἐπραξάμην dicitur cum ἔπραξα dicendum esset; quapropter ἐπράξαμεν reposuerim. mutatus numerus (ἐπράξαμεν.. ἔπεμψα) librarios potuit perturbare; nos qui *Trachin.* 1145 φρονῶ δὴ ξυμφορᾶς ἵν' ἔσταμεν *Electr.* 597 et similia multa memininus nullo modo sollicitabit.

449 sq.

τὸν ἄνδρα τοῦτον ὃν πάλαι
ζητεῖς ἀπειλῶν κἀνακηρύσσων φόνον
τὸν Λαίειον οὑτός ἐστιν ἐνθάδε

Ineptius ἀνακηρύσσειν de Laii caede quae iam omnibus nota erat. Mehlerus φονέα coniecit; sed facilius accentu tantum

Digitized by Google

mutato Φονόν (Φονός, Φονεύς ut κλοπός *H. Merc.* 276, κλοπεύς Soph. *Ant.* 1065). idem uitium ex Pindari *Pythiis* IV 250 τὰν Πελίαο Φονόν (libri Φόνον) sustulit Wackernagel et consimile ex Homeri Odyssea V 404 λιμένες νηῶν ὀχοί (libri ὄχοι) ut tolleretur iam T. W. Alleno persuasimus; contrariam in partem in *Antigona* 1065 peccatur ubi libri τροχοὺς pro τρόχους.

840 ἔγωγ' ἂν ἐκπεφευγοίην πάθος

Displicet πάθος sine epitheto sine articulo; sic nude positum nusquam apud Sophoclem inuenies. librariorum uerbum uidetur esse, fortasse uersus 732 finem male reminiscentium. ἄγος quod Arndtius coniecit huic loco non satis aptum, quod te docebunt *Oed. Tyr.* 1427, *Antig.* 256, 775, accommodatius loquentis personae μύσος, ut in u. 138 τοῦτ' ἀποσκεδῶ μύσος necnon simillimum quod modo dixerat κηλίς συμφορᾶς, 833. idem πάθος in *Antig.* 53 pro ἔπος codices quosdam occupauit.

941 sq.

Io. τί δ'; οὐχ ὁ πρέσβυς Πόλυβος ἐγκρατὴς ἔτι;
Αγ. οὐ δῆτ', ἐπεί νιν Θάνατος ἐν τάφοις ἔχει.
Io. πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκε Πόλυβος;
Αγ. εἰ δὲ μὴ
λέγω γ' ἐγὼ ταληθές, ἀξιῶ θανεῖν.

Hic Nauckius aliique sana corrumpunt suisque inuentis meliora. primum recte se habet hic ἀντιλαβή quamuis rarior, distractus uersus 943 animos imitatur commotos; admirationis et contentionis est. documento sint *Oed. Tyr.* 625 seqq. 1173 seqq., *Oed. Col.* 327 seqq., 845 seqq., 1169 seq. eodem spectat δὲ particula quae praemissa in diuerbiis loquentem premit et paene interpellat ut in uu. 372, 379, *Oed. Col.* 395. iam quod quidam libri e deterioribus λέγω 'γὼ aut etiam λέγω exhibent nihil est; nam utrumque peperit τὸ ὁμοιόγραφον, illa similium in scriptis se excipientium assidua pernicies. sunt qui εἰ μὴ in posteriorem uersum detrudant inque eius sedem ὦ γέρον inculcent, scilicet ne nuntio desit superuacanea appellatio. debilitatur ab his quidem poetae sententia magis quam peruertitur. quid de illis dicamus qui istud ἦ τέθνηκεν Οἰδίπου πατήρ; Sophocli impingunt et de morte non Polybi sed ipsius Oedi-

Digitized by Google

podis patris quaerere cogunt Iocastam? quid nisi hoc, ab illis poetae consilium et artem in loco splendidissimo corrumpi atque euerti? nuntius, si Nauckium audimus, Polybum cum mortuum esse dixisset, quaerenti rursus Iocastae num mortuus esset pater Oedipodis, tamquam alias res agens, aut nihil respondet aut mortuum esse eum de quo quaerit; ni ita esset, uelle se mori. haec ille nuntius Nauckianus. Sophocleus simpliciter profitetur mortuum esse Polybum; adiecturus erat, si id demum quaesiuisses, se quis Oedipodis esset pater prorsus nescire, illud unum se scire Polybum non esse (1016 sq.).

971 sq.

τὰ δ' οὖν παρόντα συλλαβὼν θεσπίσματα
κεῖται παρ' Ἅιδῃ Πόλυβος ἄξι' οὐδενός.

Aperte corruptum παρόντα, pro quo F. W. Schmidtius γέροντα temptauit, licentius ille quidem atque etiam subabsurde. facilius πρὶν ὄντα de uigentibus olim oraculis, nunc uero extinctis. conferas u. 906 sq. φθίνοντα γὰρ Λαΐου παλαιὰ θέσφατ' ἐξαιροῦσιν ἤδη. πρὶν ὢν hoc sensu iam Aeschylus in *Agamemnone* 180.

1037 sq.

Οι. ὦ πρὸς θεῶν, πρὸς μητρὸς ἢ πατρός, Φράσον.
Αγ. οὐκ οἶδ'. ὁ δοὺς δὲ ταῦτ' ἐμοῦ λῷον Φρονεῖ.

Neque satis commode hic Φρονεῖν dicitur — quid enim sit λῷον Φρονεῖν docemur *Philoctetae* loco 1078 seq. Χοὗτος τάχ' ἂν Φρόνησιν ἐν τούτῳ λάβοι | λῴω τιν' ἡμῖν — et de re indicanda, (Φράσον, δηλῶσαι λόγῳ 1041,) agitur, non de sentienda. reponendum uidetur Φανεῖ quod ex uicinia illius Φράσον facile corrumpebatur. sic in *Aiac.* 330 Φίλοις scriptum est pro λόγοις quia Φίλοι in eodem uersu praecesserat, in *Philoct.* 267 ἀγρίῳ pro Φοινίῳ ex 265 inlatum. idem factum est in *Philoct.* 538, 1245, *Trach.* 623.

ANTIGONE.

533 τρέφων δύ' ἄτα κἀπαναστάσεις θρόνων.

Sophocles κἀπαναστάσει dedisse uidetur. pluralia pro dualibus saepius a librariis in codices inferuntur ut in *Oed. Col.* 531 παῖδες — ἄται pro παῖδε — ἄτα.

Digitized by Google

1246 sq.

καὐτὸς τεθάμβηκ'· ἐλπίσιν δὲ βόσκομαι
ἄχη τέκνου κλύουσαν ἐς πόλιν γόους
οὐκ ἀξιώσειν, ἀλλ' ὑπὸ στέγης ἔσω
δμωαῖς προθήσειν πένθος οἰκεῖον στένειν.

Viris doctis γόους amplexis merito displicet ἀξιώσειν. atqui placere debebat illud quo nihil magis cum persona reginae congruere dicas. indignum enim ei uideri generis sui calamitates coram populo lamentari. quid multa? seruandum est ἀξιώσειν, γόους in γόων reformandum. non semper de hominibus, interdum etiam de rebus usurpantur cum ἄξιος tum ἀξιῶ. sic ἄξια στεναγμάτων Euripides *Orest.* 1326, μεγάλων ἄξι' ὀδυρμῶν *Med.* 112, ἄξι' αἰαγμάτων *Alc.* 873 Aesch. *Suppl.* 490 πολλῶν τάδ' ἡμῖν ἐστιν ἠξιωμένα. in uerborum flexibus temere peccare solent librarii, aliquando etiam caussa non apparente sicut in *Aiac.* 1022, *Oed. Tyr.* 1111, *Philoct.* 324 ubi θυμῷ — χεῖρα scriptum est pro θυμὸν — χειρί.

1297 sq.

ἔχω μὲν ἐν χείρεσσιν ἀρτίως τέκνον,
τάλας τὸν δ' ἔναντα προσβλέπω νεκρόν.
Φεῦ Φεῦ μᾶτερ ἀθλία, Φεῦ τέκνον.

νεκρός si corpus mortuum significat generis masculini est semper. itaque uerba τὸν δ' ἔ. πρ. νεκρόν hoc sibi uolunt 'illud' (uel 'illic') 'cadauer coram intueor' in quo nihil est quod feminam indicet ante oculos mariti iacentem, sed erit si τὰν δ' ἔναντα scribas idque hoc modo interpretere 'illam uero coram intueor cadauer' siue 'mortuam'. conferendum illud κεῖται δὲ νεκρὸς περὶ νεκρῷ *Ant.* 1240 'iacet is cadauer cadaueri circumfusum'. notatu dignum uidetur in Laurentiano multisque ex recentioribus non τόνδ' ἔναντα sed τάδ' ἐναντία scriptum esse.

TRACHINIAE.

144 sq.

τὸ γὰρ νέαζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται
χώροισιν αὐτοῦ (uel αὐτοῦ) καί νιν οὐ θάλπος θεοῦ
οὐδ' ὄμβρος οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ.

Locus nondum sanatus praeterquam quod in χώροισιν latere

Digitized by Google

χώροις ἴν'(α) iamdudum consensum est. ad litteras αυτουκαι proxime accedit, ut uidetur quidem, οὐτάζει 'uolnerat'. hoc uerbum, quod tam de eminus iactis quam de comminus dicitur ut apud Euripidem *Herc. Fur.* 199 τυφλοῖς ὀρῶντας οὐτάσας τοξεύμασιν, ad 'feruidos ictus' solis (Hor. *carm.* II. 15. 10) siue ἡλίου βολάς Eurip. *Phoen.* 169, θερμά θ' ἡλίου τοξεύματα Trag. fragm. adespota 546. 7 (Nauck) transfertur a poeta; conf. etiam Eurip. *Hippol.* 684 οὐτάσας πυρί de Iouis fulminibus, neque inscite θάλπος et οὐτάζει hic coniunguntur cum illud etiam ipsum ictus dolorem significet ut ex uu. *Antigonae* 1084 sq. apparet τοιαῦτά σου, λυπεῖς γάρ, ὥστε τοξότης, | ἀφῆκα θυμῷ καρδίας τοξεύματα | βέβαια, τῶν σὺ θάλπος οὐχ ὑπεκδραμεῖ. [Cons. Lucr. V. 1104 '*uerberibus* radionem atque *aestu* uictor'].

526 ἐγὼ δὲ μάτηρ μὲν οἷα Φράζω

μάτηρ illud, quod praestant codices, agnoscit alter ex scholiastis, putidum est ut uix quicquam supra; ad alterius uerba decurrendum est, sicut fecit Hermannus; sunt autem haec, ἐγὼ παρεῖσα τὰ πολλὰ τὰ τέλη λέγω τῶν πραγμάτων. quod inde ille eruit, ἐγὼ δ' ὁμαρτῆ, nec litteris ipsis satisfacit nec sententiae. utrisque melius consuletur si μαστήρ reposueris, rarius illud quidem uocabulum sed ab Euripide *Bacch.* 986, a Carcino *fragm.* 5. 5 (Nauck), atque adeo a Sophocle cum in *Oed. Col.* 456 tum in hac ipsa fabula 733 adhibitum. dux chori 'talia narro' inquit 'qualia explorator uel speculator', hoc est quae summa sint uel κεφάλαια, omissis leuioribus. neque in re tali incongruens est illud Φράζω 'indico'; conferas Herodoti locum de tramite ad Thermopylas Xersi regi prodito VII 213 ἔφρασε.. τὴν ἀτραπὸν τὴν διὰ τοῦ οὔρεος Φέρουσαν ἐς Θερμοπύλας et Aeschyli *Eumen.* 236 ἔπου δὲ μηνυτῆρος ἀφθέγκτου Φραδαῖς. illud denique non praetereundum est non μαστήρ solum sed teste Hesychio etiam ματήρ in usu fuisse, inter se accentu tantummodo distantia.

831 sq. εἰ γάρ σΦε Κενταύρου Φονίᾳ νεΦέλᾳ
χρίει δολοποιὸς ἀνάγκα
πλευρὰ προστακέντος ἰοῦ
ὃν τέκετο θάνατος ἔτρεΦε δ' αἰόλος δράκων,

Digitized by Google

πῶς ὅδ' ἂν ἀέλιον ἕτερον ἢ τανῦν ἴδοι
δεινοτάτῳ μὲν ὕδρας προστετακώς
Φάσματι.

Multis displicuit *Φάσματι* neque iniuria. egregie enim de tauriformis Acheloi praesenti miraculo u. 509 dicitur, de Hydrae absentis occulto ueneno non item. ei uero qui pro *Φάσματι* legendum esse *νάματι* aut *χρίσματι* contendunt ut Hercules isti Hydrae *προστακῆναι* iam iterum narretur, operam suam uidentur perdidisse. Hydram pro ueneno Hydrae dici posse aut ipsi concedant aut agant cum Euripide, haec in *Herc. Fur.* 418 sqq. scribente *τάν τε μυριόκρανον | πολύφονον κύνα Λέρνας | ὕδραν ἐξεπύρωσεν | βέλεσίν τ' ἀμφέβαλλε.* quo perspecto quaerendum est quod propriam Hydrae faciem designet idemque a tradita per libros scriptos lectione quam minimum discrepet. succurrit *χάσματι*, immanis Hydrae hiatibus (quos dicit Vergilius in *Aen.* VI 576) conuenientissimum. restat ut pauca de genere dicendi adiciam. illud *ὕδρας χάσμα* non Hydrae hiatus est sed ipsa hians Hydra seu Gracce malis *ἡ μυριόκρανος ὕδρα*. quippe in id genus nominibus multum sibi permittit Sophocles estque illis apud eum singularis, ut ita dicam, cum uerbis communio. pauca exempli gratia adponere libet. ut ab *Aiacis* u. 634 incipiam, *πολιᾶς ἄμυγμα χαίτας* dixit non *ἀμυγμός* ut Aeschylus, ne *ἀμύγματα* quidem ut Euripides. similiter *στάλαγμα Antig.* 1239, non *σταλαγμός* nec *σταλάγματα* ut Aeschylus. sic etiam *θάκημα*, non *θάκησις*, *πλήρωμα*, non *πλήρωσις*, *στέργημα Trach.* 1138, ubi perperam *στέργηθρα* Nauckius, *φόρημα*, atque ut uidetur quidem *οἴστρημα Oed. Tyr.* 1318. his adnumerandus Philoctetae locus 867 sq. *ὦ Φέγγος ὕπνου διάδοχον τό τ' ἐλπίδων | ἄπιστον οἰκούρημα* (*ἐπικούρημα* probabiliter Blaydesius) *τῶνδε τῶν ξένων* '*quod* praeter spem nobis *adsunt* hi hospites'. hinc uidetur fluxisse quod de illo qui agit aliquid patiturue habemus in *Philocteta* 927 sq. *πανουργίας | δεινῆς τέχνημ' ἔχθιστον* quasi sit *πανουργίαν δεινὴν τεχνώμενος* et in *Antigona* 320 *λάλημα* pro *λάλος*.

856 sq. *ἰὼ κελαινὰ λόγχα προμάχου δορὸς*
ἃ τότε θοὰν νύμφαν
ἄγαγες ἀπ' αἰπεινᾶς
τάνδ' Οἰχαλίας αἰχμᾷ.

Digitized by Google

Inepte Deianira θοὰ dicitur tamquam Atalanta aliqua esset. tu θοᾷ repone, Pindari iam memor *Nem.* X. 69 ἄκοντι θοῷ et ibid. VII. 72 θοὰν γλῶσσαν in similitudine ad ἄκοντα respiciente.

877 sq.

Χο. τέθνηκεν ἡ τάλαινα;
Τρ. δεύτερον κλύεις.
Χο. τάλαιν' ὀλεθρία, τίνι τρόπῳ θανεῖν σφε φῄς;
Τρ. σχετλίῳ γε πρὸς τὴν πρᾶξιν. Χο. εἰπὲ τῷ μόρῳ;

Haec uerba recte damnauit Wunderus. scribendum ὀλέθρου τίνι τρόπῳ; ueritati hic ut alibi nocuerat uicinitas.

953 sq.

εἴθ' ἀνεμόεσσά τις
γένοιτ' ἔπουρος ἐστιῶτις αὔρα
ἥτις μ' ἀποικίσειεν ἐκ τόπων ὅπως κ. τ. λ.

ἐκ τόπων pro sollemni ἐκ τῶνδε τῶν τόπων dici non potest. quid Sophocles scripserit, docebunt *Oed. Tyr.* 166, 1340 ἀπάγετ' ἐκτόπιον ὅτι τάχιστά με, *Oed. Col.* 119. ἐκτόπιον in sedem suam reuocato numeri quoque citatiores tibi, quod laeteris, eueniunt.

1010 sq. πόθεν ἔστ' ὦ
πάντων Ἑλλήνων ἀδικώτατοι ἀνέρες οἷς δὴ
πολλὰ μὲν ἐν πόντῳ κατά τε δρία πάντα καθαίρων
ὠλεκόμαν ὁ τάλας καὶ νῦν ἐπὶ τῷδε νοσοῦντι
οὐ πῦρ οὐκ ἔγχος τις ὀνήσιμον οὐκ ἐπιτρέψει;

ἐπιτρεψει quod a libris recentioribus editores accipiunt (ceteri non melius ἀποτρέψει) duobus uitiis laborat. soloecum est οὐκ ante ἐπιτρέψει cum adiectum nihil sit quo adhaereat, ut puta in οὔποτε, nec modice displicet ἐπιτρέπειν ἐπὶ τῷδε. littera una mutata utrumque mendum tolletur. lege οὐκέτι τρέψει. conferendum ex Aiac. 772 ἐπ' ἐχθροῖς χεῖρα Φοινίαν τρέπειν. Hercules de ingrato hominum animo acerbissime querens, iure indignatur quod olim cum orbem terrarum a beluarum immanitate uindicaret et liberaret ferro ignique permissum fuerit ut in se saeuirent, nunc eadem cum auxilio sibi futura essent (ὀνήσιμον) ne succurrant prohiberi.

Digitized by Google

PHILOCTETES.

185 sq.

ἐν τ' ὀδύναις ὁμοῦ
λιμῷ τ' οἰκτρὸς ἀνήκεστα μεριμνήματ' ἔχων βοᾷ.
ἃ δ' ἀθυρόστομος
ἀχὼ τηλεφανὴς πικρᾶς
οἰμωγᾶς ὑπόκειται.

Hic βοᾷ ἃ δ' Gulielmus Linwood, libri scripti βαρεῖα δ'. editores βοᾷ multi, ἃ δ' omnes acceperunt. restat ὑπόκειται, quod quid sit nemo adhuc expediuit, Hermannus in ὕπ' ἐχεῖται mutabat. hoc cum minimum a litteris lectionis traditae distat, ita loci sententiae uix satisfacit. haec quid postulet cuiusuis est perspicere; Herculis clamoribus acerbis Echo nympha cieri fingitur atque sollicitari. hoc erit ὀχλεῖται.

327 sq.

εὖ γ' ὦ τέκνον· τίνος γὰρ ὧδε τὸν μέγαν
χόλον κατ' αὐτῶν ἐγκαλῶν ἐλήλυθας;

Hic quid opus esset dispexit Blaydesius dum ἐκχέων legit, sed magis probabile ἐκβαλῶν. nam κ et γ, β et κ litteras passim inter se commiscent librarii et cum ἐκκαλεῖν χόλον 'stomachum (uel bilem) mouere' sit, ἐκβάλλειν χόλον, cui contraria ex parte καταπέσσειν χόλον respondet, 'stomachum erumpere' significat. translatum hic ἐκβάλλειν, proprium in *Antigona* est u. 1238 sq. καὶ Φυσιᾶν ὀξεῖαν ἐκβάλλει ῥοὴν | λευκῇ παρειᾷ Φοινίου στιλάγματος.

451 sq.

ποῦ χρὴ τίθεσθαι ταῦτα, ποῦ δ' αἰνεῖν, ὅταν
τὰ θεῖ' ἐπαινῶν τοὺς θεοὺς εὕρω κακούς;

Illius ἐπαινεῖν posteriores syllabas αἰνεῖν peperit sicut uisum est Schneidewino. ἐρευνᾶν is, neque ab re; sed magis in promptu uidetur ἐπαθρᾶν ut apud Apollonium Rhodium IV 497 ἐπαθρήσαντας ἕκαστα et apud Sophoclem ἀθρεῖν locis compluribus, de quibus unum adscribo *Oed. Col.* 252 sq. οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν βροτὸν ὅστις ἄν, | εἰ θεὸς ἄγοι, | ἐκφυγεῖν δύναιτο.

Digitized by Google

759 sq. NE. ἰὼ ἰὼ δύστηνε σύ,
δύστηνε δῆτα διὰ πόνων πάντων φανείς

Talis locutio neque enarrata est a criticis neque exemplis confirmata. δυσπόνων πόνων φανείς excogitauit Housmanus (*Journal of Philology* XX, p. 48), quantum coniectoribus liceret securus. ἰών si scripsisset Sophocles, nihil noui fecisset, quod uel ex adnotatione Cavallini apparebit; exquisitiora secutus φθαρείς dedit, cui quidem uoci et eundi inest notio et laborandi. sic Aeschylus in *Persis* 452 νεῶν φθαρέντες ubi Scholiasta μετὰ φθορᾶς ἐξέλθοιεν, Euripides in *Andromacha* 715 φθείρεσθε τῇδε δμῶες 'ab istac in malam rem abite'.

799 sq.
ὦ τέκνον ὦ γενναῖον ἀλλὰ συλλαβὼν
τῷ Λημνίῳ τῷδ' ἀνακαλουμένῳ πυρί
ἔμπρησον ὦ γεννᾶιε.

Istud ἀνακαλουμένῳ, siue a librariis simpliciter acceperis seu in ἀνακαλούμενον cum Meinekio refingas, idoneo uacabit sensu. tu si Philoctetes quid factum uoluerit scire cupies, ab ipso Sophocle exquires quid Hercules in re consimili. is enim Hyllo *Trachin.* 1193 sq. ἐνταῦθά νυν χρὴ τοὐμὸν ἐξάραντά σε | σῶμ' αὐτόχειρα καὶ ξὺν οἷς χρῄζεις φίλων..... πρῆσαι. illo duce hinc facili opera eruere possis ἀγκάλαις μ' ἄνω, in quo ἄνω ad ipsum montis, puta Moscyli, cratera respicit, ἀγκάλαις 'tamquam puerum' significat ut de Theseo corpus Hippolyti tollente Euripides in *Hippol.* 1432 λαβὲ | σὸν παῖδ' ἐν ἀγκάλῃσι; cf. idem in *Iph. Taur.* 289 μητέρ' ἀγκάλαις ἐμὴν | ἔχουσα. pristinam scripturam male coniuncta et diuisa uerba in Sophoclis libris haud raro corruperunt; exempli gratia profero *Aiac.* 1056 ἕλοι δορί (ἑλοιδόρει), *Trachin.* 615 ἐπὸν μαθήσεται (ἐπ' ὄμμα θήσεται), ibid. 799 με θές (μέθες) *Oed. Col.* 1741 ὅπερ νοεῖς (ὑπερνοεῖς). ἀνακαλ. in ἀγκαλ. abiit eodem librariorum errore quo ἂν μετρηθεῖεν fit ἀναμετρηθεῖεν in *Oed. Tyr.* 561.

860 οὐ χερός, οὐ ποδός, οὔ τινος ἄρχων.

Haec cui placeant haud facile inuenias, nec mirum quae a librariis profecta sint. φρενὸς qui coniecit quodammodo sen-

Digitized by Google

tentiae subuenit sed mali causam parum perspexit. quae apparebit si ⟨οὐ νόου⟩ scriptum antea fuisse intellexeris. nocuit hic quoque τὸ ὁμοιόγραφον.

1146 sq. ὦ πτεναὶ θῆραι χαροπῶν τ'
ἔθνη θηρῶν οὓς ὅδ' ἔχει
χῶρος οὐρεσιβώτας,
φυγᾷ μ' οὐκέτ' ἀπ' αὐλίων
πελᾶτ'. οὐ γὰρ ἔχω χεροῖν
τὰν πρόσθεν βελέων ἀλκάν

Verba φυγᾷ με οὐκέτι πελᾶτε hoc sibi uolunt 'non iam ad me fuga accedetis'. nimirum pro suo ingenio facit κουφονόων φῦλον ὀρνίθων (*Antig.* 343) quae homines accedendo fugiant. atqui latebat sub πελᾶτε eisdem paene litteris παλεῖτε, iam Sophocli et lexicis reddendum. proprium timoris est τὸ πάλλειν uel πάλλεσθαι sicut in *Oed. Tyr.* 154 ἐκτέταμαι φοβερὰν φρένα δείματι πάλλων. ne in accusatiuo haereamus monet locus Aeschyli *Supplic.* 545 βροτοὶ δ' οἵ γᾶς τότ' ἦσαν ἔννομοι | χλωρᾷ δείματι θυμὸν | πάλλοντ' ὄψιν ἀήθη ad quem locum Tuckerus in commentariis similia in timendi uerbis aliunde adnotat, sicut ex Euripidis *Bacch.* 1289 λέγ' ὡς τὸ μέλλον καρδίᾳ πήδημ' ἔχει (quod idem est ac πάλλεται uel πάλλει καρδία. parum recte enim Jebbius πάλλειν in re tali usurpari negat) et ex Demosthenis *fals. leg.* § 366 τεθνάναι τῷ φόβῳ Θηβαίους.

Quae sequuntur sic distinguenda atque intellegenda uidentur

ἀλλ' ἀνέδην· ὅδε χῶρος ἐρύκεται
οὐκέτι φοβητὸς ὑμῖν·
ἕρπετε

'Sed libere (hic locus' — nisi potius legendum ὁ δὲ — 'uobis timendus uos arcet non amplius) uadatis licet'. ἐρύκεται 'a se arcet'; ita ante Sophoclem Homerus *Il.* XII. 285 κῦμα δέ μιν προσπλάζον ἐρύκεται.

Oedipus Coloneus.

243 πατρὸς ὑπὲρ τοῦ μόνου ἄντομαι.

Ita libri, pessumdatis quidem poetae numeris sed sententia perspecta. non enim 'pro patre solo' (μόνου) precatur Antigone

Digitized by Google

sed 'pro patre qui solus est' τοῦ μόνου. articulus a librariis uenit ut in *Philoct.* 606 τάν. numeros cum sententia poteris reddere si μεμονωμένου repones. μεμονωμένος 'destitutus a suis' commiserantis est ut in *Supplicibus* Aeschyli 729 γυνὴ μονωθεῖσ' οὐδέν. huius participii complura exempla in lexicis inuenies, quibus adice ex erotico fragmento quod publici iuris fecit Bernardus P. Grenfell (1896) col. 1 [στεφάνοις] οἷς μεμονωμένη χρωτισθήσομαι. per homoeographon stetisse ut tantum de syllabis μεμονωμένου hauriretur non iam est quod prudentes admoneam.

309 sq.

ἀλλ' εὐτυχήσ ἵκοιτο τῇ θ' αὑτοῦ πόλει
ἐμοί τε· τίς γὰρ ἐσθλὸς οὐ χ αὑτῷ φίλος;

Horum uersuum sensus hic est 'sed felix ueniat ciuitati suae mihique; non adicio *et sibi ipsi*; quis enim bonorum non sibi quoque amicus est?' quare scribendum est οὐ χαὑτῷ.

457 sq.

ἐὰν γᾶρ ὑμεῖς, ὦ ξένοι, θέλητέ μου
πρὸς ταῖσι ταῖς σεμναῖσι δημούχοις θεαῖς
ἀλκὴν ποιεῖσθαι, τῇδε τῇ πόλει μέγαν
σωτῆρ' ἀρεῖσθε τοῖς δ' ἐμοῖς ἐχθροῖς πόνους.

Dedi quod in Laurentiano a prima manu scriptum est; ab altera est μοι unde Pearsonus ἐμοί, datiuusque utique recte se habet. mox σὺν ταῖσι libri complures, inde natum quod πρὸς quid sibi uellet a librariis non intellectum est. criticorum qui quod in libris scriptum est corrigere conati sunt neque ad id ipsum neque ad illud quod postulat sensus poetae satis uidentur attendisse. Oedipus, cum fato ducente in lucum Eumenidum deuenisset in earumque tutela iam esset, suadentibus accolis ut de loco sacro decederet dearumque pacem piaculis rite factis exposceret cum paruisset, iam sine controuersia sacer et supplex (ἱερός, ἱκέτης 44), ab illis petierat ut fidem suam religiose et ipsi praestarent; uidesis uu. 174—178, 275—278, 284—288. eodem hic redit seseque quasi προστάτην (conferas uu. 1171, 1278 τοῦ θεοῦ γε προστάτην) orat ut tutentur et conseruent. quid multa? quam sententiam quaerimus praebebit προστάντι.

Digitized by Google

participium illius uerbi quod in *Electra* legis 1378 ἥ σε πολλὰ δὴ | ἀΦ' ὧν ἔχοιμι λιπαρεῖ προύστην 'supplex adii'. distracto προστάντι (conf. quae ad *Philoct.* 800 iam diximus) τάντι in τάισι ante τάις abiisse nihil est quod mireris.

588 sq.

Θη. πότερα τὰ τῶν σῶν ἐκγόνων κἀμοῦ λέγεις;
Οι. κεῖνοι κομίζειν κεῖσ' ἀναγκάζουσί με.
Θη. ἀλλ' οὐ θελόντων γ' οὐδὲ σοὶ Φεύγειν καλόν.

Non nihil admirationis habet quod Oedipus, Theseo dum respondet de eis quae ad illius filios et ad se ipsum pertinerent quaerenti, de se quidem suisque omnia, de Theseo nihil dicat. profecto in rem erat Oedipodi ut pro certo haberet Theseus eis qui illum uiolaturi essent ne sui quidem ipsius reuerentiam fore. κεῖσε illud librariorum est ad id quod scriptum ante erat κεῖνοι oculis animoue aberrantium. fuerat κἀὶ σ' ἀναγκάζουσι, h. e. 'cogere te quoque uolunt' uel 'in animo habent', noto temporis praesentis in re incohata usu; afferri possunt ex hac ipsa fabula κτείνοι, κλίνων uu. 993—4. κομίζειν, h. e. 'remittendum curare' uel 'remittere' (conf. Soph. *Philoct.* 841, Pindar. *Nem.* VIII 37 al.) rem per se ipsum satis declarat.

653 Οι. ἥξουσιν ἄνδρες.

Legendum ἄνδρες. Non enim illud uerebatur Oedipus uenturos esse uiros (ad quem mulieres uel pueri utique non ueniebant), sed 'illos uiros' (κεῖνοι 589), quos senex timidus iam adfuturos cogitatione praeceperat.

755 sq.

ἀλλ'·οὐ γὰρ ἔστι τἀμΦανῆ κρύπτειν, σύ νυν
πρὸς θεῶν πατρῴων, Οἰδίπους, πεισθεὶς ἐμοὶ
κρύψον θελήσας ἄστυ καὶ δόμους μολεῖν
τοὺς σοὺς πατρώους

Librarii cum pari, ut putaret quis, poetae operaque eius enarrantium irrisione, pro Sophocleis haec nobis ingesserunt 'quae occuli non possunt tu occule'. poetam ducem secutis non κύψον uel κάμψον uel στρέψον quae alii temptauerunt sed νεῦσον occursurum erit. conferendus *Philoctetae* uersus 484

Digitized by Google

νεῦσον, πρὸς αὐτοῦ Ζηνὸς ἱκεσίου, τέκνον, | πείσθητι et huius fabulae u. 248 νεύσατε τὰν ἀδόκητον χάριν.

1447 sq.

νέα τάδε νέοθεν ἦλθέ μοι
νέα βαρύποτμα κακὰ παρ' ἀλαοῦ ξένου
εἴ τι μοῖρα μὴ κιγχάνει·
ματᾶν γὰρ οὐδὲν ἀξίωμα
δαιμόνων ἔχω φράσαι·
ὁρᾷ, ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ
χρόνος ἐπεὶ μὲν ἕτερα
τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὔθις αὔξων ἄνω.

Deuotus cum fratre a patre Polynices maestus abierat; augurio tristi senum chorus euentura secum considerat, sensusque suos uersibus expromit Sophoclis ingenio, modo recte scribantur et distinguantur, dignissimis. principio plene post ξένου distinguimus cum ceteri post κιγχάνει. hoc quantum loco nocuerit ex adnotatione Dindorfii perspexeris, qui talia. „Non satis apparet quae illa ταῦτα dicat. Neque enim quidquam praecessit ad quod apte referri possit. Quamobrem scribendum puto ὁρᾷ ὁρᾷ πάντ' ἀεὶ χρόνος". Itane uero? tu distracta a te ipso poetae membra non inter se cohaerere conquereris inque innoxium istud ταῦτα totus inruis? num fugit te ille *Oed. Tyr.* locus (198 sq.) τέλει γὰρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ | τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ ἔρχεται. in mutato numero noli haerere. sententiae enim in u. 1450 interuenerunt uerba ματᾶν γὰρ e. q. s. et post φράσαι demum ea ad finem suum perducitur. locus totus talis fere nobis euadit. 'Hospitis caeci praesagia nouas calamitates Laii generi denuntiant. si quem Parca non occupat — nam frustra esse numinum decreta nullo modo dixerim — at tamen uigiles Aetatis non fefellit oculos, alios deicere solitae, alios rursus in dies augere atque extollere' uel, ut breuius idem dicam, 'etiam si quis fatum in praesens, non in perpetuum effugiet'.

Restat ἐπεί, corruptum illud quidem et syllaba breuius (nam in antistropha, u. 1469 δέδια δ' nequaquam a Triclinio accipiendum est, etsi magis Sophocleum uidetur τάδε quam τόδε, conf. *Ai.* 950 *Electr.* 230) in quo finem faciamus. quod Tyrrellius

Digitized by Google

ἐπιών 'aggrediens' coniecit, melius hoc ceteris sed ueri similius ἀπαμῶν. initium mali μων ante μεν intercidens, quod deprauationis genus multis iam in locis natum deprehendimus; mox απα iam mutilum et ipsum corrumpitur. quid quod Sophoclea sunt et uerbum ἀπαμᾶν (*Philoct.* 749) et ipsa translatio *Antig.* 600 sq. κατ' αὖ νιν φοινίᾳ θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κοπίς et apte dicuntur illa ab arboribus translata χρόνος ... αὔξων ἄνω ut apud Pindarum *Nem.* VII 40 αὔξεται δ' ἀρετὰ χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ἄσσει πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα et Horatium *carm.* I 12. 45 'crescit occulto, uelut arbor, *aeuo* | fama Marcelli'.

Digitized by Google

SOPHOCLEI CHORI PERSONA TRAGICA.

SCRIPSIT

IGN. ERRANDONEA S. I.

(Continuantur ex vol. LI[1] pag. 326).

CAPUT SEXTUM.

Philoctetes.

I.

Cum ad hanc tragoediam accedo, comperio eam mihi commovendam et quasi concutiendam non nihil esse ut tota quasi compages cohaerescat, chorusque in ea quasi suo loco aptus videatur. Hodierna enim huius fabulae interpretatio innumeris est affecta incommodis, eisque multo gravioribus quam AA. generatim ausi sunt confiteri [1]). Sunt autem haec praecipua.

Imprimis in actione defectus actionis: Ulixes enim et Neoptolemus in insula Lemno id agunt, ut Philoctetes, qui illic fuerat ante decem annos a graecis proiectus propter pestilens in pede vulnus, velit in Troiam navigare; eius enim sagittis illam esse ex fatis expugnandam. Has quemadmodum possit corripere docet adulescentem Ulixes, seque missurum postea nautam quendam qui nova suggerat consilia quibus decipiatur Philoctetes. Hunc dum alloquitur Neoptolemus cumque iam in eo est ut in Graeciam, non in Pergama pergat cum eo, venit ille nauta et multa narrat. Abit, tum morbi accessu corripitur Philoctetes, deinde somno. Dum ipse dormit, Neoptolemus qui eius arma tenet, recusat effugere, tametsi rogatur id a choro. Tum ei expergefacto conatur tradere et deinde reapse tradit

1) Collegit aliqua ex eis JEBB, *Philoctetes*, Introd. §§ 12—15, et A. PATIN, *Aesth.-krit. Stud. z. Soph.* (1911).

Digitized by Google

arma, etiam reluctante Ulixe. In fine apparet deus ex machina qui nodum solvat aut saltem secet.

Scio omnes hic auctores solitos esse dicere hanc tragoediam non tam actione quam characterum descriptione eminere praesertim, idque ab omnibus laudatur. [1]) Sed ut illud praeteream, Aristotelem (qui cum de tragoedia disputabat, Sophoclem semper in mente habebat) in tragoedia notationem morum instrumentum esse dixisse, non finem, itaque subiciendum esse fini, adeo ut tragoediae verae esse possint sine notatione morum, modo habeant veram actionem [2]), illud certe non tacebo, aeque pulcram, ne dicam pulcriorem, descriptionem morum fieri in Antigone ex. gr. vel in Electra, id autem non obstitisse quominus actio esset perfecta, et novisse Sophoclem utrumque, et mores et fabulam, ita componere ut alterum alteri faveret, non solum non obesset.

Accedo ad secundam difficultatem, oraculum de Philoctete. Estne in fatis ut ipse adeat Troiam, an sola eius arma? Si ipse debet illic praesens adesse, cur initio tragoediae sola eius arma requiri dicuntur? cur ad sola arma surripienda emittitur Neoptolemus? cur sola ea adeptus fugere conatur Ulixes (1055—1062), et exsultat in gloria quam sit ipse consecuturus Troiam armis Philoctetis diruendo? Si vero sola arma eius sufficiunt, etiamsi ipse maneat in sua insula, cur iussu Ulixis ait mercator hominem ipsum requiri? cur eis amissis Neoptolemus non vult fugere, tametsi compellitur a choro, dum dormit Philoctetes, idque ideo facere se dicit, quod inutile sit illa habere arma nisi ipse Philoctetes deducatur, quem oracula evocent? Nonne memoria tenet quae ipsi de solis armis dixerat Ulixes? Nemo sincere negaverit hac difficultate ipsum quasi cor tragoediae huius affici, nosque ea impediri quominus ipsam penitus intel-

1) Cf. v. gr. M. Croiset, *Hist. d. la Littér. grecque* III², 245; Patin, *Études sur les tragiques grecs, Sophocle* (1913), 95; Weil, *Études sur le drame antique* (1908), 265; Radermacher, *Philoktetes* (Schneidewin, 1911) Einleitung, 13.

2) *Ὥστε τὰ πράγματα καὶ ὁ μῦθος τέλος τῆς τραγῳδίας, τὸ δὲ τέλος μέγιστον ἁπάντων. Ἔτι ἄνευ μὲν πράξεως οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία, ἄνευ δὲ ἠθῶν γένοιτ' ἄν. Αἱ γὰρ τῶν νέων τῶν πλείστων ἀήθεις τραγῳδίαι εἰσίν.* Arist. *A. Poet.* 1450*a*, 22 sqq

Digitized by Google

legamus; venerant enim Troia ut illud ipsum, quidquid erat, sive Philoctetem sive eius arma deferrent.

Adventus vero nuntii illius sive nautae seu mercatoris adeo in communi huius fabulae interpretatione inutilis est, ut nulla hucusque, quod sciam, inventa sit excusatio cur novum actorem, exiguo cum re conexu, fere nullo in actionem effectu, induxerit Sophocles. Quod quidem multi etiam fassi sunt aperte. [1])

Difficilius est etiam definire quis qualisve sit chorus [2]): sequiturne Ulixem ut videtur in II[a] parte tragoediae, an serio Philoctetis aerumnis commovetur? nam alias reprehendit aperte hunc heroa, alias totus ab eo est; modo vehementer condolescit, modo Neoptolemum rogat ut, eo relicto praereptisque eius armis, fugiat.

Quid vero de Ulixe dicam, cuius in hac fabula persona tam multis disputationibus dedit ansam? Omnes norunt estque ab omnibus repetitum eum toto caelo differre ab Ulixe quem in aliis tragoediis ipsius Sophoclis reperimus. [3]) Cuius rei cum causas investigat Christ [4]), autumat mutasse Sophoclem suam de summo homine sive de specie perfecti hominis mentem, aut propter solam artem id appinxisse Ulixi quod numquam antea, immo etiam multa sonare in hac tragoedia quasi confessionem quandam antiquae gloriae et nobilitatis earumque tunc temporis ruinae per sophisticam rhetoricam et sophisticum amorem sui.

Similem quandam ad admonendum proclivitatem odoratus est

---

1) V. g. JEBB l. l. ad vs. 542; v. etiam M. ZAVADLAL, *Wodurch wird die Ueberlieferung, dass Sophokles den Philoktetes im höchsten Greisenalter geschrieben, im Stück selbst bestätigt?* pg. 8—10. Mitterburg 1887.

2) HELMREICH (op. laud. pg. 15) putat chorum serio ita mutare mentem, mutare vultus; BERGK, *Gr. Litt.* 3, 221, ideo ait contraria aliis alia dici a choro, quod eo Sophocles, „volubile vulgus" voluerit repraesentare; RADERMACHER (Einleit. 15), quod hoc sit munus chori tragici, medium se gerere.

3) Cf. caput de Aiace.

4) CHRIST, *Geschichte d. griech. Litteratur (Handbuch* I. v. Müller) I pg. 339, 1: „Hierin kann eine Veränderung seines Menschenideals, aber auch das bloss künstlerische Motiv einer ganz klaren Herausarbeitung der Gegensätze gefunden werden. Manches klingt doch (z. B. 82. 96 ff.) wie eine Konfession des Dichters über altattischen Adel der Gesinnung und ihre Ruinierung durch sophistische Rhetorik und sophistischen Egoismus".

Digitized by Google

Ad. Müller, postquam de hoc charactere Ulixeo egregiam confecit descriptionem. Patin vero cum haec aliaque id genus multa considerat, reperit hunc Ulixem non solum eundem non esse quem aliunde noverimus, sed in hac ipsa tragoedia Ulixem secundae partis non esse eundem qui primae, sed alium omnino absurde depravatum, contraria et pugnantia semper agentem ac dicentem atque priorem; de comoedia eum aut de satyrico dramate esse deductum inque hanc tragoediam protrusum; id ab aliquo inepto audacique scriptore factum, hunc illum semicomice, saepe etiam ultracomice descripsisse; secundam igitur partem non esse Sophocleam; esse tamen in ea aliqua quae Sophoclis sint et Sophoclem prodant; ea ab aliis discernere non esse in nobis; cur ex. gr. hunc per Heraclem exitum tragoedia habeat, scire nos non posse, id quidem certo scire, Sophoclis opus esse corruptum. [1])

Praeteribo exitum per deum ex machina tam a Sophocle alienum quam hoc loco non necessarium, cum omnia, sicut iam multi scriptores dixerunt [2]), alium finem facillimum suggererent. Non commemorabo minuta multa, praesertim ea quae de codicibus manuscriptis expungunt auctores ut sensum aliquem dent verbis actorum et chori.

II.

Dum hanc tragoediam examinat Tycho de Wilamowitz, sapienter saepe inculcat, suavissimos delectationis aestheticae

---

1) „Odysseus, als geprellter Grosssprecher, das ist nicht der Held, den Sophokles so oft sympathisch dargestellt, das ist nicht die Gestalt dieser Tragödie, das ist eine Figur der Komödie oder des Satyrspiels...

Das ist der Odysseus des Sophokles und seines Philoctetes nicht mehr, der ist von fremder Hand, von jener Hand, welche die echte Exodos benutzend, eine falsche, halbkomische, jedenfalls komisch ultrierte daraus geschaffen, welche jene Dublette und jene anstössigen Wiederholungen verschuldet hat. Die echten Bestandteile zu unterscheiden und sicher auszulösen fühle ich mich nicht imstande, pg. 116. „Lockte der Effekt auch, den Gott dreinzugeben? Ich weiss es nicht, kann es nicht wissen. Dass das Original entstellt ist, das weiss ich". Patin, Aesth.-Krit. Stud. zu Soph. pg. 117.

2) Cf. v. gr. N. Wecklein, *Ausführlicher Kommentar zu Sophokles' Philoktet* (1913). Draheim (*Wochenschrift f. kl. Phil.* 1917, 514—517) putat illum Herculem non esse tam importunum, siquidem veniat quaesiturus Philoctetem, hic autem heros Alcibiadem repraesentet.

Digitized by Google

effectus in mentibus auditorum generari ex hac incerta et ancipiti agendi ratione chori et Neoptolemi ipsius; quos quidem effectus nemo, credo, negabit qui rem bene perpenderit. Nescias enim saepe quo tandem sit actionem laturus Sophocles; utrum vi an dolo vel suasu; utrum solis armis, an simul cum Philoctete sint versus Troiam navigaturi.

Sed aliquid restat etiamnum addendum huic clari viri commentario; restant, nisi fallor, multa investiganda [1]); explicandum est adhuc qui haec agendi ratio actorum moribus sit consona, qui fiat ut personae ita *debeant* agere, qui aesthetica ars cum dramatica componatur; nemini enim, vel mediocri poetae, licet illam cum huius detrimento procurare; nemini, *decedere de scaena*, et oblivisci se dramaticum esse, sed omnia per actores et cum actoribus debet in finem perducere qui *drama* scribit et agit; si aestheticos effectus quaerit, ita debet conformare personarum mores ut earum dictis et factis illi gignantur; id est esse dramaticum. [2])

Ut enim de choro taceam — ne videar assumere quod est probandum — ipsum Neoptolemum nullo iure potest Sophocles, ob solos quidem auditores, facere dicentem quae consona non sint his quae ipse sciat et cupiat. Exempli gratia, ob solos auditores oblectandos, non licet fingere Neoptolemum obliviscentem Philoctetis personam esse Troiae necessariam, et opus aggredientem difficillimum, arma eripiendi dico, quod sciat penitus inutile. Pari modo in reliquis, et sicut in eo iuvene ita in choro, si vera sit futura persona. Haec igitur investigemus.

---

1) Dicit enim ex. gr. pg. 297 sq. (italicis ego utor): „Im Grunde zeigt sich hier nur wieder, was schon oft zu beobachten war, dass der Dichter *ausserstande ist*, oder auch, dass er als Dramatiker *gar nicht die Absicht hat, das Doppelte einer Situation, die der geschehenden Handlung widerstrebende Stimmung einer Person zugleich mit dieser Handlung in einer Szene zur Darstellung zu bringen.* Solange N. seinen Betrug aufrecht erhält, lässt ihn der Dichter durchaus aus dieser fictiven Situation heraus handeln und reden, und es liegt schon eine sehr auffällige Freiheit und Kunst der Darstellung darin, dass er um den Umschlag vorzubereiten, durch die doppelsinnigen Reden und das Schweigen des N. und dann durch die Ratschläge des Chores die wirklichen Absichten des ersteren wieder in Erinnerung bringt, wodurch ja die Schwierigkeit, jetzt diesen Auftrag auszuführen, sich unmittelbar aus der Situation ergeben muss, auch ohne dass in N. Verhalten irgendein inneres Widerstreben bemerkbar würde". 2) Cf. ARIST. 1461*a*, 15.

Digitized by Google

Sophocles qui non est veritus Ulixem in tragoedia hac ridicule ignavum pingere, non dubitavit eum maxime dolosum facere; dolo enim et metu constare et quasi compactum esse Ulixem tragoedorum nemo sincerus negaverit. [1])

Ulixes revera non est verus Ulixes, si solam illam valde simplicem rationem agendi sequitur, quam ei tribuunt huius tragoediae commentatores; aliquid magis exquisitum sperandum vel potius timendum est ab eius perpetua et inexhausta dolos tegendi consuetudine, et aliquid aliud innuunt eius vaga in prologo verba, quibus nihil definitum dicit, sed promittit alia

---

1) „Tragicum Ulixem" dico, nemo enim ignorat eum diversum omnino esse ab illo indefesso ac versuto navigatore „captae post tempora Troiae qui mores hominum multorum vidit et urbes" qualis canitur in Odyssea, sicut hic distat longissime ab illo prudenti regum consiliario qui saepe apparet in Iliade.

Quod vero ad Sophoclem attinet, dicam qualis sit Ulixes in Aiace. In Philoctete quidem non possum non dissentire ab illis auctoribus qui hanc Ulixis qualitatem dissimulatam ac celatam multa arte fuisse a Sophocle dicunt. Praestat, credo, res et veritatem considerare sine metu, et ea qualia sunt talia agnoscere.

Sane mihi quidem *ignarus* plane dicendus videtur ille Ulixes qui non audet se hosti sistere, dum arma manu tenet; qui fatetur se ideo id vitare quia Philoctetes summe desiderat eum corripere; qui ea de causa puerum pro se obicit illius telis; qui tunc demum accedit cum est armis a puero inimicus destitutus; qui cum ille adolescens vult reddere arcum et sagittas Philocteti, minatur ei, quid? — non quidem se id impediturum, sed se totum exercitum vocaturum qui puerum coerceat (1242 sqq.); quique cum adhuc repugnantem videt adulescentulum: „vides ut manum, inquit, admoveam ad ensem?" et respondenti illi, se id etiam et scire facere et iam facere, ait: *καίτοι σ' ἐάσω* (1257 sq.) „dimitto equidem te, universo vero exercitui id dicam, ipse te puniet" et fugit praeceps; cui iuvenis: „prudenter agis, ait, si talis erit tibi semper prudentia [non metus], non hercle multa membra in bello perdes" (1241—1260). At vero audet tandem irrumpere in scaenam ibique consistere — quoad Philoctetes capit arcum et in eum parat; tunc enim ipse fugit, non ultra conspiciendus in scaena. Quod quidem cum videt Philoctetes clamat ita omnes achaeos regulos in pugna ignavissimos in sermone esse strenuissimos (1306 sq.).

Haec omnia plane agnoscit Jebb, Introd. § 15 pg. XXX, sed addit: „But it is instructive to remark the delicate reserve of Sophocles in hinting a trait which was so dangerously near to the grotesque. For it is no necessary disparagement to the courage of Odysseus that he should shrink from confronting Ajax, — a raging maniac intent on killing him — or that he should decline to be a target for the „unerring" shafts of Philoctetes, or that he should refrain from drawing his sword on a young comrade, Neoptolemus".

Fateor me non intellegere; et si haec est ignavia occulta et dissimulata, quaerendum credo quaenam futura sit aperta et manifesta ignavia. Ceterum hic metus necessarius nobis est ad fabulae interpretationem, ut cito dicam.

Digitized by Google

se multa dicturum postea per nautam quem sit missurus. Nempe, *Ulixes non minus Neoptolemum ipsum, quam per eum Philoctetem fallit.*

Nuper uterque Lemnum pervenit. Ulixes vult Philoctetem ipsum [1]), non sola sua arma, Troiam deferre, sive quia ita erat constitutum oraculis, ut videtur [2]), sive quia esset multo id securius, etiamsi sola eius arma fuissent ab oraculis requisita. Nescit adhuc qua illum via aggredi sit necesse, laetane an tristi; utrum solus an cum sociis sit, ignorat; aegrum esse suspicatur (v. 39); certo vero conicit sua secum arma gestare, quae non invenit Neoptolemus in antro (v. 31—38); certissime vero scit odio in se maximo ardere (46, 47).

Haec cum ita sint, quod in euripidea tragoedia dicebat aperte [3]), hic dicit tacite: timet se conspectui illius committere dum arma manibus tenebit; haec arma sunt praeripienda, in hunc finem et inducit et *seducit* Neoptolemum.

Dicit enim ei dolo rem, non per vim, esse agendam, quia si vi diceret esse opus, rogaret Neoptolemus ut ipse etiam adesset et adiuvaret, id autem refugit omnino. Addit vero arma sola requiri ad Troiae expugnationem, quia sola arma

---

1) Quidquid est de antiqua aliqua traditione, spectatores Athenienses pro certo habebant, ex oraculis ipsum Philoctetem, non sola arma eius requisita fuisse; ita res acta fuerat ab Aeschylo, ita ab Euripide, in cuius tragoedia licet etiamnunc videre et Ulixem venisse *ἀναλαβεῖν εἰς τὴν πόλιν αὐτὸν καὶ τὰ τόξα*, (D. Chrysost. 59, 575), et legatos Troianos id assidue conatos esse et reuera et ipsum et arma in Troiam abisse.

Itaque dolos quos iam ipsa Ulixis praesentia suggerebat spectatori, res ipsae, quas dicebat, multo clarius indicabant; multo vero evidentius subdolus ipse verborum usus quibus alia dicebat, alia omnino innuebat; cf. quae dicam de verbis versus 128.

2) Cf. Ovid. *Metam.* 13, 220; 13, 52 cet.; Senec., *Troad.* 822—825.

3) Vide eius pulchra verba in solutam orationem versa a D. Chysost. (or. 59 pg. 574 sq.): *φοβοῦμαι μή ποτε μάτην κατ' ἐμοῦ φανῶσι ταύτην οἱ σύμμαχοι τὴν δόξαν·* narrat deinde in quam gravia pericula se semper coniecerit ob amorem gloriae, tum: *νῦν οὖν κατὰ πρᾶξιν πάνυ ἐπισφαλῆ καὶ χαλεπὴν δεῦρο ἐλήλυθα·* explicat porro quam sit sibi periculosum sistere se Philocteti; *εὐθὺς ἀποδανεῖσθαι ᾠμην ὑπ' αὐτοῦ.*

Sed Pallas eum cohortata est *θαρροῦντα ἐπὶ τὸν ἄνδρ' ἰέναι.* Pro deae huius auxilio noster Ulixes Neoptolemum ut scutum cepit; quod dea in illa tragoedia promisit *ἀλλάξειν μου τὸ εἶδος καὶ τὴν φωνὴν ὥστε λαθεῖν αὐτῷ συγγενόμενον*, id scit ipse sine dea facere in nostra hac tragoedia, ut videbimus.

Digitized by Google

vult a Philoctete separari; id ab adolescente peragi poterit; ipsum vero Philoctetem inducere ut naviget Troiam non poterit ille puer, poterit ipse Ulixes, aut vi eum rapiet secum atque, semotis armis, erit ei strata via ad alloquendum heroa.

Nihil igitur suspicatus [1]) Neoptolemus aggreditur opus, non sine aliqua repugnantia. Ita huius adulescentis animo constituto potest Sophocles iam uti ad quos velit aestheticos effectus, non aliter. Dolum agit Neoptolemus, dum alio dolo ipse agitur.

At dum ita laborat, veniunt nuntia Ulixis; huius autem iussu Neoptolemus debebat attendere et sequi nuntia haec [2]), dicebantur enim ad ipsum; itaque etsi erat nuntius dolose locuturus aliqua, debebat etiam Neoptolemum docere aliqua. Cum autem dixisset, dum Heleni oracula referret, Philoctetem ipsum esse deducendum Troiam, id ad se dictum credidit Neoptolemus et omnino verum esse putavit. Ita Ulixis artes ipsum Ulixem implicabunt et constrictum tenebunt.

Nam cum habeat ille adulescens iam nunc pro certo Philoctetem fatis requiri ad diruenda Pergama, choro qui, cum hic heros somno corripitur, rogat eum ut fugiat abreptis armis, respondet inutile id esse, siquidem dii ipsum Philoctetem petant, et turpem esse gloriam de vano facto gloriari post tot labores (839—842).

Animum vero toto hoc tempore et porro usque ad v. 889 sqq.

---

1) Sive id tribuetur Sophocli laudi sive vituperationi, haec certe ignorantem fingit poeta puerum illum, sicut et alia multa in prologo (112—116).

2) 130, 131.

3) Cur haec nuntia mittat Ulixes si quaeramus, adiuncta sunt inspicienda. Abibant in portum iam Neoptolemus et Philoctetes in Graeciam navigaturi. Id Ulixes partim videt maxime opportunum, partim maxime timendum: quod navem conscendebant, id admodum utile; quod versus Graeciam navigarent, id omnino vitandum. Id igitur efficiendum, ut exeant quidem et cursum in Asiam vertant.

Ait ergo nuntius Ulixem et Diomedem venire ad asportandum Philoctetem; quorsum hoc? — ut hunc inducat ad navem conscendendam quamprimum. Addit Troiam ab ipso Philoctete capiendam; nempe sic Neoptolemus adducetur ut cursum non in Graeciam dirigat sed Troiam versus; sic fere per seipsum, nulloque Ulixis periculo, totam fere rem perficiet (simul etiam gloriola Philoctetes allicietur). Quem autem in finem fingitur Phoenicem et Theseidas persequi Neoptolemum? Ut Philoctetes facilius assentiatur, cum Neoptolemum videbit Troiam versus navigare volentem. Nec ipse igitur Philoctetes nec Neoptolemus debet Graeciam petere.

Digitized by Google

semper fixum habet adeundi *Troiam* decepto Philoctete, et tametsi videtur interdum velle in Graeciam cum hoc heroe navigare [1]), dolo id fingit, nec ulla animi mutatio fit ante illos quos dixi versus.

Reliqua sunt facillima. Cum enim Philoctetem, iam somno excusso, manu tenet, labantem sustinet, complexum comitatur (889—894), tunc demum titubare incipit, tunc nimium se crudelem existimat qui dolo sic malo innocentem heroa decipiat (adeo de adeunda Graecia nullum ei consilium), tunc denique seipsum accusat quod contra suam simplicem apertamque naturam iamdudum agat astute, fatetur suum propositum in *Asiam* navigandi, et aperte rogat Philoctetem ut et sui ipsius saluti consulere et Troiam cum Neoptolemo velit diruere (895—920). Id omnino esse faciendum nec arcum ullo modo restituendum.

At luget, clamat, lamentatur, desperat Philoctetes; victus est iam ingenuus adulescens, iamdudum secum ipse luctatur, cedit (haec illa conversio mentis Neoptolemi [2]) est, de qua scribit Aristoteles), porrigit Philocteti arma.

Tunc maxime: „O nequissime hominum, quid facis, non abibis traditis mihi istis armis?" clamat Ulixes qui subito in scaenam irruit; Ulixes igitur iam per seipsum rem aget. Nam etsi id quod per nuntium mercatorem machinatus fuerat, non prospere evenit, illud tamen quod a primis tragoediae versibus constituerat, assecutus est; armis enim Philoctetes est iam destitutus eumque hoc auxilio privatum adire non veretur: hortatur igitur, iubet, imperat, minatur, alligat Philoctetem ut

---

1) Cum postea eum revera poenitet et reddere vult arcum, fatetur se *assidue* dolose egisse, iam diutius non se posse ita pergere; nec erat quod eum poeniteret, si Philoctetem in Graeciam vellet neque in Asiam ducere. Cur igitur quasi conatur cum eo versus portum exire quasi iturus in patriam graecam? Sperat fortasse fore ut sive in via sive in navi persuadeat Philocteti de adeunda Troia, vel fortasse paratus est eum per vim rapere (cfr. v. 101) in graecorum circa Troiam castra, aut fidit artibus Ulixis qui quod ipse non potuit perficiat in portu ante iter. Non Graeciam eum petere satis clare indicant vv. 779, 780: „quo tandem cumque dii concesserint".

2) Arist. *Ethic. Nic.* 1146 (2, 7): *ἔσται τις σπουδαία ἀκρασία, οἷον ὁ Σοφοκλέους Νεοπτόλεμος ἐν τῷ Φιλοκτήτῃ· ἐπαινετὸς γὰρ οὐκ ἐμμένων οἷς ἐπείσθη ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως διὰ τὸ λυπεῖσθαι ψευδόμενος.* Cf. etiam 1151 (9, 4).

Digitized by Google

Troiam ire consentiat; frustra omnia; quo magis instat, magis irritat miserum heroa; tunc extremam ut eum deducat adhibet artem; ait dolose seipsum, Ulixem, gloriaturum esse illa gloria quae esset Philocteti destinata, sese illis armis Pergama destructurum; apprensoque Neoptolemo, exit de scaena; sed Philoctetes manet.

Dum hic chorum alloquitur ab eoque sive gladium sive securim, sive sagittas sive quidlibet aliud petit ut se interimat, tunc denuo Ulixes et Neoptolemus revertuntur et disputant; paenituit adulescentem sui astus, revertitur ut quae peccavit emendet, reddere vult Philocteti surrepta arma. Obsistit Ulixes, puerili metu minatur ille puero, minatur et hic ei, fugit turpiter strenuus ille atque invictus Ulixes.

Dulci igitur colloquio pergunt Neoptolemus et Philoctetes, et tandem aliquando dat ei arma eius dicitque; „porrige dextram et cape tua arma". Sed iterum Ulixes qui iamiam cuncta se perdidisse videt, erumpit clamatque: „ego vero veto, dii testes, pro Atridis proque toto exercitu". Tunc Philoctetes: „Fili, cuius vox, nonne Ulixis?" — cui Ulixes: „ita sane, et me praesentem vides qui te Troiam vi trahet, sive volet Neoptolemus sive nolet". — „Non me quidem, si haec sagitta bene dirigetur", haec ait, arcumque parare incipit; tunc Ulixes fuga denuo salutem petit.

Neoptolemus vero qui sibi iam devinctum amicitia tenet Philoctetem, laetantemque receptis armis videt, eum rogat et obsecratur ut tandem aliquando Troiam petendo et suam valetudinem recuperet, et gloriosum sibi nomen pariat. Negat ille fore ut ipse adducatur ut id faciat; malle se, ubi sit, manere. Neoptolemus tandem eum invitat ut iam in naves, tanquam in Graeciam profecturi, tendant.

Postremo supervenit Hercules! Cedit eius hortatibus heros: οὐκ ἀπιθήσω, ait, et omnes simul laeti iter ineunt ventis secundis.

III.

Haec quae dixi simplicia quidem sunt et valde plana; et tamen iam ea per seipsa totam tragoediam collustrant.

Ut enim ab illa difficultate ordiar quae ex oraculis petebatur,

Digitized by Google

iam ea nulla est, nec eget mea explicatione; Ulixes enim primum Neoptolemo, deinde mercator Philocteti Neoptolemoque ea dicit quae inter se repugnare videntur, quia alia alias quaerit; primum cupit Philoctetem arcu sagittisque privare, idque ut obtineat, Neoptolemo ait sola Philoctetis arma requiri; quia vero postea ipsum Philoctetem incitare vult ut Troiam versus naviget, ait illa arma ab eo esse ex oraculis tractanda ad quem pertineant. [1])

Adventus vero mercatoris ille non solum, quod multi dixere, inutilis non est, sed maxime exspectatus, omninoque necessarius; si enim vel paululum morabitur et tardabit [2]), tota Ulixis machina dilabetur et corruet, ut ipse chorus fatetur (510—518).

Nec eo solo sensu, quem dixi, est necessaria actioni mercatoris praesentia, sed maxime propter ea quae sequuntur in tragoedia; quod enim mercator dicit totam denuo fabulam connectit et implicat, ita ut ab ea scaena cunctae reliquae pendeant; illius enim nuntia et obstinatum renuentemque Philoctetem confirmabunt, et Neoptolemum deceptum impedient quominus correptis armis fugiat, et chorum impellunt ut miserias Philoctetis tam vivide describat, ut ipse Neoptolemus eius misertus arcum reddat ei cum sagittis.

Quoniam sese ipsa mihi dat, non omittam hanc occasionem adiungendi hic verbulum, quod pulchre, credo, declarat hanc tragoediam.

Cum ingressus Ulixes corripit Neoptolemum qui iamiam tradebat arma, conclamatque [3]): „o nequissime hominum" etc. — „Ei mihi, exclamat Philoctetes, quisnam est hic homo? nonne Ulixem audio?" — Cui Ulixes „Ulixem profecto, bene scito, me quem vides". Quo in loco neminem vidi qui explicuerit cur pergat Philoctetes [4]): „ei mihi, venii, perii, *hic* igitur erat qui mea arma corripuit meque spoliavit". Videlicet subito cuncta cognovit, cuncta intellegit, et confestim (1005—1015) totam tragoediam dolosque in ea Ulixis declarat. Unde ei tam subita notitia? an quod Ulixes apparuit? — At eius adventus

1) 610—613.
2) Navigare enim videbantur velle in Graeciam.
3) 974. 4) 978 sq.

Digitized by Google

fuerat paulo ante nuntiatus a mercatore, et solus adventus eum nihil docere potest.

Ratio haec est, nisi fallor. Videt hic Philoctetes eum qui hic appareat quique ut verus Ulixes ab eo agnoscatur, eundem esse qui de futura navigatione rettulerit, causaque fuerit tradendorum armorum in Neoptolemi manus, et hunc iuvenem videt ei consentire et eius astus participem esse, videt *Ulixem esse illum mercatorem simulatum* [1]), quo viso totus eius dolus est detectus et manifestus.

Non defuere qui iam mercatorem illum Ulixem dixerint [2]). Certe qui venit ut mercator non est ille speculator, σκοπός, quem praemisisse Ulixem [3]) intellegunt auctores versibus 125 et 128. Sed lepidissima amphibolia est eo loco usus Ulixes cum dixit:

ἐκπέμψω πάλιν
τοῦτον τὸν αὐτὸν ἄνδρα, ναυκλήρου τρόποις
μορφὴν δολώσας, ὡς ἂν ἀγνοία προσῇ.

Si quis negat hic Ulixem *seipsum* significare potuisse, legat O. T. 534, 815, 1018, et praesertim v. 236 ubi in re gravissima simillimo huic nostro ioco utitur Sophocles. Cf. etiam 449. [4])

Quod quidem fit manifestius ipsius mercatoris ancipiti loquela. Nam etsi candide malignus Neoptolemus quaerit „cur ipse Ulixes non *erat* paratus venire, num metu detinebatur"? multa

---

1) Venditum se credidit *mercatori*, Ulixi; ideo dicit: πέπραμαι, *venii*.

2) V. gr. WOODHOUSE, pg. 244, n. 11. AD. MÜLLER, *Aesth. Komm.* (prima editione tantum). In *Scyriis* etiam ut mercator videtur Ulixes descriptus fuisse a Sophocle.

3) Quorsum praeterea ἀγνοία procuranda si ille socius, non Ulixes, esset venturus? Ille qui vv. 574 sqq. ad aures Neoptolemi mussitat, idem est de quo in Ai. 149.

4) Versabatur hic sine dubio in auditorum et Sophoclis mente memoria illius iucundissimae orationis qua, in prologo euripidei Philoctetis, hortatur seipsum ad aliquid *audax* aggrediendum Ulixes metu plenus; quam orationem claudunt insignes illi versus quibus „hominem" ut „summe audacem" miratur:

οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ὡς ἀνὴρ ἔφυ·
τοὺς γὰρ περισσοὺς καί τι πράσσοντας πλέον
τιμῶμεν ἄνδρας τ' ἐν πόλει νομίζομεν.

Velim meminerit lector, si forte id nobis erit postea utile, primum versum ita in ridiculum verti ab AR. RAN. 282:

οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρόν ἐσθ' ὡς Ἡρακλῆς.

Digitized by Google

respondet alter quae spectatori iucundissimam ironiam suggerebant. Velut ex. gr. „Cum audivi nautas dicentes"...[1]) (i. e. chorum); „Cum ego e portu solvebam, exibat Ulixes, et cum eo Diomedes"; „Ad hunc virum duo illi viri *quos audis* Diomedes et violentus Ulixes navigarunt,....; et haec dicentem audierunt omnes Achivi Ulixem, ceteris enim audacior erat ad haec perpetranda"[2]). Contra Ulixem etiam locutus fuerat Ulixes in Euripidis tragoedia.

Actionem igitur nemo negaverit inesse in hac tragoedia (regredior enim iam eo post digressionem), et quidem pulcram, et omnibus virtutibus ornatam quibus debet fabulae actio esse praedita. Una perfectissima est totaque conexa et quasi in unum coacta dolis et machinatione Ulixis; nova etiam et varia ob illius infinitam astutiam et diligentiam. At quae conatuum artiumque gradatio! Primo enim, cum sunt omnia adiuncta ignota, rem per Neoptolemum tentat, deinde per seipsum sed personatum habitu mercatoris, tertio aperte iam, sed quia caret iam armis metuendus ille heros et Ulixi favet Neoptolemus, postea renuente Neoptolemo sed dum abest Philoctetes, tum etsi brevissime et quasi in fuga, armato Philoctete et obsistente Neoptolemo, quoad tandem aliquando exsurgit ille Hercules (quisquis tandem ille est), qui quod suadebant dudum illi nec obtinebant magnis pollicitationibus persuadet, evincitque ut in Troiam volens et laetus proficiscatur[3]) Philoctetes.

IV.

Si vera sunt ea quae hucusque exposui, Ulixes debet ita actioni adesse absens, ut noverit quae in scaena peragantur nec tamen ab actoribus conspiciatur. Id autem videtur inauditum. Ulixem occultum ita esse ut tamen actionem sequatur adeo

1) 548, 550.

2) 570, 571. 591—597. cfr. etiam 606—609, 628—636, et alia multa. Nescio quid me movet ut credam eum qui cum Ulixe est (542), nullum alium esse quam Diomedem (590, 592), quem Sophocles etiam socium fecerit Ulixes, ut Aeschylus, Euripides et antiqua epopoeia; tacitum tamen, ut est tacita seu muta persona in Euripidea *Electra* Pylades, qui in Choephoris sermone donatur.

3) De constantia characterum nihil hic dicam cum sit evidens, maxime in Neoptolemo; de Ulixe quamque ipse sibi cohaereat et sit constans, nimis iam fortasse multa sum locutus; de choro mox sum dicturus.

Digitized by Google

certum est, ut non solum in hac quam propono expositione sed in antiqua etiam fuerit necessarium. Quamquam refugiunt auctores de hac re aperte loqui, veriti sine dubio ne labefactetur sacra illa et severissima imago quam de graeca tragoedia habent in mente, neve „sculpturalem" illam quam vocant simplicitatem ornatus in scaena dionysiaci theatri pessundent. Nos rebus potius quam opinionibus insistamus. [1])

Alia coniectura percipere possumus, alia ex vestigiis quae occultum Ulixem etiam nolentem produnt. Illud enim coniectura: mittit Neoptolemum in scaenam et ait alia sibi postea suggerenda fore per nautam nuntium, quem sit missurus; ea ut sequatur omnino. Iam vero, si non esset ipse Ulixes actionem conspecturus, aut saltem quid de Neoptolemo et Philoctete fieret agniturus, cur iam non dicebat quae postea erat dicturus? quid postea noverit quod adhuc ignoret? quis autem est eum docturus, cum nemo toto eo tempore de scaena secedat?

Multo vero magis certum id facit, quod primo v. 974, deinde v. 1293 subito erumpit in scaenam Ulixes, utroque autem loco ita quae aguntur quaeque dicuntur novit, ut venerit ad impediendum idipsum quod tunc fieret; ita videt Neoptolemum tradentem iamiam arma Philocteti, ut clamet priore loco: „O iniquissime, quid agis? quin retro cedis, relicto mihi hoc arcu?" et altero loco: „Ego vero veto, dii testes", et cetera. Quodque est maxime mirum, non solum opportune insilit, sed ne dissimulat quidem. Nam omnes aliae, quotquot sunt, personae in tragoediis Sophoclis quas habemus, semper ignorant quae in scaena, dum absunt, acta sunt, nisi edoctae sunt ab aliquo ex actoribus. Id quisque aperto libro comprobare potest. [2])

1) Revera verba illa ARISTOTELIS (*A. P.* 1449, 4, 10) quod Sophocles *inventor scaenographiae* fuit, aliquem sensum debent habere: *τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς.*

2) Duae sunt exceptiones quae hanc rem maximopere confirmant (de v. 883 iam dixi supra): paedagogi in *Electra* (v. 1326 sqq.) quem audisse patet quae ab ipsa et Oreste in scaena dicta sunt, et Eurydices in *Antigona*, quae de morte filii aliqua novisse perhibetur (1183 sqq.). Sed animadverte quam pulcre ante spectatores sese defendant, ille quidem confitendo se illic toto eo tempore delituisse ut eorum saluti consuleret, illic se audisse quae dicerent; haec autem dicendo suis auribus, cum accederet portamque aperiret, incidisse nescio quid de filio, reliqua vero exanimatam se non potuisse liquide audire. Dixi antea de *Oedipi Colonei* singulari scaenae fictione. De Aiacis exodo nondum sum locutus.

Digitized by Google

Quia igitur latebat Ulixes, apparuit tam opportunus nuntius, ut dixi.

Quoniam vero Philoctetem et Neoptolemum fallere hoc dolo volebat, eis autem praesentibus est Ulixes semper locutus, nulli actorum potuit aperte hanc rem dicere Ulixes; quamquam ne necesse quidem erat quidquam huiusmodi significari spectatoribus atheniensibus, ut dicam modo.

Facit tamen Sophocles, qui eius est mos, ut tacite id omnes nobis actores proclament per amphiboliam seu duplicem sermonem.

Ut id quod apertissimum mihi videtur dicam prius, v. 1007 sqq. Philoctetem haec Ulixi dicentem facit: „O tu qui nihil umquam sanum, nihil honestum meditaris, quomodo me circumvenisti fraude! quomodo me es venatus! portendendo veluti scutum ante te hunc puerum, ignotum mihi, te quidem indignum, me autem dignissimum, qui nihil noverat nisi mandata facere; plane id quidem nunc apparet cum deflet et quod ipse erravit et quod ego sum passus [1]);

ἀλλ' ἡ κακὴ σὴ διὰ μυχῶν βλέπουσ' ἀεὶ
ψυχή νιν ἀφυᾶ τ' ὄντα κοὐ θέλονθ' ὅμως
εὖ προὐδίδαξεν ἐν κακοῖς εἶναι σοφόν.

„Sed tua iniqua mens semper *de cuniculis* prospectans edocuit eum, contra eius naturam et voluntatem, sese in malis exhibere callidum". Quibus Philoctetis inscii verbis vides totam tragoediae huius fabulam contineri, nec minus quam paenitentiam Neoptolemi, latebras Ulixis significari.

Habuit etiam iucundissimam voluptatem spectatoribus ille versus quo ipse Philoctetes dum portum, dum promunturium, dum aves, dum praerupta saxa alloquitur, addit:

ὑμῖν τάδ', οὐ γὰρ ἄλλον οἶδ' ὅτῳ λέγω

quod vertitur: „ignoro enim alium cui haec dicam" (938), sed aptissime etiam verti potest: „ignoro enim alium, cui haec *dico*".

Nec solum Philoctetes. Ulixes ipse dixerat (124) Neoptolemo in prologo: ego vero abeo μὴ κατοπτευθῶ παρών, „ne videar praesens". Multa sunt his similia v. gr. vv. 371, 379, 429, 607 aliis.

1) 1013—1015.

Digitized by Google

Sed si alia requiritur ratio gravior et confirmatio, ut videatur qui hanc rem intellexerint Athenienses spectatores, exstant multae huius scaenae imagines pictae ex antiquissima vetustate conservatae; in his autem quod dico apertissime apparet.

Age exempli causa apponam hic lucernam [1]) quae in Musaeo Britannico servatur, ubi occultatio Ulixis rimantis est certissima. Si non omnis Sophoclea scaena [2]), saltem Ulixis latibula aperte in ea significantur. [3])

V.

Crediderit fortasse quispiam, ad hanc novam interpretationem quam de hac fabula propono, multas requiri in scaena exstruc-

1) Sumpsi hanc photographiam permissione cl. v. H. B. Walters M. A. F. S. A. Cf. eius opus „*Catalogue of the Greek and Roman Lamps in the British Museum*, fig. 321 n° 1380 pg. 207, 208: „This seems to be a unique treatment of the subject, with an element of burlesque, such as is seen in the British Museum Dolon Vase (*Cat.* F. 157). Cf. generally the opening scenes of Sophocles' Philoctetes".

2) Robert, *Die antiken Sarkophagreliefs* II, 149 putat eum iuvenem qui arma surripit esse Diomedem, Milani Neoptolemum.

3) Cf. *Il mito di Filottete nella Letteratura classica e nell' arte figurata*, Studio monografico di Luigi Adriano Milani, Firenze 1879. Undecim in hoc libro picturae sunt de revocando Philoctete, a 38*a* ad 49*a*. — Haec omnia multo

Digitized by Google

tiones, quas aegre illa simplicitas theatri atheniensis patiatur. Nihil minus verum. Illa ipsa quae in antiqua interpretatione requirebantur, abunde sufficiunt; nisi quod iam multo simpliciore modo minoreque rerum personarumque mutatione cuncta peraguntur. [1])

Iam in primis tragoediae huius verbis constat eo loco ubi primo stant Neoptolemus et Ulixes, iuxta orchestram et in eius planitie, littus significari sive oram maritimam [2]). Deinde sermo est de antro quodam, quod iterum et saepius, et revera importune, repetit Sophocles esse *distomum* sive duas portas habere; id maxime in mente spectatorum inhaerere vult poeta [3]). Eo loco Philoctetes habitare dicitur, tametsi nunc domo abest.

Hoc autem antrum altius est quam littus collocatum [4]) viaque quadam cum illo coniunctum; ea Neoptolemus iussu Ulixis ascendit [5]); est ante antrum aequata planities qua tres quattuorve homines facile consistunt et versantur [6]). Illud vero praecipue non ignorandum: clivus ille inter littus et planitiem antri ita est praeruptus et abscissus, ut et difficilis sit ascensus et de planitie antrove ora ipsa non videatur, nisi quis prospectet; in littore enim stans Ulixes dicit Neoptolemo: „vide ubi sit illic antrum quoddam, ita comparatum duplici

---

clariora fiunt, si considerantur chori verba; illa enim haec illustrant sicut ab his illustrantur, quae est ratio cur de his tam fuse dicam antequam chori personam investigo.

1) Ut id clarius pateﬁat, sequar in loci descriptione optimam commentationem quam anno 1912 edidit in „*Journal of Hellenic Studies*" W. H. Woodhouse: *The scenic arrangement of the Philoctetes of Sophocles* (pgs. 239—249); quem eo sequor securius quo video fere in omnibus consentire cum L. Bolle, *Die Bühne des Sophokles*. Diss. Wismar 1902; quem tamen non legisse videtur (cf. pg. 439); consentit cum eis James Turner Allen, *The Greek Theatre of the fifth century before Christ*, California 1919, pgs. 49, 50. Consulas etiam Margaretam Bieber, *Die Denkmäler zum Theatrumwesen im Altertum* 1920, pg. 8, ubi dicit ornatum huius tragoediae, quod ad scaenam spectat, esse frequentem in dramatis satyricis, et eundem atque in Indagatoribus Sophoclis et in Cyclope Euripidis. Aug. Frickenhaus, *Die Altgriechische Bühne*, Strassburg 1917, pg. 13: „Während des ganzen Stückes bleibt das Ekkyklema mit der etwas erhöhten *distomos petra* aussen. An weitere Dekoration glaube ich nicht. Herakles erscheint auf dem Theologeion" (v. 1409).

2) 1. 3) 16, 17, 159.

4) 20, 1002, 27, 1000.

5) 16—26. 6) 1003.

Digitized by Google

ingressu ut hieme utraque sedes solem excipiat [1]), aestate vero apertum utrinque antrum aura permeans somnos cieat". [2]) Eo dum ascendit Neoptolemus, ait: „rem quaeris, Ulixe, quae in promptu est; videor enim mihi speluncam quam dicis prospicere". Ulixes eam e loco ubi est videre non potest, ideo interrogat: „suprane an infra"? — „Istic supra". [3])

Quae sequuntur figuram specus illius demonstrant, tametsi iam eam prius descripsit Sophocles vv. 16—19. „Vide, ait de littore Ulixes, ne somnum capiat intra specum". Tunc Neoptolemus pervenit in os speluncae et respondet: „vacua est omnino habitatio, nec ullus in ea mortalis". — „Nullusne in ea apparatus domesticae habitationis"? — Cui Neoptolemus iam ingressus: „foliis stratum cubile quoddam, ut paratum ad aliquem incolam". — „Nihilne praeterea, nihilne [4]) sub tecto"? — „Poculum certe ligneum, rudis artis opus..., et hic etiam igniarium". — Tunc Ulixes: „quam dicis, supellex illius est viri".

Ἰού, ἰού· καὶ ταῦτά γ' ἄλλα θάλπεται
ῥάκη, βαρείας του νοσηλείας πλέα·

„Eheu, eheu, hice siccantur laceri quidam panni, foeda quadam sanie pleni". [5]) Ut bene hic argumentatur Woodhouse, hi ad solem suspensi panni, quos videt Neoptolemus, non sunt, ut Jebb credidit, in eo latere clivi quod prospicit mare (vidisset enim eos prius Neoptolemus quam omnia reliqua quae hucusque descripsit), sed ulterius progressus est in antro [6]), pervenitque in alteram eius portam, sive in alterum locum ubi modo dixit Sophocles Philoctetem solitum hieme ad solem sedere (ἐν ψύχει μὲν ἡλίου διπλῆ πάρεστιν ἐνθάκησις, 17), in illam portam (ἀμφιτρῆτος αὐλίου 19), qua in aestate aëris flatus ad alteram permeant (ἐν θέρει... πνοή, 18); duplex igitur certo a Sophocle describitur porta: altera in fronte, quae mare prospectat; ea est ingressus Neoptolemus; altera quae agros camposque insulae Lemni prospicit, in quam nunc ille pervenit.

---

1) „Speluncam perviam dicit, patentem et orienti et occidenti soli" Benloew.
2) 16—19. 3) 29.
4) Scil. arma.
5) 32—39.
6) „At this moment Neoptolemus, having disappeared within the tunnel or cave, is passing quite through it to its landward end". Woodhouse, pg. 241.

Digitized by Google

His praestitutis sic motus personarum explico. [1])

Ulixes ubi comperit ex his quae supra rettuli Philoctetem et illic habitare et non longe abesse ab eo loco, ascendere quidem constituit, sed, ut est prudens, rogat Neoptolemum ut speculatorem collocet „ne subito appareat meque corripiat". [2]) Simul ac ille positus est in porta quae respicit insulam (nam alterum latus ipse totum videt) ascendit; versum 50 iam ante portam dicit; illic colloquitur cum Neoptolemo, ei v. 123 valedicit, descenditque cum socio speculatore, et abit „in navem", „ne conspiciatur praesens". Finge illum manere illic „in ora maris" quam iam dixi non conspici ex antro, saltem si quis praerupto saxo adhaereat. [3])

Chorus cum Neoptolemo loquitur simul ac loqui incipit.

V. 219 ingreditur Philoctetes. Hic maxime apparet cur Sophocles eam δίστομον cavernam finxerit; si ordinaria via ille veniret, ridicule claudicans, totam tragoediae gravitatem pessumdaret; per antrum venit, ita fit ut ante spectatores vix duos tresve gressus faciat, eosque e regione [4]). Longe aliter fecit idem poeta in Oedipo Coloneo, ubi nullum erat huiusmodi periculum!

Toto eo tempore a versu 218 ad 537 Philoctetes et Neoptolemus colloquuntur supra ante antrum; ideo tam pauca intercinit chorus: cumque iam abituri et a Philoctete invitati ingressuri sunt in antrum ut ei valedicant, venit Ulixes personatus [5]); venit autem a littore, id est, stat in inferiore parte; etsi, credo, deinde ascendit atque multum in eadem

---

1) In motibus describendis discedo a Woodhouse, qui nimia, nisi fallor, itinera fingit; multoque magis a Bolle, qui ea mirum in modum multiplicat.

2) 46.

3) Woodhouse sumit Ulixem non ascendisse, sed Neoptolemum descendisse inde a v. 45; non credo ita esse. Durius etiam est quod censet totum illud colloquium inter Phil. et Neopt. 220—533 clamoribus habitum esse inter distantes, neque ante incepisse ascendere N., quam fuerit invitatus a Philoctete, id est, v. 533. Sed illa invitatio non eo spectat ut ascendat sed ut ingrediatur; nec chorus eos ascendentes interpellat sed ingredientes (ἑῖσιτον 541).

4) Ita etiam putant Woodhouse et Turner Allen. At Bolle eum per parodum ingredientem et paulatim ascendentem facit; minus decorum id quidem, et praeterea in tota hac tragoedia, credo, sumitur ab actoribus nullam viam esse ante, qua debilis Philoctetes possit ascendere; hinc illa hoc loco Ulixis securitas a metu.

5) 542.

Digitized by Google

cum eis planitie colloquitur. Cum, eo abeunte, Neoptolemus et Philoctetes accedunt in cavum, incipit canticum chorus [1]). Versu 729 iam id absolutum est et illi duo extra cavernam sunt; si ingressi eam sunt, iam reverterunt.

Inter vv. 730—961 utrumque et descendisse et post somnum ascendisse credit Woodhouse; ego eos hoc toto spatio temporis illic manere et vix in ipsa planitie moveri puto. [2])

Versu 974, dum uterque iuxta antrum est, insilit Ulixes, credo in inferiore planitie, dumque ascendit clamans (v. 974, 977) agnoscitur a Philoctete, primo voce, deinde visu et eius confessione. Post brevem disceptationem Neoptolemus et Ulixes descendunt (1065, 1068) et abeunt (1079).

Manet igitur solus Philoctetes et eo quidem loco ubi erat, ante antrum. Sequitur ille commos Philoctetis cum choro qui, notatu dignum, per totam tragoediam non loquitur fere, nisi cum his qui in superiore contignatione versantur. [3])

In fine commi (1217) et Philoctetes ingreditur cavernam (ἔτ' οὐδέν εἰμι) et Ulixes cum Neoptolemo inferiorem oram. Non enim aliter, nisi personae ita distribuantur, effici potest ut a v. 1222 ad 1259 acriter disputent et reclament illi duo nec tamen audiantur a Philoctete. Nec ante quam, dimisso Ulixe, evocatur a Neoptolemo conscendente clivum, agnoscit Philoctetes aliquem strepitum iuxta cavernam fieri (1263).

---

1) 676.

2) Quod ut sentiam, haec me movent: 1. Vitanda quam maxime cuncta itinera quae non sint omnino necessaria in claudo Philoctete, maxime vero ascensus per arduam illam semitam. — 2. V. 817, Neoptolemus veretur ne se Philoctetes praecipitem det et occidat. — 3. Identidem Neoptolemus cognoscit, quando dormiat aut vigilet Philoctetes, ignorat chorus; quod fieri vix posset si omnes in eadem ima planitie essent (822, 839, 865). — 4. Scaena de somno non solum non requirit ut sit in inferiore, sed ostendit esse in superiore parte; nam primo quidem chorus clamat, quia longe est a Philoctete; clamantem vero Neoptolemum rogat ne elata voce neve multa loquatur; verum enim est magis posse turbari dormientem Philoctetem vocibus vicini Neoptolemi quam cantibus longe distantis chori (ita etiam fit ut non sit praesentia chori tam funesta tragoediae graecae, quod ad haec attinet, quam dicit T. ALLEN op. laud. pg. 133 sqq.). — 5. Incredibile est eum v. 952 ascendere, nam cum maledictis omnibus lacessat Neoptolemum, non putandus est eius amplexu adiuvari; solus autem si ascenderet, et arduum et subridiculum esset.

3) Hunc commum facit BOLLE Philoctetem canentem dum semita ingreditur; est iam eius tertius ascensus.

Digitized by Google

Dum inter se colloquuntur supra et Neoptolemus tradit ei sua arma, exsurgit in littore Ulixes, quem solum cum videat aptissimumque telis scopum positum, aggredi vult sagittis Philoctetes. Fugit ille.

Inter v. 1402 et 1408 descendit Philoctetes innixus Neoptolemo ab eoque adiutus; hoc est solum iter Philoctetis ad littus in tota tragoedia, nisi male conieci; ita Sophocles unum solum iter finxit, idque descendentis, quodque praecipuum est, in socii complexum incumbentis.

Vix in littus appulerunt, cum apparet ille, non deus ex machina qualem vult BOLLE, sed deus ex antro, ut optime ait WOODHOUSE et cum eo alii v. gr. T. ALLEN.

VI.

Tempus est iam ut de choro loquar, quamquam et ea ipsa quae adhuc disputavi, de choro dicebantur; siquidem huius in tragoedia verba, si ab scaena totoque opere seiunguntur separatimque considerantur, omni non modo venustate sed etiam sensu spoliantur; ut nulla ratione in eis, quod accidit in aliis choris, invenias „disiecti membra poetae". Ob eam ipsam causam elapsum, credo, tempus recuperabimus, nam haec rerum personarumque distributio facilem omnino reddit reliquam interpretationem.

Ut breviter multa complectar, chorus eodem in errore de armis versatur ac Neoptolemus [1]), sed non credit verbis mercatoris, toto igitur tempore putat sola arma Philoctetis esse necessaria. Ita, credo, omnia eius dicta inter se cohaerent.

* * *

Cuius partes hic chorus sequatur, ipsa eius prima verba dicunt:

---

1) Quapropter crediderim ego cum AD. MÜLLER eum iam in scaena versari ab initio et audisse quae Ulixes et Neoptolemus sunt in prologo collocuti, eisque puto fuisse deceptum. Ita etiam bene explicatur, cur non adsit vera parodos huic tragoediae. Praeterea incipit sermones suos appellando Philoctetem *ὑπόπτην*, quod difficile intellegitur qui fieri possit, nisi sciat eum abesse. Postremo si Ulixes est ingressus cavernam herois, chorus debuit iam in theatro esse, ne id vacuum omnino relinqueretur.

Digitized by Google

Τί χρή, τί χρή με, δέσποτ' ἐν ξένᾳ ξένον
στέγειν ἢ τί λέγειν πρὸς ἄνδρ' ὑπόπταν;
φράζε μοι. τέχνα γὰρ
τέχνας ἑτέρας προὔχει
καὶ γνώμα, παρ' ὅτῳ τὸ θεῖον
Διὸς σκῆπτρον ἀνάσσεται·
σὲ δ', ὦ τέκνον, τόδ' ἐλήλυθεν
πᾶν κράτος ὠγύγιον· τό μοι ἔννεπε,
τί σοι χρεὼν ὑπουργεῖν.

Sufficit recordari quae dixi de loci natura et Ulixis latibulis vel imaginem aspicere quam supra rettuli, ut intellegatur quisnam ille ἀνὴρ ὑπόπτης sit et cur verbo ὑπόπτης pro ὕποπτος sit usus chorus. Iocatur enim ea voce. Vult ut significet et suspicacem (Philoctetem) et suspicientem Ulixem, quem chorus ante oculos habet; id enim hoc verbo posse significari nemo negabit qui noverit illa similia verba: πανόπτης, κατόπτης, διόπτης [1]); respondet autem illi verbo, quo est usus Ulixes cum abibat: „abeo in navem, μὴ κατοπτευθῶ παρών· nam κατοπτεύω et ὑπόπτης sibi respondent mutuo, sicut *sus*picere et *de*spicere.

Etiam sine dubio iam clarum est quid cogitet chorus cum dicit aliam ab alia sapientia, vel potius alium ab alio dolo superari; iam enim saepe dixi binos in hac tragoedia complicari dolos, alterum cuius sit victima Philoctetes, alterum quo ipse Neoptolemus irretiatur.

Clarescunt, credo, reliqui versus, si conferuntur cum Il. IX, 37—39, ubi ait Diomedes Agamemnoni eum sceptrum quidem a Iove accepisse,

σκήπτρῳ μέν σοι δῶκε τετιμῆσθαι περὶ πάντων,

fortitudinem vero non accepisse,

ἀλκὴν δ' οὔ τοι δῶκεν, ὅ τε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Neoptolemus vero πᾶν κράτος accepit [2]), ait chorus, id est, audaciam summam ostendit. Ita igitur locum vertamus:

„Quid debeo, quid debeo, ere mi, peregrinus in peregrino

1) Cf. Arist. *Ach.* 435: ὦ Ζεῦ, διόπτα καὶ κατόπτα πανταχῇ. Cf. *O. C.* 1085. Iocum huic similem facit Soph. in *Ai.* 104: Ὀδυσσέα τὸν σὸν ἐνστάτην λέγω.

2) Non igitur mutarim πᾶν κράτος in παγκρατές, ut vult Schenkel; citius obstiterim verbo ἀνάσσεται.

Digitized by Google

loco celare, quid dicere viro suspic[-ienti]-aci? dic mihi. Aliis enim artibus aliae artes superantur, et opinio illius, penes quem sceptrum Iovis agitatur. In te vero virtus haec venit integra ab ultimis avis. Quare dic age mihi, ut tibi debeam servire".

Respondet Neoptolemus id esse munus chori, ut ipsi in omnibus suffragetur quae ipse faciet, cum veniet ille singularis ὀδίτης ex illo antro, τῶνδ' ἐκ μελάθρων [1]); ita enim constituta scaena est, ut non nisi illac eum posse venire omnes putent. Non sine ironia respondet chorus: „dudum iam, dudum id negotii gero invigilare praesertim tuo καιρῷ"; nempe id munus etiam ab Ulixe acceperat; ob hanc ipsam causam illo σῷ καιρῷ utitur, quae est valde rara locutio, huic autem loco ob duplicem sensum valde apta.

„Nunc dic mihi cuiusmodi (ποίας) sedes habitet [2]) et quo nunc sit loco: id enim me doceri non est importunum, ne subito irruat et nesciam unde venerit" [3]); ita Sophocles exspectationem auditorum excitat, ut novam viam theatrum ingrediendi per illam cavernam suspicentur. Repetit ob hanc rationem descriptionem loci Neoptolemus: „domum quidem hanc ἀμφίθυρον· [4]) — „Ubi vero est nunc", quaerit chorus? cumque respondeat Neoptolemus: illic prope debere sine dubio esse (στίβον ὀγμεύει τόνδε πέλας που), et certo valde dignum esse miseratione, qui debeat ita venari victum...", chorus iam incipit ὑπουργεῖν [5]), seu τὸ παρὸν θεραπεύειν, ut iussus fuerat [6]); hic enim distropha β΄ amplificat et exornat id ipsum quod dictum est modo a Neoptolemo.

Dum ei respondet adulescens, audit chorus clamores Philoctetis vel eiulatus e longinquo venientis. Quaesieris qui possit ipse ante quam Neoptolemus ea percipere. Ratio facilis est: cum Neoptolemus non stet in ore ipso antri, sed aliquantulum remotus in latus, nihil mirum si voces emissae per illum canalem ἀμφίθυρον antri quatiunt prius (βάλλει, βάλλει) aures chori, qui tamen initio dubitat unde tandem veniant (ἦ που

1) Jebb mutat ἐκ in οὐκ 147.
2) Est enim Neoptolemus iuxta antrum quod et ante inspexit et nunc videt.
3) 153 sqq. 4) 159.
5) 143. 6) 149.

Digitized by Google

τῇδ' ἢ τῇδε τόπων); vult enim etiam hic poeta in antrum intentos facere spectatores.

Sicut iam antequam venerat Philoctetes coeperant, ita nunc pergunt suffragari actioni et servire Neoptolemo. Ita v. 317 non sine ironia:

ἔοικα κἀγὼ τοῖς ἀφιγμένοις ἴσα
ξένοις ἐποικτίρειν σε, Ποίαντος τέκνον.

Maior inest etiam simulatio illis quae proxima dicit, postquam Neoptolemus locutus est contra Atridas: ὀρεστέρα πάμβωτι Γᾷ [1]), quo loco, ut sapienter notant Schneidewin, Blaydes alii, ficte invocant deos vindices iniuriarum, quas in Neoptolemum et Philoctetem commiserunt Atridae, et praecipue deam Terram, quae colebatur eo ipso loco ubi fuerat iniuria facta; his animum Philoctetis sibi et Neoptolemo devincire cupiunt.

Simili consilio dicta sunt quae consequuntur [2]); quoniam antea Neoptolemus est criminatus Atridas et nunc Philoctetes lamentatus est quae ab eis est passus, confirmat ambo chorus: „Miserere, o rex; multarum intolerabilium aerumnarum conflictus dixit, quales nullus meorum amicorum sortiatur umquam. Si vero odio tibi sunt crudeles Atridae, ego illorum iniurias in huius lucrum converterim..., et hunc reduxerim domum celeri instructaque navi, fugiens iram deorum".

Toto hoc loco chorus omnino consentit Neoptolemo cumque videat hunc fingentem se proficisci Graeciam versus, Philoctetem vero vehementissime supplicantem ut se socium admittat, id vult chorus quod vult Neoptolemus, scilicet in navem eum deferre, ut deinde vel invitum deducat Troiam.

Nec tamen inutilis dicendus est chorus; nam Sophocles per haec eius verba facit ut spectatores credant hac se ratione soluturum difficultatem [3]). Pari modo postea finget et chorum et Ulixem tentantes viam qua Euripides rem expedierat; scil. post arrepta arma, partim hortatu, partim quia arma ibant Troiam, ipse etiam pergebat. Nam constat in Euripidis tragoedia eum cessisse πειθοῖ ἀναγκαίᾳ, ἐπειδὴ τῶν ὅπλων ἐστέρητο,

1) 391 sqq.
2) 508 sqq.
3) Haec fortasse erat via qua rem peregerat Aeschylus.

Digitized by Google

ἃ τοῦτο μὲν βίον αὐτῷ παρεῖχεν ἐν τῇ νήσῳ, τοῦτο δὲ θάρρος ἐν τῇ τοιαύτῃ νόσῳ, ἅμα δὲ εὔκλειαν.[1])

Ne verbum quidem chorus, dum Ulixes mercator rem agit. Postquam ipse recessit, versus canit 676—729.

676—729. In hoc stasimo quod in hac tragoedia unum est non facile dictu est utrum serio an ficte commoveatur chorus. Describit Philoctetis dolores ut vere dolens, nuper autem consilia ita excogitabat et patrabat ut esset dignus Ulixis minister; quodque est etiam magis mirandum, cito nec longo intervallo, simul ac videbit dormientem Philoctetem, hortabitur et urgebit Neoptolemum ut correptis sagittis fugiat derelinquatque Philoctetem in ea solitudine deserta; pauloque post causam Ulixis ita defendet, seseque ita purgabit, ut adduci non possim ut credam eum nunc serio esse commotum. Adiuvat igitur hic etiam consilia Ulixis: quocumque tandem animo id agit, vult ut ingrediatur navem Philoctetes; cetera di dabunt.

Maiorem locum praebet commentariis commus ille[2]) inter Neoptolemum et chorum, cum Philoctetem doloribus defessum somnus occupat:

Ὕπν' ὀδύνας ἀδαής, ὕπνε δ' ἀλγέων.

„Somne ignare dolorum, somne poenarum, placidus nobis adveneris, εὐαίων, εὐαίων, o rex,

ὄμμασι δ' ἀντίσχοις
τάνδ' αἴγλαν, ἃ τέταται τανῦν,

„serva ob oculos eius hanc αἴγλαν quae extenta nunc est"[3]). „Veni, veni, fer salutem". Num toto hoc loco chorus aliquid dicat Ulixi, non ego decreverim. Iam ad Neoptolemum: ὦ τέκνον, „tu vero, fili, vide ubi sis constiturus, quo iam postea

1) Dio Chrysost. *or.* 52.

2) 827—864.

3) Somnus non potest esse illa αἴγλα, nam lux et somnus contraria potius videntur (cf. v. 867); nec licet somnum (cum Jebb) pro *somnio* habere nec est ulla hic mentio somniorum Philoctetis; mutare autem verbum in ἀμπίσχοις, et αἴγλαν intellegere „vittam" durius est, et debili auctoritate nititur. Radermacher: „vultui (dormientis) autem integram serves hanc serenitatem"; omnes hae interpretationes sumunt hic aliquid *pro* Philoctete dici a choro, sed chorum toto hoc loco de eo fallendo et relinquendo agere manifestum est. Cf. quae de imaginibus a Sophocle *de luce* sumptis disputat pg. 4—6. P. Rödström (*De imaginibus Sophoclis a rerum natura sumptis*, Holmiae 1883); generatim res faustas significant.

Digitized by Google

tua consilia vertas; *opportunitas*, omnium rerum dominatrix, celeritate summas victorias obtinet".

Praeter exspectationem acciderat choro ut Philoctetes somno corriperetur et putavit optimam hanc occasionem, relicto eo, abeundi; arma enim sola sufficere credebat; itaque urget Neoptolemum et spectatores dubii fiunt de eventu tragoediae.

In hunc finem Sophocles fingit chorum ita deceptum ab Ulixe ut credat sola arma Philoctetis peti ad Troiae excidium; huic enim errori uno tenore in hac tragoedia obnoxii sunt; vigebat sic spectatoribus continua memoria euripideae tragoediae.

Sed verbis Ulixis mercatoris deceptus renuit Neoptolemus; deum ait dixisse Philoctetem ipsum Troiae requiri. Cui „haec, inquit chorus, deus providebit; quae vero mihi vicissim respondebis, tenuem mihi, tenuem emitte verborum vocem" (timet scil. ne expergefiat Philoctetes).

ὡς πάντων ἐν νόσῳ εὐδρακὴς
ὕπνος ἄυπνος λεύσσειν.

Difficilis est et nondum facta huius loci versio.

„Sed quod poteris optimum, id mihi vide ut perficias secreto";

οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι,
εἰ ταὐτὰν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις
μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη.

Lego ὅν [1]) quod optimi codd. habent et in ipso L. supra additum est; ταὐτὰν etiam, quale est in L; verto vero: „scis quem alloquor, si eandem quam hic mentem habes", etc. Αὐδῶμαι enim est *alloquor*; ὅν personam distinctam denotat a τούτῳ, quapropter non dubito quin saltem hi versus ad Ulixem dicantur.

---

1) Vide apud Jebb innumeras mutationes huius loci a commentatoribus factas; alii mutant ὅν in ἄν „scis quam dicam, si sententiam eandem..."; alii in ὧν, „scis de quibus rebus loquar", vel ὧν = τόξων „de quibus armis dicam"; alii in ὧν masculinum (scil. Philoctetem (!) denotat); aut tribuunt verbo αὐδῶμαι sensum passivum, „scis quorum dicar esse"; vel aliter membra separant: „scis enim; de quibus loquor, si..", non recensui omnes sententias. Ipsi qui ὃν legunt, Ulixem alii, alii Philoctetem dicunt; de τούτῳ vero addit Brunck, „quis nisi fungus sit, dubitare queat, an ὃν et τούτῳ ad eandem personam referantur"?

Si ὃν retinetur, aut addendum erit γ', quod iam Brunck fecerat, aut v. 836 legendum μένομεν pro μενοῦμεν.

Digitized by Google

μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη „mala quidem adsunt prudentibus inextricabilia". [1])

Epistr. „Flat aura, fili, flat aura secunda, virque et luce captus et auxilio destitutus iacet nocte sopitus" ἀλεὴς ὕπνος ἐσθλός [2]). Vocem ἀλεής, quae hoc tantum loco exstat, conectunt commentatores cum verbis ἀλεεινός, apricus, calidus, ἀλέη, calor, et nulla hucusque reperta est bona huius loci translatio. Siquidem est hapax legomenon, liceat nobis, quandiu aliud quid non nos prohibeat, affine hoc verbum putare vocibus ἀλέη, fuga, ἀλέομαι, fugio, ἀλεώρη, fuga, ἄλη, vagatio (Soph. fr. 693) aliis; toto enim hoc loco de fuga ineunda agitur. In hac tamen versione, etsi libentius ei indulgeo quam ceteris, non penitus acquiesco.

Facilius est distichum quod consequitur „non manuum, non pedum, non ullius rei compos, sed sicut qui morte iacet stratus". Ὅρα, βλέπ' εἰ, vide, dispice ut opportuna dicas; quantum ego mente capio [3]), laborum, qui metum non parit, ille est optimus. Etiam igitur atque etiam chorus repetit opportunitatem hanc capiendam esse, id nunc, dormiente Philoctete, esse facillimum; sicut ante dixit, si aliter fiat, grave periculum creari.

Quibus Neoptolemus videns expergiscentem Philoctetem: „tacere te iubeo, inquit, nec mente delirare; movet enim hic vir oculos et erigit caput". Primum Philoctetis verbum sufficeret ad refellendam opinionem eorum qui dicunt αἴγλαν v. 831 significare somnum, nam φέγγος hic contrariam rem notat, vigiliam.

Longo illo colloquio et disceptatione aperit tandem Neoptolemus suum consilium abeundi *Troiam* inducendique Philoctetem ut id velit. Sed cum ira percitus renuat et maxime tristia dicat, tam tristia ut Neoptolemi animus commoveatur et titubare incipiat, ut ipse fatetur (965 sq.), chorus qui veretur ne iam cuncta perturbentur et dilabantur, interponit hoc

---

1) Ita verti solet; si πυκινοῖς esset verbum, simplex esset versio: „gravissima pericula multiplicas".

2) Vertunt: „Somnus ardens (profundus) utilis" — „somnus in aestate profundus". Sed ad excitandum Neoptolemum ut properet, debet potius dicere contrarium, id est, facile et cito posse expergisci, (cf. 848), somnum levem esse.

3) Maxime dubito an ἀλώσιμον possit ita de mentis perceptione intellegi. Posset verti: „hoc capi iam potest; mea quidem sententia, laborum" etc.

Digitized by Google

distichum: „quid faciamus? τί δρῶμεν; penes te est, sive navigamus (scil. Troiam), sive cedimus huius verbis". Verba non tam Neoptolemo dicta quam Ulixi; chorus enim et arma iam capta videt et consilium Neoptolemi, qui iam serio commotus esse videtur et reddere vult arma, sequi nullo modo cupit. Ideo cum etiam hic clamat 974 τί δρῶμεν, erumpit de latebris Ulixes: „o nefaste hominum, quid facis"? (reddebat autem arma Philocteti).

Tacent nautae dum Ulixes in scaena est, nisi quod audiunt Philoctetem omnia mala etiam sibi imprecantem, et exterriti, ut sunt homines candidi, clamant: „Ulixes, vehemens hic vir est, et vehementem sermonem fecit, ut qui nesciat malis cedere" (1045, 1046).

Cum vero nec Ulixes occultus nec Neoptolemus conspicuus est in scaena nullusque dolus est iam ipsi perducendus, chorus aperte loquitur et ea dicit ex quibus plane elucet, quid et sentiat et senserit de Ulixe eiusque dolis per totum drama.

Lamentanti enim ei heroi suamque horrendam futuram solitudinem dolenti chorus: „Tu ipse, inquit, tu ipse es in culpa, o miserrime; nec ulla alia maiore vi contineris in hac miseria; cum enim esset penes te prudentem te praebere, elegisti tristiorem sortem prae feliciore" (1095 ss.).

Philoctetes tunc deflendo denuo suam penuriam et famem futurae vitae, ait *malo se dolo deceptum esse*, imprecaturque mala in eum qui haec machinatus est; his auditis ita quasi conscientiae stimulis pungitur chorus, ut credat in se ea esse dicta, seseque ita purgat: „divinitus hoc tibi fatum; *te saltem* dolus manus meae non cepit (chorus enim potius Neoptolemum deceperat); diras infaustasque imprecationes verte in alios; mihi enim id solum curae est, ne benevolentiam abicias" (1116 sqq.).

Conqueritur sequenti stropha. Philoctetes sortem arcus sui pestesque multiplicat in raptorem Ulixem; non dissimulat chorus, Ulixem ait haec non iniuria fecisse sed iussu reliquorum ducum, in bonum totius gentis. Multoque etiam clarius suam mentem aperit in ea quae una restat huius commi stropha: „noveris, bene noveris, in tua potestate est hanc calamitatem effugere";

οἰκτρὰ γὰρ βοσκεῖν, ἀδαὴς δ'
ἔχειν μυρίον ἄχθος ᾧ ξυνοικεῖ.

Digitized by Google

Huius loci versio non potest esse vera quae facta est hucusque; non enim cohaeret nec praecedentibus [1]) nec his quae respondet Philoctetes [2]); sed continet totam quasi rationem huius tragoediae et eosdem sensus quos postea [3]) Neoptolemus etiam repetet: „pati enim mala et tamen indocilem esse, infinita mala parit ei qui ita se habet".

Et quoniam iam suum ei animum manifestavit, non dubitat chorus etiam aperte et sincere eum hortari ut velit cedere precibus; id enim optimum putat, τόδε γὰρ νοῦ κράτιστον (1176); respondet ille, ut iam abeat seque relinquat; fingit chorus se id conari facere [4]), sed Philoctetes exterritus solitudine rogat ut revertatur; „quorsum?" Hortatur denuo ut naviget in Troada; iurat et iterum iurat ante se omnia passurum quam id faciat; arma aliqua petit ut se occidat. Sed commodum haec dicebat, cum ingrediuntur denuo scaenam Ulixes et Neoptolemus; hic refert arma.

Haec quae de choro disputavi si ita sunt ut dixi, credo, possumus satis certo conficere: 1° eum toto tempore putasse sola Philoctetis arma ad excidium Troiae requiri. 2° eum scire in hunc finem Neoptolemum decipi ab Ulixe; decipi autem non quod dicat Ulixes alia de arcu, alia de persona Philoctetis, sed eo solum quod metu praepeditus accedere, adulescentem illum pro se emisit in periculum. 3° chorum statui ab Ulixe et Neoptolemo, ut huius iuvenis astutiam roboret dolisque suffragetur. 4° quando vero praeter arma ipsum etiam Philoctetem inducere conatur, non id facit quia eum necessarium

1) „Penes te est fugere hoc malum, *quia* terribile est quod pateris..."; tamen haec est communis interpretatio: V. gr. CAMPBELL: „it devolves on thee to make scape from this calamity... It is one that is piteous to sustain and supplies no means of bearing the uncounted sorrows in the midst of which it dwells". Cf. etiam Radermacher in hunc locum.

2) Philoctetes respondet verbis quibus chorus eum commonet Troiam adeundam esse, non verbis quibus eius calamitatem significavit.

3) 1316 sqq.

4) Chorus ne hic quidem meminit Troiae capiendae; putat hic etiam solis armis Philoctetis totam rem confici: ea autem arma cum videat delata esse a Neoptolemo et Ulixe, iure conatur abire quasi re confecta. Iussi fuerant illi nautae a Neoptolemo hortari Philoctetem et spectare si forte mentem mutaret, (1074—1080); id fecerunt, sed incassum (cf. v. 1191, 1192); iam abire incipiunt, cum vident venientes suos duces (1217—1221).

Digitized by Google

putat, sed quia id iussus est a Neoptolemo; ideo nec est valde de eo sollicitus, et cum eum renuentem videt, conatur effugere. Postea vero per plus ducentos quadraginta versus, eosque in exodo, nullum verbum dicit; Ulixem enim per se ipsum cuncta expedientem videt agentemque summa diligentia, maiore etiam fortasse quam quae primo adspectu apparet; nam certum est etiam cum de scaena discessit, aliquid adhuc novum machinaturum discessisse Ulixem et minantem se tandem versus Troiam deportaturum esse renuentem Philoctetem.

* * *

Iam per totam tragoediam id saepe significavi, quod visum est mihi hic breviter colligere. Sophocles hanc tragoediam post Aeschylum et Euripidem cum scripserit, decerpsit ex utroque quod probavit, correxit vero quidquid minus consonum arti sibi visum est. Sed, ut est eius scribendi mos, obscuro quodam et velato modo indicat ea etiam quae reicit facitque spectatores quodammodo meminisse eorum et saepe etiam dubitare, num tandem ita sint eventura qualia insinuantur.

Id etiam in aliis tragoediis saepe facit; velut cum in Antigona huius virginis mortem tamquam nuptias praenuntiat, aut cum in Oedipo tam Tyranno quam Coloneo nunnulla comminiscitur quae historiam Oedipi referunt qualis in Septem contra Thebas perhibetur.

Sic etiam in Philoctete saepissime inter utramque, quae praecesserat, tragoediam ludit. Ulixes, qui iam ab Aeschylo δριμὺς καὶ δόλιος [1]) describebatur, dicit in Euripide per totum exordium, quibus sit sensibus affectus gloriam hanc suis pristinis laudibus addendi, quo metu Philoctetis, qua *prudentia*, qua spe, siquidem promisit ei Pallas se mutaturam εἶδος καὶ τὴν φωνήν [2]). Sophocles omnia haec rebus, non verbis ostendentem facit, praesertim metum et versutiam; insinuat tamen aliqua quae Euripidis memoriam referant audientibus.

Arma erant prius arripienda [3]), deinde, his captis, persona

1) Dio Chrysost. *Or.* 52 pg. 550.

2) Dio Chrysost. *Or.* 59 pg. 575.

3) Apud Accium quoque arma prius auferebantur; tunc clamabat Philoctetes:
„O Mulciber,
Arma ignavo es invicta fabricatus manu".

Digitized by Google

Philoctetis inducenda ut Troiam adiret et quidem ab eo ipso a quo fuisset hic heros deceptus; id Sophocles nimium simplex et nimium violentum putavit; personas separavit, Neoptolemum induxit ab Ulixe deceptum; correptum iam arcum reddidit iterum, ut maior esset actionis sustentatio. Dum somno iacebat Philoctetes, illi rapiebant arma; id Sophocles peti quidem a choro permisit, sed per dolum Ulixis impedivit. Chorus illorum ex Lemniis constabat, qui iam in Euripidis fabulae ingressu rogant Philoctetem, indulgeat eis quod tandiu non subvenerint; Sophocles, qui rem totam dolo gerebat, socios eos facit Ulixis et consiliorum huius participes; iam dum ingrediuntur quaerunt quem ad modum debeant alloqui Philoctetem; certe non rogando ut parcat eis. Euripides, ut rem paulo difficiliorem reddat, fingit troianos legatos venire, qui Philoctetem contra Graecos et Ulixem irritent; Sophocles sat putavit esse odium ipsum quo ardebat ille heros, maxime cum perceperit dolos quibus sit deceptus ab Ulixe; legationis vero troianae ne mentionem quidem facit.

Aeschylus fingit Ulixem plane non cognosci ab infensissimo inimico Philoctete, quod iam decem anni abierint ex quo illic eum deposuerit; facit igitur eum cum hoc heroe fidenter colloquentem ignotumque quoad ipse se aperit. Sophocles id aliquantisper fieri posse credit eumque mercatorem fingit; reliquo tempore non ignorantia Philoctetis sed cuniculis eum occultatum tenet.

Uterque poeta, ut omnes credunt, induxerat deum ex machina; praeterea Euripides Ulixem ope et virtute Palladis celatum esse voluit oculis Philoctetis. Sophoclem haec non delectant; nam de Aiace multa sunt dicenda. [1])

Nunc iam de exitu verbulum. In opere cl. viri Rol. Herkenrath [2]) licet videre quid quisque scriptor dixerit de hoc exitu quem U. de Wilamowitz appellat „unkünstlerische Lösung durch den Maschinengott". Illic ad calculos vocantur Burger, Schneidewin, Nauck, Radermacher, Zimmermann, Sitzler,

---

1) Sunt alia praeterea multa, quae hic non persequar (cf. 210—218).

2) Roland Herkenrath, *Die Handlung in Sophokles' Philoktet und ihr Bühnengott Herakles.* 1917.

Digitized by Google

Dübner, G. Hermann, A. Müller, Christ, K. O. Müller, Günther, Sittl, Blaydes, Matthaei, Schmelzer, Patin, Lessing, Schiller, Dio Chrysost., Brunck, Scaliger, Gietmann, Wecklein. Nec tamen hi sunt omnes. Nulla solutio probatur idque iure.

His addam etiam meam opinationem. In illo Hercule qui apparet per breve tempus ex antro in summa theatri scaena, longe a littore in quo iacet Philoctetes quique dicit eadem quae nuper Neoptolemus (1329—1347) additque [1]):

ὅσους πονήσας καὶ διεξελθὼν πόνους
ἀθάνατον ἀρετὴν ἔσχον, ὡς πάρεσθ' ὁρᾶν,

credo Sophoclem imitatum esse quod deerat de tragoedia Euripidis, ablato quidem deorum interventu; ego iam non possum non vereri quidlibet de doloso Ulixe [2]). Adeo non abiecit se nec abiecit hastas antea, cum de scaena discessit, ut exierit haec verba locutus: [3])

σαφ' ἴσθι καὶ πέλας γ' ὁρᾷς
ὅς σ' ἐς τὰ Τροίας πεδί' ἀποστελῶ βίᾳ,
ἐάν τ' Ἀχιλλέως παῖς ἐάν τε μὴ θέλῃ.

Exclamabat euripideus Ulixes, cum hoc audacissimum opus aggredi meditabatur:

οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ὡς ἀνὴρ ἔφυ·

coniunxit Aristophanes initium euripidei cum fine sophoclei Philoctetis cum dixit:

οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρόν ἐσθ' ὡς Ἡρακλῆς,

Ran. 282. Non potuit brevius id fieri nec felicius.

Sed haec audacissima sunt. Fortasse non tam dicetur audax Sophoclem ita fecisse quam me insinuasse.

Erunt qui mihi succenseant meque reprehendant, quod hanc tragoediam discerpserim et fere in comoediam mutaverim. Ego id etsi non invitus, ultro quidem et sponte non feci; quo res ipsae ducebant, eo me deduci permisi. Ipse Aeschylus et Euripides nulla tristia hic, sed potius dolos tractarunt; thesis enim si qua est, ea est in hac tragoedia, quam explicat chorus versibus 1165—1169; cf. etiam 1316 sqq.; nullae hic haereditariae

1) 1419, 1420.
2) V. 1354, et cf. φάσκειν 1411; cf. μετ' ἀνδρὸς τοῦδε 1375; σὺν τῷδ' ἀνδρὶ 1423.
3) 1296—1298.

Digitized by Google

gravesque poenae de quibus in *O. Tyr.* vel *Antig.*; sed poenae, quas tandiu patimur quandiu cedere nolumus.

Ceterum si frequens iambi resolutio est signum sermonis qui accedit comoediae, en tabella iamborum dissolutorum in hac tragoedia; nec eorum mira multitudo tribuenda est aetati soli, nam haec tragoedia antiquior est ex. gr. *Oedipo Col.*, quae multo minores numero habet iambos resolutos. Exscribo hanc tabellam e commentatione H. Hiess: *Chronologische Untersuchungen zu den Tragoedien des Sophokles*, *Wiener Stud.* 36 (1914/1915) pag. 248:

	Trimetra cuncta	SOLUTIONES in tribrach.	dactylos	anapaestos	Universa —	Ex centum
Electra....	1125	21	14	1	36	3,2
Antigone.	915	24	10	—	34	3,7
Oed. Col.	1270	25	29	4	58	4,6
Aiax.....	1021	26	27	2	55	5,4
Oed. Tyr.	1196	26	34	7	67	5,6
Trachin...	965	17	34	5	56	5,8
Philoct....	1079	48	51	17	116	10,75 [1])

Illud vero opusculum Dionis Chrysostomi (or. 52) quod bene vocat Weil [2]): „une causerie litteraire" quanti sit habendum quod pertinet ad ea quae de hac tragoedia dicit, inde est aestimandum, quod ipse hanc tragoediam non vidit actam, refert autem quod ipse sentit de ea lecta, idque cursim, quippe quam casu invenerit post balneum. Id tantum ipsi favebat, quod simul Aeschyli et Euripidis Philoctetem habebat et legebat. Idem nihilominus indicat aliqua, quae non sunt spernenda: reprehendit in Aeschylo quod habeat *οὐδὲν ἐπιβεβουλευμένον* et quod nihil ostendat *ποικίλης τέχνης καὶ ἐπιβουλῆς*; Sophoclem vero laudat „Ulixem *αὐτὸν μὲν ἀποκρυπτόμενον, τὸν δὲ Νεοπτόλεμον πέμποντα πρὸς*

1) Vide apud Christ-Schmidt, *Gesch. d. gr. Litter.* 1, 339 sqq. alia multa de metricis mutationibus ad quas fabulam Eurip. haud parum momenti habuisse censet.

2) Études sur l'antiquité grecque, 1900, pg. 153.

Digitized by Google

τὸν Φιλοκτήτην· eius vero chorum non habere quidem cohortationes ad virtutem quas chorus Euripidis, ἡδονὴν δὲ θαυμαστήν, quam *admirabilem voluptatem* chori equidem in communi interpretatione huius tragoediae non repperi.

Minus autem video qui possit vere dici Sophocles fecisse Ulixem suum πολυπραγότερον καὶ ἁπλούστερον ἢ πεποίηκεν ὁ Εὐριπίδης.

Iam multi dixerant ante me hanc tragoediam raro fuisse exhibitam post saeculum quintum, scholiastas vero et commentatores de ea lecta iudicasse, non acta in scaena. Cf. BERNHARDY, *Grundriss d. Griech. Litt.* II, 2, 338; HAIGH, *The tragic drama of the Greeks*, ch. VI, § 6, pag. 448.

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA.

SCRIPSIT

A. J. KRONENBERG A. I. fil.

(Continuantur ex vol. LI, pag. 448).

Plutarchi moralia rec. G. N. Bernardakis, Lips. 1888—96.

226 D (II 151, 13) *διὸ οὔτε ἔμπορος. οὔτε σοφιστὴς οὔτε μάντις ἢ ἀγύρτης οὔτε τῶν κατασκευασμάτων δημιουργὸς εἰσήει εἰς τὴν Σπάρτην.*

Ex vita Lycurgi 9 haec sunt: *'οὐδὲ ἐπέβαινε τῆς Λακωνικῆς οὐ σοφιστὴς λόγων, οὐ μάντις ἀγυρτικός* —', i. e.: *οὔτε σοφιστὴς οὔτε μάντις* [*ἢ*] *ἀγύρτης*. Non enim me absterret Metellus (Marii vita 42) *πλείονα συνὼν χρόνον ἀγύρταις καὶ μάντεσιν ἢ πολιτικοῖς καὶ πολεμικοῖς ἀνδράσιν*: vitium erat in ipso Metello, non in *μάντεσι*, hominibus neque alibi neque Lacedaemone spernendis.

228 B (II 155, 25) *Τοσαύτη δ' ἦν — σωφροσύνη τῶν γυναικῶν — ὡς — ἄπιστον εἶναι τὸ τῆς μοιχείας παρ' αὐταῖς.*

Corrige ex Lycurg. 15 *ὥστε ὅλως ἄπιστον εἶναι τὸ τῆς μοιχείας παρ' αὐτοῖς*, indidem paulo post (156, 10) *'πῶς δ' ἂν'* (pro *γὰρ ἂν*) *ἔφη 'μοιχὸς ἐν Σπάρτῃ γένοιτο;'* (reliqua non Laconis sunt sed excerptoris philosophantis), quod etiam propter antecedens *'πῶς δ' ἂν γένοιτο βοῦς τηλικοῦτος;'* necesse est: in talibus ipsa rogantis verba repetere solemus homines omnes.

231 C (II 165, 4) *Πλείσταρχος ὁ Λεωνίδου πρὸς τὸν ἐπερωτήσαντα, διὰ τίνα αἰτίαν οὐκ ἀπὸ τῶν πρώτων βασιλέων προσαγορεύονται, 'ὅτι' ἔφη 'ἐκεῖνοι μὲν ἄγειν ἢ βασιλεύειν ἔχρῃζον, οἱ δ' ἐκείνων ὕστεροι οὐδαμῶς.*

Digitized by Google

Plistarchus rogatus cur ab Agide et Euryponte, non a primis regibus vocentur reges Lacedaemoniorum, respondet: 'quod illi nimium regnare cupiebant' i. e. ὅτι ἐκεινοι μὲν ἄγαν [ἤ] βασιλεύειν ἔχρηζον. Lycurg. 2 Ἀλλὰ καίπερ ἐπὶ τούτοις θαυμάζοντες αὐτὸν (Soum scilicet) οὐκ ἀπὸ τούτου τὴν οἰκίαν, ἀλλὰ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ προσηγόρευσαν Εὐρυπωντίδας, ὅτι δοκεῖ πρῶτος Εὐρυπῶν τὸ ἄγαν μοναρχικὸν ἀνεῖναι τῆς βασιλείας δημαγωγῶν καὶ χαριζόμενος τοῖς πολλοῖς. Alterius gentis (usque ad Soum) crimen in alteram, unde Plistarchus erat, extendit compilator, nisi si etiam ex alio fonte hausit.

238 A (II 184, 16) οὐδὲν δ' ἕτερον εἶχεν (τὰ τῶν Σπαρτιατῶν μέλη) ἢ ἐπαίνους τῶν γεννικῶς ζησάντων —, καὶ ψόγους τῶν τρεσάντων —, ἐπαγγελία⟨ς⟩ τε καὶ μεγαλαυχία⟨ς⟩ πρὸς ἀρετὴν πρεπούσα⟨ς⟩ ταῖς ἡλικίαις.

Supplevi.

238 D (II 185, 22) Τῶν δὲ ταφῶν ἀνεῖλε τὴν δεισιδαιμονίαν ἅπασαν ὁ Λυκοῦργος, ἐν τῇ πόλει θάπτειν τοὺς νεκροὺς καὶ πλησίον ἔχειν τὰ μνημεῖα τῶν ἱερῶν συγχωρήσας. [περιεῖλε δὲ καὶ τοὺς μιασμούς,] συνθάπτειν δὲ οὐδὲν ἐπέτρεψεν —. ἀνεῖλε δὲ καὶ τὰς ἐπιγραφὰς κτέ.

Ineptissima verba seclusi; non enim περιεῖλε καὶ τοὺς μιασμούς (quasi et hoc esset unum ex Lycurgi institutis!) sed ἀνεῖλε τὸν τῶν μιασμῶν φόβον et quidem eo ipso quod ἐν τῇ πόλει θάπτειν τοὺς νεκροὺς καὶ πλησίον ἔχειν τὰ μνημεῖα τῶν ἱερῶν συνεχώρησεν. Neque tantum inepta sunt sed et ordinem turbant: artissime enim cohaerent nec diiungi possunt illa 'θάπτειν — συγχωρήσας' et 'συνθάπτειν δὲ οὐδὲν ἐπέτρεψεν. Accedit quod ne intellegi quidem possunt nisi attrahas Lyc. 27 ὥστε μὴ ταράττεσθαι μηδ' ὀρρωδεῖν τὸν θάνατον ὡς μιαίνοντα τοὺς ἁψαμένους νεκροῦ σώματος ἢ διὰ τάφων διελθόντας. Itaque cum ne compilatoris quidem sint, exsulent nullo postliminio.

266 B (II 256, 1) Διὰ τί, κἂν ἐξ ἀγροῦ κἂν ἀπὸ ξένης ἐπανίωσιν, ἔχοντες οἶκοι γυναῖκας προπέμπουσι δηλοῦντες αὐταῖς ὅτι παραγίγνονταί;' πότερον ὅτι τοῦτο πιστεύοντός ἐστι τὴν γυναῖκα μηδὲν ῥᾳδιουργεῖν τὸ δ' ἐξαίφνης καὶ ἀπροσδοκήτως οἷον ἐνέδρα καὶ παρατήρησις, ἢ σπεύδουσιν ὡς ποθούσαις καὶ προσδε-

Digitized by Google

χομέναις εὐαγγελίζεσθαι περὶ αὐτῶν; ἢ μᾶλλον αὐτοὶ περὶ ἐκείνων πυθέσθαι ποθοῦσιν, εἰ σῳζομένας καὶ ποθούσας ἐπὶ τῆς οἰκίας καταλαμβάνουσιν;

Non concoquo καὶ ποθούσας; neque enim facile sic — per alios! — uxoris desiderium arguitur et male convenit cum σῳζομένας: quid enim huic παρατηρήσει (ut ipsius Plutarchi verbo utar) cum voto amabili? Non tamen expulerim, cum amet noster bina vel verba vel nomina coniungere. An σῳζομένας καὶ δεσποζούσας? Solliciti sunt mariti an domi inventuri sint uxores, salvas et pro domina agentes.

269 A (II 263, 11) Διὰ τί τὸν Ἰανὸν δικρόσωπον οἴονται γεγονέναι;' πότερον — ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς περὶ Ἰταλίαν αὐτὸς ἀγρίοις καὶ ἀνόμοις χρωμένους ἔθεσιν εἰς ἕτερον βίου σχῆμα, πείσας γεωργεῖν καὶ πολιτεύεσθαι, μετέβαλε;

Ut πολιτεύεσθαι spectat ad ἀνόμοις ἔθεσιν, ita γεωργεῖν ad σίτοις (vel σιτίοις, utroque enim verbo utitur Plut.) ἀγρίοις.

271 B (II 268, 26) οὐδὲ γὰρ Διόνυσον ὀμνύουσιν ὑπὸ στέγῃ, ξένον ὄντα καὶ αὐτὸν, εἴπερ ἐστὶ Διόνυσος.

εἴπερ ἐστὶ Νυσαῖος?

273 D (II 274, 17) Διὰ τί Κόιντος Μέτελλος — ἐκώλυεν οἰωνίζεσθαι μετὰ τὸν Σεξτίλιον μῆνα —;' πότερον ὅτι καθάπερ ἡμέρας ἀκμαζούσης ἢ ἀρχομένης πράττομεν τὰ τοιαῦτα καὶ μηνὸς ἱσταμένου καὶ αὐξομένου, τὰς δ' ἀποκλίτους ὡς ἀχρηματίστους Φυλαττόμεθα· (immo Φυλαττόμεθα,) παραπλησίως τὸν μετὰ μῆνας ὀκτὼ χρόνον ὥσπερ ἐσπέραν τινὰ τοῦ ἐνιαυτοῦ καὶ δείλην ἀποκλίνοντος ἤδη καὶ φθίνοντος νομίζειν;

En totiens neglectus Xylander: 'habuit' i. e. ἐνόμιζεν;

275 A (II 278, 3) Διὰ τί τῷ τοῦ Κρόνου ναῷ χρῶνται ταμιείῳ —;' πότερον — ἢ ὅτι καρπῶν ἀρετῆς ἦ γεωργίας ἡγεμὼν ὁ θεός;

Quibus rebus vel artibus dei praeerant, earum inventores vel repertores vocabant antiqui: corrige itaque εὑρετὴς. VI 2, 16 οὐδέ τις (ὕδατος) εὑρετὴς λέγεται θεῶν ἢ ἡρώων.

282 A (II 296, 11) Ἀρκάδες τῶν ἀπ' Εὐάνδρου Προσελήνων λεγομένων.

'cum Euandro' Xyl. = ἐπ' Εὐάνδρου.

Digitized by Google

290 D (II 318, 6) *τοῖς ὑπέρτατον καὶ καθαρώτατον εἰληφόσι θεραπεύειν θεὸν* —

εἰληχόσι? IV 405, 12 *εἴληχε θεραπεύειν.*

299 B (II 339, 13) *Διὰ τί τὸν Διόνυσον αἱ τῶν Ἠλείων γυναῖκες ὑμνοῦσαι παρακαλοῦσι βοέῳ ποδὶ παραγίγνεσθαι πρὸς αὐτὰς (ἔχει δ' οὕτως ὁ ὕμνος 'ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε — τῷ βοέῳ ποδὶ θύων' εἶτα δὶς ἐπᾴδουσιν 'ἄξιε*[1]*) ταῦρε');' πότερον ὅτι καὶ βουγενῆ προσαγορεύουσι καὶ ταῦρον ἔνιοι τὸν θεόν, ἢ τῷ μεγάλῳ ποδὶ 'βοέῳ' λέγουσιν, ὡς 'βοῶπιν' ὁ ποιητὴς τὴν μεγαλόφθαλμον καὶ 'βουγάιον' τὸν μεγάλαυχον; ἢ μᾶλλον ὅτι τοῦ βοὸς ὁ ποὺς ἀβλαβής ἐστι τὸ δὲ κερασφόρον ἐπιβλαβές, οὕτω τὸν θεὸν παρακαλοῦσι πρᾶον ἐλθεῖν καὶ ἄλυπον;'*

κέρας[*φορον*] tacite Xyl. ('cornua') emendavit; ut ex '*-φορον*' aliquid fieret, sapervacua addiderunt Patzigius et editor ('*σφοδρὸν καὶ*' et '*φοβερὸν καὶ*'). Si quis me rogat: unde igitur illud *κερασφόρον*? respondeo: ex optima correctione marginali, sed fato invido alieno loco inserta, debebat enim pro '*ταῦρον*' quod supra legitur inseri. An non ineptum est rogare *πότερον ὅτι καὶ βουγενῆ καὶ ταῦρον ἔνιοι*(!) *τὸν θεὸν προσαγορεύουσι*; cum modo dixeris ipsas mulieres 'taurum' cantavisse? Itaque corrige *καὶ κερασφόρον ἔνιοι* (Lucian. Bacch. 2) et taurum redde pratis.

309 C (II 365, 18) *Σαβῖνοι δὲ νοήσαντες ζῶσαν κατέχωσαν (τὴν Ταρπηίαν).*

Insulsa haec parallela ut rebus ita verbis proxime inter se concinunt: scribe itaque *ποιήσαντες* (sc. *τὸ μισθὸν διδόναι τοὺς ὅρμους*), ut congruat cum 11: *ποιησάντων*. Item 316 A (II 382, 10) pro *γενόμενος δὲ κατὰ τὸν τόπον τῆς Ἀσίας* pro *τὸν* restituendum *τινα* (= 18: *γενόμενος δὲ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας*).

319 C (II 391, 9) Dyrrhachio proficiscens Caesar Brundisium navicula repetit: *σκληρᾶς δὲ πρὸς τὸ ῥεῦμα τοῦ ποταμοῦ γενομένης ἀντιμεταβάσεως καὶ κλύδωνος ἰσχυροῦ, μεταβαλλόμενον ὁρῶν τὸν κυβερνήτην — ἔφη — κτέ.*

τοῦ ποταμοῦ, Reiskio et post Duebnero suspectum, Plutarcho

1) Correxit Cobetus (Coll. Crit. p. 497 ed. alt.) *ἐπᾴδουσι· 'Νάξιε ταῦρε'.*

Digitized by Google

vindicat editor coll. Appian. 2, 56, 57, externum invocans auxilium, cum domesticum esset ad manum: Caes. 38 *πρὸς δὲ τὴν πλημμύραν τῆς θαλάττης καὶ τὴν ἀντίβασιν τοῦ κλύδωνος ἀγριαίνων ὁ ποταμὸς κτέ.*, unde apparet locum sic esse refingendum: *σκληρᾶς δὲ πρὸς τὸ ῥεῦμα τοῦ ποταμοῦ γενομένης ἀντι[μετα]βάσεως [καὶ] κλύδωνος ἰσχυροῦ.* Vitii origo est in sequenti *μεταβαλλόμενον.*

321 A (II 395, 15) Enumerat Fortuna, ut sibi debitum, quidquid magnifici visitur Romae: *τὰ καλὰ ταῦτα βασίλεια καὶ ναοὶ καὶ θέατρα καὶ περίπατοι καὶ ἀγορὰ καὶ ἀρχεῖα.*
'fora' Xyl. i. e. *ἀγοραὶ.*

324 A (II 402, 16) *Νομάδας μὲν ἐν Λιβύῃ μέχρι τῶν μεσημβρινῶν ἀνέκοψεν ἠιόνων —.*
Reiskii emendationem *ἀνέκοψεν* pro *ἀπέκοψεν* recepit editor, eundem monentem 'litora in media terra continente frustra quaeras' non audivit. Sine dubio P. scripsit, non ut ille voluit *ἐρήμων*, sed *ἀνέκ:ψε[ν] θινῶν.* 340 F (II 443, 16) *θῖνας ἀνύδρους*, Alex. 26 *νότος ἀναστήσας θῖνα μεγάλην*, Thes. 1 *Τὰ δ' ἐπέκεινα θῖνες ἄνυδροι'*, Artax. 18 *τῷ δὲ Κλεάρχου νεκρῷ θύελλαν ἀνέμου γῆς θῖνα πολλὴν φέρουσαν ἐπιχῶσαι*, Crass. 22 *πελάγιόν τι χεῦμα θινῶν τινῶν ἐρήμων.*

325 A (II 405, 5) Cominius *ἐμφὺς τῷ κρημνῷ καὶ ταῖς δεχομέναις τὴν ἐπίβασιν — τραχύτησι τῆς πέτρας παραδιδοὺς ἑαυτὸν — ἐξίκετο πρὸς τὸ ἀντιπέρας.*
Aliud hic latere suspicor quam *τὰ ἄνω τῆς πέτρας* (ita Emperius). In vita Camilli (25) Cominius sic escendens pervenisse dicitur ad *τὸ διατείχισμα* Romanorum, qui Capitolium *ἐφράξαντο βέλεσι καὶ διατειχίσμασιν* (20); *στεφάνη* dicitur paulo post (406, 3). Itaque *ἐξίκετο πρὸς τὸ ἀντίφραγμα.* (III 443, 8 *καὶ ταῦτα μὲν ὥσπερ ἀντιφράγματά σοι κείσθω πρὸς τοὺς ἄγαν πικροὺς ἐκείνους.*) Corruptionis causa est *ἀντιπέρας* quod paulo supra legitur.

327 A (II 410, 18) *πρὸς δὲ Μαρκανδάνοις τοξεύμασι τὸ τῆς κνήμης ὀστέον διεσχίσθην.*
Emenda ex 341 B (II 444, 12) *ἐν Μαρκάνδοις τοξεύματι*

Digitized by Google

τὴν κνήμην (πληγεὶς) ὥστε τῆς κερκίδος τὸ ὀστέον ἀποκλασθὲν ὑπὸ τῆς πληγῆς ἐξαλέσθαι.

335 F (II 431, 24) ἄνδρα δὲ μέγαν ἐνδέχεται χωρὶς ἀρετῆς ἀποτελεσθῆναι διὰ τύχην, ὅπλα καὶ χρήματα καὶ πόλεις καὶ ἵππους παρασκευάσασαν;

Confer 453, 13 τῆς δ' ἄλλης δυνάμεως καὶ παρασκευῆς καὶ στόλων καὶ ἵππων καὶ στρατοπέδων et scribe στόλους (π et στ saepissime confunduntur, cf. notulam nostram ad IV 14, 3).

338 E (II 438, 12) περὶ δὲ τῆς Δαρείου γυναικός, εὐπρεπεστάτης γενομένης, οὐδὲ φωνὴν ἐπαινοῦσαν τὸ κάλλος ἤκουσεν (Ἀλέξανδρος).

Frustra emendabant Reiskius et editor; ἤκουσεν = ἀκοῦσαι ὑπέμεινεν. Sumpta haec sunt ex Alexandri epistula, ubi κατὰ λέξιν scripsit (Vita Alex. 22): "Ἐγὼ γὰρ οὐχ ὅτι ἑωρακὼς ἂν εὐρεθείην τὴν Δαρείου γυναῖκα ἢ βεβουλευμένος ἰδεῖν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν λεγόντων περὶ τῆς εὐμορφίας αὐτῆς προσδεδεγμένος τὸν λόγον".

338 E (II 438, 18) Δαρεῖος γὰρ οὕτως ἐκινήθη πρὸς τὴν ἐξουσίαν αὐτοῦ καὶ τὴν ἡλικίαν.

Felicissimum Reiskii inventum ὑπόπτως commendant quae super eadem re in vita Alexandri scripta sunt (30): Ταῦτα ἀκούσαντα Δαρεῖον ἡ ταραχὴ καὶ τὸ πάθος ἐξέφερε πρὸς ὑποψίας ἀτόπους.

339 F (II 441, 13) οὐκ ἐν οἴνῳ ποτὲ τὴν ὑπόνοιαν ταύτην ἐξέφηνεν ὁ μεθύων, οὐ δι' ὀργὴν ὁ θυμοσιδής, οὐ πρὸς Φίλον ὁ πάντα πιστεύων Ἡφαιστίωνι καὶ πάντων μεταδιδούς.

Si quidquam de suspicione sua muttire voluisset Alexander, nonne cum Hephaestione prius, omnium secretorum participe communicasset, quam cum amico uno vel altero? Profecto ita est et ita voluit Plutarchus. Neque vinum neque ira neque amicitia, quibus omnibus tam facile succumbebat, unquam ei verbum expressit: οὐκ ἐν οἴνῳ ἐξέφηνεν, οὐ δι' ὀργήν, οὐ πρὸς φιλίαν.

341 D (II 445, 7) Εὖγ' ὦ Τύχη, τὸν Ἀλέξανδρον αὔξεις καὶ μέγαν ποιεῖς, διορύττουσα πανταχόθεν, ὑπερείπουσα, πᾶν μέρος ἀνοίγουσα τοῦ σώματος·

Digitized by Google

'ὑπερείπουσα ('subruens')' pro ὑπερείδουσα, quod traditur, Reiskius, quod quamvis lene remedium sententia tamen respuit, siquidem ut e sequentibus apparet, de vulneribus solis agitur. Exspectes 'περιπείρουσα'. 305 B (II 354, 17) πολλοῖς περιπεπαρμένος δόρασι, 306 D (II 357, 24) πολλοῖς περιπαρεὶς δόρασιν.

325 E (II 406, 18) ἀποβλέψας ἄνω λαμπρότητα καὶ πλοῦτον ἀναθημάτων καὶ τεχνῶν ἀμίλλας καὶ φιλοτιμίας πόλεων καὶ στεφάνους βασίλεων κτέ.

Substantivum, quod est λαμπρότητα, habeat suum quoque genitivum: ναῶν (pro ἄνω). De forma vide III 293, 1 ναῶν, de verbo ἀποβλέπειν cum obiecto VI 104, 20 τὴν ἄρουραν ἀποβλέψας, ubi Herwerdenus ἐπιβλέψας emendabat, Pelop. 4 ἀποβλέψας τὴν Ἀριστείδου πολιτείαν (Reiskius ⟨εἰς⟩τὴν), Lucull. 26 αὐτου — ἔθνη τοσαῦτα — ἀποβλέποντος ('aut εἰς ἔθνη aut βλέποντος' Reisk.).

414 B (III 80, 10) νῦν δ' ἔστι μία προφῆτις, καὶ οὐκ ἐγκαλοῦμεν· ἐξαρκεῖ γὰρ αὐτὴ τοῖς δεομένοις. οὐ τοίνυν αἰτιατέον οὐδὲ τὸν θεόν.

Requiro οὐδέν.

418 D (III 91, 10) συνεκλείπει τὰ τοιαῦτα.

Xyl.: 'etiam ista': καὶ ταῦτα.

433 A (III 127, 21) περιψύξει τινὶ καὶ πυκνώσει τοῦ πνεύματος οἷον βαφῇ σιδήρου τὸ προγνωστικὸν μόριον ἐντείνεσθαι καὶ στομοῦσθαι τῆς ψυχῆς οὐκ ἀδύνατόν ἐστι.

Lege: οἷον βαφῇ σίδηρον. V 496, 12 (τὸν ἀέρα) βεβαμμένον ὑπὸ τῆς ἐν γῇ δυνάμεως ὥσπερ βαφῇ σίδηρον.

433 E (III 129, 15) οἱ δὲ τὴν καλὴν καὶ σοφὴν ἐπιστάμενοι καὶ τιμῶντες ἀναλογίαν, ὅπερ σῶμα πρὸς ψυχὴν ὄψις δὲ πρὸς νοῦν φῶς δὲ πρὸς ἀλήθειάν ἐστι, τοῦτο τοῦ ἡλίου δύναμιν εἰκαζον εἶναι πρὸς τὴν Ἀπόλλωνος φύσιν, ἔκγονον ἐκείνου καὶ τόκον ὄντως ἀεὶ γιγνόμενον ἀεὶ τοῦτον ἀποφαίνοντες.

Restitue quod in textu Reiskiana legitur ὄντος: struendum est 'illius (ἐκείνου, Apollinis scilicet) qui semper est (ὄντος ἀεὶ) hunc (τοῦτον, solem scilicet) semper nascentem (γιγνόμενον ἀεὶ) propaginem designantes'.

Digitized by Google

436 F (III 138, 1) *οὐ γὰρ ἄθεον ποιοῦμεν οὐδ' ἄλογον τὴν μαντικήν, ὕλην μὲν αὐτῇ τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου τὸ δ' ἐνθουσιαστικὸν πνεῦμα καὶ τὴν ἀναθυμίασιν οἷον ὄργανον ἢ πλῆκτρον ἀποδίδοντες.*

Quod plectrum efficit in musico instrumento, idem *τὸ ἐνθουσιαστικὸν πνεῦμα* in animo hominis: obviam comparationem, quam perdidit itacismus, restitue: *οἷον ὀργάνῳ πλῆκτρον*. III 91, 12; 122, 23; 140, 4, VI 53, 15.

437 C (III 139, 10) *Οἶομαι μὲν οὖν μήτε τὴν ἀναθυμίασιν ὡσαύτως ἔχειν ἀεὶ κτἑ.*

μηδὲ et *μήτε*, *οὐδὲ* et *οὔτε* confusa, ut quae facile quis inter legendum emendet, semel notare sat is.

453 E (III 180, 7) *δεῖ τὸν λόγον ἐμμένοντα τῇ ψυχῇ συνέχειν τὰς κρίσεις καὶ Φυλάττειν. Φαρμάκοις γὰρ οὐκ ἔοικεν ἀλλὰ σιτίοις ὑγιεινοῖς ἡ δύναμις αὐτοῦ, μεθ' ὑγιείας ἕξιν ἐμποιοῦσα χρηστὴν οἷς ἂν γένηται συνήθης.*

In *εὐνοίας*, quod traditum est, non latet *ὑγιείας* sed *εὐτονίας*. Cf. 454 B (181, 17) *Ἡ μὲν οὖν συνέχεια τῆς ὀργῆς καὶ τὸ προσκρούειν πολλάκις ἕξιν ἐμποιεῖ πονηρὰν τῇ ψυχῇ, ἣν ὀργιλότητα καλοῦσιν, — ἡ δὲ παράχρημα ταῖς ὀργαῖς ἐνισταμένη καὶ πιέζουσα κρίσις οὐ τὸ παρὸν ἰᾶται μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ λοιπὸν εὔτονον ποιεῖ καὶ δυσπάθη τὴν ψυχήν,* 457 D (190, 13) *τὸ δ' ἐν ψυχῇ στῆσαι κατὰ θυμοῦ* (= *ὀργῆς*) *τρόπαιον μεγάλης ἐστὶ καὶ νικητικῆς ἰσχύος, ὥσπερ νεῦρα καὶ τόνους ἀληθῶς ἐπὶ τὰ πάθη τὰς κρίσεις ἐχούσης.*

458 B (III 192, 5) *Ἀλέξανδρος δὲ πικρότερος αὐτοῦ γέγονεν ἐν τοῖς περὶ Καλλισθένη καὶ Κλεῖτον.*

'A. in C. et C. fuit saevior' Xyl., i. e. *γέγονε[ν ἐν]*. Cum dativo struitur *πικρός*, exemplo sit 55 E (I 134, 24).

459 C (III 195, 22) (*οἰκέτας*) *δουλεύοντας ἑτέροις ἀπὸ νεύματος καὶ σιωπῇ καὶ προθυμότερον ἢ μετὰ πληγῶν καὶ στιγμάτων ἑτέροις.*

Τὸ *'δουλεύειν σιωπῇ'*, quamvis purum putum graecum sit (Alcib. 26 *σιωπῇ πάντα ποιεῖν*), alienum est: tam qui invitus quam qui libenter iussa facit, facere potest tacite, vel etiam

Digitized by Google

magis faciet, cuius vocem timor oppresserit; *domini* est silentium, tacito nutu imperantis, is servos suos habet obsequentes *ἀπὸ νεύματος καὶ σιωπῆς* [*καὶ*]. Librarius *ς* litteram pro copulae siglo habuit, errore frequentissimo. Vita Marii 43 *ἀπὸ φωνῆς — ἀπὸ νεύματος.*

496 C (III 219, 16) *πολὺν καὶ χρηστὸν οἶνον ἑτέροις πιπράσκων ἐκυτῷ πρὸς τὸ ἄριστον ὀξίνην ἐζήτει.*

Non quod non multum sibi servaverit, hic homo vituperatur sed quod non bonum: *παλαιὸν καὶ χρηστὸν οἶνον.*

469 E (III 220, 12) *Καὶ τί' φήσαι τις ἂν 'ἔχομεν;' τί δ' οὐκ ἔχομεν; ὁ μὲν δόξαν ὁ δ' οἶκον ὁ δὲ γάμον, τῷ δὲ φίλος ἀγαθὸς ἔστιν.*

Solus qui omnia habet, rogare potest *τί οὐκ ἔχομεν*; Auctoris sententiam, non dolendum esse amissis, sed relictis gaudendum, exprimet mutata interpunctio: *τί δέ; οὐκ ἔχομεν ὁ μὲν δόξαν ὁ δ' οἶκον ὁ δὲ γάμον; τῷ δὲ φίλος ἀγαθὸς ἔστιν.*

470 A (III 221, 15) *ἔξω βλέποντες ἀεὶ καὶ θαυμάζοντες ἀλλοτρίκς δόξας καὶ τύχας, ὥσπερ μοιχοὶ τὰς ἑτέρων γυναῖκας αὐτῶν δὲ καὶ τῶν ἰδίων καταφρονοῦντες.*

Cum Xylandri versione 'sicut adulteri alienas spectant mulieres, suas despiciunt' consensisse videtur Bernardakis cui *καὶ* delendum videbatur. En iterum vide, quid valeat interpunctio! Verba *αὐτῶν — καταφρονοῦντες* non iam ad adulteros pertinent nec possunt pertinere, nisi quis forte in maritorum tantum coetu hos homines inveniri putat. Minor distinctio post *γυναῖκας* 〈,〉 antevertet errorem. Ad *ὥσπερ μοιχοὶ* audiendum est *θαυμάζουσι*, ita solet Plutarchus: 464, 20 *ὥσπερ οἱ χαλκεῖς*, 466, 16 *ὥσπερ οἱ ζωγράφοι*, 582, 18 *καθάπερ οἱ πολλοί*, passim.

474 C (III 232, 15) *οὐ γὰρ μόνον 'ὁ τῆς αὔριον ἥκιστα δεόμενος' ὡς φησιν Ἐπίκουρος 'ἥδιστα πρόσεισι πρὸς τὴν αὔριον', ἀλλὰ καὶ πλοῦτος εὐφραίνει καὶ δόξα καὶ δύναμις καὶ ἀρχή[, καὶ] μάλιστα τοὺς ἥκιστα τἀναντία ταρβοῦντας.*

Expunge *καὶ* quod non vertit Xylander. In mss. tam graecis quam latinis exscribendis in nulla re fortasse frequentius — et proclivius sane — peccaverunt librarii quam in plus aequo repetito '*καί*' et 'et'.

Digitized by Google

480 A (III 246, 25) Ἢ (restitue Καὶ, quod est in Reiskiana) *τοῦτο ῥᾳδιόν ἐστιν ἀπὸ τῶν ἐναντίων καταμαθεῖν. ὅπου γὰρ οἰκότριβα τιμώμενον ὑπὸ πατρὸς ἢ μητρὸς υἱοὶ προπηλακίζοντες — ἀνιῶσιν αὐτούς —, ἵππου μετρίως ἔχουσιν υἱοῖς διαφερομένοις καὶ μισοῦσιν ἀλλήλους;*

'aequone ferre animo possint —' Xyl. = *ἔξουσιν*.

483 C (III 255, 4) *Ἀποθανόντος γε μὴν πατρὸς ἐμφύεσθαι μᾶλλον ἢ πρότερον ὀρθῶς ἔχει τῇ εὐνοίᾳ τοὺς ἀδελφούς, εὐθὺς μὲν ἐν τῷ συνδακρύειν καὶ συνάχθεσθαι κοινουμένους τὸ φιλόστοργον, ὑπονοίας δὲ θεραπόντων καὶ διαβολὰς ἑταίρων* (Reisk. pro *ἑτέρων*) *ἑτέροις αὐτοὺς προσνεμόντων ἀπωθουμένους.*

Retineo *ἑτέρων*. Agitur de servis qui post portem unici domini, concordiae vinculi, filiis heredibus relicti suspicionibus calumniisque [1]) alii huius alii alterius gratiam captant factionesque constituunt. 'Huius' et 'alterius' dico: nam per totum hunc de fraterno amore librum duo fratres ponuntur, quamobrem paulo post 484 D (257, 26) *τῷ μὲν οὖν ὑπερέχοντι παραινέσειεν ἄν τις πρῶτον μὲν οἷς δοκεῖ διαφέρειν, ταῦτα κοινὰ ποιεῖν τοῖς ἀδελφοῖς —, κἂν λέγειν δεινότερος ᾖ, χρῆσθαι παρέχοντα τὴν δύναμιν, ὡς ἐκείνου μηδὲν ἧττον οὖσαν* corrigendum est *τῷ ἀδελφῷ* (quod per se iam evincunt comparativus *δεινότερος* et singularis *ἐκείνου*); ad haec respiciunt quae sequuntur 485 C (260, 3) *Τῷ μὲν οὖν ὑπερέχοντι τοιαῦτά τις ἂν παραινέσειε· τῷ δὲ λειπομένῳ πάλιν ἐνθυμητέον, ὡς κτἑ.*

483 E (III 255, 25) *οἱ δὲ καὶ τίτθας ἀποσπῶντες ἀλλήλων καὶ συντρόφους καὶ συνήθεις παῖδας* (in herciscunda familia) *ὑπερβαλλόμενοι τοῖς διωγμοῖς, ἀπίασιν ἀνδραπόδου τιμὴν πλέον ἔχοντες, τὸ δὲ μέγιστον καὶ τιμιώτατον τῶν πατρῴων, φιλίαν ἀδελφοῦ καὶ πίστιν, ἀπολωλεκότες.*

Non invenio quod et rei et verbo *ὑπερβάλλεσθαι* magis conveniat quam *τοῖς φιμοῖς* ('fritillis'): aleam iaciunt super corpore individuo, *περὶ ἀνδραπόδου*, (sicut esse qui pocula frangant et vestimenta dissecent, subinde docetur exemplis), dum nolunt in commune uti et *'δίκης κλήροις'* (255, 21) accipientes et dantes, non rem sed curam rei dividere.

---

1) 479 A (III 244, 18) *οἰκέτης διάβολος.*

Digitized by Google

485 C (III 260, 1) *ἐκείνῳ μεγάλα προστίθησι.*
Scripsisse Plutarchum *προσθήσει* plus quam versimile est propter praecedentia (259, 16 et 17) *ἀποσβέσει* et *οὐκ ἐάσει.*

493 C (III 278, 12) *ζητεῖν ἐν ἵπποις καὶ κυσὶ καὶ ὄρνισι, πῶς γαμοῦμεν αὐτοὶ καὶ γεννῶμεν καὶ τεκνοτροφοῦμεν.*
'quomodo nobis matrimonia contrahenda, proles procreanda et educanda sit' Xyl. i. e. *γαμῶμεν — τεκνοτροφῶμεν.*

493 D (III 279, 3) *καὶ μὴ θαυμάζωμεν, εἰ τὰ ἄλογα ζῷα τῶν λογικῶν μᾶλλον ἕπεται τῇ Φύσει· καὶ γὰρ τὰ φυτὰ τῶν ζῴων, οἷς οὔτε φαντασίαν οὔθ' ὁρμὴν ἔδωκεν ἑτέρων ὄρεξιν τοῦ κατὰ Φύσιν ἀποσαλεύουσαν.*
Non assequor quid voluerit Emperius *ἐνεργὸν* vel editor *ἢ ἑτέρων* substituens: omnia mihi plana videntur si scribitur *οὔθ' ὁρμὴν ἔδωκεν οὔτ' ὄρεξιν.* Iam Reiskius proposuerat *ἔδωκεν ἑτέραν οὔτε ὄρεξιν*, quid significaret *ἑτέραν* reticens. In sequentibus transponenda est distinctio: *τοῖς δὲ θηρίοις τὸ μὲν πραΰτροπον τοῦ λόγου καὶ περιττὸν καὶ φιλελεύθερον ἄγαν οὐκ ἔστιν, ἀλόγους δ' ὁρμὰς καὶ ὀρέξεις ἔχοντα καὶ χρώμενα πλάναις καὶ περιδρομαῖς [,] πολλάκις ⟨,⟩ οὐ μακρὰν ἀλλ' ὡς ἐπ' ἀγκύρας τῆς Φύσεως σαλεύει·* non enim quid saepe, sed quid semper natura cogente fiat persequitur Plutarchus; ferae quamvis errantes circumvagantesque saepe, tamen non late sed quasi in ancoris stantes natura retinente fluctuantur.

493 F (III 280, 4) *διὰ τοῦτ' ἔτους ὥρᾳ, ἣ πνοάς τε γονίμους ἔχει καὶ πρόσφορον λοχευομένοις κρᾶσιν, ἦλθεν εἰς τὸ αὐτὸ τῷ ἄρρενι τὸ θῆλυ χειρόηθες καὶ ποθεινόν, ἡδείᾳ μὲν ὀσμῇ χρωτὸς ἰδίῳ δὲ κόσμῳ σώματος ἀγαλλόμενον, δρόσου καὶ βοτάνης ἀνάπλεων καθαρᾶς· αἰσθόμενον δ' ὅτι κύει καὶ πεπλήρωται, κοσμίως ἄπεισι καὶ προνοεῖ περὶ τὴν κύησιν καὶ σωτηρίαν τοῦ ἀποτεχθέντος.*
Non parientibus propriam temperiem natura providet, sed coeuntibus: *ὀχευομένοις.* Si quis in hac re auctorem desiderat, habebit *ἀσφαλέστατον*: Aristotelem (Hist. Anim. VI 18 p. 257 ed. Weise stereotyp.): *Ὀρμητικώτερα μὲν οὖν, ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν, πρὸς τὴν ὀχείαν τὴν ἐαρινὴν ὥραν ἐστίν (τὰ ζῳοτοκοῦντα τῶν πεζῶν)· οὐ μὴν τὰ πάντα γε ποιεῖται τὸν αὐτὸν καιρὸν τῆς ὀχείας.*

Digitized by Google

496 E (III 287, 21) *ἄμπελον ἰσημερίας ἐαρινῆς σκάψας μεσοπωρινῆς ἔτρυγησε.*

Lege: *ἀμπελῶν'*. 524 A (III 356, 14) *σιτῶνες, ἀμπελῶνες.*

500 C (III 297, 15) *οὐ μικρὸν δὲ πρὸς εὐθυμίαν ὄφελος, ἂν ἰάσιμον ᾖ τὸ χεῖρον καὶ κουφότερον καὶ ἄσφυκτον.*

Suppleo *ἂν ἰάσιμον ᾖ το χεῖρον* ⟨,⟩ *καὶ κουφότερον καὶ ἄσφυκτον* ⟨*ἐσόμενον*⟩, quod facile excidit ante *Ἡ μὲν οὖν*, quod sequitur.

500 E (III 298, 13) *τὰ μὲν ἐν σαρκὶ νοσήματα σφυγμοῖς καὶ ὤχραις ἐρυθαινόμενα φωρᾶται.*

Haud vidi magis! *οὐδεὶς γὰρ*, ut ipsius Plutarchi verbis utar (299, 12), *πυρετὸν ὑγίειαν ὠνόμασεν οὐδὲ φθίσιν εὐεξίαν οὐδὲ ποδάγραν ποδώκειαν οὐδ' ὠχρίασιν ἐρύθημα.* Exspectemus emendatorem, interim expellamus *ἐρυθαινόμενα*; nam *χρείαις*, quod pro *ὤχραις* Reiskius edidit, rem non expedit: quid enim sunt *νοσήματα ἐρυθαινόμενα*?

504 B (III 307, 5) *ὁ μὲν οὖν μεθύων ληρεῖ παρ' οἶνον, ὁ δ' ἀδόλεσχος πανταχοῦ ληρεῖ, ἐν ἀγορᾷ ἐν θεάτρῳ ἐν περιπάτῳ* [*ἐν μέθῃ*] *μεθ' ἡμέραν νύκτωρ.*

Verba quae inclusi nec Reiskii editio nec versio Xylandri agnoscit; origo patet. Ipsi qui cum ebrio comparatur, attribui non potest ebrietas.

517 A (III 339, 1) *εἴ τις ἀκονίτου γεύοιτο πολυπραγμονῶν τὴν ποιότητα, φθάσει τῆς αἰσθήσεως προανελὼν τὸν προαισθανόμενον.* Xyl.: 'prius perit, quam saporem sentiat' i. e. *τὸν* [*προ*]*αἰσθανόμενον.*

517 D (III 340, 2) *μικρῶν πέφυκας ἢ μεγάλων φιλοθεάμων· εἰ μεγάλων, ἥλιον πολυπραγμόνει* — (Paulo post:) *ἀλλὰ τῶν μεγάλων ἀπέγνωκας; πολυπραγμόνει τὰ μικρότερα.*

Piget monere *φιλοθεάμων* ⟨;⟩ corrigendum esse, non ⟨*ἢ*⟩ *μικρῶν* (editor).

519 A (III 343, 25) *Οἱ δὲ πολυπράγμονες ὡς ἕωλόν τι πρᾶγμα καὶ ψυχρὸν καὶ ἀτράγῳδον φεύγοντες τὴν ἀγροικίαν* (= rusticationem), *εἰς τὸ δεῖγμα καὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τοὺς λιμένας ὠθοῦνται· 'μή τι καινόν;' 'οὐ γὰρ ἦς πρωῖ κατ' ἀγοράν;' 'τί οὖν; ἐν ὥραις τρισὶν οἴει τὴν πόλιν μετακεκοσμῆσθαι;'*

Digitized by Google

Sermonis vices restituit Xylandri versio: 'Novine aliquid? Atqui mane fueras in foro: aut putas, trium horarum spatio urbis statum esse immutatum?' i. e.: *κατ' ἀγοραν*; ['] *τί κτἑ.*

520, C (III 347, 17) Quomodo cuius oculis monstra hominum (qualia sunt *στρουθοκέφαλοι*, similia) frequenter obiciuntur, ille mox nauseat, quamvis sit huiusmodi rerum curiosior, *οὕτως οἱ πολυπραγμονοῦντες τῶν πρώτων ἀναμιμνησκέτωσαν ἑαυτοὺς ὅτι χάριν καὶ ὄνησιν οὐδεμίαν ἤνεγκε.*

Repetit P. quae praecepit 346, 7: *Διὸ καὶ χρήσιμον ὡς ἔνι μάλιστα πρὸς τὴν ⟨τοῦ πάθους* Reiskius = 347, 22⟩ *ἀποτροπὴν τοῖς πολυπράγμοσιν ἡ τῶν προεγνωσμένων ἀνάμνησις*, eorum quae ante cognoverunt recordatio. Praecipit itaque: *τῶν προτέρων ἀναμιμνησκέτωσαν ἑαυτούς.*

521 D (III 350, 14) *τοῦτο μέντοι παντὸς μᾶλλον ἀληθές ἐστιν, ὅτι τὴν αἴσθησιν ὀλίγα* (scr. *ὀλίγιστα*) *κινοῦσιν οἱ πλεῖστα τῇ διανοίᾳ χρώμενοι.*

526 F (III 364, 3) '*γυμνάσια δ' οἷσιν ἐνετράφη Δίρκης θ' ὕδωρ παρῴδευται*'. Plutarchi est *παρῴδευται* (scribe *παροδεύεται*), cetera Euripidis (Phoen. 368, ubi *ἐνετράφην*).

537 A (III 389, 1) *ἔοικεν ὁ μὲν φθόνος ἀόριστος εἶναι —, τὸ δὲ μῖσος ὥρισται, καθ' ὑποκειμένων ἀεί τινων ἀπερειδόμενον πρὸς αὐτόν.*

Pro ultimis verbis restituerim '*προσώπων*' coll. 537 fin. (391, 13): *ὁ φθόνος ἅπτεται μάλιστα τῶν χρηστῶν — ἠθῶν καὶ προσώπων.*

537 D (III 390, 3) *Ἔτι τοίνυν τὸ μὲν φθονεῖν πρὸς οὐδένα γίγεται δικαίως· οὐδεὶς γὰρ ἀδικεῖ τῷ εὐτυχεῖν, ἐπὶ τούτῳ δὲ φθονοῦνται· μισοῦνται δὲ πολλοὶ δικαίως, ὡς οὓς ἀξιομισήτους καλοῦμεν, ἂν μὴ φεύγωσι τοὺς τοιούτους μηδὲ βδελύττωνται καὶ δυσχεραίνωσι.*

Virorum doctorum tentaminibus, quorum nullum satis placet, hoc addo: *μισοῦνται δὲ πολλοὶ δικαίως*, [*ὡς* Reiskius] *οὓς ἀξιομισήτους καλοῦμεν· κἂν μὴ φεύγωσι τοὺς τοιούτους μηδὲ βδελύττωνται* [*καὶ*], *δυσχεραίνουσι* ('atque etiam si tales non fugiant nec respuant, moleste tamen ferunt homines'). *φεύγειν* et

Digitized by Google

βδελύττεσθαι iunguntur etiam 273, 9, IV 408, 13; duo synonyma, vel quae fere sunt, copulare in deliciis habet Plutarchus.

539 D (III 395, 15) ἃ λαμβάνειν ἔδει παρ' ἑτέρων ⟨αὐτοὺς addo⟩ αὐτοῖς διδόντας.

541 E (III 400, 22) 'χειμαζόμενοι μὲν ὥσπερ ὑπὸ δένδρων ὑποφεύγετε, γενομένης δ' εὐδίας τίλλετε παρεξιόντες'.

Aut ego fallor aut graecitas postulat ὥσπερ ὑπὸ δένδρων ⟨μ'⟩ ὑποφεύγετε. Them. 18 Ἔλεγε δὲ τοὺς Ἀθηναίους οὐ τιμᾶν αὐτὸν οὐδὲ θυμάζειν, ἀλλ' ὥσπερ πλατάνῳ χειμαζομένους μὲν ὑποτρέχειν κινδυνεύοντας, εὐδίας δὲ περὶ αὐτοὺς γενομένης τίλλειν καὶ κολούειν non omissum est αὐτῷ sed auditur ὥσπερ πλατάνῳ αὐτῷ ex antecedenti αὐτόν.

543 C (III 405, 1) (Athenienses praeclara facta eius laudantes reprehendit Pericles) ὡς κοινὰ πολλῶν καὶ τῆς τύχης ἔνια μᾶλλον ἢ τῆς ἀρετῆς ἐγκώμια λέγοντας.

Pro ἔνια, quod non vertit Xylander, scribendum videtur ὄντα. De re cf. vitam Pericl. 38.

553 D (III 430, 20) Τὸ δ' ἐν καιρῷ — γενέσθαι τὰς τιμωρίας οὐ βελτίον εἶναι νομίζεις τοῦ ταχὺ καὶ παραχρῆμα; οἷόν ἐστι τὸ κατὰ Κάλλιπον, ᾧ ξιφιδίῳ Φίλος εἶναι δοκῶν ἀπέκτεινε Δίωνα, τούτῳ πάλιν αὐτὸν ὑπὸ τῶν Φίλων ἀποθανεῖν· καὶ τὸ, Μίτυος τοῦ Ἀργείου κατὰ στάσιν ἀναιρεθέντος, ἀνδριάντα χαλκοῦν ἐν ἀγορᾷ θεᾶς οὔσης ἐμπεσεῖν τῷ κτείναντι τὸν Μίτυν καὶ ἀνελεῖν.

Scribo: τὸ [κατὰ] Κάλλιπον — αὐτὸν — ἀποθανεῖν·

555 E (III 436, 9) καίτοι γε πρὸς φυσικὴν πάθους ἀνάγκην ἀντιβῆναι παγχάλεπόν ἐστιν· ὅταν δ' ἄνθρωπος ἢ χρημάτων ἕνεκα πλεονεξίας ἢ φθόνῳ πολιτικῆς δόξης καὶ δυνάμεως ἢ δι' ἡδονήν τινα συνουσίας ἄνομον ἔργον ἐργασάμενος καὶ δεινόν, εἶτα τοῦ πάθους ἀφιεὶς (scr. ἀφεὶς) τὸ διψῶδες καὶ μανικὸν ἐν χρόνῳ καθορᾷ τὰ αἰσχρὰ καὶ φοβερὰ τῆς ἀδικίας πάθη παραμένοντα, χρήσιμον δὲ μηδὲν μηδ' ὀνησιφόρον, ἆρ' οὐκ εἰκὸς ἐμπίπτειν αὐτῷ λογισμόν, ὡς — ἐμπέπληκεν αἰσχύνης — τὸν βίον;

Quomodo fieri potest ut aliquis unius affectus, quo uno laborabat, furore liberatus plures superesse videat? Et quid

Digitized by Google

sunt *τὰ τῆς ἀδικίας πάθη*? An non opponuntur inter se *τὸ 'χρήσιμον μηδέν'* et *'τὰ αἰσχρὰ καὶ φοβερὰ τῆς ἀδικίας πάντα'*?

564 E (III 458, 14) *τοὺς — ἐν σώματι* (corr. *σώμασι*) *καὶ διὰ σωμάτων κολαζομένους.*

579 B (III 496, 25) *δεόμενοι Πλάτωνος — λῦσαι χρησμὸν αὐτοῖς ἄτοπον —. ἦν δὲ χρησμός* (sequuntur verba oraculi).
Quis non vel semisomnus corriget *ἦν δ' ὁ χρησμός*?

580 A (III 499, 8) *φιλοσοφία* professioni suae contrarium facit, *εἰ πᾶν ἐπαγγελλομένη λόγῳ τἀγαθὸν καὶ τὸ συμφέρον διδάσκειν, εἰς θεοὺς ἐπαναχωρεῖ τῆς τῶν πράξεων ἀρχῆς ὡς τοῦ λόγου καταφρονοῦσα, καὶ — πρὸς μαντεύματα τρέπεται καὶ ὀνειράτων ὄψεις.*
Omnia haec obscuravit [*ὡς*] dittographum: 'si, professa se in docendo bono et utili niti ratione, ad deos recurrit contemnens rationem, actionum principium, et ad oracula se convertit et somnia'.

581 F (III 504, 12) *ὡς γὰρ ἐν ἰατρικῇ σφυγμὸς ἢ φλύκταινα μικρὸν οὐ μικροῦ δὲ σημεῖόν ἐστι, καὶ κυβερνήτῃ πελάγους (-γίου?) φθόγγος ὄρνιθος ἢ διαδρομὴ κυνηκίδος ἀρχὰς πνεύματα σημαίνει καὶ κίνησιν τραχυτέραν θαλάσσης· οὕτω μαντικῇ ψυχῇ πτάρμὸς ἢ κληδὼν οὐ μέγα καθ' αὑτὸ σύμβολον δὲ μεγάλου συμπτώματος· οὐδεμιᾶς γὰρ τέχνης καταφρονεῖται τὸ μικροῖς μεγάλα καὶ δι' ὀλίγων πολλὰ προμηνύειν.*
Ad haec caecutio nisi corrigo *τὸ — προμηνῦον* (= *τὸ σημαῖνον* 505, 22).

584 F (III 512, 5) *' — οὕτω καὶ ἀρετῆς ὁμολογεῖς τὸ μὲν ἔργον εἶναι τὸ δ' ἄσκησιν;' ὁμολογήσαντος δὲ τοῦ ξένου, 'Φέρε τοίνυν πρῶτον' εἶπε* (Wyttenb. pro *εἰπέ*) *'τῆς ἐγκρατείας τὸ τῶν αἰσχρῶν καὶ παρανόμων ἡδονῶν ἀπέχεσθαι πότερον ἄσκησιν ἢ μᾶλλον ἔργον καὶ ἀπόδειξιν ἀσκήσεως εἶναι νομίζεις;'*
Xyl. ('Age iam, ut primum de continentia loquamur —') voluisse videtur, et recte, *ἐπὶ τῆς ἐγκρατείας*. In sermonis vicibus *εἶπε* non est opus: vide infra (512, 19) *'πάνυ μὲν οὖν' εἶπεν. 'ἔστιν οὖν τις κτέ.;'* respondet alter.

Digitized by Google

586 A (III 515, 7) *εὑρεῖαι μὲν γὰρ ἀτροποὶ βίων, ὀλίγαι δ' ἃς δαίμονες ἀνθρώπους ἄγουσιν.*

'*εὑρεῖαι*' tot saecula passum, sepeliamus tandem; opponuntur inter se *ὀλίγαι* et *μυρίαι* (IV 459, 7).

594 D (III 537, 20) *Ὀψὲ δ' ἤδη τό τε ψῦχος ἐπέτεινε.* Editori *τε* suspectum fuit: ego malim supplere *Ὀψὲ δ' ⟨ἦν⟩ ἤδη.*

595 B (III 539, 19) '*τὸ δὲ λοιπόν, ὦ ἄνδρες ἀγαθοί, πρὸς τὸ συμπεσὸν ἀντιτάξασθε —.*'

Qui suos modo allocutus est '*ὦ ἄνδρες*' nunc iterum '*ὦ ἄνδρες ἀγαθοί*'? Nonne potius '*ὡς ἄνδρες ἀγαθοὶ — ἀντιτάξασθε*'.?

612 D (IV 1, 12) *τήν τε λήθην οἱ πάτριοι λόγοι καὶ τὸν νάρθηκα τῷ θεῷ συγκαθιεροῦσιν.*

Xyl.: 'nostorum maiorum ritu' i. e. *νόμοι.*

615 A (IV 9, 9) *ὥσπερ οὖν, Φρυνίχου καὶ Αἰσχύλου τὴν τραγῳδίαν εἰς μύθους καὶ πάθη προαγόντων, ἐλέχθη τὸ 'τί ταῦτα πρὸς τὸν Διόνυσον;' οὕτως ἔμοιγε πολλάκις εἰπεῖν παρέστη πρὸς τοὺς ἕλκοντας εἰς τὰ συμπόσια τὸν κυριεύοντα 'ὦ ἄνθρωπε, τί ταῦτα πρὸς τὸν Διόνυσον;' ᾄδειν μὲν γὰρ ἴσως τὰ καλούμενα σκολιά, κρατῆρος ἐν μέσῳ προκειμένου καὶ στεφάνων διανεμομένων, οὓς ὁ θεὸς ἐλευθερῶν ἡμᾶς ἐπιτίθησιν, ⟨εὔλογον⟩ οὐ καλὸν δ' οὐδὲ σωμποτικόν.*

Ex margine Cod. Vindobonensis *εὔλογον* addidi, cetera quae ibi adscripta sunt *λόγοις δὲ γλίσχροις παρὰ πότον κεχρῆσθαι* genuina esse non possunt quia non iam quadrabit '*δέ*' particula (*καλὸν δ'*) et quia si iterum *τοὺς γλίσχρους λόγους* (8, 10 et 12) damnare voluisset Plutarchus, fortiore aliquo verbo usus esset quam '*οὐ καλόν*': contra aptissime iunguntur *εὔλογον, οὐ καλὸν δ' οὐδὲ συμποτικόν*· usus enim scoliorum ratione nititur, quia *πρὸς τὸν Διόνυσον* ('*κρατῆρος ἐν μέσῳ προκειμένου* cett.'), sed non convenit iam convivio quia (ut ex sequentibus apparet) primo communiter una voce cantata, post vicibus coepta sunt cantari, sensimque cesserunt in artem *τοῖς ἀμούσοις* inaccessam; in convivio autem *τὸ κοινὸν* adservandum est.

Digitized by Google

616 B (IV 12, 14) *οὐ γὰρ ἕδρα μὲν ἔστι* (l. *ἔσται*) *καὶ στάσις τοῦ κρείττονος, κατάκλισις δ' οὐκ ἔστιν* (l. *ἔσται*)· *οὐδὲ προπίεται* ⟨*μὲν* Benselerus⟩ *ἑτέρῳ πρὸ ἑτέρου μᾶλλον ὁ ἐστιῶν, περὶ δὲ τὰς κατακλίσεις παρόψεται τὰς διαφοράς.*

616 F (IV 14, 3) *'εἰ δὲ περὶ τἄλλα τὴν ἰσότητα τοῖς ἀνδράσι φυλάξομεν, τί οὐκ ἐντεῦθεν ἀρξάμενοι πρῶτον ἐθίζομεν ἀτύφως καὶ ἀφελῶς κατακλίνεσθαι μετ' ἀλλήλων, εὐθὺς ἀπὸ τῶν θυρῶν ὁρῶντας ὅτι δημόκριτος ἐπὶ τὸ δεῖπνον, καὶ οὐκ**** *ἐξαίρετον ὡς* ⟨*περ ἀκρο*⟩*πόλιν, ἐφ' οὗ κατακλιθεὶς ὁ πλούσιος ἐν τῇ κατακλίσει τοῖς εὐτελεστάτοις;'*

Desperata praeterire praestat, sed nihil hic despero: adscito, ut optimo, Codicis Vd supplemento *'ὥσ*⟨*περ ἀκρό*⟩*πολιν' εἰς ὄνυχα*, quod dicunt, erunt omnia si leviter perpoliveris: *ὁρῶντας ὅτι δημοτικόν ἐστι τὸ δεῖπνον, καὶ οὐκ* ⟨*ἔχει τόπον*⟩ *ἐξαίρετον ὥσ*⟨*περ ἀκρό*⟩*πολιν, ἐφ' οὗ κατακλιθεὶς ὁ πλούσιος ἐν ἴσῃ κατακλίσει τοῖς εὐτελεστάτοις;*

Opponuntur inter se *δημοτικός* et *ἀριστοκρατικός* Pericl. 11 et alibi, *δημοτικός* et *ὀλιγαρχικός* Nic. 11, Mor. IV 329, 26; solum *δημοτικός* (communis) sexcenties invenitur apud Plutarchum.

τόπον ἐξαίρετον IV 15, 14; 22, 5.

ἐφ' οὗ (sc. *τοῦ δείπνου*) Alex. 23 *ἐπὶ τῆς τραπέζης.*

619 A (IV 19, 22) Convivas in symposio ita collocandos esse censet Lamprias ut *'ὁμοῖον'* illud *'ὁμοίῳ'* (Aristot. Eth. Nic. VIII c. 1) nonnisi in placidis moribus servetur; sunt enim etiam *ὁμοιότητες* pugnaces inter se, quales sunt poetarum, quales sophistarum: hi disparandi sunt. *ἀλειπτικοὺς δὲ καὶ κυνηγετικοὺς καὶ γεωργικοὺς συνάγω. τῶν γὰρ ὁμοιοτήτων ἡ μὲν μάχιμος ὥσπερ ἀλεκτρυόνων, ἡ δ' ἐπιεικὴς ὥσπερ ἡ τῶν κολοιῶν* (cf. 902 D, Aristot. Eth. Nic. VIII c. 1, Rhet. I c. XI).

Scire mihi videor quod sit *ἡ ἀλειπτικὴ τέχνη*, quid sint homines *ἀλειπτικοί*, sintne qui *ἀλείφουσιν* an qui *ἀλείφονται*, neque scio neque invenio; sed quidquid sunt, non hos invitasse puto Lamprian cum venandi agrique colendi studiosis, sed *ἁλιευτικούς.*

622 F (IV 30, 9) *καὶ μὴν ἥδιστα τοὺς ἐρωμένους ὁρῶντες οὐχ*

Digitized by Google

ἧττον ἡδέως ἐγκωμιάζουσιν ἢ ὁρῶσι· καὶ πρὸς πάντα λάλος ὢν ἔρως λαλίστατός ἐστιν ἐν τοῖς ἐπαίνοις. αὐτοί τε γὰρ οὕτω πεπεισμένοι τυγχάνουσι καὶ βούλονται πεπεῖσθαι πάντας, ὡς καλῶν κἀγαθῶν ἐρῶντες.

[κἀγαθῶν], quod cum argumento nihil commune habere vel ex ipso Candaulis exemplo allato apparet, expungatur; itidem VI 324, 4 (= 1073 B) κτησάμενον δὲ τοῦτο καὶ γενόμενον καλὸν [κἀγαθὸν] ὑπὸ μηδένος ἐρᾶσθαι.

623 F (IV 33, 15) δοκεῖ δὲ καὶ Καλλισθένης ἐν διαβολῇ γενέσθαι πρὸς αὐτὸν (Alexandrum) ὡς δυσχεραίνων δειπνεῖν διὰ τὸν πότον.

Propter 'δυσχεραίνων' damnum passum est 'δειπνεῖν'; fuit συνδειπνεῖν. I 366, 19 Ἀλεξιδήμου συνδειπνεῖν μὴ θελήσαντος.

624 A (IV 33, 21) Μιθριδάτην δὲ — καὶ πολυφαγίας ἆθλα θεῖναι καὶ πολυποσίας φασί'.

Restitue ἔφασαν sc. convivae; in ordine problematis primus est Alexander (32, 22 Λόγος ἦν περὶ Ἀλεξάνδρου), sequitur Mithridates, tum (ἐκ τούτου) περὶ τῶν πολὺ πιόντων ἦν λόγος (34, 14).

624 C (IV 34, 20) ἀπαλλαττόμενων δὲ τῶν πρώτων, ⟨adde οἱ⟩ δεύτεροι συνῆπτον εἶτ' ἐφέξης οἱ τρίτοι καὶ τέταρτοι.

626 E (IV 41, 20) Θέων ὁ γραμματικὸς — διηπόρησε, τί δήποτε Χρύσιππος ἐν πολλοῖς τῶν παραλόγων καὶ ἀτόπων ἐπιμνησθείς, οἷόν ἐστι τό —, οὐδένος αὐτῶν αἰτίαν ἀπέδωκεν.

τῶν παραλόγων καὶ ἀτόπων si iungitur cum ἐπιμνησθείς, quid est ἐν πολλοῖς? si cum ἐν πολλοῖς, quid est ἐπιμνησθείς? An non ἐν πολλοῖς τῶν παραλόγων καὶ ἀτόπων ἐπιμνησθεῖσιν? Multa memoravit, nullius causam reddidit.

629 C (IV 49, 4) Τῶν εἰς τὰ δεῖπνα καὶ τὰ συμπόσια παρασκευαζομένων τὰ μὲν ἀναγκαίαν ἔχει τάξιν, ὥσπερ οἶνος καὶ σιτία καὶ ὄψα καὶ στρωμναὶ δηλαδὴ καὶ τράπεζαι· τὰ δ' ἐπεισόδια γέγονεν —.

Non necessarium, usititatum tantummodo ordinem habent cibi et opsonia, novari potest: si vis auctorem, ipse Plutarchus est 350, 15: de στρωμνῶν et τραπεζῶν ordine necessario ne

Digitized by Google

disputo quidem. Sed rerum necessariarum loco sunt, *ἀναγκαίων ἴχει τάξιν*: 296, 2 *τὰ φιδίτια συνεδρίων ἀριστοκρατικῶν τάξιν εἶχεν*, V 370, 9 (Empedocles dicit) *τοὺς νῦν ἀνθρώπους τοῖς πρώτοις συμβαλλομένους βρεφῶν ἐπέχειν τάξιν*, ibidem 279, 23 *σπερμάτων ἔχειν τάξιν*, Thes. 25 *Ὁ γὰρ ἐπὶ Μελικέρτῃ τεθεὶς (χὼν) αὐτόθι νυκτὸς ἐδρᾶτο, τελετῆς ἔχων μᾶλλον ἢ θέας καὶ πανηγυρισμοῦ τάξιν.*

633 D (IV 62, 8) *τινὲς δὲ ταῦτα (τὸ σκωφθῆναι εἰς τὸ κυρτὸν καὶ τὰ σωματικά) πρᾴως καὶ μετρίως φέρουσιν, ὥσπερ ὁ φίλος τοῦ Ἀντιγόνου τάλαντον αἰτήσας καὶ μὴ λαβὼν ᾔτησε προπομποὺς καὶ φύλακας 'ὅπως' ἔφη 'μὴ ἐπιβουλευθῶ προστάξας κατ' ὦμου τὸ τάλαντον φέρειν'.*

Wyttenbachium (*προσέτι δόξας*) non movit egregie monens Reiskius desiderari Antigoni aliquod *σκῶμμα*, quod facile tulerit eius amicus. Id revoca: *'ὅπως' ἔφη 'μὴ ἐπιβουλευθῶ', προστ α ί ξ α ν τ ο ς* (sc. *τοῦ Ἀντιγόνου*) *κατ' ὦμου τὸ τάλαντον φέρειν.*

647 C (IV 101, 13) *μάλιστα μὲν γὰρ ὁ ἄκρατος, ὅταν τῆς κεφαλῆς καθάψηται καὶ τ ο ν ώ σ ῃ τὰ σώματα πρὸς τὰς τῶν αἰσθήσεων ἀρχάς, ἐπιταράσσει τὸν ἄνθρωπον·*

Novum verbi monstrum procudit Iunius *καὶ ἀτονώσῃ*, tamen *τὸν καίριον τόπον* tetigit; scribe *κ ά τ ο ν ή σ ῃ τὰ σώματα*. II 454, 2 *ἠτόνει δ' ἡ χείρ*, IV 37, 3 (*ἡ ἕξις*) *ἀτονοῦσα*, VI 109, 5 *ὀφθαλμὸς — μαραυγεῖ καὶ ἀτονεῖ πρὸς τὸ οἰκεῖον ἔργον.*

655 F (IV 126, 3) *ἔθυσεν οὖν ὁ πατὴρ ὥσπερ εἰώθει τὴν θυσίαν, καὶ μετὰ τὸ δεῖπνον, ἐ π α ι ν ο υ μ έ ν ο υ τοῦ οἴνου, τοῖς φιλοσοφοῦσι μειρακίοις μεθ' ἡμῶν προύβαλε ζητεῖν λόγον, ὡς* (scr. *πῶς* cum Vulcobio) *τὸ γλεῦκος ἥκιστα μεθύσκει.*

Immo *ἐ π ι π ι ν ο μ έ ν ο υ*. Non laus vini, sed vinum ipsum appositum *τὸ πρόβλημα* movit ('Post dapes ablatas compotationi vacabant' Reiskius, qui *εἰσαγομένου* volebat). Notetur tempus praesens.

660 B (IV 139, 9) *αἱ μὲν γὰρ παλαιόντων ἐπιβολαὶ καὶ ἕλξεις κονιορτοῦ δέονται, ταῖς δὲ φιλικαῖς λαβαῖς ὁ οἶνος ἀφὴν ἐνδίδωσι μιγνύμενος λόγῳ· λόγος γὰρ α ὐ τ ῷ τὸ φιλάνθρωπον καὶ ἡδυποιὸν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ σώματος ἐποχετεύει καὶ συνδίδωσιν.*

Vim quam vinum habet humanitatem evocandi moresque

Digitized by Google

emolliendi oratio ex corpore in animum derivat: *αὐτοῦ τὸ Φιλάνθρωπον.* (24, 11 *ὁ γὰρ οἶνος ἄξει τὸ ἦθος εἰς τὸ μέτριον*).

665 E (IV 155, 5) *περὶ δὲ τῶν ἐν τοῖς καθεύδουσι μὴ κεραυνουμένων ἀκοῦσαί τι βουλόμενοι λιπαρεῖς ἦσαν.*
ἐν τῷ καθεύδειν?

673 C (IV 179, 7) *Περὶ ὧν ἐγένοντο λόγοι καὶ σοῦ παρόντος ἐν Ἀθήναις ἡμῖν, ὅτε Στράτων ὁ κωμῳδὸς εὐημέρησεν* (*ἦν γὰρ αὐτοῦ πολὺς λόγος*), *ἑστιωμένων ἡμῶν παρὰ Βοήθῳ τῷ Ἐπικουρείῳ· συνεδείπνουν δ' οὐκ ὀλίγοι τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως. εἶθ' οἷον ἐν* (editor pro *οἱονεὶ*) *Φιλολόγοις περιέστησεν ἡ τῆς κωμῳδίας μνήμη τὸν λόγον εἰς ζήτησιν αἰτίας, δί ἣν ὀργιζομένων ἢ λυπουμένων ἢ δεδιότων φωνὰς ἀκούοντες ἀχθόμεθα καὶ δυσκολαίνομεν, οἱ δ' ὑποκρινόμενοι ταῦτα τὰ πάθη — εὐφραίνουσιν ἡμᾶς.*

Maioris lacunae nihil est in hoc dialogo quod suspicionem moveat (lacunam enim statuit Reiskius), est quod suadeat ut tautummodo expleamus *Περὶ ⟨ὑποκριτ⟩ῶν*. Consimile exordium est 710 B (IV 284, 16) *Περὶ ἀκροαμάτων ἐν Χαιρωνείᾳ λόγοι παρὰ πότον ἐγένοντο Διογενιανοῦ τοῦ Περγαμηνοῦ παρόντος.*

676 F (IV 188, 17) *ἡ μὲν πίτυς ἦν στέμμα τῶν ἀγώνων πάτριον, ἐκ δὲ Νεμέας κατὰ ζῆλον ὁ τοῦ σελίνου στέφανος ξένος ὢν ἐπεισῆλθε δι' Ἡρακλέα, καὶ κρατήσας ἡμαύρησεν ἐκεῖνον ὡς ἱερὸν ἐπιτήδειον· εἶτα μέντοι χρόνῳ πάλιν ἀνακτησαμένη τὸ πάτριον γέρας ἡ πίτυς ἀνθεῖ τῇ τιμῇ.*

Id quod latet in *'ἱερὸν ἐπιτήδειον'* estne subiecto an obiecto tribuendum? Illud puto; desideratur enim quo indicetur unde tantum virium habuerit apium ut, quamvis peregrinum, ex aemulatione patriam invaderet patriumque honorem obscuraret: ad quod investigandum si duce utimur Heracle — ipse enim est in causa — huc pervenimus: *ἡμαύρωσεν* (*ὁ τοῦ σελίνου στέφανος*) *ἐκεῖνον ὡς ἡρῷον ἐπινίκιον*. Ex apio coronam primum meruisse Herculem, ex antiquo fonte hausisse, non commentos esse medii aevi auctores persuasum habeo.

679 C (IV 195, 22) In conviviis parandis et iustus numerus convivarum observandus est et causae vocandi ratio habenda: *ποιεῖ δέ τινα τοῦ πολλοῦ τῶν φίλων πλήθους διάκρισιν καὶ ὁ τῆς αἰτίας διηνεκὴς ἐπιλογισμός· ὡς γαρ ἐπὶ τὰς χρείας εὖ*

Digitized by Google

πάντας ἀλλὰ τοὺς ἁρμόττοντας ἑκάστῃ παρακαλοῦμεν —, οὕτως ἐν ταῖς ὑποδοχαῖς ἑκάστοτε τοὺς ἐπιτηδείους παρακληπτέον. ἐπιτήδειοι δὲ τῷ μὲν ἡγεμόνι δειπνίζοντι συνδειπνεῖν οἵ τ' ἄρχοντες, ἐὰν ὦσι Φίλοι, καὶ οἱ πρῶτοι τῆς πόλεως· ἐν δὲ γάμοις ἢ καὶ γενεθλίοις οἱ κατὰ γένος προσήκοντες καὶ Διὸς ὁμογνίου κοινωνοῦντες· ἐν δὲ ταῖς τοιαύταις ὑποδοχαῖς ἢ προπομπαῖς τοὺς ἐκείνων μάλιστα κεχαρισμένους εἰς ταὐτὸ συνακτέον.

Non vocat ὁ ἡγεμών — quod si esset, articulum abesse deberet: ἐπιτήδειοι ἡγεμόνι μὲν δειπνίζοντι — sed vocatur (adverte ἐὰν ὦσι Φίλοι!) ad cenam viaticam, προπομπήν ('afscheidsmaal', cf. 159, 2 προπέμποντας Φίλον): indicantur itaque οἱ ἐπιτήδειοι τῷ ἡγεμόνα δειπνίζοντι.

683 C (IV 207, 3) ἄλλος δέ τις ἔφη τὸ καλὸν ἐκ πάντων συντεθὲν μόνῳ τούτῳ τῶν ἀκροδρύων (sc. τῷ μήλῳ) ὀρᾶν ὑπάρχον· καὶ γὰρ τὴν ψαῦσιν ἔχει καθάριον, ὥστε μὴ μολύνειν ἀλλ' εὐωδίας ἀναπιμπλάναι τὸν ἁπτόμενον, καὶ τὴν γεῦσιν ἡδεῖαν, ὀσφραίνεσθαί τε καὶ ἰδεῖν ἐπιτερπέστατόν ἐστι·

Nihil 'fragrantiae' est cum tactu et inquinatione, et odorandi sensus post memoratur, sed εὐδίας ἐμπίμπλατοι ὁ ἁπτόμενος, quae sicut γαλήνη (120, 4) — saepe hae iunguntur — non animi tantum est sed etiam corporis: 215, 9 τοῦ σώματος εὐδίαν καὶ γαλήνην ἔχοντος, 145, 12 καὶ τροφὴ παρελθοῦσα μεθ' ἡδονῆς εὐθὺς ἔλυσε τὰ δυσχερῆ πάντα καὶ κατέστησεν εἰς τὸ οἰκεῖον τὴν φύσιν, ὥσπερ εὐδίας καὶ γαλήνης γενομένης.

685 B (IV 212, 16) — ὧν οὐδενὸς λείπεται χρείᾳ τὸ τῶν ἁλῶν, θρίγκωμα τῆς τροφῆς γιγνόμενον εἰς τὸ σῶμα καὶ παρέχον εὐαρμοστίαν αὐτῇ πρὸς τὴν ὄρεξιν.

Pro ineptis verbis εἰς τὸ σῶμα substitue εὐστομίᾳ. 687 D (IV 219, 20) αἱ τῶν ἐφάλμων βρωμάτων εὐστομίαι καὶ δριμύτητες ἐπιστρέφουσαι καὶ πυκνοῦσαι τὸν στόμαχον ἢ πάλιν ἀνοίγουσαι καὶ χαλῶσαι δεκτικήν τινα τροφῆς εὐαρμοστίαν περιειργάσαντο περὶ αὐτόν, ἣν ὄρεξιν καλοῦμεν (ubi in transcursu dittographiam removebis [περι]ειργάσαντο περὶ, cf. 687 B 218, 14 ἄχρι οὗ τὸ θερμὸν ἐμβριθοῦς τροφῆς ὄρεξιν ἐργάσηται).

688 A (IV 220, 21) ποτίζομεν[α] καὶ ψύχομεν[α] ante Madvigium Xyl.: 'irrigatione utimur et refrigeratione'.

Digitized by Google

689 B (IV 224, 13) *πᾶσι γὰρ ὄντων πόρων, ἄλλος πόρος ἄλλας συμμετρίας ἔχει· ὧν οἱ μὲν εὐρύτεροι τὴν ξηρὰν ἅμα καὶ τὴν ὑγρὰν τροφὴν ἀναλαμβάνουσιν, οἱ δ' ἰσχνότεροι* —.

Retineo quod traditur *ἔχοντων* pro *ἔχει· ὧν* et scribo: *πᾶσι γὰρ ὄντων πόρων, ἀλλὰ ς πρὸ ς ἄλλα[ς] συμμετρίας ἐχόντων, οἱ μὲν* —.

689 fin. (IV 226, 17) *ἡ γὰρ ὑγρότης τὰ ὑπόντα σιτία περισκελῆ καὶ γλίσχρα βρέξασα καὶ διαχέασα, χυμῶν ἐγγενομένων καὶ ἀτμῶν, ἀναφέρει τ ο ύ τ ο υ ς εἰς τὸ σῶμα καὶ προστίθησι τοῖς δεομένοις.*

Lege *τ ο ύ τ ο ι ς*. Sequitur *ὅθεν οὐ κακῶς ὄ χ η μ α τ ῆ ς τ ρ ο φ ῆ ς τὸ ὑγρὸν ὁ Ἐρασίστρατος προσεῖπε.*

692 C (IV 234, 6) *ἐξευνουχίζουσι τὸν ἄκρατον καὶ ἀπιδηλύνουσιν οἱ διηθοῦντες, οὔτε Φορεῖν ὑπ' ἀσθενείας οὔτε πίνειν τὸν μέτριον δυνάμενοι διὰ τὴν ἀκρασίαν.*

Ante vel post *Φορεῖν* desideratur ⟨*τὸν πολὺν*⟩; 23, 22 *ὅτι Φέροι καλῶς πολὺν ἄκρατον.*

697 B (IV 247, 10) *πρὸς δὲ τὴν λεγομένην περιπλοκὴν καὶ σύνδεσιν ἀντιπράττουσι δ ι ά λ υ σ ι ν· διαλύειν γὰρ μάλιστα πεΦύκασι.*

Manifestam dittographiam non agnoscit Xyl. versio, et tacite removit Reiskius in editione.

698 D (IV 251, 18) *ἔτι τοίνυν καὶ τοὺς ἀτρέμα πίνοντας ἴσμεν τὰς κοιλίας ὑγροτέρας ἴσχοντας τῶν ἄθρουν ἐΦελκομένων τὸ ὑγρόν· ὠ θ ε ῖ γὰρ εὐθὺς εἰς κύστιν ὑπὸ ῥύμης διεξιόν· ἐκείνως δὲ μᾶλλον ἐνδιατρίβει τοῖς σιτίοις καὶ μαλάσσει, ὥστ' ἀναμίγνυσθαι καὶ παραμένειν. οὐκ ἂν δὲ ταῦτα συνέβαινε διακρινομένων εὐθὺς ἐν τῇ κατα πόσει τῶν ὑγρῶν ἀλλ' οὐ συμπλεκομένων ἡμῶν ἅμα καὶ συμπαρα πεμπόντων τὸ σιτίον.*

Sensu cassa, nisi [*ἡμῶν*] abicias; *συμπλεκομένων* sc. *τῷ σιτίῳ*. Praeterea *ὠθεῖ τ α ι* scribendum est, cf. 109, 12 *οὐ γὰρ ἐνδιατρίβειν τὸν ἄκρατον αὐτοῖς, ἀλλ' ἐξωθούμενον ῥύμῃ διαπορεύεσθαι διὰ τοῦ σώματος*, ubi bene habet *ῥύμῃ* (= *ὑπὸ ῥύμης*), non *ῥύδην* (Reisk.).

699 D (IV 254, 23) *πιθανὸν γάρ ἐστι τὴν μὲν ἐπιγλωττίδα*

Digitized by Google

τῆς ἀρτηρίας προκεῖσθαι διάφραγμα καὶ ταμιεῖον, ὅπως ἀτρέμα καὶ κατ' ὀλίγον διηθῆται τὸ ποτόν —.

Aut [καὶ] ταμιεῦον aut quod praefero propter duorum nominum copulationem καὶ ταμίαν, sicut apud Platonem (Tim. 84, d) ὁ πλεύμων τῶν πνευμάτων ταμίας dicitur.

700 D (IV 257, 17) Propositam inter amicos περὶ τῶν 'κερασβόλων' σπερμάτων quaestionem solvere diu recusaverat Plutarchus, vix tandem succumbit: καὶ πολλάκις ἀπειπάμεθα τοῖς φίλοις, οὐχ ἥκιστα Θεοφράστου δεδιττόμενοι τὸν λόγον, ἐν οἷς πολλὰ συναγήοχε καὶ ἱστόρηκε τῶν τὴν αἰτίαν ἀνεύρετον ἡμῖν ἐχόντων·

Feliciter Emperius pro αἰνίττεσθαι verbo restituit δεδίττεσθαι, quam autem sententiam efficiat forma nominativi δεδιττόμενοι me quidem latet. Hoc enim vult Plutarchus: 'saepe amicis recusavimus causae explanationem recipere, Theophrasto maxime deterrente, ubi is multa contulit eqs.' Itaque interpunctione mutata, ut τὸν λόγον pendeat ab ἀπειπάμεθα servataque forma genitivi, scribendum erit: καὶ πολλάκις ἀπειπάμεθα τοῖς φίλοις, οὐχ ἥκιστα Θεοφράστου δεδιττομένου, τὸν λόγον —.

ἀπολέγεσθαι c. objecto = recusare 329, 11 ἀπολέγεσθαι τὰς κλήσεις, Vita Sol. 12 τῆς θεοῦ τὴν ἱκεσίαν ἀπολεγομένης.

λόγος = explanatio 262, 24 ἐδόκει δὲ πρὸς τοῦτον ὑπεναντιοῦσθαι τὸν λόγον Ἀριστοτέλης, et passim in problematis.

δεδίττεσθαι = absterrere 408, 23 ᾧ μάλιστα δεδίττεται Πεισίας ἡμᾶς, et saepius.

ἐν οἷς = V 255, 4 ἐν οἷς — φησι ('waar' hij zegt —).

Tandem itaque rem suscipit, sed hac lege:

701 A (IV 259, 5) 'ἐὰν καὶ σὺ διαλύσῃς ἕνια τῶν ἐκκειμένων'. Nemo hanc legem dicit! Sed ut alter quoque solvat ἕν τι. (459, 10 ἕν τι et passim).

Nondum digredior: vix et aegre, repeto, rem suscipit: 'ἐξεύρηκα' exclamat 'Φάρμακον, ᾧ πρὸς τὸν λόγον ἐΦ' ἡμᾶς προσάξεις τουτονί, ἐὰν καὶ σὺ διαλύσῃς ἕν τι τῶν ἐκκειμένων'. Ocius corrige 'ΕΘ' ἡμᾶς.

701 E (IV 261, 14) ῥηθέντων δὲ τούτων, χαίρειν ἐάσαντες τὸν Ἡσίοδον ἐπὶ τὸ ζητεῖν τὴν αἰτίαν τῆς διαφορᾶς ὥρμησαν.

Digitized by Google

Ὁ μὲν οὖν τοῦ μέλιτος λόγος οὐ πάνυ πολλὰ πράγματα παρέσχεν ἡμῖν.

L. ὡρμήσαμεν.

704 C (IV 269, 6) Ἐν Πυθίοις Καλλίστρατος, τῶν Ἀμφικτυόνων ⟨ὢν Wyttenb.⟩ ἐπιμελητής —.

Aures consulenti praestare videbitur ⟨εἷς⟩ τῶν Ἀ. ἐπιμελητής, 638 B (IV 75, 9) ὁ Λυσίμαχος, εἷς τῶν Ἀμφικτυόνων ἐπιμελητής et (addito participio) 181 C (II 25, 25) Ταξίλης, εἷς τῶν Ἰνδῶν βασιλεὺς ὤν.

705 F (IV 273, 7) ἐγκέκλικε καὶ παρέδωκε (l. παραδέδωκε).

706 C (IV 274, 20) 'τί οὖν' ἔφη —.

ἔφη ⟨ὁ Καλλίστρατος⟩ Amyotus. Xyl.: 'inquam' i. e. ἔφην.

708 E (IV 280, 25) Cenae participum tria genera esse possunt: qui vocant, qui vocantur, qui a vocatis vocantur ('umbrae'): 'ἐπεὶ δὲ, ὥσπερ οἱ Περιπατητικοὶ λέγουσι, τὸ μὲν πρῶτον Φύσει κινοῦν μὴ κινούμενον δ' εἶναι, τὸ δ' ἔσχατον κινούμενον μηδὲ [ἓν δὲ secludo] κινοῦν· μεταξὺ δ' ἀμφοῖν τὸ καὶ κινοῦν ἕτερα καὶ κινούμενον ὑφ' ἑτέρων· οὕτως' ἔφην 'ὁ λόγος, τριῶν ὄντων ⟨ὧν Reisk.⟩ ὁ μὲν καλῶν μόνον ὁ δὲ καλούμενος, ὁ δὲ καὶ καλῶν καὶ καλούμενός ἐστιν, εἴρηται μὲν περὶ τοῦ καλοῦντος· οὐ χεῖρον δ' ἐστὶ καὶ περὶ τῶν ἄλλων' ἔφην 'ἅ γ' ἐμοὶ δοκεῖ, διελθεῖν'.

Reiskii supplementum recepit editor, ita ut, si quid perspicio in his tenebris, struendum esset οὕτως, τριῶν ὄντων —, εἴρηται μὲν ὁ λόγος —. Xylandro non minus molestiae peperit ὁ λόγος: 'ita ratio docet tres esse in convivali re'. Tamen non inextribilis error est hic Labyrinthus, siquidem satis constat sententia: 'Cum, quemadmodum Peripatetici ex tribus rerum naturam constare affirmant, sic etiam convivium ex tribus constet, postquam de uno dictum est, etiam de reliquis est dicendum': ἐπεὶ δὲ, ὥσπερ — οὕτως, ἔφην, ⟨περὶ ὧν⟩ ὁ λόγος τριῶν ὄντων, ὁ μὲν καλῶν μόνον ὁ δὲ καλούμενος, ὁ δὲ καὶ καλῶν καὶ καλούμενός ἐστιν, εἴρηται μὲν περὶ τοῦ καλοῦντος, οὐ χεῖρον δ' ἐστὶ καὶ περὶ τῶν ἄλλων — διελθεῖν. Haec ultima per parataxin sunt posita = εἰρημένου περὶ τοῦ καλοῦντος οὐ χεῖρόν ἐστι —. Postquam περὶ ὧν in τριῶν abiit, pro dittographo deletum est et periit.

Digitized by Google

722 D (IV 319, 6) *'εἶτ'' ἔφη 'τί παθόντες, ὦ πρὸς Διός, †εἶπας τῶι† θεωρητὰ κινήματα τοῦ ἀέρος οἰόμεθα δεῖν αἰτιᾶσθαι, τὸν δ' ἐμφανῆ σάλον καὶ σπαραγμὸν αὐτοῦ παρορῶμεν;'*

Doehneri coniectura *'εἶπατε, τὰ ἀθεώρητα'* tam certa non videtur ut non liceat suspicari *ἀεί ποτε τἀθεώρητα* —.

723 F (IV 323, 1) *οὔτε γὰρ δάφνην οὔτ' ἐλαίαν οὔτε μυρσίνην οὔτ' ἄλλο τι τῶν μὴ Φυλλορροεῖν λεγομένων ὁρῶμεν ἀεὶ ταὐτὰ φύλλα διατηροῦν, ἀλλὰ τοῖς πρώτοις ἀπορρέουσιν ἑτέρων ἐπιβλαστανόντων, ὥσπερ πόλεις, ἕκαστον ἀείζωον διαμένει καὶ ἀμείλικτον· ὁ δὲ φοίνιξ οὐδὲν ἀποβάλλων ἀφ' αὑτοῦ τῶν φυομένων βεβαίως ἀείφυλλός ἐστι.*

ἀνέκλειπτον Reiskius; rebus magis convenire videtur 'sine intermissione': *ἀδιάλειπτον*. I 260, 10 *ἀδιαλείπτως*, 297, 26 *ἀδιαλείπτου εὐφημίας*.

727 B (IV 332, 18) — *εἰς τοὺς ⟨περὶ⟩ Reisk.⟩ Πυθαγόρου λόγους προήχθη· καὶ Τυρρηνὸν ἀπέφηνεν, οὐ πατρόθεν ὥσπερ ἕτεροί τινες, ἀλλ' αὐτὸν ἐν Τυρρηνίᾳ καὶ γεγονέναι καὶ τεθράφθαι καὶ πεπαιδεῦσθαι τὸν Πυθαγοραν[·] ἰσχυριζόμενος οὐχ ἥκιστα τοῖς συμβόλοις* —.

Distinctionem removi.

730 B (IV 340, 17) — *ὅσα γαλῇ καὶ μυίᾳ κατοικιδίῳ μικρολόγως ἐγκαλοῦμεν* —.

Non succurrit — si minus Horatii satura (II 6, 80) — at Fontani fabella quam in schola puer edidicisti:

'Autrefois la mouche de ville
Invita la mouche des champs' —?

733 F (IV 350, 15) *αἱ γὰρ κακλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι πρότερον, ὀστρέων, ἐχίνων, ὠμῶν λαχάνων, ὥσπερ ἐλαφρῶν ὁ Πλάτων, ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μετα⟨τα⟩χθεῖσαι* (Doehnerus) *τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης τάξιν ἔχουσιν.*

Prope a vero afuit Turnebus *'ὁπλιτῶν'*, tetigit editor *'ὅπλων'*, si ab ineptiis temperavisset: 'Fortasse *ἐλαφρῶν ⟨ὅπλων ἢ φησιν⟩ ὁ Πλάτων* cf. de Legg. p. 625 d', quem locum si vacat evolvere, nihil praeter vulgatissima verba *'ἐλαφρὰ ὅπλα'* invenies quod vel procul pertineat ad rem.

Digitized by Google

741 C (IV 373, 18) '— *τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις ἐρᾷ τοὺς δ' Ἀκαδημαϊκοὺς λόγοις ἀρτιάζοντας* (corr. Wytt. ex *λόγους ἁρπάζοντας*)· *οὐδὲν γὰρ οἱ τοιοῦτοι στόμαχοι διαφέρουσι τῶν ἐρωτώντων, πότερον ἄρτια τῇ χειρὶ συνειλημμένα ἢ περιττὰ συντείνουσιν*'.

Non *λογομάχοι* (Doehnerus), puto, sed *στοχασμοὶ* revocandum est. Huiusmodi orationis licentia (*οἱ τοιοῦτοι στοχασμοί* = *οἱ οὕτω στοχαζόμενοι*), nequaquam rara, haud semel utitur Plutarchus: VI 363, 8 *τοῖς ἐκείνων* (sc. *αἰσχροῖς ῥήμασι*) *παραβαλλόμενος ὁ Κωλώτης εὐφημότατος ἀνδρῶν φαίνεται*, Sert. 1 *ἐπανίσωσεν ἑαυτὸν ἐμπειρίᾳ μὲν τῇ Μετέλλου, τόλμῃ δὲ τῇ Πομπηΐου κτέ.*

743 A (IV 378, 11) *οἱ δικασταὶ τῷ μηδὲν ἀμφισβητήσιμον ἔχοντι προστίθενται, τὸν ἀσαφέστερον ἐάσαντες*·

Xyl.: 'id amplectuntur quod nihil habet controversiae, obscuriore repudiato' i. e. *τἀσαφέστερον*.

752 A (IV 405, 5) *κονίεται δὲ* —.

Xyl.: 'Itaque in pulvere versatur' i. e. *δή*.

752 C (IV 406, 1) — *κοπίδας καὶ φάρμακα καὶ μαγεύματα ἀκολάστων γυναικῶν.*

Unde hic *κοπίδες*, *σκεύη μαγειρικά* (I 390, 8)? An *κάλπιδας*? Cf. Athen. 553 d

> *ἐκ χρυσοκολλήτου γε κάλπιδος μύρῳ* (sc. *χρίεται*)
> *Αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας καὶ τὰ σκέλη κτέ.*

754 F (IV 412, 20) Ismenodora Bacchonis amore capta *παρεφύλαττε τὴν ὥραν, ἣν ὁ Βάκχων ἔθος εἶχεν ἀπιὼν εἰς παλαίστρας παρὰ τὴν οἰκίαν αὐτῆς παρεξιέναι κοσμίως· ὡς οὖν τότε προσῄει μετὰ δυεῖν ἢ τριῶν ἀλληλιμμένος* —.

Qui unctus est et quem amici comitantur, ἐκ *παλαίστρας* redire manifestum est.

755 E (IV 415, 3) *ἐν Αἰγύπτῳ ποτὲ γείτονας ἑώρων δύο διαμφισβητοῦντας, ἕρπων προσερπύσαντος εἰς τὴν ὁδὸν, ἀμφοτέρων μὲν ἀγαθὸν δίκαιον καλούντων, ἑκατέρου δ' ἔχειν ἀξιοῦντος ὡς ἴδιον.*

Controversia non est si alterutri adrepsit serpens, est si in viam utriusque mediam prorepsit: *προερπύσαντος*.

Digitized by Google

757 D (IV 420, 3) *καὶ κτείνοντας μὲν καὶ κτεινομένους ἀνθρώπους ὅπλα τε καὶ βέλη καὶ τειχομαχίας ἔστι τις ἐφορῶν θεὸς Ἐνυάλιος καὶ Στράτιος· πάθους δὲ γάμου καὶ φιλότητος εἰς ὁμοφροσύνην καὶ κοινωνίαν τελευτώσης σὺδεὶς θεῶν μάρτυς — γέγονεν;*

Obvia est emendatio *⟨συμ⟩πάθους δὲ γάμου*. I 343, 22 *τὴν γυναῖκα τοῖς τοῦ ἀνδρὸς συμπαθεῖν καλὸν καὶ τὸν ἄνδρα τοῖς τῆς γυναικός, ἵνα — ἡ κοινωνία σῴζηται*, 342, 2 *δεῖ τὴν γυναῖκα μηδὲν ἴδιον πάθος ἔχειν, ἀλλὰ κοινωνεῖν τῷ ἀνδρὶ καὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς καὶ συννοίας καὶ γέλωτος.*

760 A (IV 428, 3) *ἐπιδημήσαντος οὖν Φιλίππου τοῦ βασιλέως, ἐπίδοξος ἦν διὰ τῆς γυναικὸς ὁ Φάυλλος ἐκπρεποῦς οὔσης, εἰ συγγένοιτο τῷ Φιλίππῳ, διαπράξασθαί τινα δυναστείαν αὐτῷ καὶ ἀρχήν.*

Xyl.: 'apparebat (immo 'vulgo expectabant') hunc, si uxorem — regi abutendam praeberet, magistratum aliquem sibi et principatum impetraturum' i. e. *διαπράξεσθαι*.

762 B (IV 434, 2) *μετὰ δὲ τὴν ἰσχὺν τοῦ Ἔρωτος οὖσαν τοσαύτην ἤδη τὴν πρὸς ἀνθρώπους εὐμένειαν καὶ χάριν ἐπισκοπῶμεν, οὐκ εἰ πολλὰ τοις χρωμένοις ἀγαθὰ περιποιεῖ (δῆλα γάρ ἐστι ταῦτά γε πᾶσιν) ἀλλ' εἰ πλείονα καὶ μείζονα τοὺς ἐρῶντας αὐτοὺς ὀνίνησιν.*

Οἱ *ἐρῶντες αὐτοί* opponuntur non *τοῖς χρωμένοις τῷ Ἔρωτι* — ipsi etiam utuntur —, sed *τοῖς ἐρωμένοις*.

762 C (IV 434, 15) *δωρητικὸς δὲ καὶ ἁπλοῦς καὶ μεγαλόφρων γίγνεται πᾶς ἐραστής, κἂν γλίσχρος ᾖ πρότερον.*

Non hic primum datur Plutarchum ex Plutarcho emendare: cf. 29, 16 *Φειδωλὸς ἀνήρ [τε] καὶ μικρολόγος ἐμπεσὼν εἰς ἔρωτα — ἁπαλὸς καὶ ὑγρὸς καὶ ἡδίων.*

762 D (IV 435, 8) *ἐκ δὲ δυσκόλων καὶ σκυθρωπῶν τοῖς συνοῦσιν οὐ ποιεῖ (ὁ Ἔρως) φιλανθρωποτέρους καὶ ἡδίους;*

'αἰθομένου γὰρ πυρὸς γεραρώτερον οἶκον ἰδέσθαι'

καὶ ἄνθρωπον ὡς ἔοικε φαιδρότερον ὑπὸ τῆς ἐρωτικῆς θερμότητος.

Accusativi *οἶκον* et *ἄνθρωπον* librario debentur, infinitivi *ἰδέσθαι* usum ignoranti. Cf. 100 D (I 244, 17) *'αἰθομένου δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι'* et scribe:

Digitized by Google

'αἰθομένου' γὰρ 'πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι' καὶ ἄνθρωπος — φαιδρότερος —.

764 C (IV 441, 16) *δείκνυσιν ἥλιος μὲν ἐπὶ γῆς τὰ καλὰ καὶ τὰ αἰσχρὰ τοῖς ὁρῶσιν· Ἔρως δὲ μόνων τῶν καλῶν φέγγος ἐστί.*

L. *ἐπίσης*, pariter. Fab. Max. 10 et saepius.

765 D (IV 445, 2) *τρέπονται πρὸς ἕτερους ὥσπερ αἱ μέλιτται —· ὅπου δ' ἂν ἔχωσιν ἴχνος τι τοῦ θείου —, ὑΦ' ἡδονῆς καὶ θαύματος ἐνθουσιῶντες καὶ περισπῶντες εὐπαθοῦσι τῇ μνήμῃ —.*

Amplexandus Reiskius: '*περιέποντες*', quod tuentur, si opus, quae 180, 5 leguntur: *καθάπερ ἡ μέλιττα πᾶσαν ὕλην, ᾗ τι μελιτῶδες ἐγκέκραται, περιέπει καὶ διώκει, οὕτως ὁ ἄνθρωπος —.*

766 E (IV 448, 9) *Ἔτι τοίνυν ἃς λέγουσιν αἰτίας καὶ γενέσεις Ἔρωτος, ἴδιαι μὲν οὐδετέρου γένους εἰσὶ κοιναὶ δ' ἀμΦοτέρων· καὶ γὰρ εἴδωλα δήπουθεν ἐνδυόμενα τοῖς ἐρωτικοῖς καὶ διατρέχοντα κινεῖν καὶ γαργαλίζειν τὸν ὄγκον εἰς σπέρμα συνολισθάνοντα τοῖς ἄλλοις σχηματισμοῖς οὐ δυνατὸν μὲν ἀπὸ παίδων, ἀδύνατον δ' ἀπὸ γυναικῶν; καὶ τὰς καλὰς ταύτας καὶ ἱερὰς ἀναμνήσεις καλοῦμεν ἡμεῖς ἐπὶ τὸ θεῖον καὶ ἀληθινὸν καὶ ὀλύμπιον ἐκεῖνο κάλλος, αἷς ψυχὴ πτεροῦται, τί⟨οὖν⟩ add. B⟩ κωλύει γίγνεσθαι μὲν ἀπὸ παίδων καὶ ἀπὸ νεανίσκων, γίγνεσθαι δ' ἀπὸ παρθένων καὶ γυναικῶν, ὅταν ἦθος ἀγνὸν καὶ κόσμιον ἐν ὥρᾳ καὶ χάριτι μορΦῆς διαΦανὲς γένηται, καθάπερ ὄρθιον ὑπόδημα δείκνυσι ποδὸς εὐΦυΐαν, ὡς Ἀρίστων ἔλεγεν· ὅταν ἐν εἴδεσι καλοῖς καὶ καθαροῖς σώμασιν ἴχνη λαμπρὰ καὶ κείμενα ψυχῆς ὀρθὰ καὶ ἄθρυπτα κατίδωσιν οἱ δεινοὶ τῶν τοιούτων αἰσθάνεσθαι;*

Amorem in feminas et amorem puerorum ex communi fonte prolabi Plutarchi pater, illius amoris patronus, inde efficit quod si (in amore vulgivago) imagines quae semen genitale excitent, tam a feminis quam a pueris proficisci possint, nihil vetet (in amore caelesti) ab utrisque etiam divinae illas veraeque pulchritudinis recordationes evocari. Unde primum quidem corrigendum erit: *οὐ* (nonne) *δυνατὸν μὲν ἀπὸ παίδων*, [*ἀ*]*δυνατὸν δ' ἀπὸ γυναικῶν*; (simili anaphora mox utitur '*γίγνεσθαι μὲν — γίγνεσθαι δὲ —*'). Praeterea maculata sunt '*καλοῦμεν ἡμεῖς*' neque ea purgavit editor proponens '*ἃς ἀνακαλοῦμεν ἡμεῖς*', cum non

Digitized by Google

potius revocemus recordationes quam ab ipsis revocemur, nec non plane otiosum sit 'ἡμεῖς'. Meminerimus, censeo, quid paulo ante (765 E = 445, 23 sqq.) in imagine arcus pluvii de pulchritudine repercussa idem ille dixerit, et scribamus ⟨ἀνα⟩κλωμένας ἐπὶ τὸ θεῖον. Cf. V 404, 23 ἀνακλωμένης ἐπὶ τὸν ἥλιον τῆς ὄψεως, 447, 23 ἀνακλᾶν ἐπί.

Tertium mendum est in 'λαμπρὰ καὶ κείμενα ψυχῆς', ubi Reiskius, sentiens desiderari aliquid quo ipsius animi praestantia indicetur, scripsit 'ἴχνη λαμπρὰ ἐκκείμενα ψυχῆς ὀρθῆς καὶ ἀθρύπτου' paulo audacius. De καὶ et ς confusis egimus ad 459 C (III 195, 12): scribimus ἴχνη λαμπρᾶς κείμενα ψυχῆς, cf. IV 430, 6 ἄνδρα λαμπρὸν ὄντα τὴν ψυχήν, V 88, 17 ἀνδρὶ λαμπρῷ τὴν ψυχήν, Marcell. 10 Ὁ δὲ Μάρκελλος ἀνελεῖν μὲν ἀνδρα (Bandium, quem Hannibal propter virtutem ἀφῆκεν ἄνευ λύτρων) λαμπρὸν οὕτω τὴν ψυχὴν — οὐχ ὅσιον ἡγεῖτο, ubi inepte traditur λαμπρὸν οὕτω τὴν τύχην, Artax. 6 λαμπρὸν ἄνδρα τῇ ψυχῇ (?)

769 F (IV 457, 15) ἀλλ', ὥσπερ ὑγρῶν πρὸς ἄλληλα συνπεσόντων, ποιεῖν τινα δοκεῖ ζέσιν ἐν ἀρχῇ καὶ τάραξιν ὁ Ἔρως, εἶτα χρόνῳ καταστήσας καὶ καθαιρεθεὶς τὴν βεβαιοτάτην διάθεσιν παρέσχεν.

Xyl. 'subsidens et repurgatus' i. e. καταστὰς (sic etiam Reiskius) καὶ καθαρθείς. (καθαιρεθείς, 'bezonken', non moverim).

776 B (V 1, 9) Noli putare qui ad homines potentes se applicant, ambitionis crimini obnoxios esse: ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον, φιλόδοξός ἐστι καὶ ψοφοδεὴς ὁ φεύγων καὶ φοβούμενος ἀκοῦσαι λιπαρὴς τῶν ἐν ἐξουσίᾳ καὶ θεραπευτικός. ἐπεὶ τί φησιν ἀνὴρ θεραπευτικὸς καὶ φιλοσοφίας δεόμενος; 'Σίμων οὖν γένωμαι ὁ σκυτοτόμος ἢ Διονύσιος ὁ γραμματιστὴς ἐκ Περικλέους ἢ Κάτωνος, ἵνα μοι προσδιαλέγηται ὡς (corrige ὁ) Σωκράτης ἐκεῖνος;'

Frequenti errore ex altero verbo ('θεραπευτικός') damnum tulit alterum: ἐπεὶ τί φησιν ἀνὴρ θερπείας καὶ φιλοσοφίας δεόμενος; In verbis 'λιπαρὴς τῶν ἐν ἐξουσίᾳ καὶ θεραπευτικός' nihil χειρουργητέον: etiam Alcib. et Coriol. syncr. 4 ad utrumque adiectivum genitivus pertinet: τὸ μὴ λιπαρῆ μηδὲ θεραπευτικὸν

Digitized by Google

ὄχλων εἶναι καὶ Μέτελλος εἶχε. ('Vix Graecum puto λιπαρής τινος' Reisk.).

776 E (V 3, 1) πόλει τε καὶ στρατοπέδοις καὶ Φυτείαις —. 'urbes' Xyl. = πόλεσι.

776 F (V 3, 11) τὸ ἠρύγγιον λέγουσι μιᾶς αἰγὸς εἰς τὸ στόμα λαβούσης, κὐτήν τε πρώτην ἐκείνην καὶ τὸ λοιπὸν αἰπόλιον ἵστασθαι.
Frustra Herwerdenus κἄτα pro καὶ in parataxi (= 139, 14 πρῶτός τις ἀπόλωλε καὶ δεύτερος κυνηγετεῖται, 473, 9 ἅμα γὰρ ἀπιοῦσα πολλὴ (ἡ θερμοτὴς) φαίνεται καὶ ψύχεται τὸ ὑπολειπόμενον).

777 B (V 4, 8) ἐν γωνίᾳ τινὶ καθ' ἡσυχίαν ἀναλύων συλλογισμοὺς καὶ περιέλκων φιλοσόφων.
Ex Vulcobii exemplari citatur πλέκων, cf. Epictet. II 13, 26 εἰς τὴν γωνίαν ἀπελθὼν κάθησο καὶ πλέκε συλλογισμούς. Praeterea supplendum et corrigendum ⟨καὶ⟩ φιλοσοφῶν.

777 C (V 5, 7) οὐχ ὥσπερ ἐν μεθορίῳ τοῦ ἐπιθυμοῦντος καὶ τοῦ μετανοοῦντος τὸ τραχὺ καὶ ταραχῶδες [καὶ τὸ] ἡδόμενον.
Ita secundum Xylandri versionem 'non tanquam in confinio concupiscentiae et poenitentiae asperum ac tumultuosum gaudium'.

788 D (V 35, 10) στρατηγοὺς — τοῖς πολεμίοις διαβάντας εὖ μάχεσθαι δυναμένους.
Verba εὖ διαβάντας in ordinem coegit librarius, ignarus ex Iliade esse (XII 458 εὖ διαβάς)!

795 A (V 52, 10) (post ἔσται et κάτεισι) — παρίησιν.
Xyl.: 'relinquet' i. e. παρήσει.

795 B (V 52, 23) Τούτου δὲ πολιτικώτερον, μὴ μόνον ἐμφανῶς μηδὲ δημοσίᾳ ὀνειδίζων ἄνευ δήγμοῦ σφόδρα κολούοντος καὶ ταπεινοῦντος, ἀλλὰ μᾶλλον ἰδίᾳ τοῖς εὖ πεφυκόσι πρὸς πολιτείαν ὑποτιθέμενος κτἑ.
Participium pro infinitivo ὀνειδίζειν recte Madvigius restituit, dummodo ne interpreteris cum Reiskio πολιτικώτερον sc. ποιεῖ, sed antecedentibus haec adiungas et uno tenore legas (12)

Digitized by Google

καθαπτόμενος ἠπίως — καὶ παραμυθούμενος — ἐπαινῶν δ' ἀφόβως τὸν κατορθοῦντα — ἐνίοις δὲ καὶ συναναπληρῶν — ὡς ὁ Νέστωρ —, τούτου δὲ (= ὃ δὲ τούτου ἐστὶ) πολιτικώτερον κτέ.

Tamen quamquam de participio dubium esse non potest, quid ipso verbo faciamus, non tantum ob hiatum damnato, sed a monentis benevolentia, quae in his omnibus commendatur, alienissimo? Et quid, di boni, est ὀνειδίζειν ἄνευ δημοῦ? Quod conieceram, νουθετῶν (in V^2 a primo manu scriptum fuisse videtur νομίζειν vel νομίζων) probare diu haesitavi cum ecce incidi in Coriol. 7 fin. τῷ νουθετοῦντι καὶ δάκνοντι μετρίως χρώμενοι, Lyc. 14 αἱ δὲ μετὰ παιδιᾶς καὶ σκωμμάτων δήξεις οὐδὲν ἀμβλύτερκι τῶν μετὰ σπουδῆς νουθετημάτων ἦσαν.

In verbis μὴ μόνον ἐμφανῶς μηδὲ δημοσίᾳ nihil est mutandum, sunt enim pro μὴ μόνον ἐμφανῶς μηδὲ μόνον δημοσίᾳ, sicut VI 400, 9 ὥστε μὴ μόνον ἀπολέγεσθαι τοὺς καθηγητὰς μηδὲ Δημοκρίτῳ — ζυγομαχεῖν —, ἀλλὰ καὶ κτέ., Caes. 62 Οὐ γὰρ μόνον ἐσώθη — οὐδὲ πολλοὺς τῶν ἐπιτηδείων ἔσωσεν ἐξκιτησάμενος, ἀλλὰ καὶ κτέ.

Restat ut Reiskium nostrum cum laude citemus, hominem in rebus grammaticis vacillantem, in criticis sagacem prae multis et felicem: velut hic pro ἀφόβως restituit ἀφθόνως. Cf. Pelop. 25 ἐγκωμιάζων ἀφθόνως (i. e. 'sine invidia'; cf. quae adnotabitur ad 207, 2).

801 C (V 68, 16) — ἐπανορθωτέον τὸ τοῦ Μενάνδρου
'τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος·'

Aut ego fallor cum Xylandro, aut recto rectius inveniri posse putaverunt Wilamowitzius et editor in ipsis ἐπανορθώσεως verbis quae sequuntur καὶ γὰρ ὁ τρόπος καὶ ὁ λόγος (= 'Etenim et mores persuadent et oratio' Xyl.) = 33 F (I 8, 27) καὶ τρόπος μὲν οὖν καὶ λόγος.

811 C (V 93, 23) ἕτεροι δὲ σεμνότερον οἴονται καὶ μεγαλοπρεπέστερον εἶναι τὸ τοῦ Περικλέους· ὧν καὶ Κριτόλαός ἐστιν ὁ Περιπατητικὸς ἀξιῶν, ὥσπερ ἡ Σκλαμινία ναῦς Ἀθήνησι καὶ ἡ Πάραλος οὐκ ἐπὶ πᾶν ἔργον ἀλλ' ἐπὶ τὰς ἀναγκαίας καὶ μεγάλας κατεσπῶντο πράξεις, οὕτως ἑαυτῷ πρὸς τὰ κυριώτατα καὶ μέγιστα χρῆσθαι.

'Plutarchi oratio' scripsit editor in praefatione 'inaequalis

Digitized by Google

et inaequabilis et interdum incomposita inconditaque est, praesertim cum tam longo verborum circuitu utatur, ut lectorem attente eadem iterum iterumque legere oporteat'. Iterum itaque iterumque locum relegi et attente relegi: nihil inveni nisi Critolai Peripatetici exsecrandam arrogantiam! Tandem νυστάζων visus sum videre codicem perantiquum (optimae fidei!) in quo scripta haec: ἕτεροι δὲ σεμνότερον οἴονται καὶ μεγαλοπρεπέστερον εἶναι τὸ τοῦ Περικλέους, ὧν καὶ Κριτόλαός ἐστιν ὁ Περιπατητικός, ἀξιοῦντος —. Tum comparandi causa consului vitam Periclis (7) et cum philosopho in gratiam redire coepi: ἑαυτὸν ὥσπερ τὴν Σαλαμινίαν τριήρη, φησὶ Κριτόλαος, πρὸς τὰς μεγάλας χρείας ἐπιδιδοὺς, τἆλλα δὲ φίλους καὶ ῥήτορας ἑτέρους καθιεὶς ἔπραττεν.

Vides Abreschium inconsultius delevisse 'ναῦς'; de 'Ἀθήνησι' mecum concedes.

814 C (V 101, 5) δεῖ — φίλον ἔχειν ἀεί τινα τῶν ἄνω δυνατωτάτων.

Qui sint οἱ ἄνω δυνατοί, qui nescit inveniet Themist. 26. Utique restituendum, quod ex duabis suis coniecturis minus probat editor τῶν [ἄνω] δυνατωτάτων.

817 D (V 108, 21) Σπουδῇ μέντοι καὶ προνοίᾳ περὶ τὰ κοινὰ καὶ φροντίδι πρὸς ἅπασαν ἀρχὴν ἀεὶ διαμιλλητέον —, αὐτὸν ὑφηγούμενον ἃ δεῖ καὶ φράζοντα καὶ διδόντα χρῆσθαι τοῖς βεβουλευμένοις ὀρθῶς καὶ τὸ κοινὸν εὐδοκιμεῖν ὠφελοῦντα· ἐὰν δ' ἐνῇ κτέ.

Hic somnio non opus erat et codice vetusto: Reiskius erat ad manum: ὠφελοῦντας 'si rem communem auxerint'. Scribe itaque ὠφελοῦνταC. "AN δ' ἐνῇ —. (ἄν 107, 12; 121, 3, passim).

819 A (V 112, 16) τούτῳ δὲ τῷ τρόπῳ καὶ πρεσβείας δικαιοπτέον ἀκαίρους, συγκαταλέγοντα πολλοὺς τῶν ἀγεπιτηδείως ἐχόντων, καὶ κατασκευὰς ἀχρήστους, κελεύοντα συνεισφέρειν, καὶ δίκας ἀπρεπεῖς, ἀξιοῦντα συμπαρεῖναι καὶ συναποδημεῖν.

E Xylandri versione 'et profectiones parum honestas, si imperes auctoribus simul peregrinari' non potius [efficiendum] erat δίκας καὶ ⟨ἀποδημίας⟩ ἀπρεπεῖς (editor) quam δίκας ἀπρεπεῖς, ἀξιοῦντα συμπαρεῖναι, καὶ ⟨ἀποδημίας⟩ (sc. ἀπρεπεῖς) συναποδημεῖν (sc. ἀξιοῦντα). Optime sic Xylander. Sed non optime τῶν ἀνεπιτη-

Digitized by Google

δείως ἐχόντων vertit 'qui ad eam rem non sunt parati' pro 'quibus non convenit cum eis ad quos legatio mittitur'. Parum feliciter Coraes ἀποδημίας ἀτερπεῖς (abiecto δίκας) pro ἀπρεπεῖς: agitur de rebus reipublicae aut inutilibus aut turpibus.

819 D (V 113, 20) τοῖς δὲ πολιτικοῖς ἔξεστι μὴ σώματα μηδὲ χρήματα μόνον, ἀλλὰ καὶ τύχας καὶ δυνάμεις καὶ ἀρετάς, ἂν ὁμονοῶσιν, εἰς μίαν χρείαν συντιθέντας εὐδοκιμεῖν μᾶλλον ἀπ' ἄλλου περὶ τὴν αὐτὴν πρᾶξιν.

Requiritur: 'datur hominibus remp. unanime agentibus, in eadem re alium aliunde laudem adipisci': εὐδοκιμεῖν ἄλλον ἀπ' ἄλλου.

824 E (V 126, 15) Ad concordiam impellere homines oportet διδάσκοντα καὶ Φράζοντα τὴν τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων ἀσθένειαν, ἧς ἓν ἀπολαῦσαι ἄμεινόν ἐστι τοῖς εὖ Φρονοῦσι, μεθ' ἡσυχίας καὶ ὁμονοίας καταβιῶναι, μηδὲν ἐν μέσῳ τῆς τύχης ἄθλον ὑπολελοιπυίας.

Vel probata Madvigii certa emendatione (pro ἐναπολαῦσαι) relinquitur quod suspicionem moveat; non quo non facile ad ἄμεινον mente suppleatur 'quam certamen obire' (Xylander), sed quia non perspicitur cur solis τοῖς εὖ Φρονοῦσι, non cuilibet praestare dicatur vita quiete acta in rebus imbecillis, nullo turbarum praemio proposito. Id sensisse videtur Xylander cum adderet (quod in Graecis non inest) 'qua perfrui cordatus quisque satius arbitretur'. Plana omnia feceris — simul hiatum sustuleris — si scripseris 'ἧς ἓν ἀπολαῦσαι μόνον ἔστι τοῖς εὖ Φρονοῦσι' = in qua hoc unum est quo perfrui detur hominibus prudentibus: quiete et concorditer vitam agere.

828 D (V 136, 14) ἀπὸ τῶν δανείων ('a creditoribus' Xyl. = δανειστῶν).

830 A (V 140, 11) μηδ' ἀΦαιροῦ τῆς πενίας, ᾧ μόνῳ τοῦ πλούτου διαΦέρει, τὴν ἀμεριμνίαν. ἐπεὶ τὸ τῆς παροιμίας ἔσται γελοῖον·

'οὐ δύναμαι τὴν αἶγα Φέρειν, ἐπί μοι θέτε τὸν βοῦν'.

Estne lectoris alicuius exclamatio τὸ 'γελοῖον'? 'Nam illud eveniet, quod in proverbio est —'.

Digitized by Google

853 B (V 203, 5) *τὸ Φορτικὸν ἐν λόγοις καὶ θυμελικὸν καὶ βάναυσον πρόσεστιν Ἀριστοφάνει, Μενάνδρῳ δ' οὐδαμῶς.*

Quid vituperandum habeat *τὸ θυμελικόν* fugit me; an *βωμολόχον*? 68 C *τὸ γελοῖον καὶ βωμολόχον (τῶν κωμικῶν).*

854 C (V 206, 25) *Ὅτι κωμῳδίας ὑποκριτὰς τοῦ χρόνου τούτου πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς τῆς πόλεως ἐνεγκούσης*, (lacunam non statuerim, ut in excerpto) *αἱ Μενάνδρου κωμῳδίαι ἀφθόνων ἁλῶν καὶ ἱερῶν μετέχουσιν, ὥσπερ ἐξ ἐκείνης γεγονότων τῆς θαλάττης, ἐξ ὧν Ἀφροδίτη γέγονεν. οἱ δ' Ἀριστοφάνους ἅλες πικροὶ καὶ τραχεῖς ὄντες ἑλκωτικὴν δριμύτητα καὶ δηκτικὴν ἔχουσι.*

ἧς pro *ὧν* emendationem Hauptio praeripuit Xyl. 'eo natos mari quod Venerem protulit', minus felix in illis: 'Menandri comoediae plurimos habent sacrosque sales'; habent enim sine invidia sales (Pelop. 25 *ἐγκωμιάζων ἀφθόνως*, ubi male vertitur 'non destitit cumulare laudibus': vide quae antecedunt).

Sed cur 'sacri' sales? Num propter Venerem? Audiamus potius Reiskium: 'fortasse *ἡμέρων*, ut adversetur salium Aristophaneorum mordaci et saucianti acerbitati'. Euge! quamquam non potius *ἡμέρων* vel *ἱλαρῶν* (Emperius) vel *ἀπίκρων* (editor) legerim quam *ἀφθόνων ἁλῶν καὶ πράων*. Plato R P 500 a: *ἄφθονόν* (sine invidia) *τε καὶ πρᾶον ὄντα.*

857 B (V 215, 3) *διωκόμενον οἴχεσθαι φεύγοντα νηυσὶν ἐπὶ Λιβύης.*

Restitue ex Herodoto (II 119) *τῇσι νηυσὶν*. Latet fortasse in E: *νηυσὶν ἠειν* (= (T)HCIN).

864 D (V 236, 5) *ὁ δ' Ἡρόδοτος* ⟨*αὐτὸς* Cobetus⟩ *τῷ Ἀριστοφάνει μεμαρτύρηκε, δι' ὧν τὰ μὲν ψευδῶς, τὰ δὲ διὰ**, τὰ δὲ ὡς μισῶν καὶ διαφερόμενος τοῖς Θηβαίοις ἐγκέκληκε.*

Quidquid suppleveris — *διαβόλως* Cobetus, alii alia —, necesse erit ⟨*πάν*⟩*τα δ' ὡς μισῶν* —.

865 B (V 238, 1) *ἀλλ' οὐδὲ τοῦ πιθανοῦ τῆς διαβολῆς ἐφρόντισεν, οὐδ' ὅπως αὐτὸς ἑαυτῷ τἀναντία λέγων παρ' ὀλίγους ἀνθρώπους οὐ φανεῖται συνειδώς.*

Praeterierunt emendatores rectam Xylandri versionem 'omni-

Digitized by Google

bus hominibus' (si ad amussim exigas: 'omnibus praeter paucos hominibus'). Paulo infra: *τί χρήσιμον ἦν ἀναμεμῖχθαι μαχομένοις ἀνθρώπους ὑπόπτους*; scribe *μαχουμένοις*.

868 D (V 246, 24) *εἰ τοίνυν Θετσαλούς τις ἐπιχειρεῖ* (corr. *ἐπεχείρει*) *τοῦ μηδισμοῦ παραιτεῖσθαι, — ἆρ' οὐκ ἄν ἐδοξε —*;

869 C (V 249, 10) *εἰ γάρ εἰσιν* (corr. *γὰρ εἰσὶν*) *ἀντίποδες ἡμῶν, τῆς γῆς τὰ κάτω περιοικοῦντες —*.
Herwerdenus hiatum neglegens [*περι*]*οἰκοῦντες*. Verum fuerit *προσοικοῦντες*. 452, 13 *οὐδὲ γὰρ τήνδε τὴν γὴν δι' ὅλης ἐνεργὸν καὶ προσοικουμένην ὁρῶμεν*.

870 B (V 251, 14) *οὐ πρύμναν κρουσάμενος οὐδὲ διαδὺς — ἀλλὰ λαμπρῶς ἐπαιρόμενος τὰ ἱστία καὶ τὰς ναῦς ἀποστρέψας*· L. *ἐπαράμενος* (Her. VIII, 94 *τὰ ἱστία ἀειράμενον*).

870 D (V 252, 18) *οὐδὲ γὰρ εἶκος ἦν Ἀθηναίους ταῦτα βλασφημεῖν περὶ τῆς Κορινθίων πόλεως, ἣν τρίτην μὲν ἑώρων μετὰ Λακεδαιμονίους καὶ μετ' αὐτοὺς ἐγχαραττομένην τοῖς ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἀναθήμασιν, ἐν δὲ Σαλαμῖνι παρὰ τὴν πόλιν ἔδωκαν αὐτοῖς θάψαι τοὺς ἀποθανόντας*.
ἑώρων Xyl. in versione pro *ἑώρα*. Sententia est: Athenienses quominus urbis Corinthi nomen tertium inscriberetur, non adversabantur; id autem est ⟨*περι*⟩*εώρων*.

872 D (V 258, 11) *τάξιν ἣν* ⟨*ἔχοντες* vel *ταχθέντες* Reisk.⟩ *ἐμάχοντο*. Conferatur 1007 B (VI 140, 13) *τάξεως ἣν κινεῖται*.

876 D (V 269, 13) *ἄρχεται δ' οὕτως* (Anaxagoras) '*ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δ' αὐτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε*.'
διῆρε (imperfectum!) glossema censet Diels. Aliud subesse mihi videtur propter Pericl. 4 fin. *νοῦν ἐπέστησε* (Anax.) *καθαρὸν καὶ ἄκρατον ἐν μεμιγμένοις πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀποκρίνοντα τὰς ὁμοιομερείας*, et Simplic. de caelo 145 *λέγει γὰρ ὅτι ἦν ὁμοῦ πάντα χρήματα, νοῦς δὲ αὐτὰ διακρίνας διεκόσμησε*. An *διέκρινε*?

911 E (V 373, 22) Cur aqua marina arbores non alit? *Πότερον — ἢ γέγονεν ἄποτον καὶ πικρὸν τὸ ὕδωρ, ὡς Ἀριστο-*

Digitized by Google

τέλης φησίν, ἀνακμίξει κατακεκαυμένης γῆς; καὶ γὰρ ἡ κονία γίγνεται, γλυκέος ὕδατος εἰς τέφραν ἐμπεσόντος, ἡ δὲ διάλυσις ἐξίστησι καὶ φθείρει τὸ χρηστὸν καὶ πότιμον, ὡς ἐν ἡμῖν οἱ πυρετοὶ τὸ ὑγρὸν εἰς χολὴν τρέπουσιν. Scribe διάκαυσις.

912 B (V 375, 3) [Brevitatis causa locum refingo ad versionem Xyl.:] ἢ τρέφει μὲν μάλιστα ⟨τὸ⟩ κρατούμενον ὑπὸ τοῦ τρεφομένου (τοῦτο γάρ ἐστι πέψις· ἀπεψία δὲ τοὐναντίον, ὅταν ἰσχυρότερον τοῦ παθεῖν ᾖ) καὶ μεταβάλλει τὰ λεπτὰ κτέ.

914 C (V 381, 8) Cur hieme minus amara fit aqua marina? An quia partibus dulcibus parcius ab sole consumptis ὑπολειπομένη μοῖρα πολλῆς (corr. πολλὴ VI 123, 21 μοῖρα πολλή) γλυκύτητος ἀνίησι τὸ ἀκράτως πικρὸν καὶ φαρμακῶδες; τοῦτο δ' ἡσυχῇ ('eenigermate') καὶ τοῖς ποτίμοις συμβέβηκε· θέρους γὰρ πονηρότερα γίγνεται, τὸ κουφότατον καὶ γλυκύτατον τοῦ θερμοῦ διαφοροῦντος, ἐν δὲ χειμῶνι νέον ἐπιρρεῖ καὶ πρόσφατον, οὗ μετέχειν ἀνάγκη καὶ τὴν θάλατταν, σειομένην ἅμα καὶ τῶν ποταμῶν ἐπιδιδόντων.

Quomodo maris concussio (σειομένην) dulcedinem augebit? Immo, si aliquid efficiat, dulciores aquae partes et potabiles, quae in superficie natant propter levitatem (8) turbet et in altum detrahat. Sed caeli simul et fluminum tributo debetur dulcedinis supplementum: ὑομένην. De passivo ὕεσθαι cf. 377, 19; 384, 16.

917 B (V 389, 21) Διὰ τί τῶν ὑῶν αἱ μὲν ἥμεροι πλεονάκις τίκτουσι καὶ κατ' ἄλλον ἄλλαι χρόνον, αἱ δ' ἄγριαι καὶ ἅπαξ καὶ περὶ τὰς αὐτὰς ἅπασαι σχεδὸν ἡμέρας; αὗται δ' εἰσὶν ἀρχομένου θέρους —. Ἢ διὰ πλῆθος τροφῆς, ὄντως ⟨γὰρ M⟩ ἐν πλησμονῇ Κύπρις'; ἀφθονίᾳ γὰρ τροφῆς τὸ γόνιμον περίττωμα ποιεῖ καὶ φυτοῖς καὶ ζῴοις· αἱ μὲν οὖν ἄγριαι δι' αὐτῶν καὶ μετὰ φόβου τὴν τροφὴν ζητοῦσι, ταῖς δ' ἡμέροις ὑπάρχει διὰ παντὸς ἡ μὲν αὐτοφυὴς ἡ δ' ἐκ παρασκευῆς. ἢ τὸ τῆς σχολῆς καὶ ἀσχολίας ἅμα συμβαῖνον αἴτιον; αἱ μὲν γὰρ ἀργοῦσι, μὴ βουλόμεναι πόρρω πλανᾶσθαι τῶν συφορβῶν, αἱ δ' ὀρειβατοῦσαι καὶ περιθέουσαι τὴν τροφὴν διαφοροῦσι καὶ κατανκλίσκουσιν εἰς τὸ σῶμα πᾶσαν· ὥστε διὰ τὸ ἀεὶ συνεῖναι ἢ μὴ γίνεσθαι περίττωμα** (lacuna in Ambr. solo), ἢ καὶ τὸ συντρέφεσθαι

Digitized by Google

καὶ συναγελάζεσθαι τὰ θήλεα τοῖς ἄρρεσιν, ἀνάμνησιν ποιεῖ τῶν ἀφροδισίων —;

Adhuc Plutarchum e Plutarcho emendare tentavimus: iam tentemus emendare ex Aristotele, et ex Aristotele emendato. Adscribimus itaque ex Problemate X 49:

Διὰ τί τὰ μὲν τῶν ζώων ἅπαξ ὀχεύεται, τὰ δὲ πολλάκις· καὶ τὰ μὲν ὥρᾳ ἔτους, τὰ δ' ὁτ' ἔτυχεν· ἄνθρωπος μὲν ἀεί, τὰ δ' ἄγρια οὐ πολλάκις· καὶ ὃς μὲν ἄγριος ἅπαξ· ἥμερος δὲ πολλάκις; Ἢ διὰ τὴν τροφὴν καὶ ἀλέαν καὶ πόνον; ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις.

Si conceditur mihi Aristotelem scripsisse 'κἀπονίαν', concedatur quoque in his Aetiis Physicis reponendum esse 'ὥστε διὰ τὸ ἀεὶ πονεῖν [ἢ] μὴ γίγνεσθαι περίττωμα⟨; sine lacuna⟩' sequitur ζήτησις tertia: ἢ καὶ τὸ συντρέφεσθαι — τὰς ὁρμάς⟨;⟩ Canes πονεῖν dicuntur apud Epictet. IV 1, 124.

919 A (V 395, 10) οὐδενὸς δ' ἧττον αὐτῇ (ursae retibus implicatae) βοηθοῦσιν αἱ περικαλινδήσεις· διὸ μᾶλλον ἢ διασπᾶν τὰ λίνα πραγματευομένη πολλάκις ἐκκυβιστᾷ καὶ σώζεται, (reliqua incerta).

Suppleo διὸ μᾶλλον ⟨ἀνειλεῖν⟩ ἢ διασπᾶν —.

919 B (V 396, 2) Ad rarissima quaeque maxime stupent homines; quam multa rerum natura praebet miranda et nocte et interdiu! οἱ δὲ πολλοὶ τὴν τούτων Φύσιν οὐ θαυμάζουσιν, ἴριδας δὲ καὶ ποικίλματα νεφῶν ἡμέρας καὶ σέλα ῥηγνύμενα πομφόλυγος δίκην ⟨νυκτὸς** Duebnerus⟩ κεκόσμηται.

Quin praetermittimus haec ulcerosa? Unum tamen monitum velim: in eo minime laborare viros doctos, quod maxime putet, κεκόσμηται volo, quod non cadit in ea quae brevis momenti sunt, fugiunt, non iam apparent. Sed cauda deest: ἴριδες (ita traditum est) δὲ καὶ — καὶ κομῆται****. 409 C οἱ πτῖδες ἴριδας — καὶ κομήτας — ὁρῶντες γεγήθασι.

924 A (V 413, 9) Quae et quanta paradoxa ἡ ἐπὶ τὸ μέσον Φορά pariat, exemplis demonstratur, quorum unum est: μύδρους — εἰ τὸ μέσον ὑπερβάλλοιεν, αὖθις ὀπίσω στρέφεσθαι καὶ ἀνακάμπτειν ἀπ' αὐτῶν, ubi Xyl. emendavit 'ἐπ' αὐτό' 'ultro ad id reverti'. Alterum est: Si terra sphaera est, quod in

Digitized by Google

altero hemisphaerio supra est, infra fit in altero et vicissim, ὥστ' (414, 3) εἴ τις συμπαθείᾳ τῆς γῆς τὸ μεσὸν αὐτῆς ἔχων στιλὴν περὶ τὸν ὀμφαλόν, ἅμα καὶ τὴν κεφαλὴν ἄνω καὶ τοὺς πόδας ἄνω ἔχειν τὸν αὐτόν· κἂν μὲν διασκάπτῃ τις τὸν ἐπέκεινα τόπον, ἀνακύπτον αὐτοῦ τὸ** εἶναι καὶ κάτω ἄνωθεν ἕλκεσθαι τὸν ἀνασκαπτόμενον.

Ex Turnebi libro citatur 'εὐβαθείᾳ τῆς γῆς' unde verum nobis affulget 'ἐν βάθει τῆς γῆς', 413, 9 διὰ βάθους τῆς γῆς, 495, 1 ἐν βάθει τῆς γῆς.

Quae a viris doctis supplentur iu lacuna non absterrent me quominus coniciam ἀνακῦπτον αὐτοῦ τὸ ⟨κατακῦπτον⟩ εἶναι.

935 D (V 444, 13) ἀκούοιτε δὲ —.

Recte Turnebus δή, sed debuit etiam ἀκούετε. VI 322, 14 ἄκουε δή.

949 A (V 481, 23) Φθινούσης ἀτροφίᾳ Φλογὸς ἰδεῖν ἔστιν, ὥσπερ ἐπὶ τῶν λύχνων, τὸ ἄκρον εἰς ἀέρα καὶ γνοφώδη καὶ ζοφερὸν ἀποχεόμενον (traditur vulgo — νων).

Xyl. 'summum eius in caliginosum ac tenebrosum aerem abire' i. e. εἰς ἀέρα [καὶ] γνοφώδη καὶ ζοφερὸν ἀπερχόμενον. (Paulo post sequitur verbum περιχεομένων).

950 F (V 487, 5) καὶ τοῦτο δὴ τὸ πρόχειρον ἅπασι 'πῦρ ὕδατι μιγνύναι' τὸ παρσιμιαζόμενον ἐν τοῖς ἀδυνάτοις, μαρτυρεῖν ἔοικεν ὅτι τῷ πυρὶ τὸ ὕδωρ πολέμιόν ἐστι καὶ ὑπὸ τούτου φθείρεται καὶ κολάζεται σβεννύμενον, οὐχ ὑπὸ τοῦ ἀέρος †τιον ὡς ὑπολαμβάνει τὴν οὐσίαν αὐτοῦ καὶ δέχεται μεταβάλλοντος. εἰ γὰρ αἰτία (praeclare Xyl.: εἰ γὰρ ἀεὶ τὸ) εἰς ὃ μεταβάλλει τὸ φθειρόμενον ἐναντίον ἐστί, τί μᾶλλον τῷ ἀέρι τὸ πῦρ ἢ τὸ ὕδωρ ἐναντίον φανεῖται; μεταβάλλει γὰρ εἰς ὕδωρ συνιστάμενος, εἰς δὲ πῦρ διακρινόμενος κτέ.

'Sententia requirit ὃς τοὐναντίον deleto ὡς aut mutato in καὶ' editor. Minime: τὸ ὑπολαμβάνειν τὸν ἀέρα τὴν οὐσίαν τοῦ πυρὸς καὶ δέχεσθαι αὐτὸ μεταβάλλον non Plutarchi refutantis ratiocinatio est, sed pro adversariorum argumento ponitur: volunt enim efficere in quod quid mutetur et corrumpatur, ab ipso mutari et corrumpi (id negavit Plut. 486, 13 οὐ γὰρ εἰς τοὐναντίον ἀλλ' ὑπὸ τοῦ ἐναντίου φθείρεται τῶν ἀπολλυμένων

Digitized by Google

ἕκαστον), quod si esset, una et eadem res in plura mutabilis (ut aqua, ut aer) plura haberet opposita.

Itaque haec potius requiritur sententia: *οὐχ ὑπὸ τοῦ ἀέρος ⟨ὡς ἐναν⟩τίον ὃς ὑπολαμβάνει τὴν οὐσίαν αὐτοῦ*. Cf. 18 *οὐχ ὡς ἐναντίον*.

952 A (V 490, 10) *τὰς Φύσεις σύνεγγυς καὶ οἰκείας*.

Codicum fidei mordicus adhaerentibus vereor ut persuadeam Plutarchum scripsisse *συγγενεῖς*. Conferant tamen 486, 3 *οἰκεῖον καὶ συγγενές*, 487, 17 *δι' οἰκειότητα καὶ συγγένειαν*, 491, 3 *τὸ συγγενὲς καὶ οἰκεῖον*, II 19, 28 *συγγενοῦς καὶ οἰκείου*, Romul. 29 *οἰκειότητα καὶ συγγένειαν*.

955 B (V 498, 25) *βλέποντας — προσνέμοντας — ἀποφήναντας*. Corr. *ἀποφαίνοντας*.

957 C (VI 6, 7) *γῆ ἄνευ θερμῆς οὐσίας ἄγονος καὶ ἄκαρπος· τὸ δὲ πῦρ ἐκραὸς καὶ διαχέαν παρίστησιν εἰς τὴν γένεσιν ὀργῶντα* (*ὀργῶσαν* Reisk.).

Optime habet *διαχέαν*, cf. 4, 2 et 35, 17 *διαχεῖται* (triticum) *καὶ γαλακτοῦται μεταβάλλων εἰς τὸ Φύειν*, VII 107, 14 *Ἡ ὑγρότης γόνιμον —· διαχυθὲν γὰρ το σῶμα — ὑπόθερμον γίνεται εἰς ὁρμὰς ἀγωγιμοὺς ἐπὶ τὸ τῆς γενέσεως ἔργον* (ubi editor cum libris typothetis scripsit *γεννήσεως*: si recte, etiam in loco de quo agimus reponatur et compluribus aliis ubi *γεννήσεως* exspectares, velut Sol. 7 *περὶ γάμου καὶ γενέσεως παίδων* Mor. VI 19, 13 *πρὸς τὸ τέλος οὐκ ἐξικνοῦνται τῆς γενέσεως*), tantummodo *ἐκραOC* sarciendum est: *ἐγκραΘ∈*, i. e. *ἐγκραθὲν*, cf. 10, 6 *χωρὶς πυρὸς ἐγκεκραμένου*.

957 D (VI 7, 9) *ὑγρότης μὲν οὖν καὶ τοῖς τεθνηκόσι πάρεστι καὶ οὐκ ἐξῄρηται παντάπασιν· ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐσήπετο τὰ νεκρὰ τῶν σωμάτων, τῆς σήψεως εἰς ὑγρὸν ⟨οὐκ addo⟩ οὔσης ἐκ ξηροῦ μεταβολῆς, μᾶλλον δ' ὑγρῶν ἐν σαρκὶ Φθορᾶς*. Infra paulo (7, 25) pro *δεῖ* Xyl. ('oportebat') *ἔδει* restituit.

958 E (VI 10, 3) *Καὶ μέν, οὗ πλείστου κρᾶσις τῆς τῶν αἰσθήσεων μετείληΦεν, οὐκ ἂν εἴη λυσιτελέστατον;*

ἑκάστη pro *κρᾶσις τῆς* (quod ante Emperium iam voluit

Digitized by Google

Xylander: 'sensus omnes') tantum non recepit editor, πλεῖστον insuper commendans (ob hiatum scilicet). Cum autem oculorum sensus mox laudetur ut acerrimus, suspiceris — quod etiam a 'codicum fide' paululo propius abest — ⟨ἡ⟩ κρατίστη.

In textu Reiskiano est κρᾶσις ἡ pro κρᾶσις τῆς.

961 A (VI 16, 14) εἶτ' αὖθις ἐπανῆλθε (ὁ νοῦς) καὶ μεταθεῖ καὶ διώκει τῶν προϊεμένων (Porphyrius προειρημένων) ἕκαστον ἀναλεγόμενος.

Xyl. 'quae ante erant praetermissa' i. e. προειμένων.

962 B (VI 19, 18) τῶν θηρίων αἰτιᾶσθαι τὸ μὴ καθαρόν.

Scribe καθάριον vel potius καθάρειον, quam formam ut unice veram admittit Cobetus V. L.[2] p. 81. Cf. 21, 5 ὄνοις ἐγκαλῶν ὀλιγωρίαν καθαρ(ε)ιότητος.

966 C (VI 31, 16) οὐ γὰρ ῥᾳδίως ὄνυχος εὑρίσκεται λεοντείου σημεῖον, ἀλλὰ μικροῖς καὶ τυφλοῖς ἴχνεσιν ἐντυγχάνοντες (εἰ στιβεύοντες) ἀποπλανῶνται καὶ διαμαρτάνουσιν.

Vel maxime contractis unguibus tam parva leonis vestigia reddi non possunt ut fallant indagatores, si tamen unquam hi 'parvis', non 'incertis' falluntur: ἀλλ' ἀμαυροῖς. (Xen. Cyneg. 6, 21).

972 A (VI 45, 15) καὶ παρέσχε ποτὲ (ὁ ἐχῖνος) πᾶσιν ἡμῖν ὁρᾶσιν ὄψιν ἑρπούσης ἢ βαδιζούσης σταφυλῆς.

Non 'omnibus nobis' — qui enim hi omnes? — sed 'puero mihi, παισὶν ἡμῖν. De plurali cf. (si opus est) 32, 22; 69, 17.

979 A (VI 64, 11) Ἀλλὰ μὴν ἐχίνου γέ τινα χερσαίου διηγήσατο πρόγνωσιν Ἀριστοτέλης (traditur Ἀριστότιμος) πνευμάτων, ὃς ἐθαύμαζε καὶ γεράνων τὴν ἐν τριγώνῳ πτῆσιν. ἐγὼ δ' ἐχῖνον μὲν οὐδένα Κυζικηνὸν ἢ Βυζάντιον, ἀλλὰ πάντας ὁμοῦ παρέχομαι τοὺς θαλαττίους, ὅταν αἴσθωνται μέλλοντα χειμῶνα καὶ σάλον, ἐρματιζομένους λιθιδίοις κτέ.

Quae de echino terrestri narravit et in gruibus admirabatur Aristotimus noster, iucundus fabulator, Aristoteli tributa esse et inter eius fragmenta citari! De gruibus vide 33, 14, de echino Cyziceno 45, 21: est ille προγνώστης πνευμάτων, ab homine Cyziceno observatus: sed quis alter, Byzantinus? Fallar

Digitized by Google

si coniciam esse qui Aristotimo puero (cf. notulam superiorem) imposuerit, itaque Aristotimum puerum vixisse Byzantii, illic etiam ab homine illo Cyziceno, ut vicino, de echini sagacitate fabulam audivisse?

Terrestrium animalium virtutibus, quas celebraverat Aristotimus, aquatilium virtutes aequare studet Phaedimus: quod echinos marinos ἑρματίζεσθαι λιθιδίοις affirmat, in eo aequiperant apes Creticas, de quibus narraverat Aristotimus 33, 6.

979 D (VI 65, 13) ἀλλὰ τῆς γεράνου σοφὸν ἡ τοῦ λίθου περίδραξις, ὅπως προϊεμένη πυκνὸν ἐξυπνίζηται.

Nihil hic πυκνόν (= 'frequenter', ut saepius in Plutarchi scriptis); scribe νυκτὸς. 33, 20 ὅταν δὲ κατάρωσιν ἐπι γῆν, αἱ προφυλακὴν ἔχουσαι νυκτὸς ἐπὶ θατέρου σκέλους ἰσχοῦνται τὸ σῶμα, τῷ δ' ἑτέρῳ ποδὶ λίθον περιλαβοῦσαι κρατοῦσι κτέ.

981 B (VI 69, 21) ἅσπερ (Wyttenb. pro ὁ γὰρ) Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ φιλίας ἀλωπέκων —.

Recte sic, dum abicias 'περ'; litterae 'αρ' ex dittographia ortae sunt.

985 A (VI 80, 15) πεντηκόντορον — ὥς φασι, λῃστῶν ἄνδρας ἄγουσαν.

ν' i. e. πεντήκοντα quod addidit Reiskius post ἄγουσαν, post λῃστῶν editor — id praestare ei fortasse videbatur — non perdidit incuria librarii sed maior aequo diligentia: delevit quod esse putabat τὸ ἐφελκυστικὸν νῦ (φασι ν').

986 D (VI 84, 21) ὡς γὰρ οἱ παῖδες τὰ φάρμακα τῶν ἰατρῶν φοβοῦνται, καὶ τὰ παθήματα φεύγουσιν, ἃ μεταβάλλοντα ἐκ νοσερῶν καὶ ἀνοήτων ὑγιεινοτέρους καὶ φρονιμωτέρους ποιοῦσιν κτέ.

Hodie sic legitur, plus saeculo post Reiskium qui τὰ μαθήματα edidit!

987 D (VI 87, 16) πολλῶν δὲ (θηρίων) θνησκόντων ἡ ἀλκὴ μετὰ τοῦ θυμοειδοῦς ἀποχωρήσασά ποι καὶ συναθροισθεῖσα περὶ ἕν τι τοῦ σώματος μόριον ἀνθίσταται τῷ κτείνοντι καὶ πηδᾷ καὶ ἀγανακτεῖ, μέχρι ἂν ὥσπερ πῦρ ἐγκατασβεσθῇ πανταπασι καὶ ἀπόληται.

Digitized by Google

Cum πηδᾷ componatur III 460, 7 (τῶν παθῶν) πήδησιν ταχὺ κατασβεννυμένην, cum ἀγανακτεῖ non habeo quod componam, habeo quod cum ἀναζεῖ: IV 335, 10 ὅταν ἀναζέσασα (ἡ ὀργὴ) παύσηται.

989 C (VI 92, 12) τὰ δὲ θηρία παντάπασιν ἀβάτους καὶ ἀνεπιμίκτους ἔχοντα τοῖς ἐπεισάκτοις πάθεσι τὰς ψυχὰς καὶ τοῖς βίοις πόρρω τῆς κενῆς δόξης ὥσπερ ⟨πέραν addo⟩ θαλάσσης ἀπῳκισμένα τῷ γλαφυρῶς καὶ περιττῶς διάγειν ἀπολείπεται.

992 A (VI 99, 5) ὅσα (θηρία) γοῦν ἄνθρωποι τρυφῶντες ἢ παίζοντες εἰς τὸ μανθάνειν καὶ μελετᾶν ἄγουσι, τούτων ἡ διάνοια καὶ πρὰς Φύσιν τοῦ σώματος καὶ περιουσίᾳ συνέσεως ἀναλαμβάνει τὰς μαθήσεις. ἐῶ γὰρ ἰχνεύειν σκύλακας καὶ βαδίζειν ἐν ῥυθμῷ πώλους μελετῶντας, ἀλλὰ κόρακας διαλέγεσθαι καὶ κύνας ἅλλεσθαι διὰ τροχῶν περιφερομένων. ἵπποι δὲ καὶ βόες ἐν θεάτροις κατακλίσεις καὶ χορείας καὶ στάσεις παραβόλους καὶ κινήσεις οὐδ' ἀνθρώποις πάνυ ῥᾳδίως ἀκριβοῦσιν ἐκδιδασκόμενοι καὶ μνημονεύοντες εὐμαθείας ἐπίδειξιν εἰς ἄλλο οὐδὲν οὐδαμῶς χρήσιμον ἔχουσιν.

In ordinem cogere haec non perdifficile est: ἐῶ γὰρ quae utilia sunt, ἀλλὰ κόρακες διαλέγεσθαι καὶ κύνες ἅλλεσθαι διὰ τροχῶν περιφερομένων, ἵπποι δὲ καὶ βόες — κατακλίσεις → ἀκριβοῦ[σι]ν ἐκδιδασκόμενοι καὶ μνημονεύοντες εὐμαθείας ἐπίδειξιν εἰς ἄλλο οὐδὲν οὐδαμῶς χρήσιμον ἔχουσιν.

993 A (VI 101, 3) Ἀλλὰ σὺ μὲν ἐρωτᾷς τίνι λόγῳ Πυθαγόρας ἀπείχετο σαρκοφαγίας, ἐγὼ δὲ θαυμάζω καὶ τίνι πάθει καὶ ποίᾳ ψυχῇ ἢ λόγῳ ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἥψατο φόνου στόματι καὶ τεθνηκότος ζῴου χείλεσι προσήψατο σαρκός· καὶ νεκρῶν σωμάτων καὶ ἐώλων προθέμενος τραπέζας ὄψα καὶ τρυφὰς καὶ προσέτι εἰπεῖν τὰ μικρὸν ἔμπροσθεν βρυχώμενα μέρη καὶ φθεγγόμενα καὶ κινούμενα καὶ βλέποντα.

Corrige ὄψα καὶ τρυφὰς [καὶ] προσεῖπε coll. 107, 15 ἡμεῖς δ' οὕτως ἐν τῷ μιαιφόνῳ τρυφῶμεν, ὥστ' ὄψον τὸ κρέας προσαγορεύομεν.

993 C (VI 102, 6) Ἢ τοῖς μὲν πρώτοις ἐκείνοις ἐπιχειρήσασι σαρκοφαγεῖν τὴν αἰτίαν ἂν εἴποι τις πᾶσαν εἶναι τὴν ἀπο-

Digitized by Google

ρίαν· οὐ γὰρ ἐπιθυμίαις ἀνόμοις συνδιάγοντες οὐδ' ἐν περιουσίᾳ τινὶ ἀναγκαίων ὑβρίσαντες — ἐπὶ ταῦτ' ἦλθον.

Pro "Η, in quo iam Stephanus offendit, scribatur Καὶ (Et illi quiden excusandi sunt: ὑμᾶς δὲ (103, 18) τοὺς νῦν τίς λύσσα καὶ τίς οἶστρος ἄγει;). E verbis traditis 'εἶποι πᾶσαν καὶ' minus recte editor eruit 'εἶποι τις πᾶσαν εἶναι', debuit 'εἶποι τις εἶναι', praeterea non cum Benselero 'τῶν' supplendum est ante ἀναγκαίων, sed ex 'τινὶ' refingendum.

Ficta priscorum hominum oratio quae sequitur (12): 'ὦ μακάριοι — pertinet usque ad 103, 13 εὐτυχὲς ἦν;'

993 F (VI 103, 16) ἐκείνην ὁ τότε βίος ἑορτὴν ἔγνω, τὰ δ' ἄλλα φλεγμονῆς ἦν ἅπαντα μεστά.

Xyl. 'festivitatem unicam' i. e. ἐκείνην ⟨μόνην⟩. Traditur ἐκείνην ἦν.

996 B (VI 110, 2) τὴν δὲ μεγάλην ἀρχὴν τοῦ δόγματος ὀκνῶ μὲν ἔτι τῷ λόγῳ κινεῖν, ὥσπερ ναῦν ἐν χειμῶνι ναύκληρος ἢ μηχανὴν αἴρει ποιητικὸς ἀνὴρ ἐν θεάτρῳ σκηνῆς περιφερομένης.

Corrige ὥσπερ ναῦν ἐν χειμῶνι (sc. ὀκνεῖ) ναύκληρος — αἴρει⟨ν⟩ κτέ.

997 D (VI 114, 3) Ποῖον οὖν οὐ πολυτελὲς δεῖπνον, εἰς ὃ οὐ θανατοῦταί τι ἔμψυχον;

Xylandrum οὐ delentem ante θανατοῦται nec Reiskius audivit nec Bernardakis, quamvis hic quidem hiatuum vestigandorum studiosus.

997 E (VI 114, 14) σὺ μὲν καταγελᾷς τοῦ τὸ πρόβατον μὴ ἐσθίοντος· ἀλλ' ἡμεῖς γε, Φήσουσι, θεσσάμενοι τοὺς πατρὸς τεθνηκότος ἢ τῆς μητρὸς ἀποτεμόντα μερίδας καὶ τῶν Φίλων ἀποπεμπόμενον τοῖς μὴ παροῦσι, τοὺς δὲ παρόντας καλοῦντα καὶ παρατιθέντα τῶν σαρκῶν ἀΦειδῶς, μή [τι] γελάσωμεν;

Immo τοὺς δὲ παρόντας ⟨παρα⟩καλοῦντα, 'adhortantem': qui adsunt vocati sunt, non vocantur, neque quisquam vocatur mensa iam instructa.

998 F (VI 117, 21) 'ἀνάσχου· τί γὰρ εἰ συγγένους ἢ θεοῦ τινος ἐνταῦθα ψυχὴ κεχώρηκεν;'

Digitized by Google

Estne etiam dei — immo animi divini — *μετεμψύχωσις*? Mecum dubitavit Stephanus et scripsit *θείου*! Corrige sis *συγγένους ἢ ⟨συνή⟩θους*.

1035 A (VI 219, 10) *Ὁ Χρύσιππος οἴεται δεῖν τῶν λογικῶν πρῶτον ἀκροᾶσθαι τοὺς νέους δεύτερον δὲ τῶν ἠθικῶν μετὰ δὲ ταῦτα τῶν φυσικῶν, ὡσαύτως δὲ τούτοις τὸν περὶ θεῶν λόγον ἔσχατον παραλαμβάνειν.*

Cum de deis disputatio ipsorum physicorum pars sit, non quarta aliqua pars philosophiae, pro *ὡσαύτως δὲ τούτοις* (i. e. similiter atque haec, sc. *τὰ φυσικά*) scribendum est *ὡσαύτως δ' ἐν τούτοις*, i. e. sicut physica ultimum locum debent obtinere, ita in physicis ipsis *ὁ περὶ θεῶν λόγος*. Cf. quae sequuntur 21: *τῶν δὲ φυσικῶν ἔσχατος εἶναι ὁ περὶ τῶν θεῶν λόγος* (*δοκεῖ μοι*).

1037 F (VI 226, 23) *καὶ μὴν ἡ ὁρμή, κατά γ' αὐτὸν* (Chrysippum), *τἀνθρώπου λόγος ἐστὶ προστατικὸς αὐτῷ τοῦ ποιεῖν* —. *οὐκοῦν καὶ ἡ ἀφορμὴ λόγος ἀπαγορευτικός, καὶ ἡ ἔκκλισις εὔλογος ἔκκλισις· καὶ ἡ εὐλάβεια τοίνυν λόγος ἐστὶν ἀπαγορευτικὸς τῷ σοφῷ·*

Aestimatio sitne *εὔλογος* an *ἄλογος ἡ ἔκκλισις*, ab ratiocinatione aliena est. Scribo *καὶ ἡ ἔκκλισις αὖ λόγος ἐκκλιτικός·*

1043 C (VI 241, 17) *'βασιλείαν τε τὸν σοφὸν ἐκουσίως ἀναδέχεσθαι' λέγει* (Chrysippus).

Xyl. 'regnum susceperturum' i. e. *ἀναδέξεσθαι*, sicut ubique tempus futurum: 242, 2 *βιώσεται*, 25 *δόξειν*, 244, 1 *πράξειν*, 254, 5 *συνέσεσθαι*; item in tmemate quod sequitur:

1043 F (VI 243, 6) *'εἰσπράττονται δὲ τὸν μισθὸν οὐ πάντες οἱ νοῦν ἔχοντες ὡσαύτως· ἀλλ' ἄλλως πλῆθος, ὡς ἂν ὁ καιρὸς φέρῃ*, restituendum est *εἰσπραξονται*. Praeterea cum Emperio scribatur *πάντας* cf. 254, 6 *σοφιστεύσειν ἐπ' ἀργυρίῳ, παρ' ὧν μὲν προλαμβάνοντα πρὸς οὓς δὲ συντιθέμενον τῶν μαθητῶν*, cuius loci subsidio emendabis etiam *ἀλλ' ἄλλως ⟨ἄλλο⟩ πλῆθος*.

1047 A (VI 251, 18) *εἴπερ οὖν τὸ ἀνδρίζεσθαι τοιοῦτόν ἐστιν οἷον ἀνδρείᾳ χρῆσθαι καὶ τὸ δειλαίνειν οἷον δειλίᾳ χρῆσθαι, μαχόμενα λέγουσι* (Stoici) *λέγοντες κατὰ πάσας μὲν ἅμα τὰς ἀρετὰς*

Digitized by Google

καὶ τὰς κακίας ἐνεργεῖν τὸν ἔχοντα, μὴ ἀεὶ δὲ τὸν ἀστεῖον ἀνδρίζεσθαι μηδὲ δειλαίνειν τὸν Φαῦλον.

Restitue quod ante μὴ ἀεὶ (nota itacismum!) excidit: τὸν ἔχοντα ⟨μίαν sc. ἀρετὴν ἢ κακίαν⟩, quod cogunt quae supra paulo leguntur: Τὰς ἀρετάς Φησιν (Chrysippus) ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, οὐ μόνον τῷ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τῷ τὸν κατὰ μίαν ὁτιοῦν ἐνεργοῦντα κατὰ πάσας ἐνεργεῖν.

1057 E (VI 280, 19) οὐδὲν τῶν πλοίων διαΦέρων, οἷς ἐπιγέγραπται μὲν Εὔπλοια καὶ Πρόνοια σῴζουσα καὶ Θεραπεία, χειμάζεται δὲ καὶ συντρίβεται καὶ ἀνατρέπεται.

Harum navium una naufragium fecit propter librarium: ⟨καὶ⟩ Σῴζουσα. Vide Pape, Woerterb. der griech. Eigennamen in voce.

1059 B (VI 285, 2) Stoici quidam viri, in Academiam multa invecti, τέλος ἐπὶ τὰς ἐννοίας ἐρρύησαν, ὡς δή τινα σύγχυσιν καὶ ἀναδασμὸν αὐταῖς ἐπάγοντας τοὺς ἐκ τῆς Ἀκαδημίας.

Agitur per totum hunc libellum de communibus notitiis, περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν, quas non currente sermone, sed initio statim ubi nominantur primum, per solum substantivum ἐννοίας esse designatas quis non admiretur? Supple τὰς ⟨κοινὰς⟩ ἐννοίας: aut quae iam — πρὸς Χαρίτων! — relinquitur χάρις in nomine quod est ἀναδασμός?

In eis quae antecedunt σεμνῶς, οὐ γὰρ ψεύσομαι, οὐ πράως ἠτιάσαντο corrigo καὶ (cum Wyttenb.) πράως ἀπήντησαν[το, sequitur τούς] = responderunt.

1070 C (VI 315, 9) γέγονε δ' ἕτερος λόγος, ὑΦ' οὗ μᾶλλον ἡ συνήθεια παρκνενόμηται, τὰς μὲν γνησίας ὑΦιροῦντος αὐτοῦ καὶ ἀποσπῶντος ἐννοίας ὥσπερ τέκνα, νόθας δὲ προσβάλλοντος ἑτέρας θηριώδεις καὶ ἀλλοκότους καὶ ταύτας ἀντ' ἐκείνων ἐκτιθηνεῖσθαι καὶ στέργειν ἀναγκάζοντος;

Servetur τῶν ὑποβολιμαίων τέκνων imago: ὑποβάλλοντος.

1070 C (VI 315, 18) ἐκείνων μὲν γὰρ ἔξωθέν εἰσιν αἱ Φαντασίαι ταῖς αἰσθήσεσιν ἐπεισόδιοι, ταῦτα δ' ἐκ τῶν ἀγαθῶν τῶν ἐν ἡμῖν σύμΦυτον ἔχει τὴν γένεσιν.

ταῦτα i. e. indicia περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, αἱρετῶν τε καὶ

Digitized by Google

φευκτῶν, οἰκείων τε καὶ ἀλλοτρίων (de quibus rebus deliberare nusquam desinunt Stoici) non oriuntur ἐκ τῶν ἀγαθῶν τῶν ἐν ἡμῖν, sed e principiis innatis: ἐκ τῶν ἀρχῶν τῶν ἐν ἡμῖν (sicut corpus dicitur 372, 13 ἐν ἑαυτῷ ἔχον ἀρχὰς κακῶν).

1071 E (VI 319, 22) Ἐπεὶ δ' ἐνταῦθα ⟨τοῦ⟩ λόγου γεγόναμεν —. Supplevi; cf. 9, 16 Ἐπεὶ δὲ κατὰ τοῦτο τοῦ λόγου γεγόναμεν, 37, 22 Ἐνταῦθα τοῦ λόγου γεγονώς.

1073 C (VI 324, 15) Communes notitias et τὴν τῶν ὀνομάτων συνήθειαν conturbant et confundunt Stoici et in aliis compluribus et in 'amoris' nomine, quod per totum caput 28 demonstratur, cuius finis, ne ad nihilum reducatur tota argumentatio, debet esse interrogatio: ἔρωτα δ' ἔδει καλεῖν — ἐδάμασσεν' ⟨;⟩

1073 E (VI 326, 7) καὶ μὴν ᾧ τὸν αὐτὸν ἐπέχειν τόπον συμβέβηκε, τοῦτο [τὸ] μένον· ὥστ' οὐ μένει τὸ πᾶν· οὐ γὰρ ἐπέχει τόπον. Dittographiam delevi.

1074 B (VI 327, 16) ἀλλὰ μὴν οὔτε μέρος ἐστὶ τὸ πᾶν· οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ μεῖζον· οὔθ' ὅλον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι· τεταγμένου γὰρ τὸ ὅλον κατηγορεῖσθαι, τὸ δὲ πᾶν δι' ἀπειρίαν καὶ ἀόριστον εἶναι καὶ ἄτακτον.

Non demonstrandum erat universum esse ἀόριστον καὶ ἄτακτον, tantummodo ἄτακτον (sicut supra ex eo quod ἀόριστον, demonstratum est οὐκ εἶναι τέλειον). Rite sic argumentatio procedet: τὸ δὲ πᾶν δι' ἀπειρίαν καὶ ἀοριστίαν εἶναι καὶ ἄτακτον. Iunguntur 340, 14 ἄπειρον καὶ ἀόριστον.

1076 A (VI 332, 20) ὅταν ἕτερος (corr. ἄτερος) θατέρου τυγχάνῃ κινουμένου.

1077 B (VI 335, 21) ᾗ καί φασιν** (αὐτοὶ supplet Wytt., an ἔνιοι?) τὸ μὲν σπέρμα τὴν ἐπὶ μικρὸν ὄγκον ἐκ πολλοῦ 'σπείρασιν' ὠνομάσθαι, τὴν δὲ 'Φύσιν' ἐμΦύσησιν οὖσαν καὶ διάχυσιν τῶν ὑπ' αὐτῆς ἀνοιγομένων καὶ λυομένων λόγων ἢ ἀριθμῶν (= τὴν δὲ Φύσιν 'Φύσιν' ὠνομάσθαι διότι ἐμΦύσησίς ἐστι —).

Τὸ σπέρμα nomen suum debet τῇ σπειράσει, non ipsa est: τὸ μὲν σπέρμα ⟨παρὰ⟩ τὴν σπείρασιν ὠνομάσθαι.

Digitized by Google

1085 A (VI 358, 7) Si, quod statuunt Stoici, animi natura est 'ἀναθυμίκσις', fieri non potest ut visus speciesque rerum — αἱ Φαντασίαι — eiusdem τυπώσει generentur, siquidem semper est in motu: ῥεῦμα γὰρ ἄν τις ὕδατος Φερομένου μᾶλλον διανοηθείη σχήματα καὶ τύπους καὶ εἴδη διαΦυλάττον, ἢ πνεῦμα Φερόμενον ἐν τοῖς ἀτμοῖς καὶ ὑγρότησιν, ἑτέρῳ δ' ἔξωθεν ἐνδελεχῶς οἷον ἀργῷ καὶ ἀλλοτρίῳ πνεύματι κιρνάμενον.

Tam praepositio ἐν quam articulum τοῖς suspectum est: praeterea sequens ἔξωθεν suadet ut scribamus Φερόμενον ἐντὸς ἀτμοῖς κτἑ.

1085 C (VI 359, 9) γῆν μὲν γὰρ εἰς ἀεὶ καὶ ὕδωρ οὔθ' ἑαυτὰ συνέχειν οὔθ' ἕτερα —.

εἰς ἀεὶ pro ἴσασι editor, requiritur tamen verbum finitum: Φασι.

1086 A (VI 360, 20) καίτοι πῶς οἷόν τε σῶμα ποιότητος ἄνευ ποιῆσαι, ποιότητα σώματος ἄνευ μὴ νοοῦντας;

Scribere νοῆσαι (adverte litterae π utrimque viciniam) tam oppositum illud μὴ νοοῦντας cogit quam quae sequuntur: ὁ γὰρ συμπλέκων σῶμα πάσῃ ποιότητι λόγος οὐδενὸς ἐᾷ μὴ σύν τινι ποιότητι σώματος ἅψασθαι τὴν διανοίαν, cf. etiam 361, 5 οὐδεὶς γὰρ ἄποιον νοεῖ τὸ μηδεμιᾶς ποιότητος ἄμοιρον. Huc non facit quod initio capitis legitur (360, 9) τὰς δὲ ποιότητας αὖ πάλιν οὐσίας καὶ σώματα ποιοῦσι (= esse statuunt).

1087 E (VI 366, 2) πᾶσα γὰρ ἡδονὴ περὶ ἄρθρα καὶ νεῦρα καὶ πόδας καὶ χεῖρας, οἷς ἐνοικίζεται τὰ δεῖνα πάθη κτἑ.

Non sufficere Madvigii supplementum περὶ ⟨γαστέρα (vel γαστέρα καὶ αἰδοῖα) πᾶσα δ' ἀλγηδὼν περὶ⟩ ἄρθρα — ex ipso loco allato 705 D apparet: (ὅσαι δὲ τῶν ἡδονῶν) περὶ γαστέρα καὶ αἰδοῖα καὶ γεῦσιν καὶ ὄσΦρησιν et ex eis quae sequuntur: ὀσμῶν δὲ καὶ χυμῶν. Dubito an corrigendum sit Ποῖα γὰρ ἡδονὴ —;

1089 C (VI 371, 11) δεινὴν γὰρ ἐμΦαίνει καὶ θηριώδη περὶ τὰ γιγνόμενα καὶ προσδοκώμενα τῆς ἡδονῆς ἔργα ταραχὴν καὶ λύσσαν ἡ τοσαύτη πρὸς ἀναμνήσεις βάκχευσις αὐτῆς τῆς ψυχῆς καὶ πρόστηξιν.

Digitized by Google

Servari potest αὐτῆς (quod Reiskius delebat) si transponitur: πρὸς ἀναμνήσεις αὐτῆς (i. e. τῆς ἡδονῆς).

1089 E (VI 372, 8) καὶ πῶς οἷόν τε — βέβαιον ἐλπίδα — εἶναι περὶ πράγματος σάλον ἔχοντος τοσοῦτον καὶ μεταβολάς, ὅσαις φυλάττουσι τὸ σῶμα;

Restitue ὅσαι (e μεταβολάς ς littera repetita est) et integra erunt omnia; frustra dubitatum est de verbo φυλάττειν ('beloeren'), cf. 55, 10 ἐπιθέσεις τε καὶ φυλακὰς ἀλλήλων (piscium).

1090 B (VI 373, 16) τὸ γὰρ ἐφήμερα ⟨θἠμέτερα⟩ καλεῖν καὶ ἀβέβαια καὶ ἀστάθμητα φύλλοις τε γιγνομένοις ἔτους ὥρᾳ καὶ φθίνουσιν εἰκάζειν τὸν βίον τί παρέσχηκεν ἄλλο τοῖς ποιηταῖς ἢ τὸ τῆς σαρκὸς ἐπίκηρον —;

Supplevi quod necessarium videbatur. Praeter Homerum Euripidis meminit Plutarchus, Orest. 976 ἰὼ ἰώ, πανδάκρυτ' ἐφαμέρων | ἔθνη πολύπονα, λεύσσεθ', ὡς παρ' ἐλπίδας | μοῖρα βαίνει. | ἕτερα δ' ἕτερος ἀμείβεται | πήματ' ἐν χρόνῳ· | βροτῶν δ' ὁ πᾶς ἀστάθμητος αἰών.

1091 C (VI 376, 23) τοῖς κομψοτέροις τῶν ζῴων οὐκ ἔστι φυγὴ κακοῦ τέλος· ἀλλὰ καὶ πρὸς ᾠδὰς ὑπὸ κόρου τρέπεται καὶ νήξεσι χαίρει καὶ πτήσεσι.

Nonne ἀπὸ κόρου?

1091 F (VI 378, 6) μέχρι τοῦ μὴ ταράττεσθαι τοῖς ἐν Ἅιδου κακοῖς [ἢ τούτων] —.

Ultima verba (repetita ex 3 τοῖς ἐν Ἅιδου κακόν, ἢ τούτων) delevit Wyttenbach; delevisset etiam κακοῖς! cf. 18 τοῖς ἐν Ἅιδου, 379, 14 περὶ τῶν ἐν Ἅιδου, 412, 13 περὶ τῶν ἐν Ἅιδου.

1099 B (VI 398, 5) ἀλλὰ καὶ, εἴ τι μέγα περὶ τὰς τοῦ σώματος ἡδονάς, κοινόν ἐστι δήπου τοῦτο τοῖς πρακτικοῖς πράγμασι (sed contemnunt illas Alexandri et Agesilai, Phociones et Epaminondae).

In corrupto πράγμασι latet aliquid quo Epicurei indicantur: κἀπράγμοσι. Inter multa quae illius sectae vituperantur ἡ ἀπραξία est (401, 20). Opponitur ὁ ἀπράγμων βίος τῷ ἐπὶ στρατηγίαις καὶ ἡγεμονίαις I 247, 21.

Digitized by Google

403 B (VI 403, 17) καὶ λέγω μιμουμένος, ὡς οὐχ ἧττόν ἐστι κακὸν ἀθεότης ὠμότητος καὶ δεξοκοπίκς —.

'μιμούμενος' suspectant viri docti iam inde a Xylandro: 'Hoc μιμούμενος stare vix potest, cum statim contra Epicuri sententiam disputet, neque eis verbis loquatur'. Immo eius verbis loquitur: Epicurei enim λέγουσι (supra, 7) 'τὴν εἰς τὸ ἀπαθὲς καθεστῶσαν ἀλυπίκν ὑφ' ἑτέρου κακοῦ μείζονος ὑπάρχειν, ὠμότητος ἢ δοξοκοπίας —'.

1101 C (VI 404, 6) διαβάλλοντες τὴν πρόνοιαν, ὥσπερ παισὶν Ἔμπουσαν ἢ ποινὴν ἀλιτηριώδη καὶ τραγικὴν ἐπικρεμαμένην (pro ἐπιτετραμμένην Madvig.).

Novimus Ἔμπουσαν, non novimus ποινὴν ἀλ. καὶ τραγικὴν puerorum terriculum. Utique supplendum esse videtur ὥσπερ παισὶν Ἔμπουσαν ἡ⟨μῖν⟩ Ποινὴν κτε.

1105 B (VI 415, 2) καίτοι ταῦτα μὲν, ὥσπερ ἔφην, οὐ πάνυ πολλοὶ δεδίασι, μητέρων ὄντα καὶ τιτθῶν δόγματα καὶ λόγους μυθώδεις· οἱ δὲ καὶ δεδιότες τελετάς τινας αὖ πάλιν καὶ καθαρμοὺς οἴονται βοηθεῖν, οἷς ἀγνισάμενοι διατελοῖεν ἐν Ἅιδου παίζοντες καὶ χορεύοντες ἐν τόποις αὐγὴν καὶ πνεῦμα καθαρὸν καὶ φθόγγον ἔχουσιν.

'τιτθῶν διηγήματα' Wyttenb., etiam λόγους μυθώδεις, ut videtur, iungens cum μητέρων καὶ τιτθῶν. Annon potius δεΙματα? (δεῖμα I 405, 5; 411, 23), cf. supra 412, 17 τὸ παιδικὸν ἐκεῖνο δέος (περὶ τῶν ἐν Ἅιδου). Reiskii coniecturam φέγγος pro φθόγγον non commendat αὐγὴ antecedens, se ipsum autem commendat πνεῦμα καθαρὸν κἄφθονον ('Largior aether' Virg. Aen. VI 640).

1105 C (VI 415, 18) Δι' ὃ τῇ δόξῃ κτέ.

Homines in tria genera dividuntur (411, 21): τὸ τῶν ἀδίκων καὶ πονηρῶν, δεύτερον δὲ τὸ τῶν πολλῶν καὶ ἰδιωτῶν, τρίτον δὲ τὸ τῶν ἐπιεικῶν καὶ νοῦν ἐχόντων. Illi inferorum formidinibus cohibendi sunt, medii (οἱ πολλοὶ) recensentur capitibus 26 en 27, cuius finis debent esse verba: διὸ τῇ δόξῃ τῆς ἀθανασίας συναναιροῦσι τὰς ἡδίστας ἐλπίδας καὶ μεγίστας τῶν πολλῶν. Tum transitur ad tertium genus, hic itaque novum caput (28)

Digitized by Google

instituendum erat: *Τί δὲ τὰ* (nam sic corrigendum pro *τί δῆτα*) *τῶν ἀγαθῶν οἰόμεθα καὶ βεβιωκότων ὁσίως* —;

1106 A (VI 417, 13) *οὐκοῦν καὶ ἡμεῖς, τοῦ λόγου δεικνύοντες ὡς ἔστιν ἐντυχεῖν ἀληθῶς τοῖς τεθνεῶσι καὶ τῷ* ⟨*Φρονοῦντι καὶ* editor⟩ *Φιλοῦντι τοῦ Φρονοῦντος αὐτοῦ καὶ Φιλοῦντος ἅψασθαι καὶ συγγενέσθαι,* ⟨*μὴ μιμώμεθα τοὺς μεθέσθαι*⟩ *μὴ δυναμένους μηδ' ἀπορρῖψαι τὰ εἴδωλα πάντα* (bene *ταῦτα* Xyl. in versione 'visa ista').

Supplevi: ad imitandum potius proponuntur *οἱ τὸ τοῦ Αἰνείου εἴδωλον μεθέμενοι* (vs. 12).

1115 F (VI 446, 4) *οὕτως οὔτε Φύσιν οὔτε χρῆσιν οὔτ' αἴσθησιν ἀνθρώπων ἀναιροῦσιν οἱ κοινῆς τινος οὐσίας μετοχῇ καὶ ἰδέᾳ γιγνόμενον ἡμῶν ἕκαστον εἰκόνα τοῦ παρασχόντος τὴν ὁμοιότητα τῇ γενέσει προσαγορεύοντες.*

Corrigo *κατ' ἰδίαν* (M. Antonin. 3, 2; 6, 44). Xylandrum ('ἰδέᾳ huc nihil pertinet') in idem fere incidisse video 'ἰδίᾳ', quo, quamquam alias saepissime, hic non usus est Plutarchus propter hiatum, ut 120 E (I 295, 9).

1116 A (VI 446, 14) *ὁ δὲ τυῦθ'* (sc. *τὰ αἰσθητὰ*) *ὑπάρχειν τῷ μετεσχηκέναι καὶ ὅσον ἀπολείπεται τοῦ ὄντος ἀεὶ καὶ τὸ εἶναι παρέχοντος αὐτοῖς ὑπονοῶν οὐ παρορᾷ τὸ αἰσθητὸν ἀλλὰ παρορᾷ τὸ νοητόν.*

Pluribus coniecturis unam addo: *ἀλλὰ συνορᾷ* (perspicit, intellegit) cf. 24, 3 *ἢ παρορᾶν τὸ Φαινόμενον ἔοικεν ἢ, συνορῶν τὸ γιγνόμενον ἐξ αὐτοῦ, Φιλονικεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν.*

1122 E (VI 464, 19) *'ἀλλὰ πῶς οὐκ εἰς ὄρος ἀπεισι τρέχων ὁ ἐπέχων* (qui iudicium suspendit) *ἀλλ' εἰς βαλανεῖον, οὐδὲ πρὸς τὸν τοῖχον ἀλλὰ πρὸς τὰς θύρας ἀναστὰς βαδίζει, βουλόμενος εἰς ἀγορὰν προελθεῖν;'*

Tam ineptum est *τρέχων* ('curriculo'), quam ipsa interrogatio si non additur quid ille petat, sicut in altera rogatione additur *'βουλόμενος εἰς ἀγορὰν προελθεῖν'*: nam qui, verbi causa, pecus suum inspecturus est, non loturus, profecto is in montes abibit, non in balneum. Extricabuntur haec, si pro *τρέχων* restitues *ῥιγῶν* (quod propter sequens *ὁ ἐπέχων* abiit in

Digitized by Google

ἐχων prius, tum correctum(!) est), et simul intellegetur, cur in 'montes' potius quam in theatrum vel gymnasium vel quidvis aliud inciderit interrogatoris cogitatio: ridiculus enim ut qui maxime, qui calorem inde petit, ubi frigus est. Relege versiculos — versiculi enim sunt — qui III 553, 5 citantur (interpunctionem simul corriges):

'πῦρ ζητοῦμεν (corr. ζητέομεν) βαλανεῖον ἱμάτιον στέγην·'
καὶ γὰρ
'οὐχ ὑόμενοι καθήμεθ' οὐδὲ κλαίομεν.'

1123 E (VI 467, 11) (Adsensus retentionem — τὴν ἐποχήν — ita defendit Plutarchus contra Colotem: ubi sint qui statuant, sicut Epicurus statuit, τὰς φαντασίας omnes aeque veras esse, etiam delirantium, non mirum esse existere qui omnes aeque reiciant: ὅθεν ἴσμεν (4) οὐκ ὀλίγους τῶν φιλοσόφων ἥδιον ἂν θεμένους τὸ μηδεμίαν ἢ τὸ πάσας ἀληθεῖς εἶναι τὰς φαντασίας, καὶ μᾶλλον ἂν οἷς οὐ (lege αὐτοὶ) παρατυγχάνουσι διαπιστήσαντας ἀνθρώποις καὶ πράγμασι καὶ λόγοις ἁπλῶς ἅπασιν ἢ μίαν ἐκείνων ἀληθῆ καὶ ὑπάρχουσαν εἶναι φαντασίαν πεισθέντας, ἃς λυττῶντες ἢ κορυβαντιῶντες ἢ κοιμώμενοι λαμβάνουσιν· sic viam muniri eis qui neutri parti accedant, τοῖς ἐπέχουσιν:)

ἃ τοίνυν ἔστι μὲν ἀναιρεῖν, ἔστι δ' ὡσ⟨αύτως τιθέναι, πῶς⟩ οὐκ ἔστιν ἐπέχειν περὶ αὐτων, εἰ μηδὲν ἄλλο, τήν γε διαφωνίαν ταύτην λαβόντας αἰτίαν ἀποχρῶσαν πρὸς τὰ πράγματα καὶ οὐδ' οὕτως ὑγιὲς οὐδέν, ἀσάφειαν δὲ καὶ ταραχὴν ἔχοντα πᾶσαν⟨;⟩ Supplendo locum sanare tentavimus; περὶ αὐτῶν, quod ad ἃ refertur, idem valet quod περὶ τούτων, cf. 16, 2 ὧν ἂν ἀφέλῃς παντάπασι προσδοκίαν μνημὴν κτέ. —, οὔτ' ὀμμάτων ὄφελος οὐδὲν αὐτοῖς παρόντων οὔτ' ὤτων. De forma activa τιθέναι cf. 468, 15.

1125 B (VI 471, 22) τούτοις τοῖς διαλογισμοῖς καὶ φιλοσοφήμασιν⟨,⟩ ἀρθέντων τῶν νόμων, ἔνυχες λύκων ἐνδέουσι καὶ ὄδοντες λέοντων καὶ γαστέρες βοῶν καὶ τράχηλοι καμήλων.

Distinctionem addidi, non enim cum Xylandro vertendum est 'Ubi his ratiocinationibus ac philosophia tali sublatae fuerint leges', sed, ut contextus docet: 'si leges tollas, ad disciplinam suam exercendam deerunt huic philosophiae corpora ferarum

Digitized by Google

rapacium, voracium'. Non tulit vir doctus ille ὄνυχες λύκων et transposuit in versione 'ungues leonum — et dentes luporum'.

Ex libro de amore c. 3 (VII 133, 25) ἀλλ' αὐτὸς (ὁ ἔρως) αἴνιγμα δυσεύρετον καὶ δύσλυτον· εἰ βούλοιτό τις προτείνειν τί μισεῖ καὶ φιλεῖ, τί φεύγει καὶ διώκει, τί ἀπειλεῖ καὶ ἱκετεύει, τί ὀργίζεται καὶ ἐλεεῖ, τί βούλεται παύσασθαι καὶ οὐ βούλεται, τί χαίρει τῷ αὐτῷ μάλιστα καὶ ἀνιᾶται, τοῦτο λῦσαι καὶ θεραπεῦσαι.

Tamdiu cessabit emendatio, quamdiu propter antecedens 'δύσλυτον' et verbum 'προτείνειν' anxie tuebimur τὸ 'λῦσαι'. Vide an aenigmatis huius aenigma sic solvi possit: (ἔρως) αἴνιγμα — δύσλυτον, εἰ βούλοιτό τις προτείνειν τί μισεῖ καὶ φιλεῖ — τί χαίρει τῷ αὐτῷ μάλιστα καὶ ἀνιᾶται, ⟨τί⟩ ταὐτὸ λυπεῖ καὶ θεραπεύει.

Ubi non Oedipus, ibi venia Davo.

Digitized by Google

OBSERVATIONES GRAMMATICAE ET CRITICAE IN SALVIANUM

ACCEDIT APPENDIX DE GENNADII CAPITE LXVIII.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

PRAEFATIO.

Salviani presbyteri Massiliensis scripta quanti sint momenti historico philologo theologo et ipse probe scio et luculenter Geffcken in Annalibus Novis [1]) docuit. Hic imprimis libros, qui inscribuntur de Gubernatione Dei, permagni facit atque adeo eos praefert Apollinaris Sidonii epistulis carminibusque. Qua in re ei fortasse theologi astipulantur, equidem utrumque auctorem plurimi aestimans alterum alteri anteponere non ausim. Tamen quod attinet ad Latinitatem integram presbyter facile Arvernorum episcopum superat, tantummodo dolendum est Salviani opera minus feliciter quam Sidonii iniuriam temporis tulisse. Multae sententiae in libris de Gubernatione atque in Epistulis laborant lacunis, alia vitia turpant libros ad Ecclesiam. Editiones omnium manibus tritae, quas Halm et Pauly curaverunt, non iam sufficere videntur, quoniam proprietates sermonis Latini posterioris aevi magna ex parte ab illis viris doctis sunt neglectae neque ulla ratio clausulae habita est metricae. Pauly, quamquam diligentius libros manuscriptos excussit quam Halm, saepissime Hartelii coniecturis in errorem est inductus.

1) Cf. Neue Jahrb. XXIII (1920) p. 256—269 Stimmungen im untergehenden Weströmerreich.

Digitized by Google

Legentes moneo non raro me Salviani verba cum locis Sidonianis contulisse. [1])

Caput 68. Gennadii operis c. t. De viris illustribus, quod agit de Salviano, illustrare et emendare conatus sum.

Dabam Hagae Comitum mense Octobri.

C. Brakman I. f.

OBSERVATIONES GRAMMATICAE.

De numero.

Salvianus et ut permagnam multitudinem rerum significet et ut emphatice loquatur, pro sua consuetudine vividis coloribus omnia depingens etiam minus usitatas formas pluralis usurpat [2]) e. g.

Gub. III 7 supellectiles copiosae.

Gub. I 13 carnes et fortitudines corporum.

Eccl. II 73 passionibus carnium beatitudo spirituum non interpolatur.

Eccl. III 51 pascebat flammas medullis suis; I 11 virtus ac medullae affectuum, Epist. V 4 non turpibus flammis medulla aestuant.

Saepissime autem substantivorum abstractorum hic auctor plurali utitur numero, ut varia genera alicuius rei indicet vel res ad plures personas pertinentes e. g.

Gub. I 23 pro incolumitatibus ac prosperitatibus nostris.

„ IV 87 suffragio iustitiarum suarum.

„ VII 102 varia insaniarum labe.

„ VI 60 quicquid inmunditiarum est... quicquid luxuriarum.

Eccl. I 60 pro neglegentiis cogitationum.

„ II 1 de spebus remediorum.

(ibid.) peccata sua misericordiis redimat.

---

1) Cf. Sidoniana et Boethiana mea (Traiecti ad Rhenum 1904) et Mnemos. 48 (1920) p. 97 sqq.

2) Nimirum orationem dominicam Salvianus imitatur Eccl. II 48 cogitantes... *nostros* scilicet *caelos*.

Digitized by Google

Satis eleganter numerum presbyter variat [1]) interdum e. g.

Eccl. II 3 quod plus ad *usum* tibi dominus tuus tribuit quam modus *usuum* postulavit.

Dativum pluralem nominis collectivi, quod est *plebs* affero, cum ἅπαξ λεγόμενον esse videatur (si excipias titulum Cypriani epistulae 67.) Gub. VI 40 quae spes Christianis *plebibus* ante deum est?

Certe ἅπαξ εἰρημένον est *sublimitates* significans *magistratus* Gub. V 30 epistolarii a summis *sublimitatibus* [2]) missi.

Pluralis numerus adiectivorum neutrorum frequenter substantive adhibetur e. g.

Gub. VI 62 magis placandus est in adversis deus et minus laedendus in prosperis (cf. VI 90 uti prosperis... corrigimus adversis).

Eccl. I 49 in mediocrium actione.

„ II 67 in brevibus.

„ II 69 in ultimis suis (cf. IV 37 in postremis).

„ IV 47 nisi duris non itur ad regnum.

Gub. IV 53 rei in omnibus deo sumus.

„ IV 64 in plurimis deteriores, in quibusdam meliores.

Neque a singulari numero pronominum certe auctor abhorret e. g.

Gub. V 35 minuendas in aliquo tributarias functiones existimaverint.

Epist. IV 13 quod utroque praestat.

Gub. VII 37 licet deo in nullo digne gratias agamus.

Nullum, quod valet *nihil*, iam usurpant poetae, qui floruе-

---

1) Legitur in una eademque epistula quarta *preces* (§ 20), *precum* (§ 24) *precibus* (§ 27) et *peculiari prece* (§ 9), quocum conferatur Eccl. T 55 *cum prece*.

Habes Gub. VI 38 *in altario*, at pluralis requiritur Gub. III 47 *altaria*.

Ut nonnunquam apud Plinium (Ep. X 10, 1) et Tacitum (Ann. I 30), sic *epistulae* plurale tantum est Epist. 6 admonendum te existimavi ut legens *epistulas meas*, dum in me studium tui amoris videres, in te mei accenderes.

Cicero plus quam semel *latrocinium* ponit sensu *latronum* (velut Philipp. XIV 10 ad explendas egestates *latrocinii* sui), quod facit noster Gub. V 18 vastatione *latrocinii* populantis.

Sic *civitas* significat *cives* Gub. IV 21 quid est enim aliud dignitos sublimium quam proscriptio *civitatum*?

2) Conferendum est Gub. V 35 si minuendas tributarias functiones *potestates* summae existimaverint.

Digitized by Google

runt Augusti temporibus (cf. Schmalz Lat. Gramm. p. 628).

Pluralis numerus adiectivorum masculini generis sensim paulatimque verum substantivum factus est, quod declarant haec exempla

Eccl. II 59 latrones quoque ipsi et *sanguinarii* fidem sibi invicem non negant.

„ II 11 nihil ergo, inquit aliquis, inter *sanctos* et peccatores est?

Gub. I 7 de *sanctis* hoc, id est de veris ac fidelibus Christianis (sc. requiro), an de *falsis* et inpostoribus doleant.

Denique eiusmodi adiectivorum singularis quoque numerus substantivum habetur

Gub. II 26 sic enim *iustus* dicit in psalmo.

„ V 57 quis eorum amantibus nocet, quis diligentem insequitur, quis *cari* sui mucrone iugulatur?

„ IV 88 cum pro his omnibus..... vitam *parvuli* sui tot lamentationum suffragiis peteret (sc. David). Rursus pluralis occurrit Gub. IV 85 homicidio innocentium *parvulorum*.

DE CASIBUS.

De genetivo inhaerentiae. [1])

Complures genetivi inhaerentiae vel synonymi reperiuntur in omnibus Salviani operibus, quorum afferenda sunt haec exempla

Epist. VIII 2 doctrina novae eruditionis.

„ IX 18 in hoc ambiguae opinionis incerto.

Eccl. I 1 aemulationis invidia.

„ I 27 ad erogandam terrenae substantiae facultatem.

„ I 49 asperitatnm dura.

„ III 60 dans censum propriae facuftatis (cf. IV 43 rerum facultate; III 57 res propriae facultatis).

„ III 73 sponsionem sacrae promissionis audire.

„ IV 6 in prosperitatibus secundorum.

Gub. I 3 ab universitate omnium rerum.

„ I 20 quo summam totius mundani corporis gubernaret.

---

1) Cf. Arnobiana mea (1917) p. 14—18. Schmalz § 69 Anm. 2, p. 362.

Digitized by Google

Gub. I 21 huius persuasionis adsertio.
„ I 29 censura iudicii (cf. II 27).
„ II 17 secreto occultorum penetralium, (*secretum* substantive positum est III 2 secretum et consilium divinitatis ignoro).
„ III 25 pro commodorum nostrorum utilitate.
„ III 57 universitas totius humani generis.
„ V 16 luridus malivolentiae [1]) zelus.
„ V 25 in quaestus proprii emolumenta verterunt.
„ V 52 flagitiorum probra et crimina.
„ VI 63 secundarum rerum prosperitate.
„ VII 20 caenum impudicarum sordium.
„ VII 45 pari superbiae fastu.
„ VII 85 tanta rerum obsecundantium felicitate.
„ VII 9 tam speciosae appellationis titulum.

De genetivo qualitatis.

Ut Batave dicimus: een zaak van belang, een zaak van gewicht, sie scriptores Latini aetatis posterioris dicebant (velut Apollinaris Sidonius Ep. V 20, 4) *res commodi.*

Apud Salvianum, cuius nomen desidero in Schmalzii Syntaxi § 72 (Observ. 6) p. 364, invenitur Gub. VI 86 *res* desiderare luxuriae.

Hic utile videtur comparare Salvian. Epist. VII 5 abundantioris caritatis *rem* facit
cum Apoll. Sidon. Epist. V 17, 8 facturus *rem* caritatis.

Hunc igitur genetivum apparet esse genetivum qualitatis, id quod statuit Schmalz, at Kühner-Stegmann § 83, 5*b* (I p. 419) eum minus recte vocat appositivum.

Ceterum saepissime *res* adsciscit genetivum qualitatis e. g. Gub. VI 65 facimus *rem* operum bonorum; V 29 aestimare *rem* [2]) huius iniquitatis potest; VIII 11 minoris piaculi *res* est.

Praeclarum eiusdem genetivi exemplum legitur Gub VI 29 ubi est populis ille mundus..... ubi populus boni operis, ubi populus sanctitatis?

---

1) Cf. Sallust. Cat. III 2 malevolentia et invidia dicta putant.
2) Iniuria Hartel suspicatur *rationem.*

Digitized by Google

Quare dubitari non potest quin eundem genetivum deprehendamus Eccl. III 71 qualecumque *fidei opus* non esse periturum.

DE GENETIVO PENDENTE AB ADIECTIVO PRONOMINALI, QUOD EST *totus*.

Totus adsciscit genetivum possessivum (cf. Schmalz § 68 Obs. 1, p. 361) Gub. VIII 20 in quibus (sc. servis dei) nihil videbant (sc. Afri) suum, quoniam dei *totum*.

Hic Salvianus manifesto imitatur Lactantium, cuius Divinae Institutiones semper et ubique ei exemplo fuerunt, cf. Inst. I 42 cuius (sc. dei) *toti* sumus.

Contrarium fere habes Sid. Ep. I 11, 5 erat Paeonius populi *totus*.

Praeterea invenitur apud uostrum Gub. IV 33 si fuit *totus* honoris, fit *totus* iniuriae.

Hic liceat conferre Plin. Epist. V 16, 8 expulsisque virtutibus aliis pietatis est *totus*.

DE GENETIVO PRAEDICATIVO (SCHMALZ § 74, p. 365).

Adamat Salvianus genetivum praedicativum designantem modo possessionem modo indicium vel officium. Praedicativus ille genetivus ergo vicem obit nunc possessivi nunc qualitatis e. g.

Eccl. II 27 quaecumque se vitae cupit (sc. vidua) esse non mortis (quod Batave reddere possis: alle weduwen, die het eeuwig leven verlangen te verwerven, niet verdoemd te worden).

Gub. VII 6 criminosior quippe est luxuriosa paupertas et maioris invidiae miser nugas.

Gub. IV 12 in eodem crimine punimus alios, nos absolvimus: intolerabilis prorsus et incontumaciae et praesumptionis.

DE GENETIVO PARTITIVO.

Pars saepe coniungitur cum genetivis *mei*[1]), *sui*, *nostri* cet. e. g.

Gub. VI 46 et cum maxima *nostri pars* iam perierit, id agimus ut pereamus omnes.

1) Cf. Kühner-Stegmann § 116, 2; I p. 598 et Horat. C. III 30, 6 multaque *pars mei* vitabit Libitinam.

Digitized by Google

Gub. VII 16 apud aquitanicas vero quae civitas in locupletissima ac nobilissima *sui parte* non quasi lupanar fuit? (cf. V 6 in aliqua sui parte).

Eundem genetivum adsciscit *portio*, quae vox non raro apud scriptores imprimis posterioris aevi ponitur pro *pars*, e. g. Epist. I 8 cum me *portionem vestri* aestimetis, necesse est eum, qui *mei portio* est, *vestri* quoque aliquatenus *portionem* esse ducatis.

Ceterum Salvianus frequentes genetivos partitivos adhibet quales

Eccl. I 29 in incerts divitiarum.
„ I 43 lubrico aetatis aut nubilo erroris.
„ IV 6 de incertis periculorum.

De hebraïsmis.

Procul dubio litteras sacras imitans scribit presbyter noster Eccl. III 4 sed et in *vase electionis* suae idcirco locupletibus divitias a domino dari indicat e. q. s. De hoc hebraïsmo legentes relego ad Schmalzium (§ 69 Obs. 2 p. 362). Cf. Epist. IV 1 Paulus apostolus, *electionis vas* cet.

Ut ἅγια ἁγίων, δοῦλος δούλων (cf. servulorum servulus Querol. 41, 6 (Peiper)) ᾆσμα ᾀσμάτων veri habendi sunt hebraismi [1]), sic Salvianus bis hac figura utitur:

Epist. V 2 nec solum *sancta sanctorum*, sed etiam vestibula templi sui et circumsepta servavit.

Epist. IX 17 is enim *causarum omnium causa* est.

De genetivis ab adiectivis et verbis pendentibus.

Cum genetivo construuntur adiectiva quae sunt *alienus*, *pertinax*, *extorris* e. g.

Gub. I 19 huius ipsius, de qua loquimur, veritatis *alienus* [2]).
„ I 41 contumaciae *pertinaces* morte damnati (cf. Apul. Apol. 102 iustitiae *pertinacem*. [3])
Eccl. II 72 *extorrem* bonorum omnium fieri.

---

1) Cf. *nummorum nummos* (Petron. 37 Friedländer).
2) Cf. Kühner-Stegmann I p. 372.
3) Ibid. p. 451.

Digitized by Google

Notandi verbum (sicut Arnob. IV 22 non videtis, cuius eum *notetts* probri?) genetivum requirit:

Eccl. IV 29 quos in evangelio inmortalibus poenis salvator tradidit, inpudicitiae non *notavit.*

Recte secundum grammaticae praeceptum scribitur Epist. I 7 si qua est in me gratia, ob eos, ni fallor, maxime data est, *quorum intererat* ut gratus essem.

At non item:

Eccl. III 82 et credere te aliquid de salute animae tuae loqueris, cui nullus est anima tua vilior, *apud quem* prope non *interest* cui prosis, dummodo tibi noceas?

Pro *apud quem* in Latinitate integra *interest* requirit *cuius*; semel insuper pro *sua* substituitur *apud eos* nempe

Eccl. III 58 nec *interest,* ut dixi, *apud eos* quorum meminerint, dummodo sui obliviscantur.

Instar.

Valde memorabile est Salvianum, quamvis e libro Iudicum laudet (Gub. VII 32) „*instar* locustarum cuncta compleverant", ipsum scripsisse (Gub. I 38) *ad instar* futuri iudicii iudicavit, quod quantopere iam simile sit linguae Francogallicae, versio facile probat: il jugea à l'instar du jugement futur.

De accusativo.

Mira est variatio constructionis verbi, quod est *credere,* modo enim iungitur cum dativo, modo cum accusativo, quem interdum praepositio *in* comitatur e. g.

Gub. III 7 videamus tamen, quid sit *deum* fideliter credi. (ibid.) quid est igitur credulitas vel fides? opinor, fideliter hominem *Christo credere.*

Gub. IV 1 nam cum hoc sit hominis Christiani fides, fideliter *Christum credere,* et hoc sit *Christum* fideliter *credere,* Christi mandata servare, fit absque dubio ut nec fidem habeat qui infidelis est nec *Christum credat,* qui Christi mandata conculcat.

Eccl. III 62 si non *credit verbis,* quae dixit deus, non *credat praemiis,* quae promittit deus?

Gub. VI 32 *credo,* inquis, *in deum* patrem omnipotentem

Digitized by Google

et *in Iesum Christum* filium eius, ergo primum renuntiatur diabolo ut *credatur deo*, quia qui non renuntiat diabolo, non *credat deo*.

Eiusdem fere generis est variatio, quae regnat in constructione verbi *peierandi*, quam ut legentibus demonstrem necesse est exscribatur tota paragraphus 77 libri quarti:

Gub. IV 77 quanto minore peccato illi *per* daemonia *pierierant* quam nos per deum! quanto minoris criminis res est Iovis nomen ludificare quam Christi! ibi homo est mortuus, per quem iuratur: hic deus vivus, qui *perieratur*: ibi nec homo ullus, hic deus sumnus: hic cum maximi sacramenti sit deieratio, necesse est maximi sit reatus et pericratio: ibi cum prope nullum sit iuramentum, nullum constat esse periurium; nam cum deus non sit, per quem iuratur, non est periurium, cum *perieratur*. [1])

Quod attinet ad verbum, quod est *abdicare*, observandum est rerum scriptores (velut Sallustium, Livium) parum sibi constare, quippe qui nunc dicant *abdicare magistratum* nunc *se abdicare magistratu*. Hic duo loci digni sunt, qui commemorentur:

Gub. II 19 gemmas regias *abdicat* (sc. David).
„ V 61 *abdicare* itaque a te ipso, ne *abdiceris* a Christo.

Accusativum exclamationis Salvianus in deliciis habet e. g.

Gub. IV 53 o caecam impudentiam! o sacrilegam temeritatem!
„ VI 4 o miseriam lacrimabilem! o miseriam luctuosam!
„ VI 99 o infelicitates nostras!
„ V 48 o superbiam non ferendam!

De praepositionibus.

Salvianus, ut ceteri scriptores aetatis posterioris, praecipue favet praepositioni *de*, qua saepe utitur, ubi veteres *ex* vel *a* praetulissent.

Gub. I 35 fit *de* paupere locuples, *de* ignoto potens (sed optime ponitur fortasse clausulae gratia Gub. VII 103 lupanar fecit *e* mundo).

---

1) *Peierari* praesertim a poetis usurpatur (Hor. C. II 8, 1; Ovid. Amor. III 11, 22).

Digitized by Google

Eccl. I 9 loca itaque thesaurorum *de* meritis thesaurizantium nominavit.

Gub. VI 19 qui forte ad spectaculum puri venerant, *de* theatro adulteri revertuntur.

„ VIII 22 ac si quando aliquis dei servus aut *de* Aegyptorum coenobiis aut *de* sacris Hierusalem locis aut *de* sanctis heremi venerandisque secretis ad urbem illam.... accessit e. q. s.

„ I 48 liberatus quondam *de* Pharaonis iugo.

Eccl. I 52 ad liberandam *de* perennibus poenis animam suam.

Gub. IV 84 aestimari *de* cultoribus suis potest ille qui colitur.

Praepositio *de* circumscribit genetivum partitivum:

„ IV 92 *de* quo ardore qui plurimum habet (= qui plurimum ardoris habet: utrumque maiore cum emphasi dicitur quam: qui plurimum ardorem habet).

Etiam ad insolitas structuras auctor noster confugit, dummodo *de* adhibeatur e. g.

Gub. II 8 nec est enim alius deus, cuius cura est *de* omnibus; (expectaveris fere: cui omnia sunt curae cf. Gub. I 17).

„ II 1 sufficiunt igitur *de* exemplis ista quae diximus, (idem fere valet: sufficiunt igiiur exempla ista quae dinimus).

Ex nonnunquam comitatur ablativum causae e. g.

Gub. VII 81 sicut *ex* furto Achar ruit populus, sicut *ex* zelo Saulis orta est pestilentia, sicut *ex* sancti David dinumeratione mortalitas.

Saepius ope praepositionis, quae est *ex*, locutiones adverbiales formantur e. g. Epist. IV 2 *ex superfluo* (= superflue Eccl. II 63).

Huius rei praeclarum exemplum legimus Eccl. III 57 etiam agnatis et cognatis, neque solum, ut aiunt, *ex directo*, sed etiam *ex obliquo* et *ex transverso*, immo potius *ex averso perversoque* venientibus res propriae facultatis, id est pretium suae redemptionis addicunt.

In. Schmalz (Synt. 147 p. 413) agit de certamine ablativi et accusativi, quos *in* adsciscit. Notatu igitur dignum est

Digitized by Google

semper legi *in comparatione* [1]) (Gub. II 23; IV 25; Eccl. II 73; III 84; IV 27) sed *in similitudinem* (Gub. V 25; Eccl. III 75).

Ceterum oritur certamen etiam inter praepositiones *in* et *ad*. Habemus Gub. VII 67 *in* exemplum ac testimonium sed paulo infra VII 69 *ad* exemplum ac testimonium.

Seneca scribit Epist. 91, 8 *in plenum* cogitanda fortuna est, at Salvianus Gub. VII 17 cogitat forte aliquis non ita *ad plenum* esse ut loquar; sic etiam Ausonius Perioch. Odyss. 22 (p. 242 Schenkl) Ulixes caede *ad plenum* perpetrata e. q. s.

Ipse Salvianus nos hortans Gub. IV 80 ut omnia faciamus *in gloriam dei*, Ozam tradit extinctum esse Gub. VI non quia *ad speciem* contumaci aliquid.... mente commiserit, sed ipso officio inofficiosus fuit.

Libri sacri variant inter *ad invicem* et *in invicem* (cf. Roensch p. 232 et 233), hoc praefert presbyter Massiliensis Gub. VII 76 masculi relicto naturali usu feminae exarserunt in desideriis suis *in invicem*.

Verum *ab invicem* legimus apud Hilarium Pictaviensem Epist. V 4 (p. 201, 12 Feder) absumti sumus *ab invioem* (cf. Schmalz p. 620).

In sermone puro roganti *ubi* responderi solet ablativo, quem *in* comitatur, sed roganti *quorsum* responsum dat accusativus, quem *in* adsciscit. In Latinitate autem posteriore non raro contrarium habemus, cuius rei nubem exemplorum affert Roensch (p. 407, 410, 411). Itaque censeo, quoniam et codices conspirant, lectionem traditam esse servandam hisce locis:

Gub. I 22 quid ergo sibi vult apostolus Paulus praecipiens cotidie *in ecclesiam* e. q. s. (Pauly edidit *ecclesia*).

Gub. V 18 *in hac condicione* immo in hoc scelus res devoluta est, ut nisi quis malus fuerit, salvus esse non possit.

Gub. V 44 isti, quia tueri amplius vel sedem vel dignitatem suorum natalium non queunt, iugo se inquilinae abiectionis addicunt, *in hac necessitate* redacti [2]), ut e. q. s.

Per. Praepositionem *per* cum accusativo iunctam saepissime

1) Tantummodo codex C exhibet Epist. VII 6 in comparationē.

2) De clausula heroa infra agemus.

Digitized by Google

idem valere atque instrumentalem aut ablativum modi aut causae satis notum est. Nihilominus utile videtur haec exempla referre

Gub. III 8 lectissimos viros *per* unguentum regium deus vocavit in regnum.

„ III 5 cum *per* scripturas sacras scire nos quasi de arcano animi ac mentis suae quaedam voluit deus noster.

Eccl. II 52 *per* quae tormenta..... puniuntur.

Gub. III 16 qui (sc. parentes) onera, quae cervicibus filiorum *per* amoris indulgentiam detrahunt, sibi per affectum religionis imponunt.

Gub. II 22 *per* industriam; IV 89 *per* convicia; IV 89 *per* indigentiam..... *per* copiam.

Absque dubio sescenties (Gub. I 15, 24, 34, 37; II 2; IV 1) occurrit in Salviani operibus, quod iam Schmalz (§ 146) vidit.

Apud et *ab* nonnunquam vix inter se differunt e. g.

Gub. IV 72 nam in tantum *apud* plurimos nomen hoc (sc. Christi) parvi penditur (cf. *παρὰ πάντων ὁμολογεῖται*).

Erga. In una eademque sententia *erga* accipiendum est in bonam et in malam partem Gub. VII 2 adprobabimus tam iustum tunc *erga* illos (sc. veteres Romanos) fuisse domini favorem quam nunc *erga* nos iustam severitatem.

In malam tantum partem accipiendum est:

Eccl. III 30 invenit quo videretur filiis suis maiore *erga* deum sua inpietate consulere.

Iuxta. Identidem Salvianus *iuxta* posuit sensu praepositionis, quae est *secundum* e. g.

Eccl. III 46 *iuxta* apostolum unusquisque sarcinas suas cogitet!

Gub. II 22 *iuxta* verbum dei.

„ I 9 *iuxta* opinionem suam beati sunt.

„ V 46 *iuxta* sermonem sacrum labores manuum nostrarum manducamus.

De positivo comparativo superlativo.

Salvianus non abstinet a formis vulgaribus *piissimus* (Gub.

Digitized by Google

II 1; 12; VIII 16) et *impiissimus* (Gub. I 29; IV 46), cf. Schmalz p. 614.

Ad augendam vim positivi et comparativi aliquotiens utitur adverbio *admodum* [1]) e. g.

Gub. II 21 iugis admodum.

„ I 6 deteriores admodum; V 18 atrociores admodum.

Non solum *multo*, verum etiam *multum* potestatem comparativi auget e. g.

Epist. IX 10 multum inreligiosius.

Gub. IV 62 multum etiam meliores.

Comparativos adiectivorum, quae ope suffixi-*bilis* sunt formata [2]), saepe (non semper) vitat Salvianus addendo *magis* ad positivum e. g.

Gub. IV 47 magis inaestimabilis pietas et hoc magis mirabilis dei virtus est.

„ VI 62 magis intolerabile.

„ VII 92 illud gravius ac magis intolerabile.

Sed veros comparativos invenimus Gub. IV 41 vel *inrationabilius* vel insanius et VI 27 *lacrimabilius*.

Quod hic auctor non *iustius* scripsit in hac interrogatione Eccl. III 36 quid enim rectius, quid *magis iustum*, quam e. q. s. id procul dubio fecit clausulae gratia: nunc enim lucratus est creticum et spondeum vel optimam clausulam.

Eadem ratio fortasse presbyterum movit ut superlativum circumscriberet Gub. III 53 tanta est miseria huius temporis, ut nullus habeatur magis nobilis, quam qui est *plurimum dives*.

Superlativum et positivum nonnunquam vix differre docet hoc exemplum Gub. IV 12 hinc ergo agnosci potest quam *inique* ac *pravissime* aliis severissimi sumus nobis indulgentissimi.

Idem discimus ex hisce verbis Gub. III 30 ac per hoc licet nobis non sufficiat *parva* ac *minima* quaeque facere, adquiesco tamen ego minora dicere, ut ostendam maximam Christianorum omnium partem nec *exigua* saltim ac *minima* fecisse.

---

1) Auget vim superlativi Auct. ad Herenn. IV 12, 17 maxime *admodum* oratori adcommodata (sc. elocutio).

2) Pro superlativo horum adiectivorum veteres crebro utuntur positivo addita voce *maxime*.

Digitized by Google

Quod et comparativus admittit pronomen indefinitum, quod est *quisque*, declarat hunc quoque gradum vim adipisci superlativi e. g. Gub. III 27 sed eligere forsitan *maiora quaeque* videamur, quae nullus impleat.

Interdum verbo *velle* notio comparativi inest, itaque valet idem atque *malle* et excipitur adverbio *quam* [1]); tres eiusmodi loci reperiuntur:

Gub. V 49 quia castigat (sc. deus) malos, non reddit mala et agnoscere nos peccata nostra *vult quam* sustinere.

Codex B exhibet *mavult*, quod fit cum IV 16, tum IV 10: Gub. IV 16 quid autem mirum est, si positus in metu servus mentiri *vult quam* flagellari.

Gub. IV 10 sed ille plus misericordiae tribuens quam severitati *vult* nos clementis censurae temperamento emendare *quam* plaga iustae cohercitionis occidere.

De pronomine possessivo reflexivo demonstrativo.

Bis Salvianus ecclesiam sic alloquitur: domina *mi* ecclesia (Eccl. III 1 et IV 1), pro vocativo feminini *mea* ergo adhibet vocativum masculini. Idem faciunt Apuleius (Metam. VIII 8 *mi* coniux) et Iulius Valerius I 6 *mi* mulier; I 15 *mi* mater cet..

Saepe imprimis apud scriptores recentioris aevi pro genetivo pronominis possessivi tertiae personae substituitur genetivus reflexivi (cf. Tacit. Ann. II 13 fruitur fama *sui* [2]). Hunc usum sequitur et Salvianus e. g.

Gub. VI 34 ad exordium *sui* cuncta respiciunt.

„ VI 17 quod et relationem *sui* interdicunt.

Pro pronominibus possessivis primae et secundae personae Salvianus adhibet genetivum pronominum personalium e. g.

Epist. IV 17 et primum paene ad vos vocem pro *nostri* emittit offensa.

„ IV 25 venia *vestri* dictum sit.

Proprius vice fungitur pronominis possessivi e. g.

Gub. V 3 dum legem divinam deseris, salutem *propriam* derelinquis.

---

1) Hic conferri oportet Homericum illud *βούλομαι ἤ* (A 117). Hanc rem Schmalz tangit § 308, p. 547.

2) Cf. Kühner-Stegmann § 116, Anm. 4 I p. 598 sq.

Digitized by Google

Identidem vero positum est pro *suo* e. g.

Gub. IV 87 nam cum ei (sc. David) errores *proprios* confitenti Natham propheta dixisset e. q. s.

„ III 54 dum damnare se ceteros putant (sc. nobiles), ipsos se magis *propria* animadversione condemnant.

Eccl. III 9 quaerunt... alios, quibus substantiam *propriae* facultatis addicant.

In posteriore Latinitate frequenter *suus* usurpatur pro *eius* [1]), cuius rei non desiderantur exempla apud nostrum:

Gub. V 6 prima ergo haec retributio est, ut mortem morte reddamus ac pro eo, qui mortuus est pro nobis, nos moriamur omnes, tametsi minoris multo pretii mors nostra est quam *sua*.

„ IV 34 vim facimus pietati *suae* ac manus quodammodo adferimus misericordiae *suae*.

„ VII 49 iustus est enim, ut propheta ait, iustus est dominus et rectum iudiciuum *suum*.

Haec exempla nos movent, ut cum bono codice Parisino B scribamus Eccl. I 54:

et ideo, licet offerat (sc. quispiam), oret deum, ut sua placeat oblatio, plangens id ipsum quod tarde offert, plangens ac paenitens quod non prius: sic erit, ut iuxta prophetam propitietur forsitan deus deliciis *suis*. [2])

Crebro *ipse* ponitur pro *idem* e. g.

Gub. IV 11 *ipsi* in nobis mores sunt, qui in servulis nostris.

„ V 6 ac per hoc iam non eadem, quia non possunt penitus dici *ipsa*, quae sunt in aliqua sui parte vitiata.

Idem rursus interdum induit sensum *eius* e. g.

Eccl. I 13 itaque si radix malorum omnium est cupiditas atque haec pietatis matrice gignitur et quasi viroso *eiusdem* lacte nutritur, non tam cupiditas reprehendenda..... quam ipsa pietas.

Gub. VII 40. Itaque agnovit hoc ille dux nostrae partis, qui

---

1) Schmalz de hac re exponit p. 619 ganz besonders im Spätlat. wird *suus* für *eius* ganz gewöhnlich, namentlich im gallischen Latein.

2) Codex A exhibet *tuif*, quod non multum differt a *fuif*, sed manus secunda superscripsit *eius*.

Digitized by Google

eandem urbem hostium, quam *eodem* die victorem se intraturum esse praesumpsit, captivus intravit.

Horum pronominum confusionem deprehendimus etiam apud Claudianum Mamertum (de statu an. I 2 p. 26, 1 Engelbrecht): enimvero illud quod ista pagina propalatur *eiusdem*que auctor occultatur, evidens facit iudicium *eandem* scilicet, a quo sit composita, fuisse damnatam.

Iste et *hic* saepe idem significare etiam Salvianus docere nos potest e. g.

Gub. I 17 at forsitan hoc ipso magis probare te dicis, quod deus *in saeculo isto* omnia neglegat e. q. s.

„ I 18 ita in futuro iudicaturum (sc. Christum) adfirmamus, ut tamen semper etiam *in hoc saeculo* iudicasse doceamus.

Itaque *iste* et *ille* non raro iuter se opponuntur:

Gub. VII 12 hanc pro muneribus sacris dederunt domino retributionem, ut in quantum eos beneficiis suis *iste* ad se inlexerat ad propitiandum, in tantum *illi* flagitiis suis laboraverint ad exacerbandum.

De pronomine indefinito.

Attendamus haec pronomina indefinita:

Quis positum est pro *aliquo* Gub. III 39 si igitur iuxta dei verbum in gehennam scandalis trahimur, recte profecto, ut gehennam vitare possimus, etiam manibus nostris nos oculisque multamus, non quod membris suis *quis* privare se debeat, sed e. q. s.

Idem fecit auctor et ut allitterationem lucraretur et ut *quis* tanquam enclitica sequeretur *quemadmodum* [1]), in hac sententia:

Eccl. II 27 quaecumque (sc. vidua) se vitae cupit esse non mortis, nequaquam sufficere sibi aestimet, si et delicias sibi ob deum et divitias abnegarit, nisi et oratione et labore id promeruerit, ut vidua dei esse videatur: quia non est dubium, quod quemadmodum *quis* in hoc saeculo Christo adhaeserit, ita in Christi corpore permanebit.

1) Etiam post *quando* enclitica ducenda est *quis* Eccl. IV 50 *quando* enim bonus *quis* esse coeperit e. q. s.

Digitized by Google

Qui substantive usurpatur post *ne* (id quod etiam fit apud Ciceronem) Gub. I 50 porro autem non punitus tantum sed punitus sub testimonio, ut damnare scilicet videretur reum iustitia non potestas, exemplo scilicet ad cunctorum emendationem proficiente, ut ne *qui* postea admitteret, quod omnis in uno populus vindicasset.

Codex deterior B exhibet *quis*, sed non est cur dubitemus de sinceritate lectionis ab optimo codice A traditae.

Aeque recte se habet Gub. IV 32 Iam vero illud quale, quod si *qui* ex nobilibus converti ad deum coeperit, statim honorem nobilitatis amittit?

At paulo infra (in eadem paragrapho) legimus: statim enim, ut *quis* melior esse coeperit e. q. s.

Unum aliquod [1]) semel tantum reperitur nempe:

Gub. VI 16 alia quippe crimina singulas sibi ferme in nobis vindicant portiones, ut cogitationes sordidae animos, ut impudici aspectus oculos, ut auditus improbi aures, ita ut, cum ex his *unum aliquod* erraverit, reliqua possint carere peccatis.

Hoc loco *unum* substantive positum est, at *aliquod* adiective ut Cic. de orat. II 292 cf. Kühner-Stegmann I p. 636.

Nobiles et divites in uno sunt numerandi ordine secundum Salvianum, qui de iis haec tradit:

Gub. III 53 sed sive de *alterutris* sive de utrisque apostolus dixerit, facile de hoc componi potest; non enim interest, de *qua* hoc potissimum parte dictum sit, quod utrique certum est convenire.

Hic secundum meliorem normam pluralis numeri pronominis, quod est *alteruter*, declinatur tantummodo pars *uter*. *Qua* autem positum est pro *utra*, sicut *quem* valet *utrum* in hac sententia Gub. II 21

et quidem nescias *quem* de filius duobus tam bonus pater gravius amiserit. [2])

1) *Unum aliquod* occurrit Auct. ad Herenn. III 23, 39; unum aliquid (ibid.) IV 41, 53.

1) Sic interrogativum *vuius* valet idem atque *utrius* Gub. VI 69 pars plebis erat foris captiva hostium, pars intus captiva vitiorum: *cuius* sors peior fuerit incertum est.

Denique *quid* valet *utrum* Epist. I, 1 o Amor *quid* te appellem nescio; bonum an malum e. q. s.

Digitized by Google

Salvianus ut est studiosus pleonasmorum utitur voce *quidquidlibet* bis

Eccl. II 6 *quicquidlibet* enim homo pro deo perferat, solvi omnino non potest, quod deus pro homine perpessus est.

„ III 84 *quidquidlibet* enim dederis pro te, vile est, quidquid pro te obtuleris, parvi pretii est.

Huius pronominis unum modo exemplum affert Schmalz, nempe e Cassiano (p. 532 Observ. 1).

Saepissime relativum indefinitum excipitur demonstrativo [1]) e.g.

Gub. II 7 unde et tu quicunque *ille* es, si Christianus es, necesse est tu te regi a deo credas.

Eccl. II 63 ceterum et tu, quicumque aut quaecumque *illa* es sanctae professionis, si tu aut conservandis opibus aut cumulandis facultatibus inhies, superflue de infirmitate causaris. (cf. II 66, IV 44).

„ IV 34 o quanto melius quaecumque *illa* es, quanto melius et salubrius pauper fueras et egestuosus quam dives! (cf. Eccl. II 35).

Eccl. III 64 dic mihi quisquis *ille* es, qui credere te iudicium dei dicis, tu si vel supradictorum exemplo hominum iudicandum te esse a deo crederes, nonne spem ac salutem tuam quolibet pretio conparares? (cf. Eccl. III 65).

Ea igitur habenda est proprietas Salviani generis dicendi, simul patet presbyterum hac abundantia parcius usum esse in opere praecipuo c. t. de gubernatione dei.

In epistula pulcherrima quarta etiam pronomina elegantissime adhibentur e. g. § 13 advolvor vestris, o parentes carissimi, pedibus illa ego vestra Palladia, vestra gracula, vestra domnula..... en ego illa sum, per quam vobis illa primum et parentum nomina et avorum gaudia contigerunt. et, quod utroque praestat, utrumque feliciter.

De adiectivis et adverbiis pronominalibus.

Frequenter *totus*, ut in sermone vulgari, sensu *omnis* ponitur e. g.

---

1) Cf. Schmalz p. 684 (§ 79).

Digitized by Google

Gub. VI 81 *totum* incuria et segnities, *totum* neglegentia et gula, *totum* ebrietas et somnulentia possidebant, secundum illud scilicet, quod de talibus scriptum est: „quia sopor domini inruerat super eos".

Eccl. I 55 sed dicit aliquis: *totum* ergo deo oblaturus est quod habet? non offerat *totum* quod habet, si non putat se debere *totum* quod habet.

Invenitur etiam *totum.... quidquid* e. g.

Eccl. IV 49 *totum* durum est *quidquid* imperatur invitis (Gub. III 31),

sicut *quaecumque..... omnia* e. g.

Eccl. IV 36 *quaecumque* enim Christo reliqueris, per Christum *omnia* possidebis.

Nullus apud scriptores seriores crebro substantive ponitur, valet igitur idem atque *nemo* [1]) e. g.

Gub. III 1 sicut enim in terrenis aedificiis deicere parietes *nullus* potest, nisi lapides et caementa deiecerit, sic aedificium, quod construximus, dissolvere *nullus* valet.

Idem nimirum cadit in *ullum* e. g.

Gub. III 51 quasi vero aut agere *ullum* deus res malas velit aut profiteri.

Una..... alia (pro *altera..... altera*) legimus: [2])

Epist. IV 20 paratum, ut ait Livius, inter Romanos Sabinosque bellum et quod difficilius sedari potest, coeptum; preces quondam et interventus carorum pignorum sustulerunt cumque *una* eorum gens esset natura ferox *alia* dolore fervens, tantum tamen visio affectus mutui valuit, ut e. q. s.

Hanc minus accuratam locutionem neque Caesar neque Cicero vitavit cf. Kühner-Stegmann § 119 Obs. 15 (I p. 651).

Unus nonnunquam eandem vim habet quam *idem*, quocirca excipitur particulis *ac si* [3]) e. g.

Eccl. III 35 sed dicitis non eo a nobis animo hoc agi. quod

---

1) Supra (p. 115) iam vidimus *nullum* non raro significare *nihil*. Cf. Schmalz p. 628 (§ 27).

2) Cf. Eccl. I 21 *unum.... aliud*.

3) Cf. *aeque ac si, perinde ac si*. Ceterum etiam Vergil. Aen. Vergil. Aen. V 308 et IX 182 *unus* valet *idem*.

Digitized by Google

unum est *ac si* quispiam dicat malas res bono animo a se fieri et inpietatis facinus pia mente committi.

Potestatem pronominalem prae se fert *unde*: valet nimirum *de quibus* in hac sententia:

Eccl. III 17 sed de his, *unde* nunc loquimur, si res ac ratio postulaverint, etiam post haec aliqua subdemus.

Idem dicendum est de *hinc*, quod significat *de hac re* e. g.

Gub. VI 54 nihil enim *hinc* erat lege praeceptum.

„ VII 49 sed *hinc* iam et superius satis dictum est et adhuc forte dicetur, nec opus est ut de hoc amplius disseramus, *ubi* dei iuge iudicium est.

Hic *ubi* eandem vim habet atque *de quo*; alibi autem potius significat *in quo* e. g.

Epist. IV 8 in hoc vero, *ubi* ideo suscensetis, quia Christum amare videor, ignoscite quod dicturus sum. [1])

E sermone plebeio desumpsit auctor noster *tanti* et *quanti* pro *tot* et *quot* e. g.

Gub. IV 89 qui autem blasphemare alios fecerit, multos secum praecipitat in mortem, et necesse erit ut sit pro *tantis* reus, *quantos* secum traxerit in reatum. Cf. Gub. VI 53; III 24 cet.

Maioris momenti est hoc exemplum:

Eccl. III 41 ostendimus primo libro haec, quae etiam nunc ab *aliquantis* Christi imitatoribus fiunt, non mediocriter sed abundanter..... nuper esse completa.

Salvianum etiam in correlativis variationem adamare declarat hoc exemplum:

Eccl. III 51 opinor enim divitem illum, cum torqueretur, non *tantum* delectabant opes sui *quantum* angebant tormenta corporis sui, non *tantum* delectabat quod heres suus bene epulabatur *quam* angebat quod ipse male cruciabatur.

Legitur etiam Gub. II 22 non tantum..... quam.

DE VERBO.

De infinitivo et accusativo cum infinitivo.

Infinitivum adeiscunt *adquiescitis* (Eccl. II 68), *contigerat*

1) Perpauca de hac re exponit Schmalz p. 629 § 29.

Digitized by Google

(Gub. VII 53), *laborant* (Gub. VI 6), *meremur* (Gub. VI 90), *metuebant* (Gub. VII 53) sicut *formido* (Gub. III 3).

Cum accusativo cum infinitivo coniunguntur *implorat* (Gub. II 26), *postulant* (Gub. II 25), *precabatur* (Gub. II 27), *reformidarini* (Eccl. II 34).

Haec vero constructio magis conspicua est in hisce exemplis:

Eccl. I 20 *nemo* enim *dubitat* omnibus ferme malis et infidelibus divitias mundiales causam mortis magis esse quam vitae. Cf. Gub. III 5 cet.

Gub. VII 8 *nemini dubium est* Aquitanos ac Novempopulos medullam fere omnium Galliarum et uber totius fecunditatis habuisse. Cf. Gub. VIII 14; Eccl. II 29 cet.

„ II 12 sed *absit* hoc de piissimo deo credi!

Eccl. II 34 cum enim ipsae, ut legimus, extinguendas fore lampadas suas reformidarint, habebant profecto aliquid quod *verebantur* extingui.

Verum statim observandum est etiam inveniri [1]):

Eccl. II 28 *dubitare quis* debeat *quin* sua heredibus mundanis servire nolint qui se ipsos mundo eliminaverint?

Gub. VI 38 *non est dubium quin* illud magis amemus, quod anteponimus. Cf. Gub. VIII 8 cet.

„ I 15 *absit* autem *ut* hoc argumento religiosos putemus a deo neglegi (cf. Apul. Metam. VIII 12, Prudent. Apoth. 284).

Quin etiam hic coniunctio *quod* suum locum vindicat:

Eccl. I 24 nemini dubium est, *quod* ea, quae dei dono accepimus, ad dei cultum referre debemus; cf. II 27 cet.

Gub. I 17 dubitare non possumus, *quod* tunc deo maxime curae erant, cum pro deo ista paterentur.

„ V 7 sed vereor, *quod* qui non bene observamus, nec bene lectitamus; cf. Sidon. Apol.. Ep. II 5, 2 non enim verebimur, *quod* causae istius cursus..... ulla contrastantum derivatione tenuetur.

Denique infinitivum saepe suum locum concedit coniunctioni *ut*, quae latius regnat e. g.

---

1) Cf. Gub. III 10 *cogitare* nos.... *prohibet*; VIII 6 *prohibere* potest *ne* perferamus; VI 22 *non prohibeo quin*.... faciamus.

Digitized by Google

Gub. I 37 misericordia mihi suadet ut parcam, sed tamen peccatorum clamor *cogit ut* puniam.

„ V 13 et post haec *volumus ut* bona a deo accipiamus?

Eccl. III 22 quid *opus est ut* filiis iam religiosis aequa hereditatis portio relinquatur? (cf. Gub. VII 49).

Gub. III 31 *iussit* [1]) salvator noster, *ut* Christiani homines non iurarent..... *iussit* quoque *ut* nemo malediceret.

„ III 43 *iubet* deus *ut* omnes nobis invicem cari simus,

„ omnes autem nos mutua infestatione laceramus. *iubet* deus *ut* cuncti egentibus sua tribuant..... *iubet* deus *ut* omnis, qui Christianus est, etiam oculos castos habeat. Cf. Gub. I 22 *iubens ut*.

Eccl. III 18 *optimum est ut* unusquisque sibi consulat.

„ III 35 *indignum* ergo arbitramini, *ut* sancta ac placita deo pignora filiis mundo servientibus conparentur?

Gub. IV 61 quia non *ferendum* quidam existimant, *ut* deteriores aut non multo etiam meliores barbaris iudicemur.

Eccl. II 56 qui *error est ut* non ei tantum des quantum potes?

„ III 87 *digna* videlicet *causa* et satis *iusta est*, *ut* tu animae tuae auferas, quod egenis talibus derelinquas.

Gub. V 51 non *prius est ut* [2]) de vita homines quam de iniquitate discedant? (At infinitivum deprehendimus Gub. VI 82 non cunctos ferme Romani nominis populos *prius est* interire quam corrigi *non prius* ipsos quam in ipsis vitia non esse).

Eccl. IV 1 nec *mirum est ut* eis loquentia de deo verba non placeant.

Verum aemula fit coniunctio *quod* e. g.

Gub. V 46 nil ergo *mirum est*, *quod* vastationes sunt atque excidia civitatum.

„ IV 11 sed nec *miror quod* tam iniqui in hac re sumus. Sed multo frequentius post *mirari* Salvianus utitur *si* e. g.

„ IV 9 quid *miraris* ergo *si* caedimur? quid *miraris*, *si*

1) Cf. Gub. IV 37 non longe a plenitudine peccatorum erant, quibus ipse *dicebat* dominus, *ut* peccata complerent. Haec constructio legitima est.

2) Ceterum facile intellegimus coniunctivum sequi post *prope est ut* (Gub. VII 69), *longe est ut* (V 36).

Digitized by Google

castigamur, *si* in ius hostium tradimur, *si* infirmiores omnibus sumus? Cf. *θχυμάζω εἰ*.

De variatione modorum.

Plerumque Salvianus in interrogatione indirecta coniunctivum ponit e. g.

Epist. IX 1 quaeris a me, o mi Saloni, caritas mea, cur libellis nuper a quodam huius temporis homine ad ecclesiam factis Timothei nomen inscriptum *sit*. ibid. § 3 sed requirit forsitan aliquis, quis ille auctor *sit*, si apostolus non est, et utrum suum libellis ipsis an alienum nomen *inscripserit*.

Attamen indicativus ponitur e. g.

Gub. II 3 quod ut plenius capias audi *quid* in alio scripturarum loco idem *testatur* spiritus sanctus. (Valde memorabile est codicem deteriorem B exhibere *audi quod*).

„ IV 12 hinc ergo agnosci potest, *quam* inique ac pravissime aliis severissimi *sumus*, nobis indulgentissimi.

„ II 3 vide *qua* benignitate agere cum suis deum scriptura *dicit*.

„ II 9 *cur* autem cuncta *implet*, ipse declarat.

Post *videre*, *docere* (Gub. II 12), *existimare*, *considerare*, *succurrere* cet. interrogatio saepe incipit a *si*, quae coniunctio ipsa quoque modo indicativum modo coniunctivum adsciscit e. g.

Gub. IV 17 videamus *si* actus non dico sanctos sed vel innoxios *habes*.

„ III 32 sed videamus tamen, *si* vel id ipsum parum *sit* carens crimine.

„ IV 69 consideremus..... *si* aliud *est* vita istorum omnium quam meditatio doli e. q. s.

Eccl. III 16 numquid succurrere hoc tibi inter supplicia summa poterit, *si* is, qui res tuas prodige comedit, lautus et pransus bene *eructarit*.

Quod et *quia* saepissime post verba sentiendi et declarandi poni, vix est quod moneam. Observandum autem est non nisi raro ab uno eodemque verbo pendere et sententiam secundariam a *quod* incipientem et accusativum cum infinitivo. Huius rei praeclarum exemplum invenimus:

Digitized by Google

Gub. I 3 hoc utique *intellegentes*, *quod* sicut navigans gubernator numquam manum suam a gubernaculo, sic numquam penitus curam suam deus *tollit* a mundo; ac sicut ille et auras captans et saxa vitans et astra suspiciens totus sit simul tam corporis quam cordis officio operi suo deditus, ita scilicet deum nostrum ab universitate omnium rerum nec munus dignantissimae visionis *avertere* nec regimen providentiae suae *tollere* nec indulgentiam benignissimae pietatis *auferre*.

Ceternm in una eademque sententia interdum auctor variat inter indicativum et coniunctivum post *quod* et *quia* e. g.

Gub. III 4 cum legimus *dictum* a deo, *quia aspiciat* iugiter omnem terram, hoc ipso probamus *quod* aspicit, quia aspicere se dicit: cum legimus *quod regat* cuncta quae fecit, hoc ipso adprobamus *quod regit*, quia se regem testatur; cum legimus *quod* praesenti iudicio universa *dispenset*, hoc ipso evidens est *quod iudicat*, quia se iudicare confirmat.

Eadem variatio pertinet ad *nisi forte*, quod coniunctivum adsciscit e. g.

Gub. IV 23 *nisi forte* iniqui *simus* hoc, quod divites faciunt, ad peccata referendo, quia illi, cum occidunt servulos suos, ius putant esse non crimen;

sed alibi indicativum e. g.

Gub. IV 22 quid est igitur, in quo non servilibus vitiis etiam nobiles polluantur, *nisi forte* ideo, quia illa, quae in servis peccata puniunt, ipsi quasi licita *committunt*?

Hanc variationem sequuntur *forsitan* et *fortasse* e. g.

Gub. III 50 sed putas forsitan.
„ II 15 sed fortasse putes.
„ II 4 forsitan dicis.
„ VI 41 sed gravis sit forsitan haec atque iniqua conquestio.
„ IV 39 verum fortasse istud sit.
„ IV 66 sed responderi fortasse possit.
„ V 51 sed videlicet peccator fuit aliquanto aliquis, fortasse iam non est.

Eadem variatione gaudet *etsi* e. g.

Gub. VII 21 peiores (sc. Aquitani) autem non uno modo, quia

Digitized by Google

etsi eadem *faciunt* quae ante faciebant, hoc ipso tamen deteriores sunt, quia a scelere non cessant. siquidem facinora eorum, *etsi* genere ipso maiora non *sint*, attamen plura sunt, ac per hoc *etsi* criminum novitate non *crescant*, pluralitate cumulantur.

Sic *etsi* cum indicativo coniunctum est Gub. VII 57, cum coniunctivo Gub. VII 82.

Esto [1]) quod prope coniunctionis concessivae vicibus fungitur, eandem constructionem habet atque *etsi* e. g.

Eccl. II 66 *esto* divitias, *esto* copias tuas usque ad finem vitae istius *habeas*, e. q. s.

Epist. IV 6 *esto* enim conversiunculam nostram paganus quondam non aequanimiter *acceperis* e. q. s.

Gub. VII 53 sed *esto*, intra Gallias *formidabant*.

„ VIII 15 *esto* ergo, illa, quae diximus, ad potentissimos quosque ac nobilissimos *pertinuerunt*.

Hic Halmii dubitationes de tradito indicativo — ille vult *pertinuerint* — legitimae non sunt. Clausula heroa in polysyllabis vocibus non admodum rara est (cf. infra).

Iam nemo miratur inconstantiam Salviani, qui post *quid est quod* indicativum post *non est quod* coniunctivum ponere solet e. g.

Gub. VII 29 *quid est quod* [2]) deus noster maximas rei publicae opes et locupletissimos Romani nominis populos in ius potissimum ignavissimorum quondam hostium dedit? Cf. Eccl. III 68.

Eccl. II 19 *non est ergo quod* confugiendum sibi nunc quisquam ad legem *putet*.

„ IV 18 ac per hoc *non est quod* placere sibi quisquam largitione sua *debeat*.

Analogiam locutionis *quid est quod* videtur sequi *habet cur* cf.

Epist. IX 16 *habet* itaque quisquis ille est, qui requirit, *cur* alienum nomen *adsumpsit*.

Indicativum *adsumpsit*, quem a prima manu exhibet unicus

1) Verus imperativus *esto* occurrit Gub. III 92 et ideo etiam tu *esto* intrepidus et constans; V 31 *estote* ergo divites, primi in conferendo, qui estis primi in decernendo.

2) Cf. etiam Eccl. III 79 *quid* ergo *causae est, quod* haec non agis?

Digitized by Google

codex B, quemque tuetur optima clausula (creticus et trochacus) damnari non licet. At Halm edidit *adsumpserit.*

Apud scriptores ex Gallia oriundos, Salvianum, Apollinarem Sidonium [1]) *quod* frequenter correlativum est adverbiorum *ita* et *sic.* Hoc *quod* consecutivum requirit indicativum e. g.

Gub. VII 89 qui (sc. Wandali) ingressi urbes opulentissimas, ubi haec omnia passim agebantur, *ita* delicias corruptorum hominum indepti sunt, quod corruptelas morum repudiarunt, et usum bonarum rerum possident, malarum inquinamenta vitantes.

„ VII 96 quod illi (sc. Afri) utique scientes *sic* impudicitiam summoverunt, *quod* impudicas conservaverunt, non interficientes mulierculas infelices, ne vitiorum curam crudelitate respergerent.

Etiam *fit quod* adsciscit indicativum e. g.

Eccl. II 19 quo *fit*, *quod* qui se obtemperantem tunc legi praebuit, quasi evangelia conplevit.

Memorabilis variatio invenitur in fine totius operis vel potius in ultima sententia, quae aetatem tulit:

Gub. VIII 25 miremur itaque aut indignemur, quod aliqua nunc illi ab hominibus mala perferant; multo illa maiora sunt, quae ipsi in deum ante fecerunt, si iuxta personarum diversitatem aestimentur quae *patiantur* et quae *fecerunt.*

Halm pro sua consuetudine „correxit" inaequalitatem duobus indicativis edendis, sed iam Varro in duabus sententiis relativis coordinatis eadem variatione utitur, cf. de re rust. I 5, 4 secunda pars (sc. habet ea), quae *moventur* atque in fundo *debeant* esse culturae causa. [2])

Alterum eiusmodi variationis exemplum reperitur

Eccl. I 21 duo thesaurorum genera monstrantur, unum scilicet quo filiis thesaurizent patres, aliud quo sibi. filiis quo modo? ut erudiant illos officio ac timore divino: sibi

1) Cf. Ep. I 2, 9 intromittuntur inter cenandum mimici sales, ita ut nullus conviva mordacis linguae felle feriatur; *sic* tamen *quod* illic nec organa hydraulica sonant; ibid. III 13, 10 per hunc Spariacum quaecumque sunt clausa franguntur quaeque obserata reserantur; *ita quod,* quas domorum nequiverit machinis opertae simultatis impetere, cuniculis clandestinae proditionis impugnat.

2) Cf. Schmalz p. 679 Obs. 1.

Digitized by Google

quo modo? ut thesaurizent sibi thesauros in caelo, mirifice scilicet, ut, quia pecunia caduca *est* disciplina immortalis, et omnes ferme parentes plus *ament* filios quam se ipsos, sibi conferant bona caduca filiis sempiterna.

Ament, quod exhibent codices, Pauly mutat in *amant*, cum *est* praecedat, sed iniuria sprevit varietatem, quam Latinitas posterioris aevi affectabat. [1])

De variatione temporum.

Formula *ut ita dicam* Salvianus utitur:

Gub. V 26 laceratione etiam et, *ut ita dicam*, sanguine pascebantur. (VII 52, 68 cet.),

verum saepius perfecto coniunctivi e. g.

Gub. IV 34 vim, *ut ita dixerim*, facimus pietati suae.

„ V 58 non sic pereuntes, *ut ita dixerim*, nautae Charybdis voracitate aut Scyllaeis canibus devorantur. Cf. Gub. VII 73; Eccl. I 4, III 31 cet.

Ne quis miretur variationem inter infinitivos perfecti et praesentis in hac sententia:

Eccl. II 31 parum detur, si parum *dedisse* sufficiet: sed ego *sufficere* parum nescio, immo parum non *sufficere* certo scio,

admonemus legentes iuxta *sufficiet* perfectum tanquam aoristum [2]) necessarium esse.

In perfecto passivi Salvianus solet *esse* omittere e. g.

Eccl. II 31 ego unum scio, quod deus dicit *extinctas* fatuarum virginum lampadas,

Gub. VI 49 ac per hoc nemo se loco aut absentia *excusatum* putet,

verum non omisit (clausulae gratia) in hoc exemplo:

Gub. VI 57 legimus..... eos, qui videntur contra mandatum sacrum levia fecisse, severissime tamen *esse* punitos.

Sed non raro pleniorem formam *fuisse* praetulit e. g.

---

1) Idem censet Schmalz (Berl. phil. Woch. XXXV col. 1045), qui legentes relegat ad Baehrens (Mnemos. 1910 p. 409 sqq. et Phil. Suppl. XII p. 516). Ipse huiusmodi variationem antea tractavi exempla afferense Terentio, Boethio, Arnobio, cf. Arnobiana mea p. 48 sqq. Hic addo Auct. ad Herenn. I 6, 10 quid alii *soleant*, quid nos facturi *sumus*, breviter exponemus. Cf. Liv. XXX 41, 6.

2) Cf. Schmalz § 173 p. 435 sq. Kühner-Stegmann I p. 133 sq.

Digitized by Google

Gub. VI 72 cum sciam..... omnes ferme praecelsiores viros calamitatibus suis factos *fuisse* peiores.

(ibid.) vidi Treveros.... minus eversos rebus *fuisse* quam moribus.

(Cf. VI 90, VIII 14 cet.).

Fortasse de industria post *sufficiat* bis posuit *fuisse* pro *esse* in hac sententia:

Gub. V 58 sufficiat vexatos *fuisse* pauperes, sufficiat spoliatos a te *fuisse* mendicos.

Plenior forma *fuerat* praelata est:

Gub. VI 56 et quidem interdictum necdum *fuerat* ne desideraret, sed legali.... observantiae proficere deus voluit.

Alibi *fuerit* e. g.

Gub. VII 95 difficile est quippe impudicitiam verbo aut iussione tolli, nisi *fuerit* ablata, et difficile est pudicitiam verbo exigi, nisi *fuerit* exacta.

Clausulae gratia presbyter noster scripsit:

Gub. I 35 sed ne haec tamen quae ei data á deò *fúerant*, muneris tantum viderentur fuisse non meriti, qui laetabatur prosperis, probatur adversis.

„ VII 86 Wandalos quis non putet..... illa fecisse, quae ab Afris iugiter fácta *fúerant*?

De consecutione temporum.

Contra consecutionem temporum legitimam peccans Salvianus scripsit

Eccl. I 10 rectissime quidem dici ad ista poterat, quod cum omnes perpetuo *velint* vivere, omnes id agere *deberent*, ut vitam participare *possint* [1]), quia inconsultissimum ac stultissimum est id quosdam agere e. q. s.

Itaque haud scio an servanda sit optimi codicis A lectio:

Gub. II 26 quod ne ad futurum dei iudicium trahi *possit*, *subdidit* statim.....

Ne ponamus *subdit*, monet clausula egregia (troch. et cret.) Defendi potest etiam codicis A scriptura:

Gub. I 5 *dixi*, quid de maiestate ac moderamine summi dei

1) Breviter de hac periodo agens Schmalz (Berl. phil. Woch. 14 Aug. 1915, XXXV col. 1046 indicat „die ganz auffällige consecutio temporum".

Digitized by Google

principes et philosophiae simul et eloquentiae *iudicarint.*

Gub. VII 97 ut, quia cohiberi incontinentia sine hac carnalis usus permixtione non *possit*, ita legitimum usum calor corporalis acciperet, ut peccatum incontinentia non haberet.

„ VII 98 in quo quidem non id tantummodo provisum est, ut viros feminae haberent, quae sine viris esse non *possint.*

Iniuria Pauly [1]) recedit a tradita memoria hsc in re etiam Gub. IV 85, Eccl. III 53, III 73.

Quoniam *demonstrat* praesens historicum est, recte se habet *existimaret* in hac sententia:

Gub. IV 7 nam quam pro nullo hoc habendum *existimaret*, in subditis statim ipse *demonstrat*, dicens ad Christiamun: „tu credis quia unus est deus" (Iac. II 19).

Verbis Matthei X 40 laudatis potest post *facit* (praes. histor.) auctor uti *arbitraretur*:

Gub. VIII 16 benignissimus scilicet ac piissimus dominus communem sibi cum servis suis et honorem simul et contumeliam *facit*, ne quis, cum laederet dei servum, hominem tantum a se laedi *arbitraretur.*

Denique non possumus non tueri:

Gub. V 38 et quidem mirari *possim*, quod hoc non omnes omnino *facerent* tributarii pauperes et egestuosi.

Possis non sine causa suspicari Salviano exemplo fuisse iurisprudentiae scriptores, quibus nimia licentia in consecutione temporum placebat [2]). In plerisque exemplis, de quibus supra egi, Halm et praecipue Pauly sua non presbyteri Massiliensis usi sunt consecutione.

De participio.

Iam apud Plautum legimus (Capt. 925) *carens fui*, apud Catullum (LXIII 57) *carens est*, apud Ciceronem (Nat. Deor. II 21) *quae sunt his carentia*; Salvianus habet Gub. III 52 videamus, si vel id ipsum parum *sit carens* crimine.

Haec „coniugatio periphrastica") (Schmalz § 194 p. 459)

---

1) Immerito idem codicis B scripturam *perpetraret* (Gub. II 22) praefert.

2) Cf. Schmalz § 285, p. 528.

Digitized by Google

propria sermonis vulgaris plus semel scriptori nostro placuit e. g.
Gub. III 54 quis enim vel nobilium omnino vel divitum *horrens* crimina?
„ III 55 quis *est* vel dives omnino vel nobilis aut innocentiam *servans* aut a cunctis sceleribus manus *abstinens*?
„ IV 24 quotus enim quisque *est* divitum conubii sacramenta *conservans*?
„ VII 34 quis autem *est* Romanorum non ita *dicens*? quis est non ita *sentiens*?
Eccl. II 26 (apostolus) docens scilicet parum esse, si non sit vidua deliciosa non dives, nisi *fuerit* deo *adhaerens*.

Quocirca retineo participium *existimantes* (codicum lectionem) inserta modo voce *sunt* in principio operis c. t. Ad Eccl.

I 1 inter ceteros graves atque mortiferos exitialis pestilentia morbos..... nescio an ullus te acerbiore animarum fidelium peste et taetiore filiorum tuorum labe conficiat, quam quod plerique ex tuis parum *existimantes* ⟨*sunt*⟩, si in hac vita rebus sibi ad opus sanctum a deo traditis sine fructu misericordiae atque humanitatis incumbant, nisi avaritiam..... etiam in futuro post mortem tempora extendant.

Quam facile *sunt* i. e. *ſt* ante *ſi* excidere potuerit, nemo non videt. [1])

Proprium genus coniugationis periphrasticae deprehendimus Epist. IX 17 habet itaque quisquis ille est, qui requirit, cur alienum nomen adsumpsit. restat cur Timothei, quod ut dicamus, ad auctorem denuo *reversuri sumus*.

Hoc exemplum luculenter illustrat, quod Schmalz disseruit (§ 194 p. 462): im Spätlatein wird immer mehr die periphrastische Form für das einfache Futur gebraucht.

Arnobius saepissime participium Graecum *ων* reddit per *constitutus* e. g. V 17 (p. 189, 17 Reifferscheid) fortunam in lamentabili *constitutorum* sorte Idem facit Salvianus Gub. I 7 in quibuslibet miseriis *constituti*. Ceterum ille semper fere pro participio verbi substantivi substituit *positus* e. g. Gub.

---

1) Pauly *sint* inserere voluit inter *tuis* et *parum*, sed coniunctivo hic locus non est.

Digitized by Google

IV 59 *positi* in religione; IV 78 extra legem *positos*; ibid. in lege *positi*; Eccl. I 63 in supremis *positi* peccatores; II 71 in morte *positi*; III 31 in servitute *positi* cet.

De gerundio.

Bis Salvianus gerundio a praepositione *ad* pendente obiectum dat nempe:

Gub. VII 26 ad *manifestandum* illic impudicitiae damnationem.
„ VII 54 ad *vastandum* Africam transire.

Bis iniuria Pauly dubitans gerundivum recepit. Hac in re [1]) Plautus, Varro, Seneca, Augustinus auctores Salviano fuerunt.

De gerundivo.

In fine libri quinti legimus:

Gub. V 61 „qui enim", inquit salvator, „perdiderit animam suam propter me, inveniet eam." dilige itaque hanc tam salubrem perditionem, ut adsequaris veram salutem. *liberandus* enim a deo omnino *non* eris, nisi te ipse damnaveris.

Haec sententia duabus rationibus diligenter attendenda est: primum quod gerundivum cum negatione coniunctum non necessitatem indicat sed facultatem [2]), deinde quod persona agens non dativo sed ablativo, quem praepositio *a* comitatur, exprimitnr, id quod hic, quamquam nulla ambiguitas vitanda erat, factum est ut persona maiorem emphasin haberet. [3])

Ut apud Prudentium [4]), Apollinarem Sidonium (Epist. V 19, 1; IX 8, 2) crebro gerundivum vices obit infinitivi futuri passivi e. g.

Eccl. III 61 cuius quidem rei causam etiam omnino invenire non possum nisi solum tantummodo incredulitatem atque perfidiam, id est, quod aut *iudicandos* se a deo homines esse non putant aut *resurrecturos* omnino esse non credunt.

nemo est enim qui *resurrecturum* se et *iudicandum* a deo de operibus bonis ac malis certus sit, qui non e. q. s.

Eccl. II 59 (cumulandos).

---

1) Cf. Schmalz § 175 p. 441 sq.
2) Cf. Kühner-Stegmann § 130 Observ. 4; I p. 733.
3) Cf. ibid. I p. 730.
4) Vide quae exposui Mnemos. 49 (1921) p. 108.

Digitized by Google

Eccl. III 6 sed et propheticum illud, quod ait, neque patres pro filiis neque filios pro parentibus *iudicandos*, sed unumquemque hominum aut sua instificatione *salvandum* aut sua iniquitate *periturum* e. q. s.

Gub. VII 41 nam quia sine divinitatis auxilio ac dei nutu *capiendum* a se hostem credidit, e. q. s.

De interrogationibus.

Paucae interrogationes simplices adsciscunt particulas *ne* (Eccl. III 31 itane); *num* (Eccl. II 7) *nonne* (Eccl. I 38; Gub. VI 77; VII 22). Memorabile est *num.... non* pro *nonne*:

Gub. I 36 in cunctis istis, quae memoravimus, *num* deus *non* est et inspector et invitator et ductor e. q. s.

Propria vero particula interrogativa est *numquid* (Gub, I 10; VII 87; VIII 2 Eccl. I 8; II 6; II 54; II 46 cet.).

Quantopere in hoc vocabulo *quid* suam vim amiserit, elucet ex hoc exemplo:

Gub. VII 22 quae cum ita sint *numquid* est *aliquid*, quod dici amplius possit?

Numquid non significat idem quod *nonne* cf. Gub. I 50; VI 80; VII 27; VII 60 cet.

Saepe interrogatio indirecta incipit a particula *an* posita pro *num* (Gub. I 30 et 33 requirere *an*; Gub. I 31 videamus *an*; Eccl. I 52 consideret *an* cet.).

De *si* particula interrogativa supra (p. 135) egimus.

Non raro ponitur *aut* pro *an* e. g.

Gub. V 51 *aut* est ullus criminum modus et non prius est, ut de vita homines quam de iniquitate discedant?

„ VI 96 *aut* iniuria dei hoc forte non est, *aut* esse indignior potest? Cf. Schmalz § 208 p. 471.

Anne pro *an* occurrit:

Gub. II 2 quid igitur ex illis tribus, quae supra dicta sunt, per testimonia sacra primum probari debet, praesentia an gubernatio *anne* iudicium?

Utrumnam auctor usurpat:

Gub. I 38 interrogo hic, *utrumnam* deus ex iudicio malos an sine iudicio concremarit? Cf. Schmalz p. 471.

Iunumeras interrogationes in Salviani scriptis inveniuntur,

Digitized by Google

utpote qui ratiocinari quaerendo assueverit e. g. Eccl. I 33; I 38; IV 23; Gub. III 40, 41, 42, 44; IV 81, 82; V 35; VII 53 cet.

Itaque facile intellegimus frequentiorem usum formularum: *quid quod* (Eccl. III 9; III 99; III 70 cet.) *quid si* (ter repetitum Eccl. II 14); *quid ais* (Eccl. IV 23) cet. Ne a *quidni* quidem noster abstinet e. g.

Eccl. IV 47 dura haec forsitan atque austera videantur. *quidni*? „omnis enim disciplina", ut ait sermo divinus, „non est gaudii sed maeroris".

De adverbiis.

Adverbia in *-iter* exeuntia permulta Salvianus adhibet, affero tantum *qualiter* (Eccl. IV 41); *taliter* (Gub. V 53); *iugiter* (Gub. I 26; I 43; I 51; II 8 cet.) *personaliter* Gub. VI 1).

Familiariter significat *per totas familias*, sive *totis cum familiis*

Gub. VII 87 igitur in tanta affluentia rerum atque luxurias nullus eorum (sc. Wandalorum) mollis effectus est. numquid parum videtur? certe *familiariter* etiam nobiles hoc fuere Romani.

Denique hic illic valet *ut exemplo utar* [1]) e. g.

Gub. IV 39 Sed nulli sunt, inquit aliquis, illorum exitu digni.... attamen quid facimus, quod salvator ipse omnes, qui evangelium suum spreverint, peiores esse memoravit? *denique* ad Caphernaum sic ait: „si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forsitan mansissent usque in hunc diem".

Gub. IV 74 (ad hoc res recidit, ut, cum per Christi nomen iuraverint, putent se scelera etiam religiose facturos). *denique* quid mihi ipsi evenerit dicam. cum ante aliquantulum tempus e. q. s. Cf. VI 82; VII 39.

Passim, quod sensu vulgari (*longe lateque*) legitur Gub. VI 84, valet *sine ratione* vel *temere* in hac sententia [2]):

Eccl. I 23 interim quia reos se quidam futuros non putant, si substantias suas non ad evangelii honorem, non ad sa-

1) Cf. Roensch (qui vertit *so zum Beispiel*) p. 345. Schmalz 507 Obs. 2.

2) Cf. Brakman, Arnobiana p. 56.

Digitized by Google

lutem suam, non ad ullum officium dei conferant, sed pro libidine et infidelitate quibuscumque heredibus *passim* vel inreligiosis vel locupletibus..... transcribant, videamus e. q. s.

Male sanus quod saepe apud poetas legitur (Verg. Aen. IV 8, Horat. Ep. I 19, 3; Ovid. Met. III 474) pro *insanus* utitur et Salvianus:

Epist. V 4 non turpibus flammis medullae aestuant, non *male* sanam mentem latentia incentiva incendunt.

Modo [1]) nonnunquam a *nunc* non differt e. g.

Gub. VII 17 et nos *modo* non quaerimus quae mulierum potestas, sed quam corrupta virorum fuerit disciplina.

Etiam Cicero hanc potestatem agnoscit cf. Macrob. Sat. VII 3, 10 ut Tullius in consulem, qui uno tantum die consulatum peregit, „solent", inquit, „esse flamines diales, *modo* consules diales habemus".

Cf. etiam Ambrosius in Epistula notissima 18 Et certe ante plurimos annos templorum iura toto orbe sublata sunt: *modone* demum dis gentilium venit in mentem suas iniurias ultum ire?

Sidonius, Salviani aequalis eadem ratione hoc adverbium adhibet Epist. VIII 11, 3 Lampridius orator *modo* primum mihi occisus agnoscitur (Cf. ibid. IX 8, 2).

Quondam [2]) attributive positum est:

Gub. VI 23 et quae nobis, quaeso, spes erit apud deum, qui non casu aut imprudentia deum laedimus, sed exemplis illorum *quondam* gigantum, quos insanis conatibus superna temptasse..... legimus.

Forsitam [3]) secundum meliorem traditionem scribendum est Epist. I 7; V 6; Eccl. II 6; III 40.

Utique raro tantum suam vim servat velut

Eccl. I 8 numquid enim aut omnes mali in terra corporales thesauros suos aut omnes boni in caelo locant? non *utique*;

---

1) Cf. Löfstedt Peregrin. Aether, p. 240. Ceterum iam Auctor ad Herennium IV 26, 35 utitur *modo* pro *nunc*.

2) Kühner-Stegmann I p. 218 affert Tibull. III 1, 23 haec tibi vir *quondam* nunc frater..... mittit. Cf. Catull. IV 10 iste *post* phaselus; Verg. Aen. I 198 *ante* malorum.

3) Cf. Brakman, Arnobiana p. 55.

Digitized by Google

plerumque vero magna ex parte suam potestatem amisit, imprimis post particulas interrogativas e. g.

Eccl. II 22 et haec omnia cur? *cur utique* nisi, ut ipse dixit, quia praeterit figura huius mundi? Cf. Apul. Metam. XI 20 *quid utique*? Ibid. IX 23 *cur utique*?

De negationibus.

Haud uno tantum loco invenitur nempe:

Gub. VII 17 *haud* multo enim matrona abest a vilitate servorum, ubi paterfamilias ancillarum maritus est.

Satis frequenter hortativus adsciscit *non* pro *ne* e. g.

Eccl. III 92 *non* formides vultus eorum neque frangaris ambitu eorum.

„ III 94 *non* te moveant blandimenta eorum: venena tibi sunt: *non* respicias adulationes eorum. Cf. Eccl. III 84; IV 36 cet.

Non coniunctivum concessivum comitatur e. g.

Eccl. II 54 sed esto illas, quas supra diximus, poenas *non* timeamus rei: numquid etiam praemium sperare possumus non merentes?

Sic *ut nòn* positum est pro *ne* e. g.

Eccl. I 37 durus existimetur, si aliquid tale habuit, quale hic apostolus praedicavit: *ut non* addamus illud domini nostri dictum, quo omnes penitus indignos se esse dixit, qui non renuntiassent omnibus, quae possederint.

E contrario *ne* pro *ut non* aliquotiens adhibetur in enuntiatis consecutivis e. g.

Eccl. III 44 ita illos diligite, *ne* vos odisse videamini;

Epist. IV 22 nihil contingere eis (sc. parentibus) felicius nihil optatius potest, quam ut sic eis pro reatu filii satis faciant, *ne* necesse habeant vindicare.

Gub. VII 61 in perditionem iam illic deducta omnia satis constat: *superest ne* malorum praesentium poenas etiam aeternorum continuatio consequatur Etiam Plinius Epist. VII 10, 3 utitur *superest ne*. [1])

1) Optime in enuntiato finali Salvianus dixit *ut ne qui* Gub. I 50 exemplo scilicet ad cunctorum emendationem proficiente, *ut ne qui* postea admitteret, quod omnis in uno populus vindicasset.

Digitized by Google

Duplicem negationem adhibet Salvianus procul dubio ut maiore cum vi infitietur non ut affirmet:

Gub. VII 74 et quae illic spes esse poterat, ubi praeter id quod in domini templo erat, *nihil* videri penitus *nisi* sordidum *nsn* licebat. (Cf. Schmalz p. 637 sq.).

De coniunctionibus.

Saepe in exclamationibus interrogationibusque *et* adversativam quandam vim induit [1]), ita ut presbyter indignationem suam ostendat e. g.

Gub. IV 76 *et* de hostili iniquitate conquerimur *et* paganicam barbariem perierare causamur! Cf. V 36, 37, 46 cet.

Eccl. III 82 *et* credere te aliquid de salute animae tuae loqueris, cui nullus est anima tua vilior, apud quem prope non interest cui prosis, dummodo ut tibi noceas? *et* credere te futurum iudicem dicis, apud quem nullus est minor atque despectior quam ipse iudex?

Saepe verba *post haec* vel *post ista* coniunctioni adduntur e. g.

Gub. V 13 *et post haec* volumus ut bona a deo accipiamus, cum malis mala semper addamus.

Gub. VI 99 *et* vivere nos *post ista* credimus, quibus vita sic consistat!

Et nexu sententiarum interdum potestatem vere adversativam adipiscitur e. g.

Gub. IV 7 sed dicit aliquis: tu fidem habes *et* ego opera habeo.

„ IV 15 famulari optant *et* fugere coguntur, discedere a servitio dominorum suorum omnino nolunt *et* conservorum suorum crudelitate non permittuntur ut serviant.

„ IV 19 in illo quippe etiam infrequentem ventris intemperantiam punis *et*, tu adsidue cruditate distenderis.

„ IV 45 et sicut omnem, ut scriptum est, paternitatem in caelo et in terra a se ipso voluit nominari, sic a nobis patris in se affectum voluit agnosci. *et quid* dicam patris? immo potius plus quam patris.

Haec exempla docent *et quis* servanda esse:

Gub. IV 17 tu vero nobilis tu vero dives, qui omnibus bonis

1) Sicut apud Arnobium cf. Brakman, Arnobiana p. 59.

Digitized by Google

affluis..... videamus si actus non dico sanctos, sed vel innoxios habes. *et quis*, ut superius dixi, divitum praeter paucos non cunctis criminibus infectus est?

Hic Halm in textu posuit *ecquis*.

Etiam *atque* nonnunquam eandem potestatem habet e. g.

Gub. VI 82 *atque* haec fuerunt fortasse, iam non sunt aut umquam esse cessabunt.

Iniuria Pauly Hartelio auctore *atque* mutavit in *atqui*.

Cf. Querol. p. 26, 22 (Peiper) Q V E R. Quaeso amice, si huic ita videtur, abeat: nos illac una simul. S A R D. *Atque* isto nobis est opus, quoniam hominem illum vidit et novit bene.

Contra codicum consensum Peiper edidit *atqui*. Alia exempla commemorat Kühner-Stegmann II p. 28

Aut positum est pro *vel*:

Gub. VII 55 nam et homicida, cum a iudice occiditur, suo scelere punitur, et latro *aut* sacrilegus, cum flammis exuritur, suis criminibus concrematur.

Eccl. III 57 iam non tantum filiis *aut* nepotibus..... sed etiam agnatis et cognatis..... res propriae facultatis addicunt.

Epist. IX 12 superflue enim uni *aut* paucis scribitur, ubi est causa cunctorum.

Verum invicem *vel* vicibus fungitur coniunctionis *aut* e. g.

Gub. VII 78 sed forte id *vel* occultum quod loquimur erat, *aut* saltim hoc providebant procuratores publicae passim disciplinae.

Gub. I 24 nisi forte credimus pro precum diversitate aures suas Christum *vel* tribuere *vel* negare.

Memorabile est in una sententia *aut*..... *aut* posita pro *vel vel*, et *vel*..... *vel* pro *aut*..... *aut* nempe:

Gub. VI 82 si qua adhuc hodie *aut* civitas *aut* provincia *vel* plagis caelestibus caeditur *vel* hostili populatione vastatur [1]).

Namque tertio demum loco positum est:

Eccl. II 29 et sterile *namque* est quod non parit et desertum quod ab omnibus se mundi inlecebris separavit e. q. s.

Propria Salviani elocutionis est iunctura *sed videlicet* in

---

1) *Vel* pro *aut* etiam Cicero adhibit Somn. Scip. § 19 (= De Rep. VI 27). Cf. quae exposui Mnemos. 51 (1923) p. 386.

Digitized by Google

figura occupationis, ubi usus Ciceronianus requisivisset *at enim* e. g.

Gub. V 51 *sed videlicet* peccator fuit aliquando aliquis, fortasse iam non est.

„ VI 66 *sed videlicet* qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur adversis. Cf. VI 39, VII 21, VIII 8 cet.

Particula *siquidem* saepius non differt ab *enim* e. g.

Gub. I 48 censura enim fuit, quod castigavit, pietas quod pepercit, quamvis utrimque impari modo: plus *siquidem* tunc pietati datum est quam severitati.

Epist. IV 1 Paulus apostolus, electionis vas, magister fidei et receptaculum dei, cum omnes epistolas suas utpote eloquentissimus vir dictaverit, quibusdam tamen non suum tantum nomen inscripsit, *siquidem* in aliis Silvani, in nonnullis Timothei, in quibusdam vero utriusque nomini suum nomen adiunxit.

Idem invenimus apud Sidonium e. g.

Epist. IV 11, 1 angit me nimis damnum saeculi mei nuper erepto avunculo tuo Claudiano oculis nostris, ambigo an quempiam deinceps parem conspicaturis. vir *siquidem* fuit providus prudens, doctus eloquens.

„ V 8, 1 diu quidem est, quod te hexametris familiarius inservientem stupentes praedicantesque lectitabamus. erat *siquidem* materia iucunda, seu nuptiales tibi thalamorum faces sive perfossae regiis ictibus ferae describerentur.

Pro *praesertim cum* quod occurrit Eccl. II 69 substituitur interdum *maxime cum* [1]) e. g.

Epist. IX 9 nam et ebriosi in ebrietatibus deum spernere videntur et cupidi in cupiditate et impudici in libidine et cruenti in crudelitate, et in his omnibus paene omnes, atque hoc eo gravius, quod non solum haec per scelus atrocissimum diu admittuntur, sed ne postea quidem per paenitentiam corriguntur, *maxime cum* etiam in his qui paenitentes esse dicuntur, nomen sit magis paenitentia ipsa quam fructus.

1) Schmalz quasi unicum exemplum affert Eccl. II 50 (Berl. phil. Woch. XXXV, col. 1045).

Digitized by Google

Maxime cum deprehendimus etiam Gub. VIII 2 ubi insuper reperitur *praecipue cum*, quare haec verba exscribenda sunt:

Gub. VIII 2 aut..... decet nos frivola atque inridenda deferre? *maxime cum* a fidelibus viris ne illi quidem inrideri debeant, qui se rideri volunt, sicut ne illi quidem mendaciter praedicari, qui se cupiunt titulo etiam falsae laudis ornari: quia non tam illud, quid unusquisque illorum cupiat audire, quam quid nos dicere deceat, considerandum, *praecipue cum* propheta dicat: „vae his qui dicunt dulce amarum aut amarum dulce".

Denique habet Salvianus *maxime quia* (Gub. II 28 Eccl. III 17) nimirum cum indicativo.

Ubi Salviamus explicat Matth. VI 19, legimus:

Eccl. I 9 et ideo effectus spiritalium rerum atque virtutes vis sacrae locutionis expressit, scilicet *ut quia* cupiditati et avaritiae terrena atque tartarea, misericordiae autem ac largitati caelestia ac sempiterna debentur, idcirco diversitas terreni et caelestis thesauri posita est.

Halm, cui Pauly dubitanter assentitur, *ut* delendum censet. Qui tamen confert Arnob. IV 30 (165, 27 Reifferscheid): „illud nobis propositum est, *ut quoniam* [1]) nos impios et inreligiosis vocatis, vos pios contra et deorum contenditis esse cultores, demonstrare atque in medio ponere, ab hominibus magis nullis ignominiosius eos tractari quam a vobis", praeterea iunctura *ut cum*, *ut dum* [2]), nequit dubitari quin *ut quia* genuina sit lectio.

Dummodo ut [3]) invenimus:

Eccl. III 82 et credere te aliquid de salute animae tuae loqueris, cui nullus est anima tua vilior, apud quem prope non interest cui prosis, *dummodo ut* tibi noceas.

Dummodo ut magna vi affirmat, contrarium est *tantum ne*, quod reperimus:

Eccl. III 12 etiam vulgo dictum est omnes sibi melius velle

1) Cf. Baehrens Beitr. z. lat. Synt. (= Philol. Suppl. XII) p. 420.

2) Cf. Löfstedt Beitr. z. Kenntn. d. spät. Lat. p. 33. Brakman, Arnobiana, p. 61.

3) *Dummodo* verbo carens tractat Schmalz Berl. phil. Woch. XXXV 1915) col. 1044. Apud Salvianum occurrit Gub. V 56; Eccl. II 17.

Digitized by Google

quam alteri, novum hoc monstri genus est cuilibet quemquam velle consulere *tantum ne* sibi.

Simul ut (cf. Cic. Lucull. 51) utitur noster:

Gub. VIII 22 et si quando aliquis dei servus aut de Aegyptiorum coenobiis aut de sacris Hierusalem locis aut de sanctis heremi venerandisque secretis ad urbem illam officio divini operis accessit, *simul ut* populo apparuit, contumelias sacrilegia et maledictiones excepit. Cf. Gub. VI 52.

Statim ut (cf. Cic. Verr. V 55; de Orat. II 313) legitur:

Gub. IV 32 *statim* enim *ut* quis melior esse temptaverit, deterioris abiectione calcatur.

Si tamen persaepe idem valet atque *si certe*, *si quidem*, cum particula adversativa magna ex parte potestatem amiserit velut:

Gub. V 61 et tu ergo, *si tamen* redire adhuc ad sanctitatem potes, exere nequitiam, si vis habere sapientiam.

Eccl. III 7 sed esto ignosci parentibus possit, si ex parte aliqua hereditarias facultates filiis derelinquant, *si tamen*[1]) id ipsum bonis *si tamen* sanctis. Cf. Gub. VI 1, Eccl. III 35.

Etiam *tamen* ipsum vim particulae *certe* induere potest e. g.

Gub. IV 89 quicunque peccator ita peccat, ut alios *tamen* peccato suo blasphemare non faciat, peccatum suum ipsi obest tantummodo.

Quanquam correctivum usurpatur:

Epist. IV 6 *quamquam* hoc illos magis parentes facere conveniat, qui de nonnullis negotiis veras irascendi filiis causas habent. Cf. Gub. III 43.

Quamvis et *etsi* hoc exemplum sequuntur e. g.

Gub. III 5 unum *quamvis* prius quam loqui ordiar scire cupiam, cum Christianis mihi loquendum an cum paganis sit. Cf. Gub. I 51.

„ VII 63 *etsi* specialius hoc scelus Afrorum omnium fuit.

Attendamus pleonasmum *tamenetsi*..... *tamen*:

Eccl. III 4 quod *tamenetsi* etiam ad aliud referri potest, *tamen* loco quoque et causae huic non insalubriter coaptatur. (Cf. Schmalz p. 592).

---

1) Cf. Glotta I p. 337 (Schmalz *sitamen*); Löfstedt Peregr. Aeth. p. 28.

Digitized by Google

De clausulis.

In universum Salvianus opera sua maiora et epistulas pulchris ornavit clausulis. Quasi exemplo capitis viginti sexti lib. III. clausulae omnium Salviani librorum formatae sunt. Nonnullae tamen clausulae heroae displicent e. g.

Gub. III 28 subditum iniuriis nostris deum *esse velimus.*

„ VII 34 quis autem est Romanorum *non ita dicens?*

„ V 44 in hac *necessitate redacti* (secundum cod. A.).

Eccl. I 3 quantum tibi copia accessit, tantum *disciplina recessit.* (Eccl. III 66 vides esse *te moriturum*).

Gub. IV 36 humanum genus.... in poenam aeternam ruit, quo scriptura *commemoravit* (secundum cod. A). [1])

Observandum est in Plinii Epistulis etiam atque etiam in polysyllabis clausulam heroicam deprehendi. Hic quinque modo exempla proferam II 19, 4 *praepediuntur*, IV 1, 6 *corripiemus*; VI 20, 10 *consuleremus*; X 10, 1 *proposuisses*; X 73 (in Traiani epist.) *restituendis.*

Quare non dubito servare lectionem optimi codicis A

Gub. VIII 15 esto ergo, illa quae diximus ad potentissimos quosque ac nobilissimos *pertinuerunt* (Cf. quae supra p. 137 exposuimus de *esto* cum indicativo).

Identidem clausulae leges a Salviano satis diligenter observatae nos vetant lectionem ab editoribus receptam probare e. g.

Gub. II 19 purpura exuitur (sc. David), diademate exhonoratur, cultu et *corde mutatur.*

Corpore Pauly Hartelio auctore substituit pro codicum scriptura *corde*, quam facile egregia clausula (creticus et trochaeus) tuetur. *Cultu et corde mutatur* sic Batave vertere possis: uiterlijk en innerlijk totaal veranderd.

Gub. II 13 David sanctus cum a Nabale Carmelo contumeliae pertulisset iniuriam, quia se ipse ulcisci distulit, ultionem statim deo *exsecutore percepit.*

Nihil curans de optima clausula Hartel coniecit *recepit.*

Gravius duumviratus Hartel-Pauly peccavit edens:

---

1) Cf. Gub. IV 28 *deteriores.*

Digitized by Google

Gub. II 2 ecce habes praesentem (sc. dominum), ecce intuentem, ecce in omni loco ac *per visionem* vigilantem.

Itaque induxerunt clausulam heroam vetitam; at tradita verba *provisione vigilantem* bonum praebent sensum efficiuntque clausulam satis frequentem (cretic. solut. et troch.).

Gub. VIII 8 a deo quippe punimur, sed ipsi facimus ut puniamur. cam autem puniri nos *ipsi faciamus*, cui dubium est quin ipsi nos nostris criminibus puniamus?

Sic ediderunt Halm et Pauly clausula heroa assumpta nimirum propter *cum* causale, quod tamen saepe apud Boethium [1]) indicativum adsciscit. Tenendum ergo *facimus*.

De verbis simplicibus, compositis, decompositis.

Sermo vulgaris favet et verbis compositis et decompositis. Neque a decompositis Salvianus abhorret:

Gub. VI 32 *abrenuntio* enim, inquis, diabolo pompis spectaculis et operibus eius.

„ II 9 hunc enim fructum in se habet divinitatis impletio, ut salvet ea, quae *adimplentur*.

Verum *subexcusare* (Gub. IV 14) et *supereminens* (Eccl. III 19) quorum simplicia *excusare* et *eminere* sunt, composita sunt habenda.

Raro hic scriptor verbo simplici utitur pro composito ut:

Gub. VII 7 unde quamvis nihil disputari de iudicio dei possit, tamen cum *ablatam* nobis iuris nostri optimam partem barbaris dederit, videamus, an id, quod nobis *tulit* et illis tradidit, iusto iudicio tradidisse videatur.

Etiam Gub. V 43 *tulit* significat *abstulit* [2]). Ceterum praecipue Salvianus ut supra variationem adamat e. g.

Gub. VI 37 denique praeter alia, quae id probant, indicat hoc etiam haec res ipsa quam dico. si quando enim *venerit*, quod scilicet saepe *evenit*, ut eodem die et festivitas ecclesiastica et ludi publici agantur, quaero e. q. s.

Omnes fere editores damnato *venerit* [3]) receperuat *evenerit*.

---

1) Engelbrecht Die Consol. Philos. d. Boethius (1902), p. 33.

1) Cf. Verg. Aen. II 555, IV 679; Eclog. IX 51. Löfstedt Peregr. p. 183.

1) Cf. Bachrens Mnemos. 1910 p. 404 sq. Schmalz (Berl. phil. Woch. XXXV

Digitized by Google

Equidem codicum lectionem *venerit* tueor provocans ad:

Gub. II 4 quomodo enim in precibus iustorum divinae aures sunt? quomodo, nisi ut semper *audiant*, nisi ut semper *exaudiaut*, nisi ut prompte *audita* tribuant, nisi ut ilico *exaudita* concedant?

Ilic fortasse aliquid interest inter simplex et compositum, quod non cadit in:

Gub. IV 42 nam ut qui agrum *excolit* ad hoc *colit*, ut culta conservet.

„ V 22 itaque passim vel ad Gothos vel ad Bacaudas vel ad alios ubique dominantes barbaros *migrant*, et *commigrasse* non paenitet.

Sic Eccl. III 17—18 bis *derelinquere*, quinquies *relinquere* occurrit.

Retineo igitur etiam tradita verba:

Gub. VII 104 iniuste *damnatus* (sc. Socrates) dicitur a iudicibus. et verum est; rectius enim eum haec talia praedicantem genus *damnaret* humanam, sicut absque dubio *condempnavit*.

Temere codicum scriptura spreta Halm et Pauly pro *condempnavit* receperunt *damnavit*.

Interdum compositum vices obit verbi simplicis e. g.

Eccl. II 1 diximus de remediis peccatorum, immo potius de spebus remediorum atque solaciis, scilicet hoc primum *inquirendae* salutis esse suffragium, ut peccatorem paeniteat erroris.

Inqurendae significat *quaerendae* sicut apud:

Min. Fel. XXIII 1 Isis perditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus luget, plangit, *inquirit* e. q. s.

De verborum ordine et aliquot figuris.

Saepissime gradus comparativus excipitur ablativo, quo augetur e. g.

peius multo (Gub. VIII 1 = VIII 11); plus multo (Gub. III 45): maiora multo (Gub. IV 19); sed gravius multo est (Gub.

(1915) col. 1046 relegat ad Tacit. Ann. XIV 43 quod hodie *venit*, consulari viro domi suae interfecto per insidias serviles e. q. s.

Digitized by Google

IV 58), quod interdum (ut Gub. IV 58) clausulae gratia [1]) factum est.

Eadem ratio suasit Salviano ut scriberet:

Eccl. III 40 quia virtutem eorum ex *domini* certum est constare *persona*.

Variationis studium auctorem movit ut semel negationem poneret ante adiectivum, semel ab eo divelleret:

Eccl. II 26 et ideo dicit: „quae vere vidua est, desolata sperat in domino", docens scilicet parum esse, si *non* sit vidua deliciosa *non* dives.

Sed negari non potest presbyterum nostrum crebro verborum ordinem affectare nimis quaesitum e. g.

Eccl. II 40 *nudis* quoque insuper servos suos lustrare *pedibus* orbem terrarum iubet.

„ IV 46 nemo itaque *sibi* in testamento suo hominem deo praeferens de vitae ac professionis praerogativa aliquid *blandiatur*.

Ergo *sibi* et *blandiatur* duodecim vocibus dividuntur!

Certum ordinem nimirum requirit *allitteratio* velut:

Eccl. III 37 suam unicuique vestrum animam suam salutem suam spem commendamus.

Gub. VII 78 sed forte id vel occultum quod loquimur erat, aut saltim hoc providebant procuratores publicae passim disciplinae. (Gub. IV 87).

Eccl. III 23 ut religiosorum rebus religio ditetur.

„ III 92 sed vereris videlicet vultus.... propinquorum.

Innumerae vero sunt *annominationes* vel παρονομάσίαι non raro cum allitterationibus coniunctae e. g.

Epist. I 7 nec enim nego, ne negator gratiae ingratus fiam.

Eccl. I 9 terrena atque tartarea.

Gub. IV 67 barbarorum vita vitiositas.

„ VII 12 sicut divitiis primi fuere sic vitiis (cf. VII 70).

„ VII 70 urbem.... plenam quidem turbis sed magis turpitudinibus.

„ VIII 21 palliatum et pallidum;

1) Ob eandem rationem scriptum est Gub. VII 24 plus *adhuc* dico.

Digitized by Google

Gub. V 55 non est hoc conversio sed aversio.

Nihil ergo dubitandum de integritate lectionis:

Gub. III 54 in aliis quippe horrent quod in se semper admittunt, mirum in modum et *accusatores* eorundum criminum et *excusatores*.

Hic Pauly ausus est Hartelii coniecturam *exsecutores* recipere, etsi legitur:

Gub. VI 9 et hinc est, quod dudum questus sum deteriores nos multo esse quam barbaros, quia illos ignorantia legis *excusat*, nos scientia *accusat*. [1])

Multa capita abundant *chiasmis* e. g.

Gub. VI 94 hoc enim est consequens..... ut referatur gratia faeneratoribus gratiarum et recipiant vicem munerum munerantes.

(ibid.) mixtis cum fletu gaudiis supplicamus, inlustramus donariis sacra limina, aras muneribus implemus..... circorum insanias fugimus foeditates theatralium ludorum execramur, vovemus domino novam vitam et ad optinendam eius perpetuo protectionem nosmetipsos sacrificamus.

Chiasmus servandus est:

Gub. I 12 contemptum *propriae* facultatis ad opes *publicas* conferebant.

Deterior codex B, quem Halm sequitur, exhibet *publicas opes*.

E multis *geminationibus* affero:

Gub. VI 47 arsimus, arsimus, et tamen flammas quibus iam arsimus, non timemus.

Eccl. III 54 sera quippe, ut ait in scripturis spiritus sanctus, sera est paenitentia mortuorum.

„ III 89 et propter hos, quisquis ille es, propter hos tales animam tuam deseris et credere te..... dicis.

„ IV 34 o quanto melius, quaecumque illa es, quanto melius et salubrius pauper fueras.

(Cf. Eccl. IV 24 *non credis* quater iteratum).

Anaphorae illustre exemplum habemus:

---

1) Cf. Gub. IV 31 decessio..... accessio; VII 10 onerant...., ornant.

Digitized by Google

Gub. I 43 *adde* huc fontes repente natos, *adde* medicatas aquas vel datas vel immutatas, speciem servantes naturam relinquentes, *adde* aperta erumpentibus rivis montium capita, *adde* scaturrientia novis pulverulenta arva torrentibus, *adde* inlatos itinerantium castris alitum greges (in continuo sequentibus *adde* quater redit).

Cf. Eccl. II 47 sq. *cogitantes* ter Gub. IV 40 *non sufficiunt* sexies repetitum.

Nihil igitur est cur suspiciones moveat:

Gub. III 33 *adeo* prope in omnium sensu hoc malum regnat, *adeo* esuriendi libido terminum habet, detrahendi libido terminum non habet.

Hic Pauly proposuit: *regnat, atque addo*!!

Neque *epiphora* deest cf.

Eccl. IV 27 non enim te odisti, ut prodesse tibi nolis, sed quae pauperibus dereliqueris profutura tibi esse *non credis*; unde est quod aliis magis quam tibi consulis, quia profuturum tibi opus religiosum esse *non credis*. (Cf. etiam Eccl. IV 24 non credunt..... non credit).

Gub. IV 65 in extremis sententiis sexies leguntur verba: *et nos hoc sumus.*

Luculentum exemplum *polysyndeti* reperimus:

Gub. I 36 in cunctis istis, quae memoravimus, num deus non est et inspector et invitator et ductor et sollicitus et sponsor et protector et munerator et probator et sublimator et ultor et iudex?

Quamquam *asyndeton* multo frequentius adhibetur, unum modo exemplum proferam.

Gub. I 40 Moyses in deserto positus gregem pascit, rubum ardere conspicit, deum ex rubo audit, praecepta accipit, potestate exaltatur, ad Pharaonem mittitur, venit loquitur contemnitur vincit.

De aliis figuris in Salviani operibus obviis.

Cum omnia vitia Salvianus impugnat, tum praecipue probra ludorum. Itaque maxime indignatus est, quod Treveri excidio

Digitized by Google

urbis superstites imperatores in Gallia morantes ut ludos circenses ederent, rogaverant. Alloquitur autem presbyter Massiliensis *apostrophe* usus impios illos cives sic:

Gub. VI 87 circenses ergo, *Treveri* desideratis, et hoc vastati hoc expugnati, post cladem post sanguinem, post supplicia post captivitatem, post tot eversae urbis excidia? (usque ad finem capitis 88). Renovat allocutionem cap. 89: ludicra ergo publica „*Trever*, petis?

Personificationis satis habeo haec exempla commemorare:

Epist. IV 6 etsi amor non suscensebat, superstitio tamen adversabatur. nam licet pater non odisset filiam, error tamen oderat veritatem.

Gub. VI 84 iacebant siquidem passim..... utriusque sexus cadavera nuda lacera, urbis oculos [1]) incestantia.

Ante omnia hie auctor adamat *antitheta* e. g.

Gub. VII 105 statuit ille ut nullus penitus suam haberet uxorem, isti (= Wandali) ut nullus penitus non suam; ille (sc. Socrates) ut omnis femina viris omnibus subiaceret, isti ut nulla femina alium quam virum suum nosset, ille generationem mixtam atque confusam, isti puram et ordinatam (cf. VIII 21).

Gub. V 22 malunt enim sub specie captivitatis vivere liberi quam sub specie libertatis esse captivi. Cf. Eccl. I 4; Eccl. III 32; III 46, 47, 48, 49.

Fortasse Salvianus in hac figura aptissime adhibenda aequales facile superans Ciceronem adaequat.

Oxymoron quoque valde Salvianus adamat e. g.

Gub. VI 87 quo magis hi, de quibus loquimur, accusandi sunt, quia sani insaniebant.

Ne in epistulis quidem a tali figura abstinet cf.

Epist. V 4 ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur hominem interdum non esse sanum.

Gub. V 53 ut eas non tam putes antea paenitentiam criminum egisse quam postea ipsius paenitentiae paenitere.

1) Cf. Gub. VII 78 oculos civitatis.

Digitized by Google

Operae pretium est conferre Plin. Epist. VII 10, 3 superest ne rursus provinciae..... placeat agatque paenitentiam paenitentiae suae.

Gub. VI 54 ipso officio inofficiosus fuit.

„ VI 74 furiosi, nihil minus quam sensus sui, immo..... nihil magis quam sensus sui.

Litotes a Salviano praetermissa non est cf.

Gub. I 30 non incommode; I 47 non mediocriter; VI 2 non immerito cet.

Apud verbosum scriptorem, qui saepe sua verba iterat (cf. Gub. VI 24 = VI 26 o amentia monstruosa) et genere dicendi nimis copioso et hic illic inflato utitur, multi *pleonasmi*[1]) inveniantur necesse est. Hic particulae tantummodo enumerari possunt:

Gub. III 38 idcirco itaque..... scilicet (cf. IV 48).

Epist. IX 16 idcirco igitur.

Eccl. III 69 ergo idcirco cf. Gub. II 2 idcirco enim.

Gub. I 40 quippe enim. Rittershusius delevit *enim*, qua de re Pauly observat „fortasse recte". At Lucretius praeiit scribens *quippe etenim* (I 104) et *quippe* videmus *enim* (VI 617).

„ I 38 *cum enim*. Hic quoque Pauly dubitat, quasi vero *enim* ortum esset e dittographia!

„ VII 68 quoque etiam.

„ I 56 quoque et.

„ VI 89 insuper etiam; cf. Eccl. II 40 quoque insuper.

„ III 40 certe vel (cf. V 55).

Epist. IV 25 vel hoc saltem.

Gub. V 55 sed tamen.... certe vel.

Eccl. I 23 quamquam.... licet.

„ III 4 tamenetsi.... tamen.

His particulis subiungo:

Gub. I 47 accedit quoque illud, quod generale ferme est omni homini.

„ II 21 iugis continuatio.

1) Moneo huc referendum esse genetivum adhaerentiae cf. p. 116 sqq.

Digitized by Google

Iniaria *talia* cancellavit Halm:

Gub. VII 89 sufficere igitur ad laudem eorum *haec* possunt *talia*. Conferendum autem est V 54 *tales isti*.

Salvianum etsi apparet multis variisque figuris usum esse et praecepta rhetorica plerumque observasse, tamen eius elocutio non ubique laudanda est. Non raro enim nimis metaphorice aut exquisitius scribit e. g.

Eccl. III 32 illi postremo servos suos dant libertati, tu quasi addicis filios servituti.

„ IV 12 et homicidae id adfirmare possunt, non se contemptu dei humanum sanguinem fundere: vel odio enim se vel cupiditati tantum scelera praestare.

Gub. V 18 vastatione latrocinii populantis immunes.

Eccl. IV 28 magis es debitor, quia proposito sanctitatis maiora promittis, et ideo plus tolerabis supplicii, quia minus solveris sponsioni. Cf. Eccl. III 42.

Prorsus vero pravi iudicii est sic loqui:

Eccl. III 10 ac sic miserrimi quique et inpiissimi, cum vinculis filiorum non constringantur, ipsi tamen sibi vincula parant, quibus *infelicia animarum suarum colla constringant*.

Non pergam vitia Salviani generis dicendi indicare, malo contendere eius Epistulam quartam in pulcherrimis monumentis linguae Latinae numerandam esse dignamque quae comparetur cum Corneliae matris Gracchorum epistula, qua Caio filio conata est persuadere ne accederet ad rempublicam. Ceterum unusquisque facile in lib. V—VII, ubi presbyter de condicione Galliae, Hispaniae, Africae agit, praeclaros inveniet locos [1]). In libris, quos ad Ecclesiam scripsit, auctor eloquentissimus est, quo loco depingit „novos caelos et novam terram, habitaculum sanctorum", qui resurrexerunt (II 48).

De verbis: *insinuare*, *propolare*, *praerogativa*.

Index quem Pauly suae editioni adiunxit multas res utiles continet, sed alias valde desideramus: *denique* et *passim*

1) Imprimis V 29; VII 8.

Digitized by Google

omnino praetermisit [1]), non sufficiunt quae commemorat de multis aliis vocabulis e. g.

Gub. I 32 paenituit ergo deum, inquit scriptura sacra, quod hominem fecisset in terra, non quod deus huic sit obnoxius motui aut ulli subiaceat passioni, sed sermo divinus ad *insinuandam* plenius nobis veram scripturarum intellegentiam, quasi humano nobiscum affectu loquens, sub nomine paenitentis dei vim demonstravit irati; ira est autem divinitatis poena peccantis.

Hic manifesto *insinuare* significat, ut saepius apud Arnobium (cf. II 19) *tradere, docere.* Aliter res se habet:

Gub. IV 92 utinam aut calorem et fidem haberes bonorum Christianorum aut certe frigus et ignorantiam paganorum. aut enim fides te calida deo *insinuaret* aut certe ad praesens adhuc legis ignorantia aliquatenus excusaret.

Hoc loco *insinuare* valet idem quod *commendare,* ut discimus ex:

Eccl. I 53 nec enim animus dantis datis sed animo commendantur data, nec pecunia fidem *insinuat* sed pecuniam fides.

De his tribus locis Index tacet.

Quid significet *propalare* docent Salviani aequales Claudianus Mamertus:

de stat. anim. I 2 ista pagina *propalatur* eiusdemque auctor occultatur

et Apollinaris Sidonius:

Epist. IX 11, 7 animus tandem feriaturus iam quae *propalare* dissimulat excolere detrectat.

Propalare ergo est *palam facere.* Apud Salvianum legitur:

Gub. VII 78 sed forte id vel occultum quod loquimur erat, aut saltim hoc providebant procuratores publicae passim disciplinae, ne oculos civitatis scelera *propalata* polluerent.

Praerogativa quoque optime intellegere possumus collatis aliquot locis Sidonianis. Legimus:

Gub. II 19 et tamen rex (sc. David) tanti nominis, sanctitate maior quam potestate, *praerogativis meritorum* antecedentium supereminens, cum tanto ambitu supplicet, non evadit.

---

1) Omisit etiam *cruces* significans *cruciatus* Eccl. I 50; III 52.

Digitized by Google

Nunc comparamus:

Sid. Epist. I 1, 2 quibus (sc. claris scriptoribus) ego immane dictu est quantum semper iudicio meo cesserim quantumque servandam singulis pronuntiaverim temporum suorum *meritorumque praerogativam*;

(ibid.) VIII 14, 2 qua morum *praerogativa* pontificatu maximo fungamini, sollicitus cognoscere studui.

(ibid.) II 7, 2 igitur ignosce ad tam sanctae conscientiae *praerogativam* raptim perniciterque properantibus.

Patet his quattuor locis *praerogativa* sensu positum esse *praestantiae*. Quae vis facile derivari potest a locutione *centuria praerogativa* i. e. centuria illa, quae apud veteres Romanos in comitiis centuriatis prima suffragium inibat. Ex hac potestate oritur significatio *iuris, vindiciarum*. Batave verbum hoc reddere possumus per: voortreffelijkheid, recht, aanspraak.

Quapropter etiam haec exempla afferenda sunt:

Gub. IV I discedatur itaque ab illa, quam supra diximus, Christiani nominis *praerogativa*.

Gub. VIII 24 ex quo agnoscitur, quod magna illic *praerogativa* dominicae religionis fuit, ubi ideo tantum dei servis licuit evadere, quia a pagano iure defensi sunt, ne Christianorum manibus trucidarentur. (Mordax haec ironia est!).

Denique haec vox induit vim *dignitatis* e. g.

Gub. IV 58 atrocius enim sub sancti nominis professione peccamus. ubi sublimior est *praerogativa*, maior est culpa. Cf. Gub. VII 106.

De archaismis.

Nonnullis vocibus priscis Salvianus usus est e. g. *indeptus* (Gub. VII 89, 92); *patrata* universitate rerum atque perfecta (Gub. I 20); *paenitudo* (Eccl. I 45; cf. Sidonius Ep. VI 9, 1); *obsequella* (Eccl. III 95); *praepeditus* (Eccl. III 5; cf. Schmalz p. 634).

De deminutivis.

Deminutiva plerumque suam vim servant e. g.

Eccl. III 81 una effugiendi aeterni ignis *specula* datur.

Digitized by Google

Gub. V 42 plerique *pauperculorum*..... spoliati *resculis* suis et exterminati *agellis* suis.

Substantivo *pauperculorum* notio inest misericordiae, sicut etiam in dictionibus hisce:

Gub. III 28 *homunculi* imbecilli sumus.
„ IV 85 homicidio innocentium *parvulorum*.
„ IV 23 occidunt *servulos* suos.

Quod legimus:

Epist. IV 6 „esto enim *conversiunculam* nostram paganus quondam non aequanimiter acceperis"..... procul dubio scriptor ut commoveat socerum deminutivo quasi mores innocentes depingere vult.

Denique in Praefatione magna cum verecundia de operibus suis loquens Salvianus scribit:

§ 3 in *scriptiunculis* nostris non lenocinia esse volumus sed remedia.

De formis minus usitatis.

In Salviani operibus reperimus hasce formas insolitas:

Eccl. III 22 *domu* eliminantur.

Gub. VII 6 maioris invidiae miser *nugas*; ibid. paulo infra: quis, quaeso, pauper et *nugas*..... mortem metuit et ridet. (cf. Corp. Gloss. Lat. I p. 37; Goetz 1923).
„ III 37 orirentur.

Variationis causa auctor scripsit:

Gub. I 47 nos magis laudamus illa..... non quia semper habere illa *mallemus*, sed quia usitatum hoc humanae mentis est vitium, illa *magis* semper *velle* quae desunt.

Gub. V 47 *miserti* quippe exulum non sumus.

Bis *paenitere* coniugatur tanquam verbum personale:

Eccl. I 38 saltim postea facere quod *paeniteas* te non ante fecisse.

Gub. V 54 quomodo tales isti paenitentiam se egisse non *paenitent*?

Participium *paenitens*, quod Cicero quoque agnoscit, usurpatur Gub. II 19, 20 cet.

Pulchre adhibuit presbyter simplex *graditur*:

Gub. I 41 siccatur pelagus, Israhel *graditur* (at mox § 42 *ingreditur* heremum victrix).

Digitized by Google

Verbum *coepisse* nonnunquam circumscribit praeteritum [1]):
Eccl. III 34 quia filii dei esse *coeperunt*.
„ III 57 ut dudum dicere *coeperamus*. [2])
„ IV 17 postquam esse *coeperint* debitores.
„ IV 50 quamdo enim bonus quis esse *coeperit*.

Pauca ἅπαξ εἰρημένα inveniuntur in Salviani scriptis nempe *toleratu* (Gub. III 28), *contumaciae* (IV 12), *sublimitatibus* (V 30).

Tenenda autem videtur etiam codicum scriptura:
Gub. I 43 adde homines in nullis membrorum suorum partibus accessus et decessus humanorum corporum sentientes, ungues non auctos, dentes non imminutos, capillos semper aequales, non adtritos pedes, non *adscissos* vestes.

Studium concinnitatis verisimile est auctorem movisse ut *adscissas* novaret post *adtritos*, ita ut utrumque membrum sex syllabarum esset.

OBSERVATIONES CRITICAE.

I. De Gubernatione Dei.

Cum Salviani genus dicendi cognoverimus fere, quaerendum nobis est, num Pauly, cuius editionem plerumque sequor, Halm, alii textum constituerint secundum indolem elocutionis presbyteri Massiliensis. Ne longior esse videar praecipuos modo attingam locos ubi violarunt leges, quas ille auctor sibi imponebat. Simul ipse coniecturas quasdam propouam.

Gub. I 9 nequaquam ergo nobis dolenda est haec adflictio infirmitatum, quam intellegimus matrem esse virtutum. itaque quicquid illud fuerit, quicumque vere religiosi sunt, beati esse *dicendi* sunt.

Hic Halm sine ulla ratione *ducendi* (pro *dicendi*) legere mavult. Immo *dicendi* longe anteferendum est, cum auctor magna vi affirmet asseveretque non tantum opinionem proferat.

---

1) Cf. Petron. 27 errare *coepimus* (Friedländer); Schmalz § 225; p. 486. Löfstedt Peregr. p. 210.

2) De plusquamperfecto *coeperamus* cf. Kühner-Stegmann I p. 140.

Digitized by Google

Legimus in codicibus A et B:

Gub. I 31 videns, inquit, deus, scriptura sacra, quod multa malitia hominum esset in terra c. q. s.

„ I 32 paenituit ergo, inquit, deum, scriptura sacra, quod hominem fecisset in terra e. q. s.

„ IV 95 concupiscentiam quippe, apostolus, nesciebam, inquit, nisi lex diceret e. q. s.

Nimirum nimis quaesitus talis ordo verborum est, sed non contra consuetudinem Salviani, quem eiusmodi novitatem affectare supra probavimus (p. 156).

Hic Halm ter codicum scripturam sprevit, Pauly semel certe (IV 95) traditum ordinem servavit.

De deo opem ferente Hebraeorum genti cum alia legimus tum haec:

Gub. I 43 adde huc fontes repente natos..... loquentem cominus dominum, legem divino ore resonantem, incisas digito dei litteras *rupices paginas*, saxeum volumen, discentem populum et docentem deum e. q. s.

Quamquam nimis metaphorice, more fere orientalium, auctor loquitur, tamen nullum vitium subest. Quoniam lex Moysis in saxo incisacrat, presbyter vocat tabulas ipsas „volumen saxeum", quod habet „paginas *rupices*". Pauly Hartelio auctore recepit *apices*. Sed quis mutaret genuinam lectionem *apices* in *rupices*?

De David reo auctor narrat haec:

Gub. II 19 totum regem cum ornatibus suis abicit, *providum* paenitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris adsumit.

Quid sibi vult *providum*? Salvianus dicit: antea David poterat securus esse, cum regia potestas eum tueretur, nunc autem est cautus et diligens. Pauly edidit *profugum*. Batave locum difficiliorem sic verto: „hij legt de rol van koning met daarbij behoorenden tooi af om die van behoedzaam en boetvaardig zondaar aan te nemen, terwijl de verwaarloosde kleedij, waardoor hij een gunstige stemming voor zich zoekt teweeg te brengen, hem tot bescherming strekt".

Gub. III 4 haec ergo de gubernaculo dei atque iudicio expeditissime ac *fortissime* dici possunt.

Libidine solita mutandi motus Pauly recepit *certissime*. Hic rogare velim num quis apud Quintilianum:

Digitized by Google

Gub. II 4, 42 sed ne ii quidem, qui hoc *fortissime* adfirmant, ullo satis idoneo auctore nituntur

improbans *fortissime* scripturus sit *certissime*?

Magnopere gaudeo hunc editorem

Gub. IV 81 quod *fortissimum* petentibus adiumentum est certe intactum reliquisse.

Gub. III 10 tantum apud nos honor et reverentia dei proficit, ut quae *indevotione* non facimus, etiam odio digna esse ducamus.

Indevotione parum placuit Hartelio, qui malebat *in devotione*.

At eadem vox occurrit:

Eccl. III 85 reddere siquidem post mortem patri pietas filii non poterit, quod unicuique *indevotio* sua et infidelitas denegarit.

Ceterum Salvianus adamat substantiva et adiectiva composita ope praefixi *in* formata e. g. Epist. IV 11 inofficiositate; Gub. III 58 iniustitiae; Gub. IV 12 incontumaciae; Gub. VI 55 incautelam; Gub. IV 18 incontinentiam; Eccl. I 28 indevotus; Gub. VI 54 inofficiosus; Gub. III 20 incontaminabilis. Gub. IV 53 inmisericordem; Gub. VII 4 inremediabiles; Eccl. II 4 incapaces; Eccl. II 11 inmensurabile.

Gub. III 15 et qui se Christianum dicit, debet, quemadmodum Christus ambulavit, sic et ipse ambulare. quae non modo illos, qui voluptates et pompas saeculi sequuntur, sed ne illos quidem implere certum est, qui *saecularis amotus* derelinquunt.

Codex vetustissimus et optimus A (a prima manu) habet *saecularis amotus*, at secunda manus scripsit *res* super *tus*. B autem exhibet *saecularis amoris ius*. Haec librorum vestigia sequens refingo:

qui saecularis amoris ⟨*rea*⟩*tus* derelinquunt.

Presbyter ait: non ei solum, qui voluptates huius saeculi captant, officio non funguntur, sed ne illi quidem qui peccatis renuntiaverunt, cum non ex animi sententia id fecerint, sed moti vanitate quadam. [1])

1) Manifesto hoc apparet ex hisce continuo sequentibus Gub. III 15 nam et qui renuntiare divitiis videntur, non sic renuntiant, ut penitus renuntiasse videantur, et qui putantur crucem portare sic portant, ut plus habeant in crucis nomine dignitatis quam in passione supplicii.

Digitized by Google

Pluralis *reatus* [1]) reperitur etiam Gub. IV 40 non sufficiunt enim multis consuetudinarii *reatus*, non sufficiunt lites e. q. s.

Saecularis amoris est genetivus definitivus pendens a verbo, quod est *reatus*. Alterum exemplum invenimus Eccl. I 49 *reatum longarum deliciarum*. [2])

Pauly edens *saeculares affectus* nihil curavit de verisimilitudine palaeographica.

In linguam vernaculam locum sic verto: Het is zeker, dat niet alleen degenen, die het genot en de praal dezer wereld nastreven, niet hun Christenplicht vervullen, maar ook zij niet, die hun zonden bestaande in de liefde voor deze wereld hebben opgegeven.

Gub. III 48 novum siquidem monstri genus est: eadem paene omnes iugiter faciunt, quae fecisse se plangunt, et qui intrant ecclesiasticam domum, ut mala antiqua defleant, ⟨*ut nova a se fiant*⟩, exeunt.

Inserui quod facile potuit excidere, nam a *defleant* librarii oculos aberrasse sumo ad *fiant*, constat certe in nostris codicibus multa vocabula praetermissa esse.

A se fieri frequenter auctor utitur cf. Eccl. III 24 rectius pauperes *a se fiunt*; Eccl. III 37 sed videlicet non contemptu dei dicunt parentes haec *a se fieri*; cf. Eccl. III 35; Gub. IV 74 cet.

Gub. IV 28 diximus itaque nobiles quosdam esse servis *deteriores* [diximus utique], at improbabiliter diximus, nisi quod diximus comprobamus.

Diximus utique cancellanda sunt tamquam aliena a textu, quia nullam clausulam efficiunt. At in *deteriores* ut polysyllabo, clausula heroa aliquatenus excusari potest (cf. p. 155).

Gub. IV 43 et quid de homine hoc loquor, cum etiam minima animalium genera futurarum rerum affectu omnia agunt? formicae in subterraneis latibulis ex ⟨*more*⟩ varia frugum genera condentes ad hoc cuncta contrahunt ac reponunt, quia affectu vitae suae diligunt quae recondunt.

---

1) Eiusmodi formas plurales enumeravi p. 114 sq.

2) Cf. Etiam Gub. III 25 ignorantiae *reatus*; IV 29 a *reatu* nequitiae suae absolvendi.

Digitized by Google

More supplevi motus Eccl. I 45 *more* suum; Verg. Aen. IV 551 *more* ferae cet. Cum locutione *ex more* confer Gub. IV 66 ex iudicio; Epist. IV 17 ex reatu cet.

Gub. IV 52 videamus quid pro his cunctis reddimus, quae debemus, quid scilicet nisi totum illud, quod supra diximus, quicquid indecens..... cruentas manus *faetidas* libidines *rabidas* cupiditates e. q. s.

Faetidas [1]) recte Pauly restituit e *faeditas*, quod exhibet A (a prima manu), at *rabidas* Halm pro *rapidas* dedit. Idem vitium antea obtinebat Sidon. Carm. XV 19

rabido fit missilis Ossa Typhoeo.

Luetjoham *rabido* scripsit pro codicum lectione *rapido*.

Gub. IV 55 itaque quia hoc argumento plurimi non respici res humanas a deo dicunt, quod imbecilles *sumus*, quid mercamur?

Contra omnium codicum memoriam Halm et Pauly ediderunt *imbecilles simus*, sed indicativum *sumus* tuetur bona clausula (duo cretici).

Gub. V 38 nam cum plerique eorum agellos ac tabernacula sua deserant, at vim exactionis evadant, quomodo non quae compelluntur deserere vellent [sed]secum, si possibilitas pateretur, *auferrent*?

Auferrent, quod Pauly cum Hartelio mutavit in *auferre*, sanum puto post *vellent*, cum paulo supra legamus V 13 et post haec *volumus ut* bona a deo accipiamus!

Sed secum ortum videtur ex *sesecum* vel *se secum*, quapropter *sed* uncinis inclusi.

Gub. VI 9 illi per imperitiam veritatis, quia quae sint bona nesciunt, mala pro bonis diligunt: nos cum scientiam veritatis habeamus, quae sint bona optime novimus ⟨*quae sunt mala facimus omnibus*⟩ modis.

Similitudine verborum deceptus a *novimus* transit librarius ad *modis*. Meo supplemento facile vitium intellegitur. *Omnibus modis* utitur auctor Gub. VI 47; VIII 3; Epist. IX 16; Eccl. II 70 cet.

Gub. VI 23 sin vero in conscientia nostra hoc est, quod haec

---

1) Cf. Eccl. II 4 hominum circa se conversantiume *fatidam* commorationem.

Digitized by Google

deus horret, quod execratur, quod in his *sit* ut pastus diaboli ita offensio dei, quomodo nos in ecclesia colere deum dicimus e. q. s.

Sit exhibent omnes codices (etiam A in rasura), nihilominus Pauly edidit *sicut* (sc. est) adnotans: „coniunctivi hic locum non esse, *est* autem deesse posse recte monuit Hartelius".

Verum rursus hic habemus variationem modi sicut

Gub. VIII 25 (vide p. 138), Eccl. I 21 (vide p. 138) cet.

„ VI 25 interrogo enim omnes potentes ac divites mundi huius, cuius piaculi reus sit servus ille, qui bono ac pio donimo malum cogitet, qui bene merenti convicium faciat et pro libertate quam *accipit*, contumeliam reddat.

In hac sententia variatio clausularum conspicua est etiam ultimae; *tate quam accipit* (troch. et cret.) et *meliam reddat* (cret. et troch.) varie formatae sunt, fortasse de industria. Halm et Pauly scripserunt *accepit*, ita ut duae ultimae clausulae factae sint eaedem.

Ceterum cum auctor hic sibi exemplum fingat, optime praesens *accipit* defendi potest.

Gub. VI 39 non enim hoc agitur iam in Mogontiacensium civitate, sed quia excisa atque deleta est, non agitur Agrippinae, sed quia hostibus plena: non agitur Treverorum urbe excellentissima sed quia quadruplici est eversione prostrata.

Pauly addidit *in* ante *Treverorum urbe excellentissima*, quod ne Cicero quidem requisivisset; verum ille editor severam aequalitatem ubique fere postulat, Salvianus variationem.

Gub. VI 52 cumque etiam pupillis prodigis *soleat* subvenire paupertas, simulque ut destiterint esse divites, *desinunt* quoque esse vitiosi, nos tantum novum genus pupillorum ac perditorum sumus, in quibus opulentia esse desiit, sed nequitia perdurat.

Ecce novum exemplum variationis modorum: *cum* concessivum adsciscit coniunctivum (*soleat*) et indicativum (*desinunt*). Vide quae observavimus ad Gub. VI 23, p. 169 sq. et ad Gub. VIII 8, p. 154. Halmio dubitante Pauly recepit *desinant*.

Gub. VI 52 adeo nos non ut alii homines causas corruptelarum in inlecebris, sed in cordibus habemus, et vitiositas nostra

Digitized by Google

mens nostra est, ut ad emendandos non facultatum ablatione ⟨*moneamur*⟩, sed malarum rerum amore *peccamus*.

Sapplevi *moneamur* [1]) ut lucraremur bonam clausulam (creticum solutum et trochaeum).

Sed malarum rerum amore peccamus habenda est enuntiatio primaria, id quod declarat indicativus *peccamus*, quem tuetur optima clausula (cret. et troch.). At Pauly edidit: *peccare pergamus* non intellegens continuationem significari tempore praesenti.

Gub. VI 96 praeclare videlicet sacris muneribus respondemus, praeclare dona eius vel agnoscimus vel honoramus, qui quantum ab eo beneficii accipimus tantum ei iniuriarum repensamus. aut iniuria dei hoc forte non est aut esse indignior potest *multis ac* magnis opus sit? sed *animarum* quia inveterata in nobis malorum omnium labe e. q. s.

Pauly duabus lacunis indicatis et voce *animarum* deleta proposuit: ⟨*cum*⟩ multis ac magnis ⟨*gratiis*⟩ opus sit. Equidem exspectaverim fere sententiam: ita ut magnis poenis (animarnm) opus sit iniuriae expiandae. Quem sensum leni medicina assequi possumus scribendo

multis ut magnis opus sit *animarum*? sed quia inveterata e. q. s.

Vitii origo inde ducenda est, quod *multis* significans *poenis* habitum est adiectivum, tum simul *ut* mutatum est in *ac* (quae vocabula magnam habent similitudinem) simul *animarum* transpositum, ut penderet a *malorum*.

Gub. VII 50 excitata est in perniciem ac dedecus novarum gens ignavissima, quae de loco ad locum pergens de urbe in urbem transiens universa vastaret. ac primum e solo patrio effusa est in Germaniam *primam*, nomine barbaram dicione Romanam.

Hic auctor narrat Wandalos Germania *prima* potitos esse. Germania autem anno fere 400. divisa est in Germania I. et II., ergo iniuria Hartel et Pauly iusserunt scribi *proximam* pro *primam*.

Gub. VII 87 igitur in tanta affluentia rerum atque *luxurias* nullus eorum mollis effectus est.

---

1) Cf. monens (Eccl. I 29); admonitione commoneo (Eccl. III 17) cet.

Digitized by Google

Accusativus *luxurias* post ablativum *affluentia* videtur servandus esse, fortasse hanc quoque variationem de industria quaesivit noster. Legimus *luxuriarum* Gub. VI 69 (cf. p. 114); de ablativo et accusativo, quos *in* adsciscit, egimus p. 123.

Gub. VII 97 iusserunt (sc. Wandali) siquidem et compulerunt omnes ad maritalem torum transire meretrices..... ut quia cohiberi incontinentia sine hac carnalis usus *permixtione* non posset, ita legitimum usum calor corporalis acciperet e. q. s.

In *permixtione* offenderunt Hartel et Pauly, itaque scripserunt *permissione*. *Caro* autem circumscribitur per *carnalis usus*; talia adamat Salvianus cf. Eccl. III 58 necessitudinum ficta nomina i. q. necessitudines, necessarii; Gub. VI 10 naturam rerum i. q. naturam; Eccl. I 11 certis rerum inpedimentis i. q. certis inpedimentis cet.

Multo melius quam Halm, qui longius a codicum lectione recessit, mihi videtur Pauly textum constituisse

Gub. VII 106 et quod dixi omnes, certe nobilissimae quaeque ac sublimissimae; adeo dignitas *qua etiam* praerogativa est haec honorum in magnis urbibus, ut quantum praecellunt ceteris magnitudine, tantum praestent impuritate.

Pro *qua etiam* scribendum videtur *quin etiam*, Pauly edidit *atque etiam*.

Gub. VIII 25 miremur itaque aut indignemur, quod aliqua nunc illi ab hominibus mala perferant! multo illa maiora sunt, quae ipsi in deum ante fecerunt, si iuxta personarum diversitatem aestimentur quae patiantur et quae fecerunt!

Si hortativos illos *miremur* et *indignemur* sumimus per sarcasmum [1]) dictos esse, facile carere possumus adverbio *minime*, quod Pauly supplevit ante *miremur*, aut particula *ne*, quam addidit Halm.

His observationibus duos locos similes subiungam:

Gub. VI 68 navigare per fluctus bella coeperunt.

---

1) Sarcasmum habemus etiam Eccl. III 87 digna videlicet causa et satis iusta est, ut tu animae tuae auferas, quod egenis talibus derelinquas. Cf. Gub. VIII 24.

Digitized by Google

Cic. de imp. Cn. Pomp. § 34 tanti belli impetus navigavit. Gub. VII 8 aut (regio Aquitanorum) crinita messibus fuit. Prudent. Contr. Symm. II 935 unde seges late crinitis fluctuet agris.

Denique quae Salvianus scripsit:

Gub. V 16 omnes quippe a se, etsi loco non absunt, affectu absunt, etsi habitatione iunguntur, mente disiuncti sunt,

digna sunt quae conferantur cum:

Apoll. Sidon. Ep. IX 8, 2 et quia, domine papa, modo vivimus animis iunctis abiunctisque regionibus e. q. s.

II. De Epistulis.

Epist. I 9 aliis enim commendavi hunc corpore vobis spiritu, aliis in emolumenta praesentium vobis in spem futurorum. aliis ob brevia atque terrena vobis ob sempiterna atque divina. et recte, ut, quia carnalia vobis *plus* quam spiritalia bona suppetunt, illa ego magis a vobis peterem, quibus vos magis abundatis.

Manifesto vitium latet sub *plus*, quod tamen tolli vix potest substituendo *minus*, sicut fecerunt Pithoeus et Pauly. Verum videtur ⟨*non*⟩ *plus*.

Non plus quam idem est quod *non magis quam* significans nicht sowohl als vielmehr (Kühner-Stegmann II § 225^c, (p. 482). Praetulit autem noster *non plus quam*, quia *magis* in continuo sequentibus bis occurrit.

Epist. IV 4 parentes carissimi, parentes reverendissimi, interrogari vos quaesumus liceat. ita possunt *pignorare* sic amantia non amari?

Vix dubito quin revocando: pignora *raro* sic amantia, sinceram lectionem restituri simus. Perraro sane fit ut liberi parentes tantopere diligant quantopere Salvianus et Palladia faciebant. Haplographia vitium natum est.

Epist. IV 23 quid autem est, in quo magis possimus nos vobis satis facere? filii vestri sumus, qui vos rogamus, neptis, per quam rogamus: parcite, indulgete: illi *eorum*, parentes carissimi, pro se rogant, ob quorum soletis nomina etiam extraneis nil negare.

Digitized by Google

Uxoris et filiolae nomine etiam suo nomine hic Salvianus veniam orat a parentibus, quanquam nullam culpam fatetur. Sicut autem huius epistulae paragrapho tertia [1]) se *reum* vocat, ita hic tanquam *reus* precatur. Quocirca scribendum censeo:

illi ⟨*r*⟩*eorum* [2]) ⟨*numero*⟩, parentes carissimi, pro se rogant, ob quorum soletis nomina etiam extraneis nil negare i. e. „Dierbare ouders, vergiffenis voor zich vragen als schuldigen degenen, om wier naam gij zelfs vreemden niets pleegt te weigeren".

Cf. Cic. Divin. in Caec § 62 parentis numero; Caes. B. C. II 4 legatorum numero; Nep. Epam. VII 1 privatus militis numero cet.

III. Ad Ecclesiam.

Ad Eccl. I 31 „avaro enim", inquit scriptura sacra, „nihil est scelestius", et pessimum ac feralissimum ⟨*genus*⟩ morbi divitiae conservatae in malam domini sui.

Genus, quod manus secunda in A addidit supra lineam, posui ante *morbi* (cf. Gub. VI 52 *genus* pupillorum, Eccl. I 32 *genus*.... virtutis), ut optima clausula nasceretur.

Quod Pauly pro *morbi* legere vult *in orbi* (vel *orbe*), id recte improbat Schmalz (Berl. ph. Woch. XXXV (1915) col. 1046).

Eccl. II 15 *parva* est ad promulgandam de huiuscemodi quaestione sententiam sermo atque *auctoritas* mea.

Parva congruit cum *auctoritas* i. e. cum voce, cui notio principalis inest, cuius rei luculentum exemplum Schmalz profert (Berl. ph. Woch. XXXV (1915) col. 1046 C. I. L. I 1421): campum et maceriem..... faciundum curavit.

Hartel pro *parva* suspicatur: *vix par*!

Eccl. II 48 (ergo et nos non alia, opinor, causa religionis philosophiam adpetivimus quam quod nobis id conveniens arbitrati sumus, cogitantes scilicet et praesentium rerum

---

1) Epist. IV 3 caritas quippe mutua facit, ut licet vos non utrique forsan suscenseatis, uno tamen ex nobis *reo* alter sine tristitia reatus esse non possit: illud sane est, quod nos contendere in aliquo et certare mutuo faciat, quod cum ambo filii vestri aequaliter *rei* simus, plus tamen unusquisque nostrum pro altero quam pro se timet.

2) Auct. ad Herenn. IV 35, 47 alii codices exhibent *eo*, olii veram lectionem *reo*.

Digitized by Google

brevitatem et futurarum aeternitatem.....) cogitantes quoque, inter haec horrenda et poenalissima praeclara illa ac beatissima novos scilicet caelos et terram novam, vultum rerum omnium pulchriorem, aeternum iustitiae habitaculum, recens aedificium creaturarum, aureas super *rudes* caelos sanctorum omnium domus, aulas gemmis intermicantibus expolitas et inmortalium metallorum fulgore pretiosas e. q. s.

Perperam hic „caeli" vocantur *rudes*, quod epitheton prorsus alienum ab hac descriptione [1]) est neque explicari potest per „recentes", quia iam praecedit *recens aedificium*. Scripsit autem Salvianus *virides caelos* cf. Plin. N. H. XVII 14, 74 (Detlefsen) custodita temperie ut *viridi caelo* serantur ac sine aura.

Profundos coniecit Pauly.

Eccl. III 9 quid quod nonnulli, filios non habentes, a respectu se tamen salutis suae et remedio peccatorum penitus avertunt, ac licet semine sanguinis sui careant, quaerunt tamen quoscumque alios, quibus substantium propriae facultatis addicant, id est, quibus umbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant, *quos* sibi quasi adoptivos imaginarii parentes filios faciant, *et* in locum quae non sunt pignorum perfidia generante succedunt.

Hartel qui cornu plenum coniecturis, quarum longe maxima pars [2]) falsa est, in Salviani opera effudit, pro *quos* suspicatus est *quo*, pro *et* vero *ut*. Hoc recepit Pauly, illud reiecit. Post *et* tamen supplendum est *qui*, quod petimus e *quos*. De industria autem presbyter non posuit hoc pronomen, quoniam iam praecedunt *quibus.... quibus.... quos* et sequitur *quae*.

Eodem modo *ut* carere possumus ante *vel* in hac sententia:

Eccl. II 1 Diximus de remediis peccatorum..... scilicet hoc primum inquirendae salutis esse suffragium *ut* peccatorem paeniteat erroris, tum *ut*..... postremo, si id non

1) Neque enim depingitur „rudis indigestaque moles". Sed melius huc quadrat Ovid. Met, II 12 pars (sc. videtur) *virides* siccare capillos.

2) Vix possunt omnes enumerari, afferobantummodo Gub. III 43 *saeculares* (pro *carnales*); Epist. I 5 *super* (pro *semper*); Eccl. II 66 *consulas* (pro *conferas*); Eccl. II 4 *adnisu* (pro *admissu*).

Digitized by Google

fecerit ne quid saltim moriens inexpertum relinquat, vel ultima sibi rerum suarum oblatione succurrat.

Facile hic subaudimus *ut*, quod Pauly Hartelio monente in textum recepit.

Eccl. III 37 illos dico caros et individuos et quos recte etiam vos, qui multas suboles habetis, filiis antefertis: ipsos se inquam homines, o infidelissimi parentes, ipsos se [inquam] dicimus.

Facile intellegimus librarium post *ipsos se* ex praecedentibus *inquam* quoque repetivisse, quod tamen iuxta *dicimus* absurdum est. Bona autem clausula (creticus molosso praemisso) tuetur verba *ipsos se dicimus*.

Mox sequitur *commendavimus*, nihil igitur est cur miremur variationem singularis et pluralis *inquam.... dicimus*. Cf. Liv. XXII 50, 7 non *tu* (sc. males), si quidem..... cives *estis*.

Eccl. III 66 dic mihi, quaeso, cur huic carissimo..... tamdiu nihil de tuo tradis, quamdiu te putas esse victurum [1]), sed tum cum vides esse te moriturum? et quid dico, cum esse moriturum vides.

Inter *esse* et *moriturum* in ultima sententia Pauly inseruit *te*, quam vocem tamen Salvianus non scriba videtur omisisse, ut enuntiatum clauderetur duobus creticis; prioris autem cretici prior syllaba longa soluta est.

Eccl. IV 16 interim, quia ab eo cunctis cuncta praestari etiam tu negare non ausus es, hoc dignior est absque dubio largitate nostra, *quia* nobis ipse ante largitus est, hoc iustius ei officiis respondere temptamus, *quod* beneficiis illius magis inpares sumus.

Haud difficile intellectu est τῷ *hoc dignior..... quia* respondere *hoc iustius..... quod*. Codex B exhibet *quod*; quemadmodum in A orta sit scriptura *quo a*, sine ullo negotio explicari potest. Littera *d* casu divisa est a *quod*, quae nimirum mutata est in *a*. Quapropter neque probo *quia*, quod edidit Halm, neque *quo*, quod recepit Pauly.

Eccl. IV 24 non credis igitur, sicut iam diximus libro superiore. non credis, ac licet religionem vestibus simules, licet

1) De clausula heroica: *te moriturum* vide p. 153.

Digitized by Google

fidem cingalo adseras, licet sanctitatem pallio mentiaris, non credis omnino, non credis: et hoc tam viris istiusmodi quam feminis *dici⟨to⟩*: non credunt.

In A et B exaratum est *dici*, quod correxi in *dicito*; cf. Epist. IV 10 obsecra ergo et supplex *dicito*. Habemus etiam Eccl. III 93 facito; IV 29 memento cet.

APPENDIX.

De Gennadii capite LXVIII.

Haud inutile videtur hic pauca exponere de Salviani vita et eius operum catalogo, quae Gennadio debemus. Caput autem 68. libri, c. t. De viris illustribus, sic se habet:

Salvianus, apud Massiliam presbyter, humana et divina litteratura instructus et, ut absque invidia loquar, magister episcoporum, scripsit scholastico et aperto sermone multa, ex quibus ista legi: De virginitatis bono ad Marcellum presbyterum libros tres, Adversum avaritiam libros quattuor, De praesenti iudicio libros *quinque*, et pro *eorum* merito satisfactionis ad Salonium episcopum librum unum et Expositionis extremae partis libri Ecclesiastes ad *Claudium episcopum* Viennensem librum unum, Epistularum librum unum et in morem Graecorum De principio Genesis usque ad condicionem hominis composuit versu quasi Hexemeron librum unum, Homilias episcopis factas multas, Sacramentorum vero quantas nec recordor. Vivit usque hodie in senectute bona.

Saeculo quinto certe post mortem Augustini Gallia principem locum in litteris Latinis obtinebat. Celtae paene Romani facti velut signiferos se praestiterunt humanitatis atque doctrinae in certamine contra barbaros, qui eorum terras multos annos oppresserunt. Imprimis pars meridionalis non paucos tulit scriptores omnes fere interpretes et vindices novae religionis, quin etiam Massilia effulsit quasi caput et lumen Galliae. Nam ibi Cassianus duobus monasteriis conditis quae in Oriente didicerat expertusque erat memoriae prodidit, ibi Salvianus

Digitized by Google

presbyter permultas homilias et alia scripta praeclara composuit, ibi pauxit Claudius Marius Victor carmen epicum, c. t. Alethia. In Aquitania, quae tamen saeculo praecedenti proventum maiorem attulerat, floruit Prosper. Apollinaris Sidonius Arvernorum episcopus gloriam auxit patriae Lugduni, ubi et Claudianus Mamertus videtur natus esse clarus presbyter Viennae, qui de statu animae scripsit. Ex nobilissimo coenobio Lirinensi exierunt maximi sacerdotes idemque insignes a litteris viri. Itaque iam non miramur in eadem parte Galliae Hieronymi opus, c. t. De viris illustribus, continuatum esse. Gennadius presbyter Massiliensis primam illam historiam litterarum Christianarum supplevit: filum interruptum anno 392 deduxit ad sua tempora, ad annum 496.

Sicut ultimum caput Hieronymi operis agit de auctore ipso, ita postremum omnium, quae addita sunt, capitum est de Gennadio, quod tamen non ab eo ipso est profectum. Ex illo capite 99. discimus (nam nihil est cur ei fidem non habeamus) Gennadium multos libros contra haereticos, tractatum de mille annis denique de Apocalypsi beati Johannis scripsisse praeter opus, quod inscribitur De viris illustribus quodque solum fere aetatem tulit. Constat Gennadium Graecarum Romanarumque litterarum fuisse peritissimum sed non semper aeque iudicasse quippe qui Semipelagianus esset. Illum Salviano utique collegae magnopere favisse facile patet e capite 68. atque adeo admirationis plenus videtur contendere:

> ut absque invidia loquar magister episcoporum scripsit scholastico et aperto sermone multa.....

Hic auctor respicit Salonium et Veranium, filios Eucherii, qui quondam in coenobio Lirinensi Salviani fuerant discipuli et postea episcopi facti sunt, ille Genavae anno 436 fere.[1])

Praefatione vitae absoluta transit Gennadius ad enumeranda collegae suae scripta quae legit.

Quod primum affert „De virginitatis bono" prorsus ignoramus. Secundum autem „Adversum avaritiam libros quattuor" codices nostri vocant „Timothei libri quattuor ad ecclesiam". Haud

1) Cf. Theol. Stud. u. Krit. 82er Jahrg. (1909) Sternberg Das Christentum des 5en Jahrh. im Spiegel der Schriften des Salvianus von Massilia p. 35.

Digitized by Google

dubie casu non est factum ut Salonius (qui Salviani discipulus fuerat), quanquam fortasse verum perspexerat, consilium Timothei illius quaesivisset e magistro. Huius responsum, i. e. Epistula nona, nobis servatum est. Licet igitur Salvianus non aperte confiteatur se libros illos confecisse, tamen tam ardenter Timothei causam agit, ut nemo non intellegat patronum et reum eandem esse personam.

Cur autem Gennadius titulum mutavit? Inscriptio vulgaris nihil indicat de argumento. Postulat vero Timotheus, ut omnes homines morientes saltem divitias suas ecclesiae relinquant, quia sic demum sperare possunt fore, ut Deus sibi veniam det. Quoniam praeterea idem affirmat avaritia motos peccatores nihil Deo legare velle, Gennadius suo titulo ostendit auctorem ante omnia illud vitium impugnasse.

Libros de Gubernatione Dei quoque Gennadius alio nomine vocat nempe „De praesenti iudicio", nimirum ut significet Romanos specie modo Christianos et pietate atque castitate longe superatos a Gothis Wandalisque iam in hoc saeculo graves poenas luere, quas Deus in diem ultimi indicii differre noluerit. Revera legitur in codice Corbeiensi inscriptio „de iusto Dei praesentique iudicio". [1])

Hic autem non tantum de titulo discordia est, nam libellus De viris illustribus quinque modo libros indicat, cum nostri codices omnes octo libros De Gubernatione Dei contineant, etsi maior pars octavi interiisse videtur. Haemmerle [2]) putat lib. I et II singulos esse editos, sed tertium et quartum una, item quintum et sextum, item septimum et octavum. Verum lib. I et II parvi sunt, ceteri magni praesertim VI et VII, quos ideo minime credibile est coniunctos fuisse. Ceterum parum sibi Haemmerle constat, qui partim traditae memoriae fidit nempe lib. I et II separatim esse vulgatos (Gub. III 2) partim asseverat sex reliquos, licet eos exhibeant codices, redigendos esse ad tres. Insuper initio libri octavi Salvianus excusat „stili prolixitatem", quod indicat lib. VII et VIII divisos fuisse.

Czapla sumit olim quinque priores modo libros in lucem

1) Czapla, Gennadius als Litterarhistoriker (Münster 1898) p. 140.
2) Studien zu Salvian. Programm Landshut (1892—1893) I p. 16.

Digitized by Google

emissos, reliquos post additos esse. Liber vero sextus vehementissime impugnat ludos circenses scenicosque et septimus incestum: neminem lectorem latere potest hanc esse partem gravissimam totius operis atque ibi auctorem validissima argumenta collegisse ut probaret praesens Dei iudicium. Quocirca non est edita ante pars debilior, post pars firmior. Denique omnes libri videntur sine interruptione esse compositi et quidem sic ut quasi gradatio quaedam statuenda est a primo usque ad octavum.

Equidem arbitror illud verbum *quinque* vitio in textu nostro natum esse: sumo enim libros octo olim non fuisse repraesentatos per VIII, sed neglegenter sic ∨III et propter hanc figuram librarium posuisse *quinque*.

Novum Salviani opus Gennadius sic indicat:

> *pro eorum merito* satisfactionis ad Salonium episcopum librum unum.

Legitur pro *merito* in quibusdam codicibus *praemio*, quod non miramur, cum iam supra bis duplices titulos cognoverimus.

Sed quid sibi vult *pro eorum*? Ebert coniecit *peccatorum*, at Hauck scribens: „pro eorum *titulo* satisfactionis" existimavit hic nihil aliud significari nisi epistulam novam. *Eorum* igitur secundum Hauckium pertinet ad „libros quattuor Adversum avaritiam", id quod grammatica vetat. Ceterum *titulo* quomodo potuisset corrumpi in *merito*, non explicavit.

At Czapla p. 141 peculiarem proposuit coniecturam legens *proemio* pro *praemio*. Proemium autem ille vir doctus praefationem vocat i. e. paragraphos quattuor, quas Salvianus libro I de Gubernatione praemisit. Czapla quoque epistulam nonam habet pro libro docens simul *pro* in Gennadii verbis, quae supra descripsi, non idem valere atque Germanicum *für* sed idem atque *vor*. Exponit porro haec. Illa epistula nona, qua Salvianus adversus Salonium Timothei rationem pseudonymum sumendi tuetur, missa est (nomine libri) una cum libris de Gubernatione Dei, qui tunc dedicati et donati sunt illi episcopo: *praecedebat* autem illa epistula praefationem vel proemium. Itaque hic interpres putat Gennadium hoc dicere:

> (legi) librum satisfactionis (= Epist. IX) positum ante praefationem librorum, qui sunt de Gubernatione Dei.

Digitized by Google

Hanc explicationem, quamvis ingeniosa sit, aio veri dissimillimam esse. Estne omnino operae pretium referre se legisse libellum viginti paragraphorum? Epistula nona appellatur liber, verum paulo infra in capite nostro reperimus: (legi) „Epistularum librum unum". Habemus novem Salviani epistulas, quarum ultima est liber ille satisfactionis (secundum Czaplam). Sed qui fieri potuit, ut primum epistula nona vocetur liber, deinde eadem epistula coniuncta cum octo reliquis, quarum quarta multo longior est quam nona, iterum liber appelletur? Haec quia pugnant inter se, Czapla verba „Epistularum librum unum" cancellavit tanquam corrupta! Nonne hodie haec „petitio principii" habetur? Etiam rogaverim quotusquisque fuerit qui *pro* accepisset quo sensu vult hic explicator?

Iam vero dubitari nequit quin Epistula nona paulo post editos libros ad Ecclesiam scripta sit, ut Salvianus de inscriptione „Timothei" Saloni satisfaceret. Sed libri de Gubernatione multo post compositi sunt [1]) certe post pugnam ad Tolosam (439) et ante Hunnorum invasionem in Galliam (451): tale grande opus requirit multum tempus. Quapropter Epistula nona non simul cum libris de Gubernatione Dei ad Salonium est missa. Apparet igitur falsam esse illam interpretationem nimis quaesitam quasi vero *pro eorum proemio* dictum esset pro: *praecedentem eorum librorum praefationem.*

Alia via videtur ineunda esse. Nemo non exspectat, ut Gennadius titulum quendam referre debeat. Quamobrem in vocabulo *eorum* latet vitium. Legendum censeo:

pro ⟨*r*⟩*eorum* merito satisfactionis librum unum.

i. e. (legi) librum docentem quam laudabiles sint peccatores, qui poenas luant, ut Deo satisfaciant. [2])

Nunc demum intellegimus quemadmodum varia lectio *praemio* pro *merito* oriri potuerit; verum inter *merito* et *proemio* nulla ratio intercedit.

Eiusmodi titulum invenimus cap. 62, ubi Gennadius inter plurima Cassiani scripta commemorat „de satisfactione paenitentiae".

---

1) De gub. IV 1 alludit ad Eccl. II 37 repetens quaedam verba.

2) Batave verterim: één boek ter aanbeveling van het verdienstelijke van zondaars om boete te doen. Possis etiam interpretari: Hoe verdienstelijk het is, wanneer zondaars boete doen.

Digitized by Google

Littera *r* substantivi *reorum* fortasse praetermissa est post compendium scripturae repraesentans *pro*.

Idem vitium deprehendere mihi visus sum Salvian. Epistul. IV 23 illi ⟨*r*⟩*eorum* ⟨numero⟩, parentes carissimi, pro se rogant e. q. s. (vide p. 173).

Pergentes caput 68. perlegere discimus Salvianum expositionem extremae partis Ecclesiastae dedicasse Claudio episcopo Viennensi. Sed illis temporibus neque Claudius neque Claudianus [1]) tali sacerdotio Viennae functus est. Verisimile autem est auctorem voluisse Claudianum Mamertum [2]) presbyterum Viennensem, qui de statu animae scripsit, ita ut pro „episcopo" substituendum sit „presbyterum", qui tituli interdum confusi sunt, velut in cod. Paris. (olim Colbertino) 5795, ubi legitur haec inscriptio libri primi: Prohemium de vero iudicio et prudentia dei et ipsius gubernatione hominum et rerum huius mundi libri octo *Silviani* [3]) *episcopi* ad sanctum Salonium episcopum. [4])

Post librum Epistularum commemoratum sic Gennadius pergit:

> in morem Graecorum De principio Genesis usque ad condicionem hominis conposuit versu quasi Hexemeron librum unum.

Verba „in morem Graecorum" respiciunt haud dubie Hexaemeron Basilii Magni, quod Ambrosius imitatus est et fortasse etiam quae addidit Gregorius Nyssenus ad fratris opus. At Salvianus ipse non hausit ex fontibus Cappadocum illorum, immo Ambrosii Exameron libris VI videtur motus esse, ut hoc praeclarum opus aemularetur. Verum quod attinet ad formam poeticam verisimile est carmen epicum c. t. Alethia, civis Claudii Marii Victoris presbytero Massiliensi exemplo fuisse.

Postremo Gennadius refert de homiliis, quas Salvianus etiam episcopis scripsit. E quibus verbis colligi licet eum egregium fuisse oratorem. Qui attente legit de Gubernatione Dei sine ullo negotio complures locos pulchros monstrare potest quasi partes homiliarum. Multi clarissimi oratores inde ab anno 1789.

1) Nam hic quoque varia lectio est.
2) Re vera hoc tradit Ado (Chron. Migne 123 p. 104), qui hausit e Gennadio.
3) In cod. Bambergensi primum vocabulum cap. 68 est *Silvianus*.
4) Cf. Czapla p. 141.

Digitized by Google

usque ad tempora nostra e meridionali parte Franciae prodierunt. Salviani exemplum nos docet ibi iam quindecim saeculis ante eloquentiam insigniter esse cultam.

Commoda valetudine Salvianus usus est ingentemque laborem ei patet non nocuisse ex ultimis verbis capitis 68:

vixit usque hodie in senectute bona.

Fuit autem tunc senex septuaginta quinque fere annorum. Is qui, tamquam unus e Gracchis in rebus sacris, magno certamine accessit ad rempublicam vel potius ad Ecclesiam, felicior fratribus illis invenit meliorem Genium sanctioremque Ducem, qui eum comitatus est usque in summam senectutem.

INDEX.

	Pag.
Observationes grammaticae	114—165
De numero	114—116
De casibus	116—121
de genetivo inhaerentiae	116—117
» » qualitatis	117—118
» » pendente a *totus*	118
» » praedicativo	118
» » partitivo	118—119
de hebraïsmis	119
Instar	120
de accusativo	120—121
De praepositionibus	121—124
de, ex, in (ad), per, absque, apud, erga, iuxta.	
De positivo comparativo superlativo	124—126
De pronomine possessivo, reflexivo, demonstrativo	126—128
De pronomine indefinito	128—130
De adiectivis et adverbiis pronominalibus	130—132
totus, nullus, ullus, una..... alia, unus, unde..... hinc, ubi, tanti..... quanti, aliquanti; non tantum..... quam....	
De verbo	132—144
De infinitivo et accusativo cum infinitivo	132—135
De variatione modorum	135—139
si, quod, quia, nisi forte, forsitan fortasse, etsi, esto, quid est quod, non est quod, habet cur, quod (consecutivum).	
De variatione temporum	139—140
De consecutione temporum	140—141
De participio	141—143

Digitized by Google

Pag.
De gerundio 143
De gerundivo . . . . . 143—144
De interrogationibus . . . . . 144—145
De adverbiis (e. g. denique, passim, male, modo, quondam, forsitan, utique) . . . . . 145—147
De negationibus . . . . . 147—148
De coniunctionibus . . . . . 148—152
(et, atque, vel, aut, namque, sed videlicet, siquidem, praesertim cum, maxime cum, praecipue cum, maxime quia, ut quia, dummodo ut, tantum ne, simul ut, statim ut, si tamen, tamen, quamquam, quamvis, etsi, tamenetsi.)
De clausulis . . . . . 153—154
De verbis simplicibus, compositis et decompositis. . . . . 154—155
De verborum ordine et aliquot figuris . . . . . 155—158
(de allitteratione, de paronomasia, de chiasmo, de geminatione, de anaphora, de epiphora, de polysyndeto, de asyndeto)
De aliis figuris. . . . . 158—161
(de apostrophe, de personificatione, de oxymoro, de litote, de pleonasmo.)
De vitiis et virtutibus Salviani elocutionis 161
De vocabulis *insinuare propalare praerogativa* . . . . . 161—163
De archaismis 163
De deminutivis . . . . . 163—164
De formis minus usitatis . . . . . 164—165
(*ἄπαξ εἰρημένα*; de verbo „coepisse").

Observationes criticae de Gubernatione Dei.

	Pag.		Pag.
I s.	140	IV 10	126
I 9	165	IV 16	126
I 12.	157	IV 17	148
I 22.	123	IV 28	168
I 31.	166	IV 43	168
I 32.	166	IV 52	169
I 38.	160	IV 55	169
I 40.	160	IV 85	141
I 43.	165 et 166	IV 95	166
II 2.	154	V 18	123
II 13	153	V 29	117
II 19	153 et 166	V 38	141 et 169
II 26	140	V 44	123
III 4	166	V 49	126
III 10	167	VI 9	169
III 15	167	VI 23	169
III 33	158	VI 25	170
III 54	(supra) 157	VI 37	154
IV 7	141	VI 39	170

Digitized by Google

Pag.
VI 52 (bis). 170
VI 82 149
VI 96 171
VII 26 143
VII 50 171
VII 54 143
VII 87 171
VII 89 161
VII 97 . . . . . 141 et 172
VII 98 141
VII 104 155
VIII 8. 154
VIII 15 . . . . . 137 et 153
VIII 16 141
VIII 25 . . . . . 138 et 172

OBSERVATIONES CRITICAE AD EPISTULAS.

I 9 173
IV 4 173
IV 23 173
IX 16 137

Pag.
OBSERVATIONES CRITICAE AD TIMOTHEI LIB. IV AD ECCLESIAM.

I 1 148
I 9 151
I 21. 138
I 31. 174
I 54. 127
II 48 174
III 9 175
III 37. 176
III 53 141
III 66 176
III 73 141
IV 16 176
IV 24 176

LOCI SIMILES.

Gub. VI 68 . . . . 172 et 173
Gub. VII 8 173

APPENDIX.

De Gennadii capite LXVIII . . . . . 177—183.

CORRIGENDA AD SOPHOCLEA.

P. 9 l. 3. Pro 'Arthuro C. Pearson' leg. 'Aluredo C. Pearson'.

P. 13 sub finem. Pro 'memininus' leg. 'meminimus'.

P. 17 ll. 13, 14. Pro 'Cons.' leg. 'Conf.' pro 'radionem' leg. 'radiorum' et pro 'uictor' leg. 'uicta'.

ib. circa finem. Pro 'inter se accentu tantum modo distantia' leg. 'ab illo *μάτηρ* accentu tantummodo distans'.

P. 19 l. 1. Pro 'Deianira' leg. 'Iole'.

P. 20 l. 13. Pro 'Herculis' leg. 'Philoctetae'.

I. P. POSTGATE.

Digitized by Google

AD PETRONII CARMINA.

(P L M VOL. IV ED. BAEHRENS).

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Carmen 89.

Non est forma satis nec quae vult bella videri
debet vulgari more placere sibi.
Dicta, sales, lusus, sermonis gratia, risus
vincunt naturae candidioris opus.
Condit enim formam quicquid consumitur artis,
et nisi v e l l e s u b e s t, gratia nuda perit.

Versum ultimum in editione nitidissima, quam complures viri docti in Loebii Bibliotheca Classica curarunt, sic Anglice redditum video: „and naked loveliness is wasted all in vain, if it have not the will to please", quamquam ad calcem paginae ascriptum est: „*velle subest* probably corrupt".

Profecto neminem esse credo quin corruptelam hic latere continuo agnoscat cum primum versus perlegerit, nec L. Muellerus non perspexit, cuius coniecturam improbabilem *cultus adest* Baehrens recepit, cum Antonius *sal suberit* corrigendum esse olim perperam censuisset.

Emendandum esse:

et nisi v e n a subest, gratia nuda perit

loci, quos iam afferam, haud dubium relinquent:

Horat. A. P. vs. 409:

ego nec studium sine divite v e n a,
nec rude quid possit video ingenium.

Donat. Vit. Verg. § 41: (versus) non communi v e n a editos.

Digitized by Google

Juvenal. 7. 53: (vates) cui non sit publica v e n a.
Horat. C. II. 18. 10: benigna ingenii v e n a.
Vera haec lectio restituta verbum *subest* sanum esse simul demonstrat neque magis sollicitandam esse scripturam vocabuli *nuda*, quod Scaliger in *tota* immutandum esse putavit.

Carmen 92.

Naufragus eiecta nudus rate quaerit eodem
percussum telo, cui sua fata fleat.
Grandine qui segetes et totum perdidit annum,
in simili deflet tristia fata sinu.
Funera conciliant miseros, orbique parentes
coniungunt gemitus et facit hora pares.
Nos quoque confusis feriemus sidera verbis
et fama est c o n s t a n s fortius ire preces.

In hoc quoque carmine versum postremum vitio inquinatum esse consentiunt editores, sed de medela adhibenda variae sunt eorum sententiae. Baehrens pro *et* recensuit *sic*, Binetus pro *constans* scribere voluit *iunctas*, Buechelerus *socias*; Butlerus proposuit *fama est coniunctas*.
Buecheleri coniecturam notionem quae requiritur optime reddere opinor, verum ad scripturam traditam propius accedere:

et fama est c o m i t e s fortius ire preces.

Carmen 93.

Aurea mala mihi, dulcis mea Martia, mittis,
mittis et hirsutae munera castaneae.
Omnia grata putem, sed si magis ipsa venires
ornares donum, pulcra puella, tuum.

Hexametrum alterius distichi Baehrens cum Oudendorpio sic constituit:

Omnia grata p u t e s: sed si magis ipsa venires,

Heinsius scribi iussit: *P u t a*, *sed t e magis. ipsa*
Equidem scribendum puto:

Omnia grata putem, sed s i c magis: ipsa v.

Digitized by Google

Carmen 97.

Iudaeus licet et porcinum numen adoret
et caeli summas advocet auriculas,
ni tamen et fesso succiderit inguinis oram
et nisi nodatum solverit arte caput,
exemptus populo Graia migrabit ab urbe
et non ieiuna sabbata lege premet.

Iure Baehrens lectionem *et nisi* propter molestissimam in re eadem repetitionem damnavit, sed quod ipse dedit *et cute* non probandum videtur utpote a scriptura tradita nimium distans, neque magis arridet Buecheleri *Frenis*. Corrigendum credo:

et sibi nodatum solverit arte caput.

Carmen 98.

Una est nobilitas argumentumque coloris
ingenui timidas non habuisse manus.

Hunc locum attuli quo demonstrarem optime se habere versum Propertii I 4, 13:

Ingenuus color et multis decus artibus et quae
gaudia sub tacita dicere veste libet

atque Iacobi coniecturam *calor* respuendam esse, quam Keilius et Muellerus immerito receperunt.

Carmen 102.

Accusare et amare tempore uno
ipsi vix fuit Herculi ferendum.

Verbum *accusare* importunum hic esse Baehrensio credo, sed displicet id quod proposuit *aerumnari*. Maluerim: *accurare*.

Digitized by Google

DE EURIPIDIS THEBAIDE POSTERIORE.

SCRIPSIT

TH. ZIELINSKI.

I.

Euripidis Thebaidem posteriorem eam appello trilogiam, quam tragoediis ‚Oenomao' et ‚Chrysippo' et ‚Phoenissis' constitisse servatae fabulae hypothesis testatur quamque a. 409 scaenae commissam esse et alii multi et ego censeo; eamque oppono Thebaidi priori, id est tragoediis, ‚Oedipo' et ‚Antigonae' et ‚Herculi', quas simul a. 414 spectatoribus propositas esse opinor, qua de re mihi infra paucis agendum erit.

Atque de ‚Oenomai' quidem mythopoeia Euripidea quaque re a Sophoclea discrepuisset in universum bene statuisse Robertum (*Griech. Heldens.* 216) nemo me melius iudicare potest, qui meo Marte quaestionem aggressus eodem pervenerim, scilicet Euripidea adumbrare Hyginum, Apollodorum autem, ubi ab Hygino dissentiret, ex Sophocle haurire. De exitu tamen utriusque fabulae non eadem mihi est cum summo viro concordia.

Cum enim ‚Iphigenia Taurica' utique ante ‚Oenomai' Euripidei annum lucem viderit, necesse est v. ejus 823 sqq.:

> Πέλοπος παλαιὰν ἐν δόμοις λόγχην πατρός,
> ἣν χερσὶ πάλλων παρθένον Πισάτιδα
> ἐκτήσαθ' Ἱπποδάμειαν, Οἰνόμαον κτανὼν

ad Sophocleum alludere [1]), utpote qui solus tunc spectatoribus

1) De tempore eius non constat, nisi quod ex fr. 432 N. cum Hdt. IV 64 comparato a. 446 eum posteriorem fuisse elucet. Iam cum ‚Electrâ' eam priorem fuisse propter v. 504 sqq. verisimile sit, Pericleo eam quindecennio libentissime assignaverim.

Digitized by Google

notus fuerit. Iam si Apollodori *ep.* II 7 comparaveris: Μυρτίλος οὖν ἐρῶν αὐτῆς (sc. Hippodamiae) καὶ βουλόμενος αὐτῇ χαρίσασθαι, ταῖς χοινικίσι τῶν τροχῶν τοὺς ἥλους οὐκ ἐμβαλὼν ἐποίησε τὸν Οἰνόμαον ἐν τῷ τρέχειν ἡττηθῆναι καὶ ταῖς ἡνίαις συμπλακέντα συρόμενον ἀποθανεῖν, κατὰ δέ τινας ἀναιρεθῆναι ὑπὸ τοῦ Πέλοπος, etiam hic duplicem ab eo referri famam agnosces; secundum enim alios Myrtilus curru Oenomai vitiato loris involutum morti regem dedit, secundum alios a Pelope eum occidendum curavit. Quas famas invicem sese excludere et ex Apollodori verbis stricte interpretandis et cum Hygini *fab.* 84 comparandis sequitur, et multo etiam magis ex eis, quae nunc dicturus sum.

Quaero enim utrum Myrtilus rotis debilitatis regem curru comitatus sit necne. Illud video iam antiquos artifices admisisse a grammaticis prave instructos, qui discrepantiarum conciliandarum quam rei repraesentandae studiosiores quomodo ipse mortem effugere potuisset non curaverint; sed non debuit Robertus Sophocli rei equestris peritissimo hanc absurditatem imputare, nedum Myrtili supplicis mortem a cipporum Etruscorum sculptoribus nescio quo ex fonte haustam. Immo quicunque Euripidis versus supra allatos cum Apollodori duplici fama comparaverit, concedet prorsus amovendum esse a Sophocle rotarum artificium. Integro igitur curru comitatus est Myrtilus persequentem regem; qui cum fugientem cum Hippodamia Pelopem assecutus esset, iamiam eum hasta transfixurus erat — sed tantum afuit ut consilium suum exequeretur, ut ipse potius hasta iuvenis transfixus periret.

Id ipsum quomodo fieri potuerit quaeritur. Accuratius Apollodorea perlegentes attendemus § 5 ἔχων γὰρ ὅπλα τε καὶ ἵππους παρὰ Ἄρεος — non solum igitur equos, sed etiam arma miraculosa habebat Oenomaus. Tum § 6 ἦν δὲ Μυρτίλος παραβάτης εἴτουν ἡνίοχος Οἰνομάου; secundum alios igitur regis erat auriga currumque eius apparabat, secundum alios ut armiger eum comitabatur. Video igitur perfidum ministrum cum hasta et clipeo regem lora tenentem in curru comitari, utrumque ubi opus fuerit domino traditurum. Et iam fugientes assecuti sunt; loris igitur remissis arripit arma Oenomaus. Quid postea?

Digitized by Google

Felici casu accidit, ut quod mentis oculis intuebamur, id nobis vivide repraesentaret nobile Archemori vasculum. Iam sumpsit ab armigero fatalia arma Oenomaus; nec tamen fugiens se transfigi passurus est Pelops. Immo cursum equorum inhibens appropinquantem inimicum respicit, iamiam ipse a παραβατούσῃ Hippodamia hastam salvatricem accepturus. Et quid postea?

Res est manifesta: victura est Martis hasta, nisi armigeri proditione ad irritum redacta erit; haec autem proditio qualis fuisset sciremus, si modo quid hic manu dextra teneret explicare possemus. Nunc nihil aliud affirmare audeo nisi proditionem armigeri intercessisse adeo manifestam, ut moriens rex ei imprecaretur, ut ab hoc ipso Pelope, cui nefariam operam praestitisset, mortem oppeteret.

Haec igitur Sophoclea sunt; Euripidea autem illa: Myrtili currum apparantis in rotis debilitandis artificium, rex solus cum solo Pelope agone curuli certans — ludus est enim Olympiorum praecursor, non sponsae raptus, ut nihil sit comitante Hippodamia opus — rota evulsa, mors. Moriens tamen rex ipse quoque propter ereptam sibi vitam mortis suae auctorem detestari debuit; ita, sed quemnam? An Myrtilum? Equidem mirarer si desilientis rotae causam in absente clavo potius quam in praesente aliquo lapide agnovisset. At praesto erat Pelops et partae victoriae et propinqui matrimonii conscientia ferox. Hunc igitur diris insectatus est simulque faventem ei filiam. — Immo, inquies, non potuit rex patrati facinoris ignarus ad inferos dimitti; et quoniam de Euripide agitur, nihil impedit quominus ei deus aliqui ex machina totam rem detexerit. — Neque hercle refragabor; tanto melius enim cognoscere debuit aurigam suum alieni maleficii vile extitisse instrumentum, tantoque maiore odio exardescere in veros infortunii sui auctores. Utut igitur rem nobis repraesentamus, sequitur tamen non Myrtilum ab illo, sed filiam generumque deorum ultioni devotos esse.

II.

Operae enim pretium est considerare duplicem fuisse traducem peccati, a quo poetae Atridarum infortunia repetiverint.

Digitized by Google

Aut enim in stemmatis capite Myrtili mors constituitur ab ingrato Pelope de curru in mare detrusi. Cuius diras cum exequi vellet Mercurius pater eius, aurei velleris agnum Atrei Pelopidae gregi immiscuit. Hinc Atrei Thyestaeque fratrum contentio et Aëropa Atrei uxor a Thyeste seducta et Thyesteae dapes et cetera.

Aut omisso Myrtilo recto tramite ab Oenomao moriente in Pelopidarum capita pestis ducebatur, scilicet ut spurius Pelopis filius Chrysippus patri praeter ceteros carus Hippodamia instigante ab Atreo Thyestequc filiis legitimis occideretur. Quo scelere exacerbatus Pelops nocentibus filiis odia interneciva imprecatus est.

Atque illum quidem traducem vere Sophocleum esse ‚Electrae' notissimi versus 504 sqq. demonstrant optime cum 'Oenomai' mythopoeia, qualem supra restituimus, concordantes. Sed ne Euripidem quidem alia usum esse ratione ex ‚Orestis' versibus 988 sqq. evincitur, qui plane Sophoclea repetunt, Geraesti litoribus additis Myrtileae necis testibus. Quae ipsa Geraestia litora cum etiam in Hygini *fab.* 84 occurrant, quam Robertus rectissime ‚Oenomai' Euripidei hypothesin nominavit, quaero quid expectari potuerit disertius? Quo minus probandus est Robertus, qui (p. 213[4]) neutrum poetam sibi constitisse contendat, immo ambos *ubi hunc mythum non in transcursu commemoraverint, sed data opera in singulis dramatibus* — nempe ‚Oenomais' — *tractaverint, plane aliter rem narrasse* — scilicet ut Sophocli Apollodoro invito prorsus nulla ratione ex urnis Etruscis Myrtilum ad aram necatum obtrudat, Euripideum autem exitum, Hygino ut contaminato abjecto, in incerto relinquat. Satis pro imperio utrumque; expediet tamen arbitrariam critices Robertianae rationem iam hic digitis contrectasse, ne in eis quae infra agenda erunt vel maiora eum molitum esse admodum miremur.

Sequitur illum alterum traducem — Hellaniceum esse mox apparebit — a neutro tragico adhibitum esse; et est sane genealogicus potius quam dramaticus. Semel tamen Euripides servata constantia ad eum declinavit; ut enim iam vidimus, Oenomaus eius moribundus non Myrtilum — quamquam etiam Myrtilum potuit, ita tamen, ut praecipue Pelopem Hippoda-

Digitized by Google

miamque diris ageret. Id autem ideo fecit, quod ei in cetera trilogiae parte non Argivae, sed Thebanae res tractandae erant.

III.

De Chrysippo, qui secundae tragoediae materiam dedit, tres habemus famas distinctas.

Unam modo tetigimus: Chrysippus est spurius Pelopis ex Axiocha nympha filius ab Atreo Thyesteque matris Hippodamiae iussu necatus, quo factum est ut Pelopis patris iudicio damnati Pisis exulare deberent. Ad Aeacidarum exemplar compositam esse formulam Chrysippo Phoci loco substituto iam dudum alii viderunt, scilicet ut Pisa a regis filiis relicta explicaretur. Quae cura ut minime tragicorum ingenia exercuit, ita vel maxime vexavit genealogos. Nil mirum igitur si formulae huius, non mythi auctorem reperimus Hellanicum ab Iliadis scholiastis AD ad B 105 laudatum; miraremur Robertum (*op. cit.* 217) confidenter eam Sophoclis ‚Hippodamiae' vindicavisse, nisi hoc eum necessitate coactum fecisse constaret post multo maiores turbas, de quibus statim agendum erit. Abjecta enim hac genealogica fama poeticas habemus duas.

Alteram ex ‚Phoenissarum' scholio Pisandreo Oedipodeae cyclicae vindicavit E. Bethe *Theb. Heldenl.* 4 sqq., qua in re assentientem habuit Wilamowitzium *de trag. gr. fragm.* 6. Laius igitur cum apud Pelopem hospitem commoraretur, insano Chrysippi filii eius captus est amore, quae turpitudo ante eum in Graecia ignota erat. Raptum igitur secum Thebas avexit. Quod flagitium cum ferre non posset generosus puer, ipse se vita privavit; ex hac autem Pelopis duplici iniuria propter Iunonis Cithaeroniae iustam iram totum domus Laieae excidium manavit.

Alteram auctori debemus non optimo illi quidem, Parallelorum nempe minorum falsario, cuius tamen ratio secundum Hercherum ea fuit, *ut in singulis fabularum bigis alteram alicunde sumeret, affingeret testem, alteram una cum teste ipse comminisceretur* (Wilamowitz *op. c.* 9). Nostra igitur fama, quam corneae portae debemus, haec fere narrat. Pelops Tantali ex Euryanassa filius cum Hippodâmiam uxorem duxisset, filios ex ea procreavit Atreum et Thyesten, ex Danaide autem

Digitized by Google

nympha Chrysippum, quem legitimis filiis praeferebat. Hunc amore captus Laius Thebanus rapere conatus est; deprensus ab Atreo Thyesteque veniam tamen impetravit a Pelope propter amorem suum. Postmodo Hippodamia cum Chrysippum regni heredem fore suspicaretur, Atreo Thyestaeque persuadere coepit ut eum occiderent; qui cum recusassent [1]), ipsa sese ad scelus exequendum accinxit. Nocte enim intempesta dormientis Laii gladio erepto Chrysippum vulneravit, inde gladium in vagina reposuit. Suspicio propter gladium cruentum in Laium cadit; quem tamen cum Chrysippus moriens testimonio suo liberavisset, ipse a Pelope sepelitur, Hippodamia autem exilio solum vertit.

Credo concessurum esse, quicunque has duas narrationes comparaverit, in puerorum amore versari utramque, sed ita, ut is in altera condemnetur, in altera defendatur.

Condemnatum esse in Oedipodea cyclica non est quod miremur; cum enim una cum Apollinis Delphici religione Graeciam invasisset hic morbus, facile intellegimus aoedos Homericae disciplinae defensores eum impugnasse; quam rem haud sane parvi faciendam primus quod sciam in Sophocle meo rossico (II 15 sqq.) explicavi. Quo magis indolui Robertum et in ‚Oedipo' suo (I 400 sqq.) et postea in novissimo suo opere (*Gr. Heldens.* 883) quae bene enucleaverat Bethe rursus conturbasse. Dum enim quovis pacto Euripidem primum Laii in Chrysippo scelus novasse contendit, scholium Pisandreum nulla sana allata ratione pro contaminato habet eiusque diserta verba πρῶτος δὲ ὁ Λάϊος τὸν ἀθέμιτον τοῦτον ἔρωτα ἔσχεν non ad Oedipodeam pertinere sed ad drama Euripideum doceri ait Aeliani verbis *var. hist.* XIII, 5 coll. *hist. anim.* VI 15 Λάϊος ... ὦ καλὲ Εὐριπίδη, ... τοῦ τῶν ἀρρένων ἔρωτος, ὡς λέγει; αὐτὸς ... πρώτιστος ἄρξας. Obiecturus eram Euripidem sane, non tamen ut solum citari ab Aeliano, cum ipsius verbis inspectis eum diserte praeter Euripidem ad vulgatam famam provocare inveni: ὡς λέγεις αὐτὸς καὶ ἡ Φήμη διδάσκει;

1) Respicit famam Hellanicean, secundum quam hi duo fratres matre hortante Chrysippum necaverunt. Habemus igitur 'repudiatam propositionem', de quo locorum rudimentalium genere in *Tragodumenis* meis a litterarum Academia polonica mox publicandis egi (p. 89 sqq.).

Digitized by Google

quae compendiosa citandi methodus vereor ut probari possit. Hanc eandem famam in mente habere videtur Plato, cum — id quod Robertum ceterosque fugisse video — naturalem amorem maris feminaeque in Legibus (VIII 836 *b*) τὸν πρὸ Λαΐου νόμον dicit. Accedit quod Laii in Chrysippo scelus in oraculo commemoratur, cuius plane eadem est traditio atque aenigmatis Oedipodei (hypoth. Phoen.): iam cum hoc aenigma in vasculo Gregoriano commemoretur, quod E. Pfuhl litteris humanissime ad me datis a. 470—460 assignat, quis credat oraculum post Euripidis tragoediam confectum esse [1])? Satin haec firma sunt argumenta contra arbitrarias Roberti atheteses?

Equidem Robertum ut vivum colui ita etiam mortuum in summo habiturus sum honore; sed quo magis librum eius postumum eximiae plenum doctrinae in longum tempus fundamentum fore puto disquisitionum mythographicarum, eo intensius tales luxuriantis critices surculos putandos esse censeo.

IV.

Euripidem in ‚Chrysippo' sese ad Oedipodeae versionem applicasse et ex Aeliani testimonio sequitur et multo magis ex trilogica Thebaidis eius ratione, qua Laius flagitatur cum progenie sua a Pelope devotus [2]). Iam si hoc fuit eius fabulae argumentum, cuinam tribuemus illam alteram versionem a Parallelon minorum auctore conservatam? Cuinam, inquam, praeter Sophoclem? Illam enim puerorum amoris apologiam continuisse vidimus, a qua sensuum aberratione Euripidem purissimum fuisse constat, cum Sophocles erga eam et in vita et in poesi indulgentior fuerit. Tum in hac versione Hippodamiae sunt partes principales, quae et Chrysippi necem sola

1) Haec res etiam Roberto molesta extitisse videtur; quid ergo? Posteriore tempore amplificatum ait oraculum (op. cit. 881,1). Ita alia super alia struendo ruentem suam coniecturam fulcire conatur.

Epicam aenigmatis originem nominis forma in vasculo prodere videtur, quae est ΟΙΔΙΠΟΔΕΣ; nec tamen id (cum oraculo) Oedipodeae assignaverim, in qua Sphinx amoris potius illecebris quam aenigmatis proponendis iuvenes attraxisse videtur et Apollo nondum in Iunonis Cithaeroniae locum successerat. De Thebaide nil quod equidem videam vetat.

2) Hanc maxime ob causam improbandus esse videtur Wilamowitzius, qui (*trag. gr. fragm.* 8 sq.) Pseudoplutarcheam potius famam ab Euripide in hac tragoedia tractatam esse credat.

Digitized by Google

perpetret, et sola a conjuge condemnetur; et Sophoclis tragoedia, qua una hoc argumentum tractatum esse potest, hoc ipso indice, ‚Hippodamiae' scilicet, insignita erat.

Accuratius in hanc tragoediam inquirentibus imprimis recte Robertus argumentari putandus est, qui Laium post veniam a Pelope impetratam legitimi amatoris personam in domo eius servasse contendat (*Oidipus* I 411). Quin eodem cubiculo et ipse et amasius eius utuntur, ut Hippodamiae dolus demonstrat. Et fieri potest — nam de Sophoclis fonte nihil scimus — ut Thebanorum notae consuetudini hoc Laii regis exemplum praeluxerit; sed ne Athenis quidem inaudita videtur poeta proposuisse. Cuivis enim in mentem veniet Xenophontis Convivium et Autolyci pater familiarissima cum Callia filii amatore consuetudine coniunctus.

Nos tamen ad Euripidem redimus adque Oenomai amaras in Pelopem Hippodamiamque preces, qui finis fuit primae tragoediae. Primo pacata omnia: Pelops Pisae rex, florens domus, filii subinde ex felici coniugio nascentes Atreus, Thyestes, Chrysippus — ita, Chrysippus, nam secundum hanc famam is quoque legitimus erat Pelopis et Hippodamiae filius. Interim Laius Thebanorum rex ab Amphione eiectus supplex ad Pelopem venit [1]) hospitioque ab eo comiter exceptus est; cui rex ex heroicorum temporum consuetudine filium suum puerum, hunc ipsum Chrysippum, re equestri instituendum tradidit. Ex qua familiaritate sensim foeda in Laii pectore libido nata est, quam Pelops utpote ad illud tempus inauditam nequaquam providere potuit. Continuit se tamen aliquatenus licet saeviente morbo perfidus hospes, ne cum Pelope unicum vitae subsidium amitteret.

Ecce autem Amphion Thebis moritur; nihil obstat quominus vacuum solium a legitimo herede occupetur. Venit Pisam

1) Admodum eum in eligendo felicem fuisse negabunt genealogi, utpote qui se ad inimici sui affinem applicaverit; nam Pelops Niobae fuit frater, quam Amphion uxorem duxerat. Qui nodus quomodo ab Euripide solutus numque omnino animadversus sit nescimus; nobis tamen vel hoc pro argumento est firmam in traditione sedem habuisse Laii Pelopisque hospitium, antequam genealogi de exilii eius causa quaerentes simulque Antiopes filios Cadmidarum tabulae inserere cupientes ab Amphione eum pulsum esse pronuntiarent.

Digitized by Google

nuntius, regis futuri gratiam tempestiva relatione aucupaturus, prorsus illius similis, quem in Oedipo Sophocleo habemus; quidni eum Phorbantem fuisse putemus, eum qui postea et devotum puerum in Cithaeronem portavit et regi suo ab hoc ipso puero in bivio occiso solus superstes fuit? Gravius inde in tumente pectore discidium, Thebas honore vocante, Pisae libidine retinente, quod argumentum dedit agoni inter Laium et Phorbantem conserto, donec furenti Alastor scelestum consilium insusurraret: iret sane Thebas, Chrysippum autem vi invitum secum aveheret.

Sequebatur scaena quam nobile vasculum Atticum repraesentavit, Chrysippus nequiquam supplices manus tendens a Laio quadriga raptus. Liberum fuit praesenti Hippodamiae illius equitationis reminisci, qua ipsa quondam a victore Pelope avecta erat, morientis patris diras secum portans.

Sed Laius cum impatiens morae in prima statim mansione libidinem suam explevisset, pueri corpus, qui probrum non ferens mortem sibi consciverat, ibidem reliquit; potuit igitur a fideli quodam colono in parentum conspectum reportari. Et raptor quidem tunc temporis iam Pisatidis fines reliquerat, nec Thebas usque Pelopis potentia aspirabat. At aspirabat Iovis et Erinyos, iustas diras audientium — qui tanta iniuria animum paternum affecisset, ne ei unquam ipsi filius nasceretur, si autem natus esset, ut quandoque sui patris profunderet sanguinem, sanguine suam quoque domum impleturus.

Hae fuerunt dirae Pelopeae, quibus tota Laii proles dis inferis devovebatur.

Ceterum Laium Euripideum cum Sophocleo comparantibus non hoc solo nomine improbus ille, optimus hic fuisse videbitur. Non hoc dico, abesse in ‚Oedipo Rege' criminis Chrysippei umbram, quam qui extrinsecus intrudunt, apertam poetae faciunt iniuriam; etenim ne in ‚Phoenissis' quidem ulla fit eius mentio diserta, quamvis ‚Chrysippo' haud dubie praegresso. Hoc dico, toti fabulae Oedipodeae apud Sophoclem venerabilem occisi regis speciem praelucere, quem cum v. 257 ἄνδρα ἄριστον appellet Oedipus, ex poetae hoc magis mente quam ex sua praedicare videtur.

Digitized by Google

V.

Tandem ad ‚Phoenissas' pervenimus, ultimam trilogiae fabulam, quae cum ‚Troadibus' comparata, ultimâ et ipsâ Troianae trilogiae fabulâ, quae fuerit Euripidis senis ratio trilogica non male nos docet. Modo dixi desiderari in ea dirarum Pelopearum disertam mentionem; ita ne in ‚Troadibus' quidem Alexandri contra vaticinia recepti aut Palamedis circumventi noxam apparere videmus. Haec igitur fuit poetae ratio, ut cum trilogicum fabularum nexum restituisset, singulas tamen fabulas sui iuris esse vellet, hoc modo Aeschyleam consuetudinem cum Sophoclea conciliaturus. Nec tamen usque eo fuit severus, quin se in transcursu saltem priorum tragoediarum memorem esse ostenderet. Ita in ‚Troadibus' recepti Alexandri obliteratum crimen effulgurat tamen in invidiosa Helenae oratione 920 sq.; ita etiam in ‚Phoenissis' breviter nos admonet praegressae tragoediae poeta Oedipi ore 1611

ἀρὰς παρελαβὼν Λαΐου καὶ παισὶ δούς,

ubi frustra laborant qui alias fingunt Laii diras quam quibus Pisa fugiens a Pelope devotus erat.

Ceterum ab eadem incontinentia, qua tunc Chrysippo rapto hospitem laeserat, etiam postea ἡδονῇ δοὺς ἑς τε βακχείην πεσὼν Oedipum procreavit (21), quam accusationem haud sane honestam frustra apud Sophoclem quaesiveris: constitit sibi nimirum uterque poeta. Sed in infantis Oedipi salvatione adeo est memorabilis poetarum divergentia, ut etiam post accuratam Roberti disquisitionem rem relegere libeat.

Apud Sophoclem enim infans Corinthum ab Euphorbo delatus a rege Polybo et regina Merope summa utriusque voluntate adoptatur. Apud Euripidem contra Polybi pastores cum infantem invenissent reginae tradunt; haec autem cum alienum laborem suis mammis subiecisset, a se partum esse viro persuadet (28 sqq.). Novum igitur crimen idque nullius ad nostram tragoediam usus; sed dudum perspectum est Euripidem hic ad suum ‚Oedipum' alludere, cuius ceteroquin abdicati hoc tamen frustulum servare voluit. Quod si ita est, putandus est fusius illic exposuisse, quae hic abbreviata legimus.

Est quaedam etiam abbreviandi ars, quam ne Homerus quidem,

Digitized by Google

narrator absolutissimus, plane possedisse videtur, quo factum est, ut quae in Odyssea leguntur cyclicorum carminum abbreviationes interdum ne intellegerentur quidem; dignum indagatore argumentum, quod ego tum, cum arti homericae operam navarem, accuratius mihi tractandum proposueram, postea vero aliis negotiis districtus iunioribus relinquendum censui. Haec cum etiam apud tragicos non satis fuerit perfecta, nostrae aetatis philologis ansam praebuit cavillationum, a quibus abstinuissent haud dubie si omnes narrationes abbreviatas coniunctim tractassent. Ita Iocastam altissimae mentis feminam mendacii arguunt, quia 718 infantem suum a Laio ‚aliorum manibus' expositum esse dicat, cum ex 1173 planissime sequatur ipsam materni amoris immemorem progeniem suam Phorbanti exterminandam tradidisse. Ita, credo; adeo inops fuit regina muliebris servitii, ut triduo post partum (717) pastorem rure excitum ad torum suum admittere debuerit! Immo qui Ovidii ‚Canacen', id est Euripidis ‚Aeolum' contulerit, non dubitabit, quin ut hic, etiam illic rex a regina, a rege servus puerum acceperit [1]). Quod ideo moneo, quod etiam Euripidei ‚Oedipi' mythopoeia in ‚Phoenissis' abbreviata similis erroris viam indicavit. Si enim Periboea (id enim reginae nomen erat) acceptum puerum statim mammae admovit, videtur ipsa quoque paulo ante aut mortuum infantem, aut filiolam enixa esse. Iam vide quid sequatur: *Πολύβου δέ νιν λαβόντες ἱπποβούκολοι φέρουσ' ἐς οἴκους ἔς τε δεσποίνης χέρας ἔθηκαν.* Sane probabile est quinque vel sex homines rusticos et reginae et puerperae thalamo exceptos esse — ut non dicam vix prospere callidae uxori mendacium cessurum fuisse, si tot conscios habuisset eosque ex mariti, non ex sua familia. Immo haec omnia sane infeliciter

1) Simili vitio utilissima ceteroquin ‚Trachiniarum' editio Radermacheriana laborat, dum quovis pacto, Wilamowitzio erroris auctore, duplicem rerum Oechaliensium narrationem extare contendit, alteram in Lichae, alteram in nuntii testimonio (p. 2), qui tamen ipse praeter Licham nullum auctorem habuisse potest. Interrogat enim Radermacher, quando convivium Eurytcum locum habuerit. Utrum ante petitam Iolen? At incredibile foras eiectum Herculem inter procos apparere. An post? At absurdum in recusati petitoris honorem convivium apparari. Ita sane; sed remanet tertium idque certissimum, scilicet in ipso convivio Eurytum de filiae nuptiis statuisse quod et Tyndareum et Clisthenem Sicyonium (*οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ*) fecisse scimus.

Digitized by Google

abbreviata sunt, totaque res per unam 'consciam', id est per reginae nutricem transigi debuit. Cum enim partus alumnae parum ex sententia cessisset, infante mortuo, aut, quod malim, filiola nata, sollers anus labantibus reginae rebus prospiciens puerum quaerere coepit, quem ei supponeret. Cum igitur audisset puerum in olla ad litus appulsum (ita enim rem repraesentaverat poeta) a pastoribus inventum esse, hunc ipsum ab eis efflagitatum dominae tradidit. Ita factum est, ut puero adulto anuque mortua Periboea sola regiae arcana sciret.

Haec ita ab Euripide narrata esse sana ratio evincit; iam velim conferas Mnesilochi in Aristophanis 'Thesmophoriazusis' v. 502—16. Paene ad verbum concinunt omnia: et masculae prolis cupida uxor, et conscia anus, et puer clam in olla allatus (ἐν χύτρᾳ 505), et verba data stolido marito — nam filiolam permutatam habes infra 564. Et quod maxime est momenti, ad hunc unum casum non additur, quod in prioribus solemne erat, haec tamen Euripidem non dixisse; immo ex orationis clausula οὐδὲν παθοῦσαι μεῖζον ἢ δεδράκαμεν sequi videtur haec eadem etiam Euripidem persecutum esse.[1])

Haec cum per se satis sunt memorabilia, tum eo utiliora, quod ad tempus ‚Oedipi' definiendum prosunt. Cum enim exploratum sit ante ‚Thesmophoriazuson' annum — 411 igitur — scaenae commissam esse hanc fabulam, rationes autem technicae eam stilo libero (415—09) assignent, nihil obstat quominus eam cum ‚Antigona' et ‚Hercule' trilogiam Thebanam priorem effecisse putemus a. 414 spectatoribus propositam. De qua re infra videbimus.

VI.

Duos ἄτης traduces Argis fuisse vidimus, e quibus ab Euripide electum esse eum, qui scelus atque infortunium Thebas derivabat. Duo quoque Thebarum proprii fuerunt, ex iisque alter domi mansurus, alter inverso cursu Argos redundaturus.

1) Nam ad v. 407 γυνή τις ὑποβαλέσθαι βούλεται ἄπορος οὖσα παίδων, οὐδὲ τοῦτ' ἔστιν λαθεῖν provocare nolim: licet enim hic certissima insit ad tragoediam Euripideam allusio, tamen ad ‚Oedipum' non magis quam ad ‚Melanippam captivam', cuius similis est mythopoeia. Sed ibi de geminis agitur, neque ullus est ollae usus.

Digitized by Google

Credo saecula octavum ad sextum, ut fuerunt in religione Graecorum feracissima, etiam hanc mirabilem hamartigeniam tam accurate elaborasse; cuius quae tenues reliquiae ad saeculi quinti poetas pervenerunt, quanta maxima potest luce illustranda sunt potius quam, ut nunc fere fit, ad nostrorum temporum ieiunitatem accommodanda.

Aureo monili corrupta esse dicitur a Polynice Eriphyla, quod postea non ei solum, sed etiam ab Alcmeone filio eius Alphesiboeae coniugi donatum huic generosissimae feminae sceleris interitusque causa extitit, donec Delphis consecratum tandem requiesceret. Videtur inferna quaedam vis in hoc monili collocata fuisse. At id tamen Harmoniae fuisse dicitur, a Venere matre pro nuptiali dono filiae oblatum. Hoc qui potest intellegat; matremne filiae donum dedisse, quo tota proles eius extingueretur? Ad Cadmum revocamur, qui cum draconem occidisset Harmoniam Martis Venerisque filiam uxorem accepit faventibus cunctis deis; is tamen draco Martis ipsius fuit..... de voce haereo, sunt qui ‚hypostasin' appellent; utique mystico quodam ligamine cum eo coniunctus erat. Quid si antiquitus — quod in paramythiis saepe occurrit — captivam tenebat puellam, quam occiso demum custode liberavit heros? Hanc etiam Crusii, defuncti amici mei, sententiam fuisse memini. Libet autem addere: quid si praeter puellam etiam monile, potentiae victoriaeque pignus, in eiusdem draconis potestate fuit, quod ille sibi ereptum diris moriens oneravit?

Et eos quidem eventus comprobavit. Experta est enim mater Polydori filii maturam mortem, cuius figura ceteroquin satis pallida hac tamen in serie rerum necessaria fuit, quin etiam nomine ipso „iugiter donatam" matrem indicat. Credo contulisse divinum monile ad Semeles filiae eius pulcritudinem, ne amore flagrans Iuppiter imprudenti eius voto quicquam denegare posset; quo voto cum ipsa conflagrasset, e cineribus eius aetate proxima soror Agave fatale ornamentum tollere debuit. Quo tamdiu superba incedebat, donec aliud thyrsi sui ornamentum filii caput ex Bacchi sacris referret. Pulsis inde Cadmidis qui regiam invaserat Lycus Dircen coniugem cruento spolio honestavit; quae cum sanguine suo rivum sibi cognominem tinxisset, regia Amphioni, monile uxori eius Niobae cessit, donec haec

Digitized by Google

quattuordecim filiis occisis decima quinta victima superadderetur. Redux inde Laius et Iocasta devoti muneris heres, postque eam Eriphyle Argiva, tum Alphesiboea finem tandem calamitatum seriei impositura.

Sed praeter hoc reale atque tangibile symbolum etiam invisibilis draconis ira praecipites agebat nepotes; quae etiam ultra urbis fines amandato monili pervicax in ea remansit. Notum hoc erat Tiresiae; quo auctore fraterni discidii tempore moderator reipublicae Creon Megareum filium victimam pro patria obtulit, ut sanguinis sui pretio victoriam imperiumque redimeret. Hanc antiquiorem famam Sophocles in ‚Antigona' secutus est — nam Roberti cavillationes etiam hic missas faciendas existimo.

Hoc ipsum ita et accepit et immutavit Euripides, ut in eo totus fabulae cardo verteretur. Quae res cum mihi parum intellecta esse videretur ab interpretibus religionis Graecae minus curiosis, accuratius eam mihi tractandam proposui.

VII.

Etenim secus atque apud priores Iustitia in nostra fabula ab Argivis stare praedicatur. Hoc et ex Iocastae prologissantis oratione sequitur, et in τειχοσκοπίᾳ senex aperte pronuntiat 154

σὺν δίκῃ δ' ἥκουσι γῆν·
ὃ καὶ δέδοικα μὴ σκοπῶσ' ὀρθῶς θεοί

et ex Eteoclis cum Polynice agone evincitur, et chori ore 256—60 confirmatur. Sane confidere solebant Graeci deorum patronorum auxilio; Thebanis ne hoc quidem licebat, cum eorum inter caelites patronus Mars etiamtum esset occisi draconis memor.

Videamus nunc Tiresia duce, salutis viae quae divinitus portendantur (886 sqq.). Prior extorrem fieri iubebat totam Laii devotam prolem — hoc secundum illum traducem, qui cum Pelopeis diris Argis Thebas migraverat. Facile credimus haudquaquam benevolis auribus Eteoclem hoc praesagium, quo ipse pellebatur, a Tiresia auditurum fuisse (772; 865; 879). Secunda erat Martis saltem propitiandi Spartorum nepote super draconis sepulcrum mactando — hoc secundum illum traducem,

Digitized by Google

qui monili Argos ablato Thebis tamen remanserat. Ita Menoecei[1]) Creontis filii mors salvandae patriae pignus declaratur.

Hic igitur est totius fabulae cardo; pulsi Polynicis iniuria superabundante Creontis vel filii eius merito compensatur. Recusat ingens sacrificium pater, recipit filius; in hoc solo traditionis cursum inflexit Euripides, ut pro more suo pueri mortem ex invita voluntariam redderet, quod etiam in Macaria et Polyxena fecerat, in Iphigenia facturus erat. Nam Macariae eandem esse conditionem et Henricus Weil vidit et ego in Eûs polonicae vol. XXV (cf. *Tragodumenon* 91 sq.) fusius demonstravi.

Placatus ergo Mars pugnae, quod solum poterat, Thebanis victoriam dedit; remansit tamen in urbe alter ille tradux, Pelopeum dico, tardius ocius exitium civibus properaturus, nisi quod reliquum erat Laiei sanguinis exterminassent. Non poterat de hac re agi vivo Eteocle, utpote qui non minus ipse quam pater eius diris illis obnoxius fuerit; nunc vero mortuo illo et pura Menoecidarum stirpe imperium adepta iam omitti non potest. Hac idea ultimae tragoediae scaenae gubernantur — Oedipus Antigona duce Colonum abiens, urbs religione liberata venturi temporis fortunam prospiciens.

VIII.

Et hic locus est hanc posteriorem Thebaidem Euripideam cum priore comparandi, quae si qua fuit, ex ‚Oedipo' et ‚Antigona' deperditis exque servato ‚Hercule' constabat. Primae fabulae immania facinora ex Iunonis Cithaeroniae ira exorta in fatale bellum redundaverunt, ex quo in secunda ultimae Labdacidis capiti imminet pestis. Salvat hanc primo tempestiva Herculis intercessio, tum Bacchi divinum patrocinium, quo adeo generosus intercessor cum regis iudicisque filia matrimonio iungitur, ut geniali Hymenaeo haec secunda dumtaxat fabula finiatur. Eo densior evadit tertiae fabulae, ‚Herculem' dico, caligo, qua post Creonteae domus interitum

1) Quod avi nomen cur Megareo Sophocleo indiderit forsitan inutile sit quaerere; fieri tamen potest ut eum ex ‚Antigona' sua traduxerit, in qua Megareus Megarae frater habebat sane quo displiceret.

Digitized by Google

Iunonis — an Cithaeroniae? — irâ Herculea quoque inferis mactatur. Et recte totius dramatis sensum exprimunt ultima chori verba: *στείχομεν οἰκτροὶ καὶ πολύκλαυτοι, τὰ μέγιστα φίλων ὀλέσαντες*. Affectus est plane eius similis, quem etiam Troianae trilogiae spectatores experti erant — anno, si verum vidi, ante — quemque Germanico vocabulo apte *Weltuntergangstimmung* dicas. Cuius ratio in eo posita erat, quod poeta de bonis gubernatoribus mundi desperaverat; est enim utraque tragoedia ‚antitheisticae' eius aetatis.

Secuta est ‚Electra' eiusdem notae — utinam ceteras trilogiae fabulas sciremus! — et Siciliensis calamitas, tum animi relaxandi causa trilogia transmarina ‚Andromedam' et ‚Helenam' et ni fallor, Phaethontem' complexa, in qua tamen Theonoe prophetria meliorem erga deos animum incohat; denique a. 411 in Palladis trilogia — 'Augen' dico cum ‚Ione' et ‚Iphigenia Taurica' — plane reconciliata cum deis gratia. Eiusdem vero tenoris etiam nostra est, quam Thebaidem posteriorem dixi.

Iuvat exitum eius cum prioris desperatione comparare. Utrobique tractum vides heroa amica manu in exilium, quin adeo in easdem Athenas abductum. Illic tamen vacuum relinquitur taedii tantum et doloris capax; hic cedente infortunii causa pura remanet renascens civitas, meliorem post nubila fortunam expectans.... Nosne hoc dicimus Euripidis sententiam fortasse invertentes? Immo ipse declaravit ultimis chori sui (nam 1764 poetae sunt) verbis 1582:

πολλῶν κακῶν κατῆρξεν Οἰδίπου δόμοις
τόδ' ἦμαρ· εἴη δ' εὐτυχέστερος βίος.

Haec ego mihi primus explicasse videor, hucusque enim aut praetermittebantur, aut athetesibus temptabantur; inventus est etiam qui invita Musa poetam hoc distichon effutiisse diceret. Adeo arduum est antiquas res tractanti antiquum revocare animum.

Nec tamen omnia sunt in eo. Quae enim antea velut scintilla sub cinere latebat civitatis idea tragica individuo opposita, ea primum in tragoediae transmarinae post Siciliensem cladem creatae, ‚Helenae' dico, memorabili cantico 1301 sqq. emergit; quod cum nuper in commentatione explicassem „Revisioni studiorum Graecorum" Parisinae inserenda hic repetere nolo.

Digitized by Google

Haec vero ab eo tempore idea est Euripidis dominatrix, ad summum fastigium in trilogia postuma exaltata. Sed etiam in nostra gravissimi est momenti. Ut illic Ἑλλάς vivendi cupidae Iphigeniae opponitur, ut genus humanum Bacchi mysteriis initiandum Pentheum ad supplicium poscit, ita hic civitas Thebana prole Labdaci exterminanda ad meliorem futuri spem provehitur.

Unum est quod addere velim, antequam huic disquisitioni finem imponam. Quaesitum enim est, cur ex Phoenissis virginibus tragoediae chorum poeta composuisset; quae res minime dubia esse videbitur ei, qui et religionis, quod saepius iam monui, immemor esse noluerit, et nostram tragoediam coniunctim examinaverit cum eis, quas post Siciliense rerum Atheniensium exitium poeta composuit. Semel enim reconciliata cum Apolline gratia poeta usque ad finem — ad ‚Alcmeonem Corinthium' dico — fidem ei servavit. Ideo factum est ut Apollo apud eum, ubicumque id salva probabilitate fieri posset, summus rerum arbiter existeret, qui misere errantibus et titubantibus hominibus firma manu ad finem propositum res eorum perduceret. Iam cum etiam in nostra tragoedia ex Apollinis vaticiniis omnia fierent, expeditum erat ex eius ancillis chorum componere; de qua re non dubitabit, qui post ‚Ionem' Delphicae vitae beatitudinem chori nostri cantilenis 226 sqq. praedicatam recoluerit. Quod autem Phoenicum civium filias victoriae praemium Delphos missum finxit, gratum acceptumque fuisse credo Delphis hoc humanitatis cunctae in Apollineam religionem vergentis testimonium. Hoc enim fuit quod saepius dixi Delphorum aureum somnium, quo ducti hinc Tarquiniorum nascentisque liberae Romanorum reipublicae, illinc Lydorum Persarumque regum amicitiam captabant — parum hoc quidem prospere, donec Bryaxidis signo a Seleuco Apollinis filio ἐπὶ Δάφνῃ collocato haec quoque voti pars — ad tempus dumtaxat — expleretur.

Digitized by Google

IN MEMORIAM

IACOBI IOANNIS HARTMAN.

NATUS EST D. XIV M. FEBR. MDCCCLI, FATO FUNCTUS D. XXIX M. IAN. MCMXXIV.

Afflictos fractosque Batavorum animos tenet clades illa, quam nobis impendere aliquamdiu senseramus: Hartmanum amisimus! Δόξας ἀνὴρ ἄριστος οἴχεται θανών. Luget eum tota nostra litterarum respublica, lugent vel maxime Mnemosynes cultores et antistites, quam in sinu semper gestavit fovitque. Inde ab anno MCMXI huic Bibliothecae praefuit, sed multo ante uberrimis laboris sui lucubrationumque fructibus eius volumina ditare solebat. Quid quod tot alios exemplo suo incitare et verbis adhortari studebat ut hoc patriae doctrinae monumentum fideliter sustentarent atque a periculis imminentibus strenue ac fortiter vindicarent!

In posterum viri praestantissimi nomine Mnemosyne nostra carebit, verum nobiscum vivere perget. Tot opera praeclara Hartmanum sempiternae commendant gloriae: indelebilis eius perstabit memoria.

Ave pia anima!

Digitized by Google

DE LAPIDE CYLINDRO.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Diu quaesivi, quomodo interpretari nos oporteat Apollonii Rhodii Argonauticorum l. II[1] vs. 594, quo Argo, Symplegadas transitura, remis heroum et simul alto fluctu [1]) propulsa, cylindri instar aequor strinxisse dicitur:

ἡ δ' ἄφαρ ὥστε κύλινδρος ἐπέτρεχε κύματι λάβρῳ
προπροκαταΐγδην κοίλης ἁλός.

Quod cum nemo probabiliter explicavisset (nam Plattii interpretamenti „*broadside on*" sine risu meminisse nequeo), nuper Onno Damsté in dissertatione sua [2]) (in qua multae annotationes acutae insunt, quas procul dubio non neglegent qui Apollonio in posterum operam dabunt viri docti) coniectura vocem quae est κύλινδρος tentavit. Sed iniuria, ut opinor, siquidem etiam in carmine Pythagorico cui Χρυσᾶ ἔπη inscribitur [3]) motus aliqui violentus, scilicet impetus mortalium in vitia et mala, cum cylindrorum quorundam ὁρμῇ confertur (vs. 54 sqq.):

γνώσῃ δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας,
τλήμονας, οἵ τ' ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὔτ' ἐσορῶσιν
οὔτε κλύουσι· λύσιν δὲ κακῶν παῦροι συνίασι.

1) Vs. 593: ἔνθεν δ' αὐτίκ' ἔπειτα κατηφερὲς ἔσσυτο κῦμα.

2) Adversaria ad Apoll. Rhod. Argon., diss. Traiect. a. 1922, p. 38.

3) V. Stob. Ecl. phys. ed. Gaisford, vol. II[1] in fine, p. 8 et 141; Iambl. de vita Pythag. ed. Nauck, p. 207; cf. Bull. de l'Acad. de St. Pétersbourg, XVIII, 1873, p. 474 sqq.

Digitized by Google

τοίη μοῖρ' αὐτῶν βλάπτει Φρένας, ὡς δὲ κύλινδροι [1])
ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλα Φέρονται [2]) ἀπείρονα πήματ' ἔχοντες.

Contentio duorum locorum confirmat scripturae integritatem. Sed intellectu non magis quam antea consequimur ea quae dicuntur. Cylindros enim cogitamus τοὺς ὀδοστρωτῆρας, quo areae complanantur, vel corpora illa mathematica quae inde denominata sunt vel quaecumque istorum speciem referunt. Inde vero qui ordiuntur, ad meras nugas et ineptias delabuntur, velut scholiasta Apollonii annotare satis habuit cylindrum esse κιονίσκον λίθινον στρογγύλον ἑκατέρων βάσιν ἔχοντα ἐπίπεδον, et ὁ ἀγκὼς Hierocles ad vs. 57 Carminum aureorum deblateravit quae ne repetere quidem decorum est: ἐκούσια ἅμα καὶ ἀκούσια τὰ πλημμελήματα ἐκδιδάσκει τῇ κατ' ἐπιπέδου κυλινδρικῇ κινήσει ἐοικέναι φήσας τὸν τῶν ἀνοήτων βίον, ὃς κύκλῳ ἅμα καὶ ἐπ' εὐθείας τότε κινεῖται κτέ. [3])

Iam vero, ut melior lux nobis affulgeat, afferam tibi testimonia ex Cicerone et Aulo Gellio petita, quibus docemur qua ratione Chrysippus, Stoicae princeps philosophiae, imagine cylindri sit usus in sententia sua de fato et necessitate aperienda.

Cic. de fato, XVIII, 41: „Chrysippus autem cum et necessitatem improbaret et nihil vellet sine praepositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat et retineat fatum... 42: Chrysippus... revertitur ad cylindrum et turbinem suum, quae moveri incipere nisi pulsa non possunt. Id autem cum accidit, suapte natura, quod superest, et cylindrum volvi et versari turbinem putat. 43: ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit, sic visum obiectum imprimet illud quidem et quasi signabit in animo suam speciem, sed

---

1) Ita codex Monacensis. Lectionem codicis Vindobonensis S οἱ δὲ κυλίνδροις falsam esse demonstrat comparatio cum loco Apollonii nec non Iambl. Protr. c. III (p. 30): οὐ γὰρ ἀνεκτόν ἐστι κυλίνδροις ἐοικότας ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλα φέρεσθαι ἀπείρονα πήματα ἔχοντας.

2) Cf. Cleanthis Hymni in Iovem vs. mutilus 30:... ἐπ' ἄλλοτε δ' ἄλλα φέρονται, quem in hunc fere modum supplere possis:

[ὥστε κύλινδροι δῆθεν] ἐπ' ἄλλοτε δ' ἄλλα φέρονται.

Utrumque pendere suspicor e Zenonis libro περὶ ὁρμῆς (Diog. Laert. VII, 4).

3) V. edit. Gaisfordii supra allatam, p. 151. Cf. etiam Plut. Mor. p. 682, c.

Digitized by Google

adsensio nostra erit in potestate, eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur".

A. Gellius (Noct. Att. VII, 2, 11) postquam eiusdem Chrysippi sententiam de fato exposuit, haec subicit: „Huius deinde fere rei exemplo non hercle nimis alieno neque inlepido utitur. Sicut, inquit, lapidem cylindrum si per spatia terrae prona atque derupta iacias, causa quidem ei et initium praecipiantiae fueris, mox tamen ille praeceps volvitur, non quia tu id iam facis, sed quoniam ita esse modus eius et formae volubilitas habet: sic ordo et ratio et necessitas fati genera ipsa et principia causarum movet, impetus vero consiliorum mentiumque nostrarum actionesque ipsas voluntas cuiusque propria et animorum ingenia moderantur. Infert deinde verba haec his quae dixi congruentia: *διὸ καὶ ὑπὸ τῶν Πυθαγορείων εἴρηται·*

γνώσῃ δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας...."

Reliqui versus desunt, sive quod exciderunt in Gellii fonte aut in codicibus manu scriptis, sive quod Chrysippo mos erat, sicut Aristoteli, locos e poetis delibatos, quos quidem legentes probe memoria tenere putaret, non ab initio usque ad finem exscribere, sed tantum primis verbis indicare.

Quid ergo? Ipsa iam comparatio locorum loquitur: perspicimus enim *κυλίνδρους* apud Graecos non solum cylindros quibus aream complanarent esse dictos, sed etiam saxa, rotundiora et volubilia [1]), quae a clivo montis abscissa in prona praecipitentur [2]).

---

1) Cf. Philoponus in Aristot. Meteor. p. 348, a, 23 (Comment. in Aristot. XIV, 1, ed. Hayduck, p. 124): *ὁ ἐξ ὄρους κορυφῆς ὠσούμενος ὑφ' ὁτουοῦν λίθος καὶ τῇ φορᾷ τὰ ἄκρα πάντοθεν περιῤῥαυστὰς καὶ γενόμενος καθ' Ὅμηρον ὁλοίτροχος*; Corinna (*Berl. Klassikertexte*, V, 2, p. 21, 31): *λιττάδα πέτραν.*

2) Idem duplex significatus inest in voce teutonica quae est *Rollstein*. Haec vero etiam tertium significatum habet: designat enim praeterea globosa saxa quae in fluminibus vi aquae poliuntur et corrotundantur. Cf. Theocr. XXII, 47 sq.:

πέτροι ὁλοίτροχοι, οὔστε κυλίνδων
χειμάρρους ποταμὸς μεγάλαις περιέξεσε δίναις.

Quod adiectivi vice fungi hoc loco vocem *ὁλοίτροχοι* sumit Boisacq (Dict. étymol. s. v.), hoc valde incertum est. Cf. supra apud A. Gellium: lapidem cylindrum; Hippol. Ref. I, 6, 3 (Diels, Doxogr. p. 559, 24; proleg. p. 218;

Digitized by Google

Eiusmodi lapidis, ut infra sagittae [1]), acerrimae rapiditati Argus celeritas apud Apollonium aequiperatur. O comparationem, inquis, mirificam et inconcinnam. Atqui ex Homero petita est. Is enim impetum Hectoris in hostes irruentis plane simili collatione usus significavit his verbis:

> Τρῶες δὲ προΰτυψαν ἀολλέες, ἦρχε δ' ἄρ' Ἕκτωρ
> ἀντικρὺ μεμαὼς ὀλοοίτροχος ὡς ἀπὸ πέτρης,
> ὅν τε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάρροος ὤσῃ
> ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀνακιδέος ἔχματα πέτρης·
> ὕψι δ' ἀναθρῴσκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ
> ὕλη· ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, ὄφρ' ἂν ἵκηται
> ἰσόπεδον· τότε δ' οὔ τι κυλίνδεται ἐσσύμενός περ·
> ὡς Ἕκτωρ κτλ. [2])

Inde pendent Hes. Scut. vs. 374 sqq.:

> ὡς δ' ὅτ' ἀΦ' ὑψηλῆς κορυΦῆς ὄρεος μεγάλοιο
> πέτραι ἀποθρῴσκωσιν, ἐπ' ἀλλήλῃς δὲ πέσωσι,
> πολλαὶ δὲ δρύες ὑψίκομοι, πολλαὶ δέ γε πεῦκαι
> αἴγειροί τε τανύρριζοι ῥήγνυνται ὑπ' αὐτέων
> ῥίμΦα κυλινδομένων, ἧος πεδίονδ' ἀΦίκωνται,
> ὡς οἳ ἐπ' ἀλλήλοισι πέσον μέγα κεκλήγοντες,

et vs. 437 sqq.:

> ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ μεγάλου πέτρῃ πρῃῶνος ὀρούσῃ,
> μακρὰ δ' ἐπιθρῴσκουσα κυλίνδεται, ἡ δέ τε ἠχῇ
> ἔρχεται ἐμμεμαυῖα, πάγος δέ οἱ ἀντεβόλησεν
> ὑψηλός· τῷ δὴ συνενείκεται, ἔνθα μιν ἴσχει·
> τόσσῃ ὃ μὲν ἰαχῇ βριτάρματος οὔλιος Ἄρης
> κεκληγὼς ἐπόρουσεν· ὃ δ' ἐμμαπέως ὑπέδεκτο. [3])

Fragm. der Vorsokr.[4], Anaximandr. 11): τὸ δὲ σχῆμα αὐτῆς (sc. τῆς γῆς) γυρόν, στρογγύλον, κίονι λίθῳ παραπλήσιον; Aet. Plac. III, 10, 2 (Doxogr. p. 376, 24 sq.; Vorsokr.[4], Anaximandr. 25): Ἀναξίμανδρος λίθῳ κίονι τὴν γῆν προσφερῆ.

1) Vs. 600: ἡ δ' ἰκέλη πτερόεντι μετήορος ἔσσυτ' ὀιστῷ.

2) Hom. Il. XIII, 136 sqq.

3) Similes comparationes instituit Quintus Smyrnaeus (I, 696 sqq.; II, 379 sqq.), apud Latinos Vergilius (Aen. XII, 684 sqq.) Statius (Theb. VII, 744 sqq.) Valerius Flaccus (Argon. VI, 631 sqq.), apud recentiores Tassus (Gierus. lib. XVIII, 82), ut docuit Heyne ad Verg. Aen. l.l.

Digitized by Google

In loco Homeri tertium comparationis nil nisi invicta vis et celeritas est. Desipit scholiasta eius qui truculentum Hectoris robur notari suspicatus annotat: κακῶς δὲ βάρβαρον καὶ ἄλογον ὁρμὴν ἀψύχῳ βάρει εἴκασε διὰ παντὸς τόπου κυλινδουμένῳ. Idem tamen bene de nobis meritus est, cum adiecerit: Δημόκριτος δὲ τὸ κυλινδρικὸν σχῆμα ὁλοίτροχον καλεῖ. Quod si verum est, nihil iam obstare arbitror, quominus ipsi apud Apollonium et Pythagoreum illum et Chrysippum κύλινδρον interpretemur per ὁλοίτροχον. [1])

Eadem imagine τοῦ κυλίνδρου, qui ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, postea alio modo atque Chrysippus, usus est M. Aurelius l. X' § 33: τῷ μὲν οὖν κυλίνδρῳ οὐ παντὶ χῷ δίδοται φέρεσθαι τὴν ἰδίαν κίνησιν οὐδὲ τῷ ὕδατι οὐδὲ πυρὶ οὐδὲ τοῖς ἄλλοις ὅσα ὑπὸ φύσεως ἢ ψυχῆς ἀλόγου διοικεῖται· τὰ γὰρ διείργοντα καὶ ἐνιστάμενα πολλά· νοῦς δὲ καὶ λόγος διὰ παντὸς τοῦ ἀντιπίπτοντος οὕτως πορεύεσθαι δύναται ὡς πέφυκε καὶ ὡς θέλει. ταύτην τὴν ῥᾳστώνην πρὸ ὀμμάτων τιθέμενος, καθ' ἣν ἐνεχθήσεται ὁ λόγος διὰ πάντων, ὡς πῦρ ἄνω, ὡς λίθος κάτω, ὡς κύλινδρος κατὰ πρανοῦς, μηκέτι μηδὲν ἐπιζήτει. Comparare studet, uti vides, divinam mentis facultatem cum impetu ὁλοιτρόχου proruentis, qui sibi rumpit viam omniaque quae obstant evertit deicitque.

Denique easdem quas M. Aurelius imagines usurpavit Alexander Aphrodisiensis (de fato, XI), ut ineluctabilem vim fati depingat: ὡς... ἀφωρισμένως ἕκαστον πράττειν ὧν πράττομεν, παραπλησίως τῷ θερμαίνοντι πυρὶ καὶ τῷ λίθῳ τῷ κάτω φερομένῳ καὶ τῷ κατὰ τοῦ πρανοῦς κυλιομένῳ κυλίνδρῳ.

---

1) De etymologia vocis quae est ὁλοίτροχος v. Boisacq, Dict. étymol. s. v. et Bechtel, Lexil. p. 248 sq. Ab eadem stirpe ϝελ ducta est vox ὅλμος; cf. Hom. Il. XI, 147:

ὅλμον δ' ὡς ἔσσευε κυλίνδεσθαι δι' ὁμίλου.

Schol. B: ὁ κυλινδρώδης λίθος οὕτως καλεῖται.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex vol. L pag. 368).

CXX. — AD EDICTUM DE EDENDO.

Pars altera.

Edere autem debet argentarius, sive petenti *cum ipso argentario controversia (es)t sive cum alio* [1]), quin immo, nisi valde erro, controversiam habenti nullam. Quod ut recte faciat, potest *vel dictare vel tradere libellum* [2]) *vel* descripturo *codicem proferre* [3]), *scilicet ut non totum cu(i) codicem rationum.... inspiciendi describendique potestas fiat, sed ut ea sola pars rationum, quae ad instruendum aliquem pertineat, inspiciatur et describatur* [4]). Quocirca, *si.... in villa habeat instrumentum vel in horreo, aut ad locum te perducet* descripturum *aut descriptas rationes* inde *dabit* [5]). Ad summam de edendo edictum, sicut de receptis, triplex est: ut formulam edat, ut stipulationis [6]) exemplum litigaturus, ut rationem argentarius. Praeterea suo loco praetor est pollicitus, *omnibus, quicumque desider(e)nt, tabulas* cuiuscumque *testamenti inspicere vel etiam describere, inspiciendi describendique potestatem facturum se* [7]) post mortem

1) L. 10 pr. D. 2, 13.

2) Cf. l. 1 § 1 D. 2, 13.

3) L. 6 § 7 D. 2, 13.

4) L. 10 § 2 D. 2, 13. Cf. *Code de co.* art. 15 (nobis olim 12, nunc 8).

5) L. 6 pr. D. 2, 13.

6) Hoc interpolationis ratione porrectum esse ad *omnia, quae quis apud iudicem editurus est*, supra diximus.

7) L. 1 pr. D. 29, 3 (Demelius, *Exhibitionspfl.* § 47). Ex iure novo cf. *(deutsches) B. G.-B.* § 2264.

Digitized by Google

scilicet testatoris [1]), idcirco, quia *tabularum testamenti instrumentum non est unius hominis, hoc est, heredis, sed universorum, quibus quid illic adscriptum est: quin potius publicum* [2]) tum quoque, quum in privata versatur custodia. Praeter eum, qui ipse actor usurus est, et argentarium et testamenti custodem, de quibus hactenus locuti sumus, quis cui quando *quatenus* [3]) instrumenta *exhibere edere* [4]) *ostendere* [5]) debeat, valde quaeritur. Sed inprimis distinguendum est, utrum principaliter hoc petatur, sicut, opinor, potest ab argentario [6]) et a custode testamenti, an litis motae occasione [7]). Principaliter exhibendum est domino, id est, cuius charta sit, *nam cum charta mea sit, et quod scriptum est meum est.* Hic igitur potest quolibet possidente corpus instrumenti vindicare de eoque *ad exhibendum experiri* [8]). Cui quidem, etiamsi ad exhibendum agat, si de iure proprietatis controversia ei non moveatur, ipsa corpora chartarum restituenda sunt [9]). Sin controversia superest, idem consequetur per in rem actionem. Quodsi condomini sunt vel coheredes, potest alter ab altero consequi, ut *descriptum et recognitum faci(a)t* et, *cum res exegerit*, velut apud iudicem quemlibet probandi causa ipsum exhibeatur [10]). *Plerumque enim authenticae rationes* vel tabulae *sunt necessariae.... ad instruenda ea, quae postea emergunt ad notitiam* iudicis [11]) *spectantia* [12]). Non dominus horum nihil petere potest, nisi interdum *aequitas exhibitionis* [13]) *efficit, ut, quamvis ad exhi-*

1) L. 2 § 4 D. 29, 3. Cf. l. 1 § 10, l. 3 § 5 D. 43, 5.

2) L. 2 pr. D. 29, 3. 3) Cf. in re simili l. 5 § 1 D. 10, 4.

4) Utroque verbo promiscue utitur Ulpianus l. 8 pr. D. 2, 13 (Demelius, *Exhibitionspfl.* p. 251).

5) L. 48 D. 19, 1. 6) Diximus paulo supra.

7) *Procéd.* art. 846: *„dans le cours d'une instance"*. Probe haec distinguit Endemann, *Civilprozessrecht* (1868) § 217 I A et B, sed hodie apud Teutonos distinctio obliterata est (*B. G.-B,* § 810).

8) L. 3 § 14 D. 10, 4; l, 3 § 5 D. 43, 5; l. 3 D. 29, 3. Cf. Nov. App. VII (= Sanct. pragm. pro pet. Vig.) c. 21.

9) Cf. Demelius, *Exhibitionspfl.* § 16.

10) L. 5 D. 10, 2; c. 7 C. 2, 1; c. 26 C. 2, 3. Cf. c. 2 § 2, § 3 C. 10, 35 (34).

11) Libri: *eius*, quod stare non potest sine *actori*.

12) L. 8 pr. D. 10, 2. Cf. c. 7 C. 2, 1.

13) *Aequitas exhibitionis* valde displicet clarissimo Biondi, Iud. bon. fid. I p. 53 not. f. Ergo habeat sibi, dicas, *exhibitionis* vocabulum. Quid profuerit? Tollere cupit totum.

Digitized by Google

bendum agi non possit, in factum tamen actio detur, ut Iulianus tractat, veluti *servus.... uxoris meae*, vel ipsa uxor, *rationes meas conscripsit*, quae *charta mea non fuit* [1]). Dabitur igitur, ut definivit Windscheid [2]) verbis Demelii [3]), vice vindicationis vel ad exhibendum actionis adversus possidentem [4]) in factum actio [5]) ei, qui scripserit cuive scriptum sit, quod ad rem familiarem ipsius pertineat [6]), eritque vel ad hunc ipsum proprietas tota translata [7]), vel fatendum, quin fassus est Faure [8]), chartarum duplex esse dominium: alterum veluti corporis et materiei sine re, alterum scripti cum re. Qui neutro modo dominus est, licet cum possidente nullam habeat actionem, potest nihilominus personam habere ad exhibendum vel edendum obligatam sibi, quo casu non competit ad exhibendum [9]), sed ex contractu vel similis actio. *Veluti, cum procurator res rationesve nostras administraverit*, rationes ut edat, *consequi possumus per mandati actionem, et, cum.... socius negotia gessit,.... est.... pro socio actio.* Tutor denique *iudicio tutelae solet cogi edere* [10]). Similiter, *si (cogni)torem dedero nec instrumenta mihi causae reddat,.... Labeo putat mandati* [11]) *eum teneri,*

1) L. 3 § 14 cit. (D. 10, 4).

2) *Lehrbuch* (1891) § 474, 6: *„eine von ihm oder für ihn gemachte Bekundung"*. Ante, si fides Demelio (*Exhibitionspfl.* p. 127 not. 2) legebatur *„eine Bekundung"* mediis omissis.

3) *Exhibitionspfl.* p. 131 lin. antep.: *„von mir oder* [in meinem Auftrage] *für mich geschrieben"*. Quae cancellavi, damnat Windscheid (1891) § 474[21]. Reliqua sua fecit hic, in brevius contraxit legislator (*B. G.-B.* § 810): *„in (m)einem Interesse errichtet"*.

4) Quaeritur enim in proposita specie (l. 3 § 14 cit.), rationes, quas servus uxoris meae conscripserit, quomodo nacturus sim, si *a te possidentur*.

5) Ergo hic fallit regula: *ad exhibendum (actio) utilis nulla constituenda est* (l. 16 D. 10, 4), si modo est regula.

6) Cf. l. 4 § 1 D. 2, 13: *quod mei causa confecit (quis), meum quodammodo instrumentum*. Eo nititur *Procéd.* art. 839 (nobis idem).

7) Transferatur suadet Demelius, op. cit. p. 272/3.

8) *Processrecht* IV 1 (1893) p. 199 lin. ult. Plus interdum dicunt cives mei, quam dixisse vellent. Cf. e. g. *Handel. jur.-vereen.* 1893 I p. 105 ia. *Themid.* 1893 p. 296.

9) Cf. Demelius, *Exhibitionspfl.* § 29, § 30, cui tamen negotium facit l. 12 § 2 *(furti acturus)* D. 10, 4.

10) L. 9 pr. D. 2, 13. Cf. l. 46 § 5 D. 26, 7 e novoque iure *Code de co.* art. 14 (nobis 11). 11) Cf. l. 42 § 2 D. 3, 3 *(ea obligatio, quae inter dominum et (cogni)torem consistere solet, mandati actionem parit)*.

Digitized by Google

aliter existimantes *depositi* [1]). Potest praeterea iure legati [2]) vel fideicommissi [3]) vel stipulationis [4]) obstrictus quis esse, ut rationes aliudve instrumentum tradat, sed condictionis quoque, sive *quantitatis indebitae* scriptura dicitur interposita [5]), sive *dissolutae quantitatis retentum instrumentum* [6]). Quamquam in utraque specie de scripturae condictione, sitne genuina, dubitari potest [7]), vel sic tamen verum manebit *praesidali notione* [8]) posse qui scripserit quive solverit, consequi, ut inanis cautio *aut .... reddatur (s)ibi aut incisa apud creditorem remaneat* [9]). Ergo *chirographa .... ex quibus* propter solutionem *iam nihil peti potest*, non per actionem ad exhibendum [10]) a quocumque possidente sed a solo creditore debitori pristino *reddi iubebit* praeses [11]); cum possidente, ut is exhibeat, actionem habet creditor, sive chartae dominus est [12]), sive ipsius causa in aliena charta scriptum est, quo casu potest in factum agere [13]). Habet actionem creditor, antequam *solutione chirograph(um) inan(e) fact(um)* sit, quolibet possidente, posthac *alio quam debitore*, cui redditurus est, possidente [14]). Eine ergo reddet, qui nactus calumniabitur *quasi indebito soluto* [15])? Quod periculum non intervenit, si cancellatae apud creditorem tabulae

---

1) L. 8 pr. D. 17, 1.

2) L. 9 § 1 D. 2, 13.

3) c. 15 C. 6, 50.

4) Iustin. c. 2 § 1 C. 4, 18. Papyraceum exemplum; P. Magd. 30 (*Archiv* VI p. 354).

5) Diocl. c. 3 C. 4, 5. Possunt eodem pertinere Diocl. c. 4 C. 4, 5; Gord. c. 3 C. 2, 6, sed etiam ad ipsius obligationis condictionem, ut Alex. c. 7 C. 4, 30 (quam huc transfert Mayr, *Ztschr. aer Sav.-St.* XXV p. 221 not. 4). Quamquam Gord. c. 3 cit. propius est, ut ad iuris condictionem pertineat, quia *usitato more* vult condici.

6) Diocl. c. 2 C. 4, 9; c. 25 C. 8, 42 (43).

7) Ubique delendam censet Riccobono, *Ztschr.* cit. XXXV p. 218[1]. Propositum exsequitur ibid. XLIII p. 318/20.

8) c. 4 C. 4, 9.

9) Vale. c. 2 C. Gr. Vis. 4, 11. Cf. P. Flor. 61 lin. 65/6. Inanes factas cautiones reposcentium exempla papyracea sunt: P. *Soc. ital.* 356; Rein. 7 lin. 14 (*ἀγκτήσει*); ab initio inanem: P. Magd. 14 (*Jur. Pap.* 44), omnia veteris aevi.

10) Ita etiamnunc censet Riccobono, *Ztschr.* cit. XLIII p. 319[4].

11) c. 9 C. 3, 42 (Demelius, *Exhibitionspfl.* p. 132/3).

12) Utique dominum esse docet Demelius, op. cit. p. 132.

13) Ad exemplum l. 3 § 14 D. 10, 4.

14) L. 18 D. 10, 4.

15) L. 27 pr. D. 47, 2.

Digitized by Google

manebunt [1]). In superiore specie creditori consulendum erit genere antapochae [2]). Praeterea *posse emptorem* fundi a venditore *empti iudicio consequi, ut instrumenta* quum auctoritatis tum tributorum retro solutorum *exhibeantur*, Scaevola respondit [3]). Manebunt tamen, auctoritatis utique, apud venditorem, sicut *praediorum per fideicommissum relictorum* apud heredem, *si opus fuerit* novo, a vetere possessore *profer(enda)* [4]), quod tamen hodie ubique [5]), in contrarium observatur. Maritus quidem debet cautiones paraphernales, ab uxore sibi commendatas, postulanti reddere sub *securitate ... competente* [6]). Potest denique ex lege speciali et temporaria, quam dedit Italiae post victoriam Iustinianus [7]), si singulis contrahentibus singula *authentic(a)* scripta sint, is, qui suum perdiderit, alterum convenire, ut sibi *aliud conscribi* patiatur. Haec locum habent, si de exhibendo instrumento principaliter agetur; enimvero litis motae occasione potest *is, apud quem res agetur* [8]), id est, eius litis disceptator, decernere, *ut rationes suas* litigator *exhibeat* [9]), actor quidem omnimodo, etiamsi fiscus petat [10]), ut constet, an solutum sit [11]), reus vero *ex causa* [12]), veluti, quum *legatariis heres legem Falcidiam opponit*, nec sine rationibus, quae defuncti fuerunt, constare potest, *quant(um) sit* [13]) *in bonis* [14]). Alioquin *nimis grave est .... urgueri ad exhibitionem partem diversam eorum per qu(ae) sibi negotium fiat* [15]),

1) L. 83 (82) § 3 D. eod. (47, 2).

2) Cuiac., Obs. IX 7 (Paris III 241 A).

3) L. 48, l. 52 pr. D. 19, 1. — In persona emphyteuticarii exhibitio apocharum tributorum condicio est manendi (Iustin. c. 2 § 1 C. 4, 66).

4) c. 24 C. 6, 42. Eadem causa est praedii dotalis, licet apud maritum remanserit (c. 15 C. 6, 50).

5) Apud Gallos: Pothier, *Vente* n° 47, 3; Baudry, *Traité* etc. XIX (1908) p. 293 (*Vente* n° 291, 3) (ad *C. C.* art. 1605). Apud Batavos: *B. W.* art. 1518. Apud Teutonos: *B. G.-B.* § 444.

6) Iustin. c. 11 § 3 C. 5, 14.

7) Nov. App. VII (= Sanct. pragm. pro pet. Vig.) c. 21.

8) c. 2 C. 2, 1.

9) c. 1 C. 2, 1. Ex novo iure cf. *Code de co.* art. 15 (nobis olim 12, nunc 8).

10) c. 6 C. 2, 1; c. 4 C. 4, 21. Potest eo pertinere ex vita Alex. Severi c. 22: *ius conferendi rationes, quod impurus ille sustulerat, hic omnibus reddidit.*

11) c. 5 C. 2, 1. 12) c. 1 C. 2, 1.

13) Fuerit, potius (§ 2 Inst. II 22).

14) L. 95 § 2 D. 35, 2. 15) c. 7 C. 4, 20.

Digitized by Google

minimeque oportet *originem petitionis ex instrumentis eius, qui convenitur, fundari* [1]), nisi fiscus sit qui petit; huic enim ab adversario *edenda* sunt *instrumenta* sub gravi praeiudicio [2]), *quotiens de iure capiendi vel de iure dominii vel de aliqua causa simili* [re nummaria] *quaeratur* [3]). Remanet quaestio, utrum extraneus instrumenta, quae habet, in aliena lite exhibere recte iubeatur. Quod videtur generaliter affirmare, qui specialiter negat *adversus fiscum edi oporte(re)* [4]). Dedit huic negotio certam formam Iustinianus constitutione Graeca [5]), quae apud novas gentes usu recepta non est, etsi propter summam ipsius aequitatem humanitatem iustitiam commendari flagitarique numquam desiit. Est quidem apud Gallos Batavosque ita lex [6]) scripta, ut possit litis motae occasione iudex, quodlibet instrumentum ut exhibeatur, decernere, sed praevaluit sententia ad forensia tantum instrumenta legem porrigendam [7]). In accusationibus [8]) abscise negatur *alienorum instrumentorum inspiciendorum potesta(tem)* agenti *fieri debe(re)* [9]) et multo magis ab ipso reo *edenda esse* [10]), sed a Callistrato, a Caracalla. Anterioribus utique temporibus accusatori ius erat quum extraneorum [11]) tum ipsius rei [12]) tabulas et rationes *omn(es)* [13])

---

1) c. 8 C, 2, 1. Transfertur praeceptum ad iudicia publica c. 4 C. 2, 1, qua de re videbimus infra.

2) L. 2 § 1 D. 49, 14. Cf. Demelius, *Exhibitionspfl.* p. 278/81.

3) L. 2 § 2 D. 49, 14. Additur: *non si de capitali causa agatur* (cf. c. 4 C. 2, 1). Praeterea *senatus censuit, ne qui(s) .... alia instrumenta delatori cogatur edere, quam quae ad .... causam pertinerent* (l. 3 D. 2, 13).

4) Paul. Sent. V 12 § 14 = l. 45 § 5 D. 49, 14.

5) c. 22 C. 4, 21.

6) *Procéd.* art. 846 (nobis 833).

7) Cf. e. g. Baudry, *Traité de droit civil* XIV (1908) p. 634 (*Oblig.* n° 2240): *„(le compulsoire) ne peut avoir lieu que pour les actes notariés"*. — Teutonica iura (*B. G.-B.* § 810, quo remittit *C P O* (1898) § 429 per § 422) multum discrepant.

8) Ad proxime sequentia cf. Mommsen, *Strafrecht* p. 418/20.

9) c. 4 C. 2, 1.

10) L. 2 § 2 D. 49, 14.

11) Accus. IV 74 § 182; 76 § 186—78 § 191; V 47 § 112; 66 § 154; pro Cluent. 30 § 82.

12) Accus. III 23 § 60; pro Balbo 5 § 11; pro Cluent. 12 § 34; 14 § 40; pro Fonteio 8 (4) § 18 (8); Plin., Epist. VII 6 § 2.

13) Accus. VI 66 § 149.

Digitized by Google

edi sibi postulandi, obsignandi [1]), Romam deportandi [2]). Quod sub principibus paulisper, ut videtur, intermissum [3]) ne quis miretur [4]), cogitet pro eo ius datum adversarium in quaestionem postulandi [5]) repetendi [6]). *Acta publica tam criminalia quam civilia* quam cetera [7]) *exhiberi inspicienda ad investigandam veritatis fidem*, si sunt maioris potestatis vel paris, inutiliter, si minoris vel sua, ex abundanti disceptator *iub(e)t* [8]), postquam placuit haec edi παντὶ τῷ βουλομένῳ [9]). Et videtur olim placuisse; *fiscus* utique *actorum suorum exempla hac conditione* mature consuevit *ed(ere), ut is, cui describendi fit potestas, adversus se vel rem publicam his actis ne utatur* [10]). Quorsum igitur iurisconsultorum responsis, principum constitutionibus passim praecipitur, ut litigatoribus eius litis [11]), professis

---

1) Accus. III 19 § 50 (i. f.) (in causa rei); 38 § 98 (in causa extranei).

2) Sub sola exceptione: publicanorum tabulae ne deportentur (Accus. IV 76 § 187).

3) A Traiano (Plin., Epist. VII 6 § 2) ad Valentinianum (Ammian. Marcell. XXVIII 1 § 20; XXIX 2 § 3) tempus vacat.

4) Valde miratus est Geib, *Gesch. des röm. Criminalproz.* (1842) p. 645 (post notam 428).

5) Paul. V 14 § 1. De huius iuris origine cf. Mommsen, *Strafr.* p. 406/7.

6) Paul V 14 § 3 = l. 18 § 1 D. 48, 18. Cf. l. 16 pr. eod.

7) Veluti fiscalia (Paul. V 12 § 15 = l. 45 § 6 D. 49, 14) vel censualia (Nov. 128 c. 1, c. 4) vel ecclesiastica (Nov. 74 c. 4 § 1 [i. f.]), ubi publicorum vice haec funguntur. Apud nos quoque tabulae censuales patent cuique (*I. K.* (1900) art. 156), tamquam portio proprietatis monumentorum utique.

8) c. 2 C. 2, 1.

9) Pap. Gizeh 67131, 30/1; Nov. 128 c. 1. Ergo indistincte οἱ τούτων δεόμενοι ζητοῦσι τὰ πεπραγμένα (Nov. 15 praef., quaeque praeterea laudat ex Augustino Lydoque Mommsen, *Strafr.* p. 520 not. 2), nec, quominus edatur, intercedere licet maiori potestati (Nov. 15 c. 3). — Ex iure novo cf. *Procéd.* art. 853 (nobis 838), quo cuique libera potestas fit actorum, praeterquam *criminalium*, quae quia edi postulantis desiderium suspectum est, debet docere sua interesse. Quod apud Teutonos raro non exigitur, quasi nullo subiectorum desiderio regentibus non suspecto (cf. e. g. *Entw. einer Grundbuchordn.* (1889) p. 45; Dernburg et Hinrichs, *preuss. Hypothekenrecht* I (1877) p. 85, 116; Werner, *preuss. Grundbuchgesetze* II (1872) p. 165 ad § 19).

10) Paul. V 12 § 15 = l. 45 § 6 D. 49, 14 (pergitur: *de quo cavere compellitur, ut, si usus iis contra interdictum fuerit, causa cadat*). Cf. Demelius, *Exhibitionspfl.* p. 280.

11) Paul. V 12 § 16, § 17 (= l. 45 § 7, § 8 D. 49, 14); c. 7 C. Th. 1, 16; c. 3 C. Th. 1, (22); c. 6 C. Th. 9, 1; c. 2 C. 1, 21 (= c. 6 C. Th. 11, 30); c. 24, c. 32 § 2, § 4*a* C. 7, 62; Nov. 90 c. 5 pr. (i. f.); 113 c. 2; 126 c. 3.

Digitized by Google

apud acta eius negotii gesta [1]), collatori sui census tabulae edantur [2])? Aut fit modum vel tempus vel personam significandi [3]) aut lentum incitandi [4]) aut poenae vel veniae subiciendae [5]), alicuius denique dubitationis tollendae [6]) causa; ex abundanti raro [7]). Sic ne praetor quidem de testamentis, ut unicuique inspiciendi describendique potestas sit, ex abundanti edixit [8]), fecit enim quodammodo hoc edicto publica, quae in privata essent custodia. Non enim Romanus aut testator solet tabulas testamenti sui *in publico* deponere [9]), aut cogitur privatus testamenti custos aperiendum *magistratibus* [10]) offerre, *ut secundum leges moresque locorum insinu(e)tur* [11]), qui mos quinto saeculo increbruit [12]) et Paulo [13]) tunc, Valeriano [14]) post obtrusum est. Genuino iure, *si maior pars signatorum fuerit inventa, poterit ipsis intervenientibus resignari testamentum et recitari* magistratibus inconsultis, nec ad praetorem iri necesse est eique exhiberi testamentum [15]) nisi, *ut cogat signatores* [16]),

---

Accedit ex iure canonico cap. 11 X 2, 19. Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 148[25], § 160[32], qui in eo errat, quod scribit (not. 25 cit.) apud Lydum III 11 litigatori pro gestis *σύνοψιν* tradi, quum diserte ibi (et item III 13) legatur, *σύνοψιν* retineri.

1) Nov. 74 c. 4 § 1 (i. f.). 2) Nov. 128 c. 4.

3) Paul. V 12 § 16 (= L. 45 § 7 D. 49, 14); c. 24, c. 32 § 2, § 4[a] C. 7, 62; Nov. 74 c. 4 § 1; 90 c. 5 pr. (i. f.); 126 c. 3.

4) Nov. 113 c. 2.

5) c. 7 C. Th. 1, 16; c. 2 C. 1, 21 (= c. 6 C. Th. 11, 30).

6) Paul. V 12 § 17 (= l. 45 § 8 D. 49, 14); c. 3 C. Th. 1, (22); c. 6 C. Th. 9, 1.

7) Nov. 128 c. 4 io. c. 1. 8) L. 1 pr. D. 29, 3.

9) Semel factum legitur (l. 4 D. 28, 4) verbis *(in publico depositas)* mihi quidem suspectis.

10) Municipalibus utique.

11) Hoc efficeretur ex Paul. IV 6 § 2; Valer. c. 2 C. 6, 32, si loci genuini essent.

12) P. Marini 74 (= Bruns, font. (1909) n° 123); Iustin. c. 19 § 3, c. 22 § 9 C. 6, 30. Constantinopoli id pertinebat ad solum magistrum census (c. 23 C. 6, 23; cf. c. 18 eod., c. 30 pr. C. 8, 53 [54]).

13) Sentent. IV 6 § 2, Verum ibi vidit Krüger (1878), post quem rursus decipi se passi sunt Ubbelohde, *Serie* etc. III (1891) p. 84[10]; Mitteis, Herm. XXX (1895) p. 590, non vero Saboulard, *Étude sur la forme des actes* (1889) p. 121[1].

14) c. 2 C. 6, 32.

15) Fieri videtur in opere caelato, cuius imago extat apud Mommsenum, *Ges. Schr.* III p. 316. 16) L. 4—7 D. 29, 3; l. 3 § 9 D. 43, 5.

Digitized by Google

aut, si absint, aperiri iubeat *honest(i)s vir(i)s .... praesentibus* [1]), *exemploque sublato ab iisdem* [magistratibus] *rursus obsignari* [2]). Ergo, quum nullae sint in ea re magistratuum partes, neque *signo publico obsignatum in archivum redig(i)tur* testamentum, *ut, si quando exemplum eius interciderit, sit, unde peti possit* [3]), neque *secundum leges moresque locorum insinu(a)tur* [4]), sed manet in eiusdem privata custodia, interdum servi [5]), interdum pupilli [6]), summum aeditui vel tabularii [7]), nam magistratus testamenti custos nusquam obviam fit. Adeo autem iure genuino publica archia non videbantur testamentis recipiendis destinata, ut, quo casu *de tabulis proferendis interdictum comp(on)ere non oportet: si hereditatis controversia ex his pendet aut si ad publicam quaestionem pertinet (nex)* [8]), non in publico, sed *in aede sacra interim deponenda(s esse) aut apud virum idoneum*, responsum sit [9]).

(Continuabuntur).

---

1) c. 2 C. 6, 32.

2) Sentent. IV 6 § 2.

3) Hoc quoque obtrusum Paulo (IV 6 § 1).

4) Tribon. c. 2 C. 6, 32 *(ut secundum — insinuentur)*. Doctus interpolator imitatus est Gaium (I § 92), fefellitque *πύκα περ φρονέοντα*, *Reichsr. und Volksr.* (1891) p. 164[3].

5) L. 3 § 4 D. 43, 5.

6) L. 4 D. 43, 5.

7) L. 3 § 3 D. 43, 5. Cf. l. 18 § 10 D. 50, 4.

8) Cf. l. 1 pr. D. 29, 5: .... *senatusconsulta introducta sunt de publica quaestione a familia necatorum habenda*. Itaque necem a nece revocavi, ut Huschke ad Paul. III 5 § 12*a*.

9) L. 5 D. 43, 5.

Digitized by Google

AD VERGILI BUCOLICON VI, 43—44.

SCRIPSIT

I. S. PHILLIMORE.

His adiungit Hylan nautae quo fonte relictum
clamassent ut litus Hyla Hyla omne sonaret.

Sunt qui antiquarios Vergili exscriptores nescioquo diuinitatis instinctu adiutos nihil peccasse credant. Ego uero, licet esse concedam cur summus poeta in puerorum ludis uersatus, plurimis editionibus uulgatus, doctorum studio per commentarios saepe illustratus, minus quam ceteri ueteres scriptores corruptelae traxisse uideatur, tamen ne illum quidem credo scribarum errores totum effugere potuisse. Praeterea alia est Aeneidos condicio quam moriens ipse damnabat, alia priorum operum quae uiuus edidit. Ergo ineptit qui in illa coniecturas eis locis adhibere conatur quos Seruius in insolubilium numero habitos esse testatur; sicubi uero in Bucolicis soloecissantem deprenderis, iterum atque iterum cauendum est ne librarii error quamuis inueteratus poetae imputetur. Quod genus hi sunt uersus e sexto in quibus enumerantur historiae a Sileno narratae. Atque hercle mireris nemini aut ueterum aut recentiorum scrupulum iniecisse illud *clamassent* pro eo q. e. *clamarint* positum. Adeone omnes studio stupidi in re metrica animum occupauerunt ut dum illud *Hyla Hyla* celebrant, hoc eos fugerit? Nonne enim omnem uerborum seriem eodem conuenire oportuerat? Cur autem cum toties perfectum coniunctiui posuisset (34 *concreuerit*, 36 *coeperit*, 65 *duxerit*, 66 *assurrexerit*, 69 *dixerit*, 78 *narrauerit*, 79 *parauit*, 80 *petiuerit*, 81 *superuolitauerit*) hic potissimum in plusquamperfectum declinauit?

Digitized by Google

At, inquies, quamuis cetera discrepent, illi certe uersus lectionem confirmant (33, 34)

namque canebat *uti* magnum per inane coacta
semina terrarumque animaeque marisque *fuissent*
et liquidi simul ignis; ut his ex ordia primis
omnia et ipse tener mundi concreuerit orbis.

Ecce plusquamperfecti temporis uerbum *fuissent*: si hoc poetae licuit, cur non et illud?

Iamprimum nego sic accipienda esse haec uerba; immo ita se ea habere censeo, si ex oratione obliqua in rectam restituas. *ut* (sc. postquam) *coacta fuerunt* semina terrarum κ. τ. λ..... ex his primis .... ipse mundus *concreuit*. Sic enim demum sensus procedit si ἐκ τοῦ *concreuerit* illud alterum uerbum pendet. Nec obstat quod particula orationis *ut* nunc id quod *postquam*, nunc i. q. *quomodo* ualet: haud enim aliter in hac uoce lusit noster cum in octauo (u. 41) scripsit *ut uidi, ut perii*, quo subtilius illud Theocriteum ὡς ἴδον ὡς ἐμάνην exprimeret.

Non tali igitur auxilio uerbum illud nimis absonum *clamassent* defendi potest. Quid quod nec cetera huius distichi uerba suspicione uacant? Unde enim inter tot perfecta interuenit unum imperfecti temporis *sonaret*? Tum autem, si quis illud *quo fonte* diligentius inspiciat, ut idem ualeat quod *apud quem fontem*, non nimis dure; ut uero pro i. q. e. *quomodo apud fontem*, nonne incredibilem habet affectationem? Haecine Vergilius?

Iam rationem duplicem proponam ut duabus tribusue litteris mutatis deprauata ad rectum redeant.

1. Primo enim sic Vergilium scripsisse puta

his adiungit, Hylan nautae quom forte relictum
clamassent, ut litus Hyla Hyla omne sonarit.

Iam omnia uerba ex ordine se excipiunt: *ut concreuerit*..... *ut coeperit*..... *ut sonarit*..... *ut duxerit* etc. Nec abhorret ea coniunctio a Vergili consuetudine. Nam *cum forte* legitur in Aen., III, 301

sollemnis *cum forte* dapes et tristia dona
libabat

i. e. cum maxime libabat

Digitized by Google

Aen., VI, 190

uix ea fatus erat geminae *cum forte* columbae
. . . . . uenere uolantes
i. e. commodum uenere

ib., VII, 494

commouere canes fluuio *cum forte* secundo
defluerat i. e. cum maxime defluentem

ib., IX, 437

demisere caput pluuia *cum forte* grauantur
i. e. siquando, quotiescumque

ib., XI, 456

haud secus atque alto in luco *cum forte* cateruae
consedere auium
i. e. cum modo.

Et saepius ille *qui forte* uel *ut forte* posuit eadem ferme significatione atque *qui potissimum* uel *ibi potissimum ubi*: e. g. uide Aen. V, 291; V, 329; VII, 509; XII, 270, 488; necnon VI, 171, ubi semel inuenitur *dum forte.*

Sed nescio an (ut nunc incuriose uerba Latina leguntur) aliqui summonendi sint *cum forte* non idem sonare quod *cum casu.* Siquis dubitet, testis est Cicero qui in Planciana (26, 65) sic loquitur

„At ego *cum casu* diebus eis itineris faciendi causa decedens e provincia Puteolos *forte uenissem.....*"

Testis alter Lucretius qui tribus locis hac coniunctione (*cum forte*) usus est (IV, 1135, 1208: VI, 1096), bis autem *ubi forte* (VI, 672, 1119 [1]): bene autem rem explicat apud eundem II, 813

nec refert ea quae tangas *quo forte* colore
praedita sint
i. e. ὅντινα μάλιστα χροίαν ἔχει.

Ergo non aliud solet *cum forte* significare quam *tum maxime cum*, uel *cum maxime*, uel *in eo momento cum;* est autem ubi propius ad i. q. e. *quotiescumque* accedere uideatur. Additum enim *forte* uim coniunctionis q. e. *cum* (*quom*) ita definit ut

1) Sic enim construere oportet „ubi quod forte caelum nobis alienum se commouit", i. e. siqui forte aer. Astipulatur Ernultius in noua editione Parisina (MCMXX). Haeserat in hoc uersu, quod mireris, magnus ille Munro.

Digitized by Google

tempus, non causam significet. Igitur hoc dixerit poeta, obliquitate orationis sublata

tum cum (*uel* quoties) nautae Hylan relictum clamauerunt, litus omne sonuit 'Hyla, Hyla'.

Quod siquis in eo haereat quod Vergilio formam insolitam *sonarit* ingerimus, ne ad Florum (IV, II, 45 circumsonatus) aut Tertullianum (ad Scap. III sonauerint) prouocem, adest aetatis optimae idoneus auctor Horatius quem semel illud os *magna sonaturum* ponere non puduit. Ad extremum, si, ut uidetur, in tota hac ecloga celebratur Gallus, Gallo non ipsi Vergilio illud imputabis: certe in Sileni carmine complura extant quae nusquam alias apud ipsum: *durare* (pro eo q. e. durescere), *lucescere*, *errabunda*, *ediscere*.

2. Erit tamen fortasse cui placeant quidem cetera quae adhuc disseruimus, displiceat uero fontis mentio in illa historia notissimi sublata. Itaque subiciam alteram rationem. Concedamus ut uocabulum *fonte*, praepositione detracta, non improbetur, (quod sane potest ferri, quamuis sine epitheto duriuscule dictum [1]), dummodo *τὸ quo* in *quom* omnino mutandum esse fatearis. Intra duas igitur litterulas stet coniectura; uel sic enim corrigenti (quae correctio omnium leuissima uidetur, si quidem liquet unde natus error uerba corruperit) exit sensus ceteris congruus nec Vergilio indignus:

his adiungit, Hylan nautae QUOM fonte relictum
clamassent, ut litus 'Hyla, Hyla' omne SONARIT.

1) Confer Aen., VII, 430
Phrygios qui flumine pulchro | consedere
i. e. ad flumen
ib., VIII, 630
cegelido secretum flumine.

Digitized by Google

TERTULLIANI ADVERSUS MARCIONEM IN LIBRUM QUARTUM ANIMADVERSIONES.

SCRIPSIT

PETRUS CORSSEN.

(Continuantur ex vol. LI, pag. 411).

Verba domini quae sunt Lc. 10, 22 'Nemo scit qui sit pater nisi filius, et qui sit filius nisi pater et cuicumque filius reuelauerit' cum aliis tum Marcioni documento erant ignotum deum a Christo praedicatum esse eandemque vim verbis sequentibus, quibus discipuli prae prophetis beati dicuntur, quod videant quae illi non viderint, videntur tribuisse. Tertullianus cum utroque loco testimonium non dei ignoti, sed ante Christum non satis cogniti contineri atque ipsa prophetarum commemoratione Christum creatoris esse demonstrari iudicet, simplicem et apertam domini orationem ita detorquet, quasi prophetas vituperare voluerit, quod ipsi non vidissent quae postea visa essent, quamquam ipsi ea praedicassent. Sed haec a librariis ita corrupta sunt, ut non mirer, quod Kroymannus eorum quae tradita sunt alia transponenda, alia delenda, alia mutanda esse censuit, modo mihi contingat, ut quid ipse sentiat assequar. Quamquam nescio an ego non felicior futurus sim, sed difficilia etiamsi superari non possunt detrectare non licet. Itaque quam maxime potero strenue ad rem aggredi non cunctabor.

506, 25 'Nam si non meus esset Christus, nec prophetarum hoc in loco mentionem conlocasset. Quid enim mirum, si non viderant res dei ignoti et tanto post aeuo reuelati?' Haec hactenus mihi sana videntur esse et interrogatio illa perfecta et absoluta. Cum T. prophetas res dei ignoti videre potuisse

Digitized by Google

negat, res dei noti, i. e. creatoris, eos videre potuisse dicit. Quoniam autem dixerat, quid de prophetis iudicandum esset, si extaret ille deus ignotus, quaerendum erat, num discipuli Christi, si huius res vidissent, prophetis laude digniores fuissent. Quod si ita fuisset, ullam futuram fuisse felicitatem discipulorum T. negasse ex eis quae tradita sunt satis apparet. In eo enim constitisse eorum felicitatem paulo infra dicit (507, 6), quod vidissent ea quae prophetae praedicassent. Hos autem non vidisse, quae sub Christo viderentur, quamquam ab eis praedicata essent, quod deum non ita ut decuisset cognovissent (506, 23). Non igitur praedicatae essent secundum Tertullianum res dei, si a prophetis visae essent. Nunc autem eas praedicabant tantum, non videbant.

Quae cum ita sint, sic scripta fuisse existimo quae verbis quae supra attuli adiuncta sunt: 'Quae autem fuisset felicitas eorum (sc. discipulorum), qui tunc videbant quae alii (sc. prophetae) merito uidisse non poterant, si non erant consecuti repraesentationem eorum, quae numquam praedicata erant [1]), nisi quoniam qui poterant uidisse [qui] dei sui res, [quas] etiamsi [2]) praedicauerant, non tamen uiderant? Haec autem felicitas erat [3]) aliorum, qui uidebant quae illi [4]) tantum praedicauerant'.

Marcionem in illa interrogatione legis periti, quid sibi faciendum esset, ut vitam aeternam consequeretur, T. adiectivum 'aeternam' omisisse dicit, quasi ille de vita longaeva quae in lege promitteretur interrogasset, ne Christus, cum secundum legem responderet, legem probare videretur. Pro eo quod traditum est 'quoniam de lege uitae sciscitabatur" K. 507, 17 'de legis uita' scripsit. Sed dubito, an 'vita legis' non idem valeat atque 'vita quae in lege promittitur', atque probabilius mihi videtur T. 'de longaeua uita' scripsisse. Marcionitarum interpretationi T. haec opponit: 507, 20 'Sed quia et mortui iam suscitabantur a Christo, exsuscitatus ad spem aeternae uitae per exempla recidiuae, ne plus aliquid obseruationis exigeret sublimior spes [5]), idcirco consuluit de aeternae uitae consecutione'. K. pro 'exsuscitatus' codicis R cum codicibus M F 'et suscitatus' scripsit et post 'recidiuae' 'et incertus' in-

1) Libri habent: 'praedicauerant'. 2) 'etiam'. 3) 'erit'.
4) 'alii'. 5) 'spei', corr. Latinius.

Digitized by Google

tercidisse putat. 'Et' et 'ex' a librariis saepius inter se mutata esse supra LI 399 vidimus nec quicquam intercidisse existimo, quia in animo illius iuris periti spes aeternae vitae cum timore coniuncta erat, ne non satis accurate legem observasset. Codici M. K. nimium, ut solet, tribuit auctoritatis etiam in eo, quod 508, 10 'ergo non ex dilectione dei sui consequentur uitam aeternam Marcionitae, sicut longaeuam dilector creatoris' scripsit. Neque vero hoc in ipso codice M legitur, sed cum ceteris 'Marcionites' habet. Cum eisdem igitur 'consequetur', non cum M 'consequentur' scribendum est, neque enim T. in altero orationis membro pluralem 'Marcionitae', in altero singularem 'dilector' posuisse probabile est. In eodem codice 508, 15 'id ē' pro 'idē' vel 'idem' scriptum esse eo veri similius est, quod teste Oehlero etiam in codice Leidensi 'idem' scriptum est. Utrum autem 'idem' an cum R 'id et' in textum recipiendum sit, difficile dictu est. Plus refert, quomodo totum enuntiatum, cuius haec pars est, interpretandum sit: 'quod creator docet, id et Christo opus est diligi ut praestet'. Mihi quidem 'diligi' nescio quo pacto aliunde in textum videtur invasisse. Sed ea quoque quae praecedunt, unde horum verborum interpretatio repetenda est, falso tradita sunt: 'Ergo eiusdem erit utraque uita, cum eadem est utrique uitae captanda disciplina'. 'Captandae' pro 'captanda' scribendum esse vidit K., sed praeterea 'utrique' in 'utriusque' mutandum est. Hac enim captione T. falsam esse interpretationem Marcionitarum demonstrare studet: Si vita longaeva a creatore, vita aeterna a deo Marcionis daretur, illam autem consequeretur qui deum suum diligeret, hanc certe non eodem modo acquiri. Nam pro differentia mercedum operarum quoque credendam distantiam esse. (Quasi opera diligendi non differret pro differentia eorum qui diligerentur!) Ergo Marcionitas non ex dilectione dei sui consequi vitam aeternam. Fieri autem non posse, quin magis diligendus esset qui vitam aeternam quam qui vitam longaevam promitteret. Ergo eiusdem esse vitam utramque, non alteram alterius, cum eadem esset utriusque vitae acquirendae disciplina; nam quod doceret creator diligendum esse dominum deum ad vitam longaevam consequendam, id et Christo docendum esse ad vitam aeternam consequendam.

Digitized by Google

Postremo T. Marcionem per irrisionem interrogat, quid Christum creatoris facturum fuisse putet, si is qui legis doctorem admonuisset, ut dominum deum suum diligeret, non creatoris, i. e. dei ignoti, fuisset: 508, 23 'Quid, oro te, fecisset Christus creatoris, si qui creatori diligendo aedificaverat hominem non erat creatoris?' Cur K. pronomen 'qui' post 'hominem' ponendum putaverit, non intellego.

Optime Engelbrecht 510, 19 'ut l a b o r e et instantia petendi acciperet' pro 'laboraret'. Cf. v. 11 'laboris et instantiae fructus', v. 15 'nullum laborem nec instantiam'.

Parabolam illam de eo qui nocte ianuam amici pulsavit, ut panem ab eo peteret, sic Marcion videtur interpretatus esse, ut eum cuius ianua esset cum novo deo comparari diceret, quod sero pulsatum esse scriptum esset. Contra T. serum esse tempus creatoris, cum ad deum modo lucescentem nemo sero pulsasset, contendit: 510, 26 'Etiam quod sero pulsatur, creatoris est tempus: illius et serum, cuius saeculum et saeculi occasus; ad deum autem nouum nemo sero pulsasset tantum quod lucescentem'. Non erat mutanda superiorum editorum interpunctio, qui recte 'tempus' ad id quod praecedit referebant. — Quodsi creator ianuam olim nationibus clausit, ut ait T., sequitur ut non eodem tempore ea Iudaeis quoque clausa sit. Quod cum intellegeret Rhenanus, locum corruptum egregie emendavit: 511, 2 'Creator est qui et ianuam olim nationibus cluserat, quae [olim] pulsabatur Iudaeis. Is et exsurgit et dat'. Libri pro 'Iudaeis. Is et' 'o deus iste', quod probatur Kroymanno; 'cluserat' pro 'cluserit' Ursinus, alterum 'olim' ego tollendum significavi.

512, 8 'Merito igitur adplicuit [ad] parabolam fortis illius armati'.

— 16 'Exclamat mulier de turba beatum uterum qui illum portasset et ubera quae illum educassent. Et dominus: „Immo beati qui sermonem audiunt et faciunt", quia et retro sic reiecerat matrem aut fratres, dum auditores et obsecutores dei praefert; nam nec hic mater adsistebat illi'. Verba 'Exclamat — faciunt' non, ut K. putat, e sententia Marcionis dicta sunt, nec 'quidni' pro 'quia' scribendum est, ut idem K. vult, sed causam affert T., cur Lc. 11, 28 iterum, ut Lc. 8, 21, audito-

Digitized by Google

res et obsecutores dei a domino proximis suis praeferantur. Idem enim eum utroque loco declarare et sic alterum locum altero comprobari. Sic enim pergit: 'Adeo nec retro negauerat natum, cum id rursus habiturus proinde felicitatem ab utero et uberibus matris suae transtulit in discipulos'. Verba 'natum' et 'habiturus' explicari posse nego. Pro 'natum' 'matrem' scribendum esse persuasum habeo, difficilius dictu est, quid pro altero verbo ponendum sit. Forsitan 'idem rursus declaraturus' scripserit.

Quod Marcionitae creatorem propter inaequalitatem, inconstantiam, levitatem, alia reprehendant, T. ad eum purgandum, si eadem in Christo reperiantur, sufficere censet: 513, 1 'Sic enim sufficit, si ea in Christo reperiuntur'. Pro 'ea' K. auctore Engelbrechtio 'et' scripsit. Si quid sit mutandum vel 'eadem' vel 'ea et' scribendum esse putaverim. Quae finem faciunt huic disputationi verba hunc olim ordinem habuere: 'Quis est tam similis dei mei nisi Christus ipsius'? Nunc 'nisi' post 'Christus' positum est.

Paulo ante 513, 5 pro 'negat lucernam abstruendam' potius 'obstruendam' quam 'abstrudendam' scribendum esse putem.

Verba quae sunt a 513, 15 sic sunt interpungenda: 'ut significaret uasculorum munditias hominum esse intellegendas apud deum, quia et Pharisaeus de homine, non de calice inloto apud se tractauerat. Ideo: Exteriora, inquit, calicis lauatis' q. sq.

513, 23 'praeponentis misericordiam non modo lauacro hominis, sed etiam sacrificio; subiungit enim: Date quae habetis elemosynam, et omnia munda erunt uobis'. Verba 'lauacro hominis' et 'sacrificio' locum inter se commutasse apparet. Similiter librarii erraverunt 517, 11, ubi K. pro 'qui confitebantur autem in Christo occidi habebunt coram hominibus' recte scripsit 'in Christo coram hominibus occidi habebunt'.

T. Christum cum creatore etiam in eo consentire dicit, quod, cum hic hominem in homine spem habere vetet, ille eos qui primas in synagogis sedes et salutationem in foro captent vituperet: 514, 18 'Quodsi propterea quis adfectat principatum, ut de officiis aliorum glorietur, qui officia uetuit eiusmodi sperandi et confidendi in hominem, idem et adfectatores primatuum increpuit'. Officia non praestantur sperando et confi-

Digitized by Google

dendo, sed salutando et de sede cedendo. Non igitur sunt officia sperandi et confidendi, sed sperantium et confidentium. Quod cum sentiret, K. nomen supplevit, unde penderent verba sperandi et confidendi ('interdictione sperandi et confidendi'). Sed haec elocutio mihi quidem parum probabilis videtur nec cum ea quae invenitur 646, 13 (adv. Marc. V 19) 'interdictio quorundam edulium' comparari posse. Itaque officia sperandi et confidendi paulo neglegentius pro officiis quae ex sperando et confidendo nascantur dicta esse credere malim.

515, 4 'docentes praecepta doctrinas hominum'. K. propter Mt. 15, 9 διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων mutavit ordinem verborum 'doctrinas praecepta hominum'. Sed paulo infra v. 22 eodem ordine leguntur: 'utique docebant praecepta potius et doctrinas hominum' atque ita apud ipsum Esaiam 29, 13, unde illa sumpta sunt: διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας. Pro 'utique docebant' Rhenanus restituit 'utique docentes'. Librarii enim per errorem formam verbi antecedentis repetebant. Quo errore sublato optime membra orationis alterum alteri respondent: 'neque ipsi adibant non credentes scilicet... neque alios admittebant utique docentes'.

— 7. Coniectura palmari K. ex 'clamantes populum' antiquam lectionem 'calcantes populum' cognovit.

516, 8. Verba uno excepto recte tradita sic recte interpunxerunt superiores editores: 'Odit contumaces patri filius, non vult suos tales existere in illum, non in alium, in quem hypocrisis fuisset admissa, cuius exemplum a discipulis caveretur', i. e. hypocrisis, quam dominus discipulos cavere iubet, in deum novum permissa fuisset. Pro 'patri' libri mss. 'patris'. Sequentia sic, ni fallor, corrigenda sunt: 'Ita Pharisaeorum prohibet exemplum in eum [prohibebat illud] admitti, in quem admittebant Pharisaei', i. e. in deum creatorem.

516, 23. 'Deinde conuersus ad discipulos: „Dico autem', inquit, „uobis amicis" q. sq. Verba 'conuersus ad discipulos' non sunt Tertulliani, sed ad evangelium Marcionis pertinent. Cf. inprimis Lc. 10, 22 et 23, deinde 7, 9. 44. 14, 25. 23, 28. Item eadem in eius evangelio etiam Lc. 17, 1 verbis domini praemissa erant. V. 538, 24: 'Conuersus ibidem ad discipulos uae dicit auctori scandalorum'.

Digitized by Google

517, 5. Quod scripsit K.: 'Et hoc in loco sufficeret mihi sic: quem timeri iubet offendi uetat et quem offendi uetat demereri iubet', eis vereor ne non tam emendaverit quam in deterius verterit quae tradita sunt: 'Et hoc in loco sufficeret mihi, si quem — demereri iubet. [et] Qui hoc mandat, ipsius est' q. sq.

Christum Lc. 12, 14 partes iudicis detrectantem et Moysen se ipsum rixantibus duobus Hebraeis iudicem constituentem Marcion inter se opposuerat, ut Christum dei boni, non iudicis esse demonstraret. At T. affirmat Christum illam vocem, quam impius ille qui proximum suum percusserat Moysi obiecit: 'Quis te constituit iudicem super nos?' ideo ad se adhibuisse, ut fratres disceptantes confunderet. Verbis 519, 3 'Aliam — excusserat' interrogationem contineri K. cognovit, non cognovit aliam huic adiunctam esse interrogationem in duo membra distributam, quorum alterum T. negari, alterum affirmari velit. Tota igitur verborum complexio sic legenda est: 'Aliam uocem excusationis inuenire non potuit, ne ea uteretur, qua improbus uir et impius frater adsertorem probitatis atque pietatis excusserat? Denique probauit malam uocem utendo ea et malum factum pacis inter fratres componendae declinatione? aut numquid indigne tulerit hoc dicto fugatum Moysen ideoque in causa pari disceptantium fratrum uoluit illos commemoratione eiusdem dicti confudisse?' Sequitur responsum: 'Plane ita! [si] ipse enim tunc fuerat in Moyse, qui talia audierat, spiritus scilicet creatoris'. Sic recte Rhenanus, nisi forte 'si' tenendum, 'enim' delendum est.

519, 28. Si quis forte miretur, quod K. adiectivum 'abruptum' ('nihil tam abruptum') intactum reliquerit, conferat De anima c. 8 in. 'abruptum et absurdum'.

520, 7 legas 'discentes eius' pro 'discentes eum'. Cf. De carne Christi c. 6 in. 'discentes Pontici illius'.

— 14 'prius quaeram, quem patrem intellegi uelit Christus: si ipsorum, creatorem demonstrat..., sin illum alium deum' q. sq. Sic R, K. falso suo de codicibus M F iudicio inductus '⟨si⟩ suum illum alium deum'.

521, 12 'nec ipse Marcion inuitatus ad nuptias isset, deum suum intuens, detestatorem nuptiarum'. Non debuit K. egregiam Latinii emendationem 'deum suum metuens' repudiare.

Digitized by Google

Marcionem in illa parabola quae legitur Lc. 12, 39 et 40 Christum creatoris furi comparari dicentem irridet T., quod furi potius Christus Marcionis comparandus sit, qui in aliena descenderit, non is qui dominus totius hominis sit. Iudicem eum venire eorum, qui furem non caverint (521, 14 sqq.). Sequitur haec conclusio argumenti: 521, 25 'Ergo si ipse est filius hominis, iudicem teneo et in iudice creatorem defendo'. Quae quomodo intellegi possit, non video. Mihi quidem iusta conclusio non videtur effici, nisi ita suppleatur: 'Ergo si ⟨non⟩ ipse est ⟨fur⟩ filius hominus' q. sq. 'Creatorem' non est mutandum in 'creatoris'. Cf. 525, 18 'Quotiens adhuc se iudicem ostendit et in iudice creatorem'!

Deinde denuo T. affirmat Marcioni concedi non posse Christum creatoris furi comparari: 522, 3 'neminem rei suae furem esse, saluo et illo, quod in quantum timendum creatorem ingerit, in tantum illi negotium agens creatoris est'. Pertinent haec ad Lc. 12, 42 sqq. Marcion, qui in v. 40 filium hominis Christum creatoris iudicaverat, in v. 42 sqq. dominum actorem suum, prout negotium egit, aut remunerantem aut punientem Christum dei boni intellexit. Negabat enim ab hoc actorem iniustum vere puniri, sed tantummodo segregari et partem eius cum infidelibus poni, quod suo iure ridet T. Vituperat autem Marcionem etiam propterea, quod eum creatorem timendum agnoverit, actorem illum eiusdem esse negaverit. Quod cum ita sit, verba quae supra attuli sic emendanda esse existimo: 'in quantum timendum creatorem ingerit, in tantum ille negotium agens creatori est'. Dativus 'creatori' propter verborum positionem mihi veri similior quam genetivus videtur.

Sequuntur haec 522, 5 'Itaque interroganti Petro, in illos an et in omnes parabolam dicit et ad illos et ad uniuersos qui ecclesiis praefuturi essent, proponit actorum similitudinem'. Pro 'dicit et' Eng. Kroymanno persuasit, ut scriberet 'diceret, id est', quasi T. accuratius definire voluisset, quos Petrus intellegeret. Mea quidem sententia T. aut 'in illos an et in omnes' aut 'ad illos et ad uniuersos' scripsit, verba autem 'qui ecclesiis praefuturi essent' Tertulliani esse vix crediderim. 'Dicit' in 'dicat', non in 'dixisset', ut videbatur Rhenano, mutandum esse existimo: 'interroganti — dicat, proponit' q. sq.

Digitized by Google

522, 26 'Quem alium intellegam caedentem seruos... quam retributorem deum? Cui me decet obsequi nisi remuneratori'? K., ut solet, codices M F secutus 'docet' pro 'decet' scripsit. Sed ratio plus valet auctoritate. Non dicit T., quid Christus doceat, sed cur is, qui servos caedat paucis aut multis, Christus creatoris potius quam Marcionis intellegendus sit.

Negat T. Christo Marcionis, ut ignem in terram mitteret, se venisse dicere licere. Convenire hoc potius ei, qui Sodomam et Gomorram igne deleverit, qui si id dicat non mentiatur. Sin autem non sit idem, qui Moysi in rubo ardente apparuerit, intellegi non posse, quem ignem missurus esset. Sic igitur quae tradita sunt inter se coniungas: 523, 4 'Quando iste (scil. qui dixit se venisse, ut ignem mitteret) Sodomam et Gomorram nimbo igneo exussit...., non mentiatur. Si non est ille, qui de rubo quoque ardenti vocem suam emisit, uideris, quem ignem intellegendum contendas'. 'Uideris' F. Iunius, 'uiderit' libri.

523, 19 'Qualis machaera, talis et flamma, neutra congruens domino'. Non simpliciter dici potuisse 'domino', sed addendum fuisse cui domino cum intellegeret, K. pronomen 'tuo' (i. e. 'Marcionis') adiecit. Sed vereor, ne hoc a Tertulliani ratione dicendi abhorreat. Memini me legere 'Christus tuus', 'Christus Marcionis', non 'dominus tuus', 'dominus Marcionis'. Scribendum igitur puto 'deo optimo' pro 'domino tuo' idque eo magis, quod T. hoc loco de Marcione loquitur, non ipsum appellat.

524, 24 'Parabolarum congruentiam ubique te cognosco exigere' recte Eng. pro 'recognoscor' scribi vult.

Quae sequitur de regno dei grano sinapis simili parabolam sic interpretatur T.: 'Quis in persona hominis intellegendus? Utique Christus, quia, licet Marcionis, filius hominis est dictus, qui accepit a patre semen regni... et seminauit in horto suo, utique in mundo, puta nunc in homine. Sed cum in suo horto dixerit, nec mundus autem nec homo illius sit, sed creatoris, ergo qui in suum seminarit creator ostenditur'. Iniuria K. post 'Christus' 'qui' pro 'quia' posuit et coniecturam Rhenani 'in horto suo' pro 'in horto isto' repudiavit. Denique quod 'creatoris ostenditur' pro 'creator ostenditur' scripsit, ne hoc quidem probandum est. Nam si hortus aut mundum aut hominem significat, et mundus autem et homo creatoris sunt, is

Digitized by Google

qui in suo horto seminat, creatorem significat. Ut supra 521, 25, sic hic quoque inter Christum et creatorem non distinguitur. Item infra inde a 525, 18 Christum iudicem creatorem esse demonstrat.

Postquam hanc parabolam ita interpretatus est, ut hominem qui accepit a patre semen regni Christum intellegendum esse diceret, T. aliam interpretationem temptat: 525, 7 'Aut si, ut hunc laqueum euadant, conuerterint hominis personam a Christo in hominem accipientem semen regni et seminantem in horto cordis sui, nec ipsa materia alii conueniet quam creatori'. Sic editores secundum Rhenanum. Sed libri mss. habent R 'conuerterint homines in personam Christi in hominem', M 'conuerterint homines personam Christi in hominem'. Quid Rhenanus voluerit, etsi satis apparet, tamen dubito an 'hominis personam in hominem conuertere' minus recte sit dictum et nomine 'homines' sublato lectio codicis M praeferenda. Quod et rectius et planius dici potuisse haud me fugit. Nam aut Christus latet in illa parabola sub figura hominis, aut omnino nulla est persona neque hominis neque Christi, sed simpliciter de homine agitur. Sed videtur T. sic dicere Christi personam quam prius dixerat hominis, ut Christum persona hominis indutum intellegat. — Si vero hominem semen regni accepisse et in corde suo seminavisse dici intellegimus, minime sequitur, ut ulla sit regni materia. Hoc T. potius ex eo concludit, quod regnum fervor iudicii subsequatur, quasi adventus regni sit ipsa causa interitus mundi. Non recte igitur fecit K., quod verba 'Quale est enim, ut sit lenissimi dei regnum, quod etiam iudicii feruor lacrimosa austeritate subsequitur'? in v. 16, ubi non requiruntur, quia quae eis continetur sententia eadem eis quae praecedunt exprimitur, e v. 10 transtulit.

Recte K. 525, 11 'regnum portendat' pro 'regno p.', v. 19 'reicit' pro 'eiecit'.

Verba quae leguntur 528, 17 'in nobis scilicet, quorum spem Iudaei gerunt', quibus alii aliter mederi studuerunt, velut Latinius 'quorum speciem Iudaei gerunt', Semlerus 'quorum spem Iudaei gemunt', vereor ne sint corruptiora quam ut una vel alia littera mutanda corrigi possint. Proficiscendum est ab eis quae subsequuntur: 'de qua illos gustaturos negat dominus',

Digitized by Google

quae ad parabolam illam Lc. 14, 16 sqq. spectant, qua cum invitati se excusavissent, alii de plateis et vicis atque de viis et saepibus ad cenam vocati esse narrantur. Iam cum pronomen 'qua' neque ad 'spem' neque ad 'speciem' referri posse appareat, facere non possum, quin sic olim scriptum fuisse suspicer: 'in nobis scilicet, quorum cenam Iudaei spernunt, de qua illos gustaturos esse negat dominus'. — Summa interpretationis Tertullianeae ea est, ut dominum illum, qui primo Iudaeos, tum ethnicos vocet, alium intellegi non posse nisi creatorem demonstret: 528, 21 'Quid ex hoc ordine secundum dispositiones et praedicationes creatoris recensendo competere potest illi, qui nec ordinem habet nec dispositionem ad parabolae conspirationem'? Pro 'qui' libri 'cuius', quod interpretationem non admittit.

529, 3 'Plane adhuc secundo venturus est [ut gentibus praedicet et]; si uenturus est autem, puto, non quasi uocaturus adhuc conuiuas, sed iam collocaturus'. Qui venit non vocaturus convivas, sed collocaturus, non venit gentibus praedicaturus. Itaque recte fecit Ķ., quod verba 'ut gentibus praedicet', ut a lectore nescio quo adscripta reclusit et verba 'ad hoc', quae tradita sunt, in 'adhuc' mutavit. Sed eiusdem qui illa adscripserit etiam verba 'et si' esse vix credibile videatur. Equidem coniunctionem 'si' ipsius Tertulliani esse, syllabam 'et', postquam quae in margine adscripta essent in textum recepta sint, per errorem iteratam esse putaverim.

Ex eo, quod Christus Lc. 16, 13 duobus dominis, et deo et Mamonae, serviri posse Pharisaeias audientibus negat, T. unum ab eo deum creatorem declarari concludit. Nam cum creator certe magis dominus esset Mamona, si ipse esset alius atque creator, eum non duos, sed tres dominos statuturum fuisse. Fieri enim non potuisse, ut, cum Mamonam dominum diceret eumque cum deo iungeret, eum qui vere esset Pharisaeorum dominus taceret: 530, 19 'Quale est enim, ut qui Mamonam dominum dixerat et cum deo iunxerat, uere ipsorum dominum taceret, id est deum creatorem'? 'deum creatorem' K., 'de creatore' M F 'creatorem' R. 'Deum' omitti potuit, sed probabiliter e lectione codicum M F conicitur, at cetera non sunt tangenda. — 530, 23 'Ita, cum unum deum ponit, nominaturus

Digitized by Google

et creatorem, si alius esset ipse, creatorem nominauit quem deum sine alio cognomine posuit'. Libri: 'quem dominum sine alio deo non posuit'.

Hac argumentatione non refutatur opinio Marcionitarum, quippe qui Mamonam creatorem intellegendum esse contenderint. T. hoc falsum esse vel inde cognosci posse dicit, quod Pharisaei ipsi Christum de pecunia loqui se intellexisse significent (530, 8). Iterum affirmat Mamonam non posse nomen creatoris esse, quia Lc. 16, 11 et 12 iniustus et alienus appelletur, creator autem neque a Pharisaeis alienus et secundum ipsum Marcionem iustus sit. Pergit sic: 531, 6 'Si ergo haec (scil. quod iniustus et alienus vocetur) 'non cadunt in creatorem, sed in Mamonam: "quis uobis credet quod uerius est" et "quis uobis dabit quod meum est?" non potest quasi alius dixisse de alterius dei gratia', i. e. Christus non ita de se vel de sua gratia loquitur, quasi ipse sit alius deus atque creator. Non est cur 'alienus' pro 'alius' ponatur; nam hoc quoque loco inter ipsum deum et Christum eius non distinguitur (cf. quod modo attuli 'si alius esset ipse'). — 531, 10. 'Tunc enim uideretur ita dixisse, si eos in creatorem, non in Mamonam infideles notando per creatoris mentionem distinctiones fecisset dei alterius, non commissuri suam ueritatem infidelibus creatoris'. Pro 'distinctiones fecisset dei alterius K. 'distinctione se fecisset dei alterius', quod vereor ne parum perspicuum sit. Haec Tertulliani videtur esse sententia: Si Christus loco Mamonae creatoris fecisset mentionem, sequeretur, ut duo essent dei, alter creator, cui Pharisaei infideles fuissent, alter is, qui eis propterea suum non daret. Se ipse a creatore distinxisset vel duos deos distinxisset. Itaque Tertullianum 'distinctionem eius fecisset et dei alterius' scripsisse putaverim. Genitivus 'creatoris' post 'infidelibus' valde dubius videtur. Facile e dativo nasci potuit. — Longe corruptiora sunt quae ad haec explicanda adduntur: 'quoniam tunc alterius uideri potest, si non ad hoc proponatur, ut a re de qua agitur separetur'. Ego neque coniecturam Kroymanni 'si nomen adhuc proponatur' satis intellego neque ipse meliora inveni.

Domini illud 'Lex et prophetae usque ad Iohannem, ex quo regnum dei adnuntiatur' Marcioni documento erat duos esse

Digitized by Google

deos diversos, cum T. Iohannem limitem esse constitutum inter vetera et nova concederet, non tamen ab alia virtute factam esse sedationem legis et prophetarum et initiationem evangelii. Sequuntur 532, 6 'in quo est dei regnum Christus ipse', quorum extrema 'Christus ipse' seclusit K. Sed ne his quidem remotis video quomodo cetera interpreter. Fortasse haec olim nescio quis in margine adscripsit, ut elegantem Tertulliani elocutionem planiorem redderet. Deinde T. sic explicat sententiam suam: 'Nam etsi probauimus et uetera transitura et noua successura praedicari a creatore, si et Iohannes antecursor et praeparator ostenditur uiarum domini..., et ex hoc iam, quod Iohannes uenit, ipse erit Christus, qui Iohannem erat subsecuturus ut antecursorem, et, si desierunt uetera et coeperunt noua interstite Iohanne, non erit mirum, quod ex dispositione est creatoris'. Videtur T., postquam iam ante (v. supra p. 451 c. 11) exposuit ex ipsius creatoris praedicationibus apparere eiusdem esse vetera et nova, novum argumentem ex Iohannis adventu repetitum addere velle, quo Christum ex dispositione creatoris esse probet. Quod ne intellegi possit, obstat verbum 'erit'. Quid enim hoc sibi vult: 'ex hoc, quod Iohannes venit, ipse erit Christus'? Nunc si Iohannes antecursor est Christi, sequitur ex eo, quod ille venit, ut venerit etiam Christus, qui eum esset subsecuturus. Coeperunt igitur esse nova, desiere vetera medio inter utrumque constituto Iohanne. Haec si omnia secundum praedicationes creatoris facta erant, eum Christum qui venit ex dispositione creatoris esse probatum est, cum Marcion eum qui ex dispositione creatoris esset iam venisse negaret. Quamobrem pro 'ipse erit Christus' 'uenisse ipse cognoscitur Christus' vel tale aliquid scriptum fuisse existimo. — Quae sequuntur prima voce 'ut' excepta, pro qua scribendum est 'id', recte tradita sunt: 'Id unde magis probetur quam ex legis et prophetarum in Iohannem occasu et exinde ortu regni dei'?

Recte scriptum esse in R 532, 27 'Christus diuortium prohibet' assidua consuetudine Tertulliani probatur (cf. inprimis 533, 3—535, 11). Itaque etiamsi constet id quod legitur in M 'iubet' ex 'inhibet' corruptum esse, quod putant Eng. et K., praeferendam esse lectionem codicis R certum est.

Digitized by Google

Marcion Christum Lc. 16, 18 divortium omni modo prohibentem Moysi repudium in Deuteronomio permittenti opposuerat, ut diversitatem legis et evangelii ostenderet. Respondet T. accuratius Christum, quid de ea re sentiat, in evangelio Matthaei explicare. Sed postquam Mt. 19, 4—8 perstrinxit, statim meminit, qua condicione pugnam cum Marcione susceperit: 533, 17 'Hoc enim responso' (scil. quod dat Christus Pharisaeis apud Matthaeum) 'et Moysi constitutionem protexit ut sui et creatoris institutionem direxit ut Christus ipsius. Sed quatenus ex his reuincendus es, quae recepisti, sic tibi occurram, ac si [meus Christus. Nonne et ipse prohibens diuortium et patrem tamen gestans eum, qui marem et feminam iunxit, excusauerit potius quam destruxerit Moysi constitutionem? Sed ecce sic] tuus sit iste Christus contrarium docens Moysi et creatori, [ut,] si non contrarium ostendero, meus [sit]'. 'Patrem gestans' egregie emendavit Latinius: 'patrem testans', sed longe gravior corruptela inest in eis quae praecedunt. Hiat enim oratio post 'meus Christus', et adversarium suum ex ipsius evangelio revicturus T. ad Matthaeum revertitur. Iterum enim, quid responsum Christi apud Matthaeum significet, exponit. Neque tamen, etsi similia sunt haec eis quae ante dixit, plane eadem sunt. Interest enim aliquid, utrum Christus Moysi constitutionem protexerit an excusaverit. Et illa et haec sapiunt Tertullianum, sed haec ita turbant orationem, ut ea aliunde invasisse appareat. Iam si meminimus Tertullianum ipsum tres esse diversas horum librorum editiones dicere (adv. Marc. I 1), vix dubium esse potest, unde ea oriunda sint. Pro eo quod scriptum est in R 'ecce sic' in F legitur 'ecce si', in M 'ac si'. Hoc antiquius esse et eum olim in tertia editione sententiarum contextum fuisse existimo, quem supra indicavi.

Simile aliquid paulo infra factum esse videatur: 534, 6 'Inlicite enim dimissam pro indimissa ducens adulter est; manet enim matrimonium quod non rite diremptum est [manente matrimonio nubere adulterium est].' Verba 'manente — est' praecedentibus olim coniunctione 'autem' annexa fuisse K., interpolatoris esse Eng. iudicat, ego T. prius 'manente enim matrimonio nubere adulterium est' scripsisse, postea pro his

Digitized by Google

'manet enim' q. sq. supposuisse, denique quae nunc in libris mss. leguntur e duabus editionibus confluxisse putaverim.

534, 19 'Sed nec tuum apostolum sinere ⟨scis⟩ coniungi prostitutae membra Christi. Habet itaque et Christum adsertorem iustitia diuortii'. Utrum 'scis', quod addidit Ursinus, an aliud aliquod verbum in libris mss. exciderit, valde dubium est, sed nomina Christi et Pauli a librariis inter se commutata et 'Paulum' pro 'Christum' scribendum esse neminem adhuc animadvertisse facere non possum quin mirer.

Quae leguntur 536, 22 'Respondebimus et haec ipsa scriptura reuincente oculos eius, qui ad inferos discernit Abrahae sinum pauperi' mea quidem sententia multo corruptiora sunt quam putantur. Marcion sortem Lazari et diuitis illius documento esse docuerat Iudaeis a creatore et praemia et poenas apud inferos tribui. At T. ex ipsa scriptura cognosci posse affirmat sinum Abrahae nomen esse regionis ad animas omnium fidelium usque ad consummationem rerum recipiendas destinatae eiusque ab inferis longe distantis et multo sublimioris; nam magnum inferos et sinum Abrahae interscindere (sic enim v. 25 pro 'intercidere' legendum esse existimo) profundum neque diuitem oculos adlevaturum fuisse nisi in superiora. Falsum igitur esse Abraham quoque in evangelio apud inferos esse dici. Hanc igitur fere in sententiam verba modo allata corrigenda esse puto: 'Respondebimus et haec (i. e. quae Marcion contendit) ipsa scriptura reuinci dicente oculos locupletis ab inferis discernere in Abrahae sinu pauperem'.

537, 10 'Eam itaque regionem sinum dici Abrahae, etsi non caelestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium praebituram animabus iustorum, donec' sqq. Libri 'dico'. Nihil intercidit, pendent enim haec ab 'apparet' v. 4. 'Praebituram' Rhenanus, 'praeterea' libri.

538, 1 'admonens quoque uos haereticos, dum in uita estis, ⟨audiatis⟩ Moysen et prophetas'. Cf. 539, 11 'prohibet despicias' — 13 'ueniam des iubet'. K. 'audire' vel 'ut audiatis' intercidisse existimat.

— 9 'Nec enim accepisset Petrus dicere: Tu es Christus'. Egregie emendavit Ciacconius 'Nec enim cepisset Petrum dicere', i. e. nec enim fieri potuit, ut Petrus diceret. Cf. 537, 24 'cur

Digitized by Google

non capiat sinum Abrahae dici temporale aliquod animarum fidelium receptaculum'?

— 15 'Apud inferos autem de eis dictum est: "Habent illic Moysen et prophetas, audiant illos!" qui non credebant uel qui nec omnino si credebant esse post mortem superbiae diuitiarum et gloriae deliciarum supplicia, adnuntiata a Moyse et prophetis'. Rhenanus 'si' in 'sic' mutavit, K. 'omnino' transposuit: 'qui non credebant omnino uel qui nec sic credebant'. Me harum coniecturum neutram intellegere confiteor. Videntur duae fuisse lectiones 'qui non credebant' et 'qui nec omnino credebant', quamquam difficile dictu est, unde coniunctio 'si' nata sit.

— 21 'cum utrique pronuntiationis diuersitas competat creatori'. Rhenani 'utrimque' rectius quam Kroymanni 'utriusque' videatur. An potest utraque pronuntiatio diversa dici, cum potius altera ab altera diversa sit? At diversitas duarum pronuntiationem ab utraque parte eidem competat.

Verisimillimum est scriptum fuisse quod K. addendum esse existimat 539, 16 'nec petenti ⟨tantum⟩ eam praestes mandat, sed et non petenti'.

Quod Heliseus propheta unum Naaman, Christus decem leprosos emundaverit, eo diversitatem creatoris et Christi probari, id quod Marcion contenderat, negat T.: 540, 10 'Quis enim dubitabit plures potuisse curari ab eo, qui unum curasset, quam ab illo [decem], qui nunquam retro unum'?

Quaerit T., cur Christus decem illos leprosos sacerdotibus se ostendere iusserit: 540, 20 'An quasi legis inlusor, ut in itinere curatis ostenderet nihil esse legem cum ipsis sacerdotibus et utique rideret? Uiderit, si cui tam iocosus uidebitur Christus'. 'Rideret' pro 'uideret' Eng., 'iocosus' pro 'opiniosus' ego.

Quae sequuntur 'Immo digniora sunt interpretanda et fidei iustiora' adiectivis 'digniora' et 'iustiora' altero alterius in loco positis totus locus sic esse scribendus videatur: 'Immo iustiora sunt interpretanda et fide digniora'.

541, 2 'qui credidit, intelleget etiam altius aliquid'. Libri 'intellegit', K. auctore Eng. 'qui credit, id intellegit' sqq..

— 12 'Itaque qui et per Esaiam Vae! [qui] dixerat eis, qui

Digitized by Google

confiderent in monte Samariae, iam et ipse eam restituere dignatus de industria iubet ostendere se sacerdotibus — utique qui non erant nisi ubi et templum — subiciens Samaritam Iudaeo, quoniam ex Iudaeis salus, scilicet Israhelitae et Samaritae — tota enim promissio tribui Iudae [Christus] fuit — ut scirent' sqq. Alterum 'qui' seclusit R, prius (post 'itaque') K. idemque scripsit 'dixerat' pro 'dixerit', 'confiderent' pro 'confident' Latinius, 'scilicet' pro 'licet' ego.

542, 22 T. dicit, ne haereticis Christum Lc. 17, 21 et 22 Pharisaeis de suo regno respondisse negare liceat, sequentia obsistere. 'Dicens enim', inquit, 'filium hominis ante multa pati et reprobari oportere ante adventum suum, in quo et regnum substantialiter reuelabitur, suum ostendit et regnum'. Ex his apparet Marcionem Lc. 17, 25 legisse: πρῶτον δὲ δεῖ αὐτὸν παλλὰ παθεῖν καὶ ἀποδοκιμασθῆναι πρὸ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, non ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης, id quod fugit Adolfum de Harnack, qui in libro suo de Marcione, etsi p. 206 in adnotatione locum Tertullianeum attulit et verba ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης a Marcione omissa esse videri scripsit, tamen verba πρὸ τῆς παρουσίας αὐτοῦ non in eius evangelium recepit, in quibus tota Tertulliani argumentatio nititur.

543, 4 Felicissima coniectura K. ex foedissima corruptela 'scilicet' genuinam lectionem 'silicis' eruit. Totus locus sic legendus esse videatur: 'Uanum enim, si credimus deum de contumelia aut gloria silicis alicuius praedicassé, non [ut] eum [portenderet], quem et in lapidis et in petrae et in montis figura portenderat'. Cf. Es. 8, 14 et 2, 2. 'Credimus' K. pro 'credidimus'.

Parabolam iudicis et viduae sic explicat T. Ostendi ea orandum esse iudicem deum, i. e. creatorem, non Marcionis. Dici autem deum iudicem et vindicem electorum suorum. Si ergo deus iudex idem sit vindex suorum, deum iudicem, i. e. creatorem, meliorem esse deo Marcionis, scilicet quoniam ille suos vindicet, hic non vindicet: 543, 18 'Ergo iudicem deum ostendit orandum, non se, si non ipse est iudex. Sed subiunxit facturum deum uindictam electorum suorum. Si ergo ipse erit iudex qui et uindex, [si] creatorem [ergo] meliorem deum probauit, quem electorum suorum... uindicem ostendit'. K.

Digitized by Google

nomina iudicis et vindicis transponi vult, mihi traditus ordo verborum rectior videtur.

545, 3 'Saluum est igitur et hoc in euangelio: "Non ueni dissoluere legem et prophetas".' M, quem praefert K., ut solet, 'et hic euangelio', quod non intellego.

— 6 'manifestando unius esse et dei nomen et optimi... et semet ipsum, cuius praecepta supplendo et conseruauit et auxit'. K. suspicatur intercidisse verba 'eius dei Christum' ante 'cuius', sine causa, ut mihi quidem videtur. Referendum est 'cuius' ad 'unius'. — Addit T. cognosci posse id etiam ex vaticinatione Micheae dicentis: 'Si adnuntiauit tibi homo, quid bonum?' 'Est homo enim', inquit T., 'Christus adnuntians, quid sit bonum: scientiam legis'. Libri 'et' pro 'est'. Ita 515, 25 'iam non est' pro 'iam non et aemulus legis' scribendum esse docuit Eng.

— 20 'Iesus autem Marcionis, etsi natus non dubitaretur qui homo videbatur, utique qua non natus nullam potuerat generis sui in publico habuisse notitiam'. 'Etsi' pro 'et' K. Notum autem fuisse domini genus T. ex eo collegit, quod, cum oppido Iericho appropinquaret, a caeco mendico filius David appellatus est: 546, 1 'cur exclamauit' (scil. caecus ille) '"Iesu, fili Dauid, miserere mei!" nisi quia filius Dauid, ⟨id⟩ est ex familia Dauid, non temere deputabatur, ⟨sed⟩ per matrem et fratres, qui aliquando ex notitia utique adnuntiati ei fuerant?' 'Id' addidit Rhenanus, 'sed' ego. — Videntur Marcionitae contendisse propter patientiam Christum se esse filium David non negasse: 546, 13 'Atquin ne patientiam eius infamaretis nec aliam rationem dissimulationis illi adfigeretis, ne filium Dauid negaret[is], manifestissime confirmauit caeci praedicationem'. K. totum enuntiatum 'ne — negaretis' deleri vult. Sed facile fieri potuit, ut librarii post 'infamaretis' per errorem 'negaretis' scriberent. Eidem pro 'aliam' 'ullam' posuere, ut paulo infra 'illo' pro 'alio': 546, 17 'Quid uis caecum credidisse? ab illo deo descendisse Iesum ad detectionem creatoris'? Correxit errorem Ursinus idemque vidit non 'detectionem', sed 'deiectionem' legendum esse. Fugit autem eum eundem errorem librarios paulo ante v. 11 commisisse, cum 'detector creatoris' pro 'deiector creatoris' scriberent. Interpunctionem priorum editorum K. v. 11 et 13 iniuria mutavit.

Digitized by Google

547, 2 'atque ita caecus remanebit ruens in antithesin ruentem et ipsam [antithesin]; sic enim caecus caecum deducere solet'. Denotatur hoc loco liber Antitheseon, in quo Marcionem Christum caeco subvenientem cum David in recuperanda Sione caecos sibi resistentes caedi iubente contulisse ex sequentibus apparet, quae quid significarent Eng. pro puncto signo interrogationis in fine periodi posito docuit. 'Nam si aliquando Dauid in recuperatione Sionis offenderant caeci resistentes, quominus admitteretur, in figuram populi proinde caeci non admissuri quandoque Christum filium Dauid, ideo Christus ex diuerso caeco subuenit, ut hinc se ostenderet non esse filium Dauid, ut [1]) ex animi diuersitate bonus caecis, quos ille iusserat caedi? Et cur fidei et quidem prauae praestitisse se dixit'? Quae deinde sequuntur 'atquin et hoc filius Dauid antithesin de suo retundendam' non sine aliqua audacia emendari posse puto. Itaque dum meliora proponantur, suadeo ut legatur: 'Atquin et hoc filius Dauid antithesin de suo ruentem demonstrat'. 'Et hoc', i. e. etiam eo, quod caeco lumen restituit cum testimonio fidei, ut est infra. 'Nam quia Dauid offenderant caeci, nunc uero eiusdem dedecoris homo supplicem se obtulerat filio Dauid, idcirco ei satisfacienti quodammodo placatus filius Dauid restituit lumina cum testimonio fidei'. Membra orationis pronomine 'qui' post 'nam' in 'quia' mutato recte inter se distinxit K. Pro 'dedecoris' libri 'carnis', Rhen. 'indecoris', quod non intellego, 'condicionis' K.

547, 19 'Numquid uel ille crediderat Christum a deo Marcionis uenisse'? Perbene K. 'a deo Marcionis' pro 'a Marcione' librorum.

548, 25 'Seruorum quoque parabola, qui secundum rationem feneratae pecuniae dominicae diiudicantur, iudicem ostendit deum etiam ex parte seueritatis non tantum honorantem, uerum et auferentem quod quis uideatur habuisse. Aut si et hic creatorem finxerit austerum, tollentem quod non posuerit et metentem quod non seuerit, hic quoque me ille instruit, cuius pecuniam ut fenerem edocet'. Pro 'honorantem' K. 'onerantem' scribi vult, quod non intellego, quoniam servorum alii in illa

1) Libri 'et', corr. Oehlerus.

Digitized by Google

parabola honorantur, ab alio aufertur etiam quod habuit. Neque vero pro 'et hic' cum M 'et haec' scribendum est. Non enim 'parabola' pro nominativo, sed pro ablativo habendum est et 'ostendit', 'fingit', 'edocet' is qui parabolam narrat, i. e. Iesus. Cf. initium capitis 36. Quamquam non nego mirum in modum T. deum instruentem et Christum docentem distinguere. Videtur autem T. hanc servorum parabolam similiter atque alteram illam Lc. 12, 42 explicare voluisse, ut deum aut iudicem aut directe creatorem Marcionitae concedere cogerentur.

Domini illud 'Reddite quae Caesaris Caesari et quae dei deo'! sic interpretatur T.: Ut denarius, in quo imago Caesaris sit impressa, Caesaris sit, sic hominem, cum ad dei imaginem creatus sit, dei creatoris esse. Atque ut denarius suo Caesari, non alieno reddendus sit, sic hominem creatori reddendum esse. Quae sequuntur plena sunt difficultatis: 549, 25 'Quaerat sibi monetam deus Marcionis, Christus denarium hominis suo Caesari iubet reddi, non alieno, nisi quod necesse est, qui suum denarium non habet'. Perisse aliquid post 'necesse est' apparet. Videtur T. dicere voluisse frustra deum Marcionis sibi monetam quaesiturum esse. Qui frustra quaerit quaerere desinere necesse est. Fortasse igitur scripsit 'necesse est cesset'. Sed hoc non potest scripsisse, nisi hic fuit antiquus ordo verborem: 'Quaerat sibi monetam deus Marcionis, nisi quod necesse est cesset qui suum denarium non habet. Christus — alieno'.

Postquam Marcionem reprehendit, quod Christum de muliere quae septem deinceps viris nupsit a Sadducaeis interrogatum alia atque de quo esset interrogatus respondentem fecisset, T. singula adversariorum suorum argumenta examinat. 551, 1 'Ex abundanti nunc et post praescriptionem retractabo aduersas argumentationes cohaerentes'. Libri 'aduersus'. 'Nacti enim scripturae textum ita in legendo decucurrerunt: "Quos autem dignatus est deus illius aeui". <"Illius aeui"> "deo" adiungunt, quo alium deum faciant illius aeui, cum sic legi oporteat: "Quos autem dignatus est deus", ut facta hic distinctione post "deum" ad sequentia pertineat "illius aeui", id est "quos dignatus sit deus illius aeui possessione et resurrectione"'. Hoc ita clarum est, ut ne ipsum quidem Marcionem id dubi-

Digitized by Google

taturum fuisse putem. Quid enim nomen possessionis significet, nisi quam ad rem pertineat possessio addatur? Quodsi Latina rursus in Graecum vertimus: οὓς δ' ἂν καταξιώσῃ ὁ θεὸς τῆς ἐκείνου τοῦ αἰῶνος κληρονομίας καὶ τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν, Marcionem errare omnino non potuisse intellegimus. Confirmatur igitur quod Adolfus de Harnack in libro suo de Marcione p. 161 sqq. demonstrare studuit Tertulliano versionem aliquam Latinam evangelii Marcionis in manu fuisse atque apparet ineptam illam de deo illius aevi opinionem Marcionitarum nescio quorum Latinorum, non ipsius Marcionis fuisse. Neque vero verbum decurrendi certo subiecto carere potest, quod ubi lateat vix dubium esse potest. Nam initium totius enuntiati corruptum esse satis apparet. Itaque scribere non vereor: 'Marcionitae enim scripturae textum ita decucurrerunt'. — Quae sequuntur 551, 10 'Sic et de ipsis nuptiis responsum subuertunt, ut "Filii huius aeui nubunt et nubuntur" de hominibus dictum sit creatoris nuptias permittentis, se autem... iam et hic non nubere, quia non sint filii huius aeui, quando de nuptiis illius aeui consultus, non de huius, eas negauerat de quibus consulebatur', recte tradita sunt neque aut K. aut Eug. meliora loco receptae lectionis posuere. Falsae Marcionitarum opinioni vera evangelii sententia opponitur: iniuria illos Christum matrimonium huius aevi damnantem facere, cum de nuptiis illius aevi Sadducaeis responderit.

Etiam quae 551, 23 de Lc. 20, 41—44 disputantur rectius veteres editores exhibuisse putaverim, quamquam et hos quaedam interpretamenta verbis Tertulliani falso addita fugerunt: 'Si autem scribae Christum filium Dauid existimabant, ipse autem Dauid dominum eum appellat, quid hoc ad Christum? Non Dauid errorem scribarum obtundebat, sed honorem Christo [Dauid] procurabat, quem [Christum] dominum magis quam filium [Dauid] confirmabat'. 'Obtundere' ex Tertulliani usu dicendi significat 'impugnare', 'reprehendere', velut Adv. Marc. V 1 (569, 18) 'fidem obtundere'. De pud. c. 7 'Iudaeos obtundere'. Vituperat igitur secundum T. Christus scribas, quod se filium tantummodo, non etiam dominum David existimarent, 'remunerata quidem fide caeci, qua filium Dauid crediderat [in] illum, pulsata uero traditione scribarum, qua non et dominum

Digitized by Google

eum norant' (552, 8). De fide lectionis 'traditione' recte dubitat Eng., sed quod ipse suadet 'eruditione' vix plus habet probabilitatis. Ego quidem persuasum habeo pro nomine 'traditionis' 'responsionis' ponendum esse. Recte enim Harnack iudicat eo, quod T. dicat existimasse scribas Christum filium Dauid (551, 23), probari textum evangelii Marcionis ut saepe hoc quoque loco similiorem fuisse Matthaei quam Lucae. Nam apud solum Matthaeum respondent scribae interroganti domino. Quantam vim T. verbis domini afferat, non est quod dicam.

552, 13 'Olim constitit de nominum proprietate ei illam ⟨deberi⟩, qui prior et Christum suum in homines adnuntiarit et Iesum transnominarit'. Lacunam post 'illam' alii aliter suppleverunt, mihi Oehlerus proxime ad verum videtur accessisse. Pergitur sic: 'Constabit itaque et de impudentia eius, qui multos dicat uenturos in nomine ipsius, quod non sit ipsius, si non Christus et Iesus creatoris est, ad quem proprietas nominum pertinet, amplius et prohibeat eos recipi, quorum et ipse par sit, ut qui proinde in nomine uenit alieno, si [non] ipsius erat a mendacio nominis prohibere discipulos, qui per proprietatem nominis possidebat ueritatem eius'. 'Prohibere' scripsi pro 'praeuenire' librorum. Respondent inter se verba 'si non Christus — pertinet' et 'si ipsius erat — ueritatem eius' atque eadem ratione utraque cum praecedentibus coniuncta sunt. Sunt enim duo membra orationis, quorum utroque idem exprimitur: alienum esse nomen Christi ab eo, cuius non sit proprium. Non enim esse id nomen eius, qui dicat multos in ipsius nomine venturos esse, si non sit Christus creatoris, et esse eum similem illorum, si eius sit illos recipi vetare, cuius proprium sit nomen Christi. Impudentem igitur esse Christum Marcionis multos in nomine ipsius venturos esse dicentem. — Sequuntur haec: 'Uenient denique illi dicentes: "Ego sum Christus!" Recipies eos, qui consimilem recepisti, et hic enim ⟨non⟩ in nomine suo uenit. Quid nunc, quod et ipse ueniet nominum dominus Christus et Iesus creatoris? Reicies illum', sc. quoniam falsum Christum recepisti. Neque enim haec est interrogatio, ut apparet ex sequentibus: 'Et quam iniquum... ut non recipias eum in suo nomine uenientem, qui alium in nomine eius recepisti'.

Digitized by Google

Quae dominus Lc. 21, 6 sqq. discipulis de extremis temporibus praedixit, ea Marcion ita videtur interpretatus esse, ut interitum mundi creatori, salutem fidelium deo optimo deputaret, cum T. unum eundemque utriusque rei auctorem, aut deum creatorem aut deum optimum, fore necesse esse affirmaret. Neque enim concussionem mundi deum Marcionis ut bonum fieri sinere, nedum expectare debere, promissiones autem dei boni, quem ignoraret, creatorem (quem hoc quoque loco T. pro Christo ponit) non potuisse praedicere, sin autem suas prophetasset, non minus liberalem eum esse quam deum bonum. Huius argumentationis alteram partem sic K. egregie correxit: 356, 21 'aut si suas prophetauit non distantes a promissionibus Christi ⟨tui⟩, par erit in liberalitate optimo deo nec plus uidebitur a Christo tuo repromitti quam a meo filio hominis'. Libri 'libertate' pro 'liberalitate'. Unum igitur esse filium hominis, cui et mala quae adventum eius antecederent et bona quae ab adventu eius orirentur adscribenda essent: 557, 4 'Ita positus est in medio...; ut siue mei Christi concesseris aduentum filii hominis, quo mala imminentia ei reputes, quae aduentum eius antecedunt, cogaris etiam bona ei adscribere, quae ab aduentu eius oriuntur, ⟨siue tui malueris, quo bona ei adscribas, quae ab aduentu eius oriuntur,⟩ cogaris mala quoque ei deputare, quae aduentum eius antecedunt'. Quae exciderunt, supplevit Rigaltius, quae cur K. non in textum receperit, haud intellego. — 557, 12 'Quaere igitur, quem ex duobus Christis constituas in persona unius filii hominis, in quam utraque dispositio referatur, aut et creatorem optimum aut et deum tuum asperum declaraturus'. Pro 'declaraturus' libri 'dedisti natura'.

557, 23 'Omne autem signum eius est res, cuius est signum'. Verba corruptissima optime correxit K. 'Omnis autem eius est res, cuius est signum', quae cur non in ipsum tectum recipere ausus sit, rursus me praeterit. Quaeritur enim, utrius sit regnum, dei Marcionis an creatoris. Praecedunt autem id secundum scripturam conflictationes ut eius signa. Si constat, utrius haec signa sint, constat etiam, utrius sit regnum; nam 'omnis eius est res, cuius est signum'. Sunt autem illa creatoris, ergo creatoris est regnum.

Digitized by Google

558, 2 'Adhuc ingerit non transiturum caelum et terram, nisi omnia peragantur. Quaenam ista? Si quae a creatore sunt ⟨praedicata⟩, merito sustinebunt elementa domini sui ordinem expungi'. Sic K., at non quaeritur, a quo ea quae fieri oporteat, praedicata sint — nam ipse T. modo dixerat a prophetis et a lege ea praedicata esse — sed a quo perficiantur. Si vero constat, quae peragi oporteat, cur quaerit, quaenam sint ista? Cur non scripsit: 'A quonam ista? Si a creatore fiunt, merito sustinebunt elementa'? 'Fiunt' R pro 'sunt'.

559, 7 'Nimirum ueruecina illum Iudaica delectaret'. Cur K. 'uerbecina' cum M et 'delectarat' pro 'delectaret' scripserit, haud intellego. Coniunctivum T. adhibuit, quod de domino cupiente pascha edere loquebatur. Licuit scribere 'delectabat', non licuit 'delectarat'.

560, 10 'coiciamus lignum in panem eius, scilicet crucem in corpus eius'. Pro 'crucem' M F habent 'tamen', item 564, 3 'et tamen' pro 'et crucem' non solum M, sed etiam R. Satis mirari non possum, quomodo factum sit, ut duobus locis librarii eodem modo adeo a vera lectione aberrarent. Iam adv. Marc. III 18, p. 406, 24 antemnam partem crucis esse itemque ad Nationes I 12 'crux cum antemna sua' legitur. Hoc verbum si pro tota cruce his locis scriptum fuit, error librariorum explicari possit. Sed quis hoc factum esse nullo talis usus exemplo allato credat?

Carneum fuisse corpus Christi T. eo probat, quod Lc. 22, 20 testamentum sanguine suo obsignaverit. Posse enim esse corporis qualitatem non carneam, non posse sanguinem habere nisi carneam. Ergo scribendum est 560, 14 'Nullius enim corporis sanguis potest esse nisi carnei', non 'carnis'.

Marcion creatorem aut ignarum aut impotentem aut malitiosum iudicandum esse contendit, quod hominem in delictum ruere passus sit: 561, 16 'aut ignorasse illum, qui non ex prouidentia obstitit peccaturo, aut obsistere non potuisse, si ⟨non⟩ ignorabat, aut noluisse, si et sciebat et poterat, atque ita malitiosum iudicandum, qui passus sit hominem suum ex delicto perire'. Luce clarius est rectissime K. negationem addidisse.

Recte K. 564, 22 post 'uociferatur ad patrem' verba psalmi

Digitized by Google

tricesimi 'in manus tuas commendo spiritum' addenda esse censet, minus recte in antecedentibus 'O quantum perseverauit etiam tricesimo psalmo Christum ipsum reddere' i. e. eum se manifestare, qui iam in psalmo per David locutus erat, accusativum Christum in nominativum mutavit.

Si nulla fuisset Christi caro, postquam Christus expirasset, tamen non nihil remansisse contendere Marcioni licere T. negat. 565, 12 'Quid ergo illud fuit? Si phantasma, adhuc ergo inerat et Christus, si discesserat Christus, ergo abstulerat phantasma'. T. 'spiritus', non 'Christus' scripsisse vidit K. Fortasse T. alterum membrum alteri sic similius conformaverat: 'Si phantasma aderat, ergo aderat et spiritus, si discesserat spiritus, ergo abstulerat phantasma'.

Mulieres ante lucem ad sepulcrum domini profectas T. suspicatur verba prophetae Osee 5, 15 sqq. animo volvisse 'inter dolorem praesentis destitutionis, qua percussae sibi uidebantur a domino, et spem resurrectionis ipsius, qua restitui rite arbitrantur'. Verba corrupta sic corrigenda esse censeo: 'qua se restitui vitae arbitrabantur'. Cf. De carne Christi c. 16 'resurrexit in exemplum spei nostrae' et De patientia c. 9 'credentes enim ⟨in⟩ resurrectionem Christi in nostram quoque credimus'.

Duobus discipulis, quibus Iesus post resurrectionem in vicum Emmaum migrantibus se ostendit, cum in eos propter infirmitatem fidei inveheretur, secundum evangelium Marcionis nihil dixit nisi haec: 'O insensati et tardi corde in non credendo omnibus quae locutus est ad uos'! Addit T. 566, 26 'Quaenam locutus? Alterius se dei esse probat et manus de deo'. Verba corrupta ingeniose correxit K.: 'Quaenam locutus? Alterius se dei esse? Proba, et manus dedo'.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex pag. 220).

CXXI.

De concurrentibus actionibus.

Conspectus. **1.** Solutione, litis contestatione, sententia ex una actione aliam saepe tolli. **2.** Hoc fieri plerumque mutua vice, interdum μονομερῶς. **3.** Solutione interse consumere actiones, in quibus *idem* sit, iudicio: quae sint *eiusdem facti*. **4.** Concurrentes actiones quae sint. **5.** Concurrendi species et genera. **6.** Quando solutione, quando iudicio consumi dicendum sit. **7.** De concursu publicarum actionum cum sui similibus. **8.** De publicarum actionum cum privatis concursu. **9.** De concursu privatarum poenalium actionum cum sui similibus. **10.** De persecutionis et poenae concursu. **11.** De persecutionum concursu mutuo. **12.** De contrariis actionibus et concurrentibus. **13.** Inaequales actiones minuantne interse. **14.** De generalis actionis concursu cum speciali. **15.** Mutua peremptio quam habeat exsecutionem. **16.** Possitne reorum pactis mutua peremptio excludi. **17.** De mutua peremptione non concurrentium actionum. **18.** Ius hodiernum.

Digitized by Google

Semper ego auditor tantum, numquamne reponam
Ernesti toties vexatus carmine docti?
Ergo impune diem duplex consumpserit, unus [1])
Tam longus, quam sunt duo Caesaris anticatones,
Nondum finitusque [2]), δίμοι, vel durior alter,
Telephus Ernesti?

CENTO.

1. Possunt duae pluresve actiones ita mutuo comparatae esse, ut *ex* [3]) *(altera) actione* [4]) vel solutione, licet ex iudicati causa [5]), facta vel litis contestatione interposita ab altera *liberati(o) conting(at)* [6]), vel certe tantum, quantum solutum sit, quantumve in iudicium deductum sit, ei decedat. Quin immo tertium genus agnoscere videtur Proculus [7]): *si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum.* Quo pertinet praeterea Pauli l. 6 § 4 D. 4, 9: *si absolutus* [8]) *sit exer-*

1) *Die Konkurrenz* I (1918) 510 pp. Non legi. Ne ille quidem meam Obs. C (1909) 37 pp.

2) Iam crevit ultra ducentesimam quinquagesimam paginam. Legam, quum Latine verterit.

3) *„mit... Bezugnahme auf"* vertit Unger, quem propterea reprehendit Merkel, *Konkurs der Aktionen* (1877) p. 101[14].

4) Quam hoc sermonis genus frequens sit, videre est Vocab. I pag. 128.

5) L. 38 § 2 D. 46. 3 (Helssig, *z. Lehre von der Konkurrenz* (1887) p. 30/1). Quid, si quis litis aestimationem sustulerit? Solutionem esse negat post Iohannem Merkel (*Konkurs* etc. p. 95) Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 163 (ante notam 2) sed docet hic nihilominus alteram actionem tolli, quasi solutum esset (*„durch Absorption"*). Quod, quatenus dicit actionem tolli, ex parte flectendum est (cf. Siber, op. cit. p. 143; Levy, *Ztschr. der Sav.-Ztschr.* 42 (1921) p. 490; *die Konkurrenz* II (1) p. 92/3) ad verba Pomponii l. 9 § 1 D. 47, 2, modo sint genuina. Plenius praesidium est in l. 86 § 1 D. 30 ia. ad cognatam pertinente materiem l. 84 § 2 eod. (cf. Schulz, *Ztschr.* cit. 38 (1917) p. 153, 154).

6) L. 18 § 3 D. 13, 5. Sententiam interpolatam putat Segrè, *Studi per Fadda* VI (1906) p. 376[1], verba dumtaxat *ex hac actione facta* Seckel, *Festschr. für Becker* (1907) p. 347.

7) Collat. XII 7 § 9 = l. 27 § 11 D. 9, 2. Valde recalcitrat Eisele, *Archiv f. d. civ. Praxis* 77 (1891) p. 461 (ad l. 52 § 3 D. 46, 1): *„nach dem Recht zur Zeit Papinian's ist es ganz selbstverständlich, dass, wenn Litiskontestation nicht befreit, weil es an* eadem res *fehlt, dann auch absolutorisches Urtheil dies nicht thut"*. Perinde rebellat Levy, *die Konkurrenz* II 1 (1922) p. 76/8 (ad l. 27 § 11 cit.). Ex diverso putat Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 989[1] (ad l. 27 § 11 cit.) explicationem petendam *„aus der Besonderheit des... Falles"*.

8) Hodie qui sequuntur Proculi formam veluti Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 135 (post notam 15), tunc eam sequendam putant, non, quum absolutus, sed,

Digitized by Google

citor hac actione, id est, in factum adversus nautas [1]), *deinde agatur cum nauta, exceptio* rei utique iudicatae *dabitur* [2]), et Ulpiani l. 7 § 1 D. 43, 24 verbis Neratii de domino operis et emptore servi, qui servus opus vi aut clam fecisset, ita disserentis:.... *domin(o) operis.... damnato, quia non restitueret, emptorem liberari. Eadem, et si contra dominus serri*, quia noxae non dederet, *litis aestimatione* (l. 5 D. 43, 1: *quantum impensae in tollendo opere erogatum* [3]) *sit, tanti*) *damnatus esset*, atque rursus Pomponii l. 42 § 3 D. 12, 2: *si reus iuravit, fideiussor tutus (f)it, quia et res iudicata secundum alterutrum eorum utrique proficeret* [4]). Posset huc eodem referri l. 4 § 3 D. 9, 4, si esset integra [5]). Ex diverso non debet l. 60 pr. D. 17, 1: *creditor mandatorem convenit: is condemnatus provocavit; quaeritur, an manente appellatione debitor a creditore conveniri potest. Respondit posse.* Videtur enim [6]), post

---

quum condemnatus sit reus, nec quidquam actoris intersit. Qua pro sententia potest l. 7 § 1 D. 43, 24, sed non debet adduci l. 11 D. 47, 7 vel, quia quodammodo ambigua (Merkel, *Konkurs* etc. p. 12), vel, quia hactenus est interpolata (Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 394). De re cf. Savigny, *System* V § 235 (p. 253) not. *a*; Martens, *Ueber Concurrenz* (1856) p. 56/7, p. 78; Krüger, *Consumption* (1864) p. 101[7]; Merkel, *Konkurs* etc. (1877) p. 11—14, p. 103/4 (cf. Windsch. (1891) § 130 not. 24), p. 138/9; Helssig, *z. Konkurrenz* (1887) p. 31/4; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 327/8; W. Peters, *Klagenkonkurrenz* (1902) § 7, § 11, § 15; Last, *Anspruchkonkurrenz* (1908) p. 137/9.

1) Ita recte interpretatur Hartmann, *Archiv* etc. 50 (1867) p. 129.

2) In tali specie dici potest (cf. Ribbentrop, *Correal-Oblig.* p. 253[12]; Hartmann, *Archiv* etc. 50 (1867) p. 129/31 (laudat Baldum); Merkel, *Konkurs* etc. p. 25 not. 15): *absolutorium sententiam (ad alium) porrigi.* Sed nihil inde lucramur sicut ne ex eo quidem, quod scribit Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 31/2, p. 35: quum quis pro se solvendo alium quoque liberet (veluti (p. 119) l. 1 § 24 D. 14, 1), solutionem ad alium *porrigi.* Quem refutandum putat Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 335/6.

3) Id est, erogandum. Exempla dedimus cap. harum observ. LXXIX.

4) Explicat haec Windscheid (1891) § 295[8] ratione pacti, *ut contestatione contra unum ex his facta alter non liberetur* (c. 28 § 1 (io. pr.) C. 8. 40 [41]). Interpolatori eadem adsignat Dernburg, *Pandekten* II (1892) § 73[15]. Cf. praeterea Binder, *Korrealobligationem* (1899) § 16; Erman, *Mélanges Appleton* (1903) p. 289[2].

5) Cf. infra (§ 9).

6) Antonio utique Fabro (in Rationalibus ad h. l.). Idem sentit Merkel, *Konkurs* etc. p. 14, sed non recte pro se laudat ipsum l. 60 pr. cit. Videtur adiectio *manente appellatione* oculos eius fefellisse.

Digitized by Google

condemnationem ex appellatione mandatoris nihilominus creditori conveniendi reum potestas futura esse [1]), quemadmodum est futura *absolutione quoque secuta* [2]). **2.** Extinguitur autem utraque actio plerumque sic, ut nihil intersit, utra prior obligatio aut lite aut solutione tollatur; sed nonnumquam hoc fit μονομερῶς, veluti docet Paulus [3]) fuisse, quibus placeret, ubi quis servum alienum iniuriose verberasset, *per legis Aquiliae actionem iniuriarum consumi,.... sed, si ante iniuriarum actum esset, teneri eum ex lege Aquilia.* Simile est, quod is, qui dolo possidere desiit, liberatur, *si possessor corpus aut litis aestimationem praestitit*, ex diverso, *si is, qui dolo desiit, ante conveniatur, eum, qui possidet, non liberabit* [4]), et quod, *si ordinarii servi nomine actum sit de peculio* ex contractu vicariorum, *(quaeritur), an agi possit et vicariorum et put(at)* Ulpianus [5]) *non posse: sed si actum sit de peculio vicarii, agi poterit et de peculio ordinarii* [6]), et quod, quo sciente domino communis familia deliquerit, *conventus alterum quoque liberat* [7]), ex diverso, si cum ignorante prius actum sit, *fort(ass)e.... severius a praetore constituendum.... nec servorum conscio parcendum est* [8]), et quod, si familia furtum fecerit et unus manumissus sit, si dominus tantum praestitit, quantum praestaret unus liber, manumissus liberatur, ex diverso, *si prius fuerit ablatum a manumisso, tunc dabitur (actio) adversus dominum familiae*

---

1) Hactenus mentiri non videtur c. 23 C. 8. 40 (41), cuius testimonio vel sic abstinendum est (cf. Alibrandi, *del concorso* etc. § 42; Binder, *Korrealobligationen* p. 354; Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 201).

2) L. 52 § 3 D. 46, 1. Damnant quidem verba *absolutione quoque secuta* Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 461; Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 356; Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 202, sed non inspectis huic simili l. 13 pr. D. 40, 12, quasque modo laudavimus l. 6 § 4 D. 4, 9; l. 42 § 3 D. 12, 2; Collat. XII 7 § 9 (= l. 27 § 11 D. 9, 2).

3) L. 34 pr. D. 44, 7.

4) L. 13 § 14 D. 5, 3; l. 95 § 9 D. 46, 3. Diversum est in noxalibus actionibus: l. 26 pr. D. 9, 4. Cf. praeterea l. 7 D. 6, 1 (Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 26).

5) L. 19 pr. D. 15, 1. Hunc tractatum executi sumus cap. C.

6) Interpolata haec esse arbitratur Lusignani, *ancora intorno alla consunzione processuale dell'* actio de pec. (1901) p. 14.

7) L. 9 D. 9, 4. Videntur haec interpolata esse, sed vel sic vera.

8) L. 5 (i. f.) D. 47, 6. Ne horum quidem fides certa est.

Digitized by Google

nomine [1]), et quod, si servi metum adhibuerint, res ad dominum pervenerit, suo nomine dominus *conventus sive rem sive.... quadruplum praestiterit, proderit et servis*, ex diverso *noxali conventus* [2]) *nihilominus ipse* [3]) *poterit conveniri, si ad eum res pervenit* [4]), et quod, qui a fraudatore dotem acceperit sciens, si creditoribus eam restituerit, quia *desi(i)t dotem habere*, iudicio rei uxoriae absolvitur [5]), enimvero, *si, priusquam creditores cum eo experirentur, reddiderit* divortio facto *dotem* uxori, *nihilominus eum* creditoribus *teneri, Labeo ait* [6]). Est denique [7]) species apud Celsum [8]): si Titius mihi promiserit decem, Seius autem 'quanto minus a Titio consequi possim', et a Titio decem petierim, Seium non liberari; sin autem a Seio incertum, tunc, *quantumcumque est, quo(d) minus a Titio exigere potuero eo tempore, quo iudicium inter me et Seium acceptum est, tanto minus a Titio postea pet(i) pos(se)*, id est, deberi. Quamquam, Papinianum [9]) si sequimur, non potest ante Titium Seius recte conveniri, cui sententiae consequens est Pauli [10]): *etsi cum Seio prius egeri(m), Titiu(m) in nullam partem libera(ri)* [11]). Ex diverso referri huc non debet, quod, quum adversus mandatorem contraria, adversus reum ex numeratione actio est [12]), mandatorem reus solvendo liberat [13]),

---

1) L. 3 pr. D. 47, 6. Videtur quoque, si unus donatus sit vel legatus, dominus, quum praestet familiae nomine, liberare legatarium vel, cui donatum sit. Ex diverso hic dominum non liberat (l. 3 § 1 eod.).

2) Tribon.: *si vero* noxali conventus *maluerit noxae dedere*. Etiam reliqua damnat Schulz, *Ztschr. der Sav.-St.* 43 (1922) p. 247.

3) Id est: *suo nomine* (Schulz, l.l.).

4) L. 16 § 1 D. 4, 2. Non eadem est distinctio, ubi conscius suo nomine et noxali pati cogitur (l. 4 § 3 D. 9, 4).

5) Atqui l. 10 § 14 D. 42, 8 negatur esse de dote, quae in fraudem creditorum constituta sit, rei uxoriae actionem.

6) L. 25 § 1 D. 42, 8.

7) Mitto, quod erit nova species consumptionis *μονομερούς*, cum Ferrinio, *diritto penale* (1899) p. 236[1]; (1902) p. 139[4], caudam si decidamus l. 89 (88) D. 47, 2; l. 1 D. 47, 8.

8) L. 42 pr. D. 12, 1 (Erman, *Mélanges Appleton* p. 272/3).

9) L. 116 D. 45, 1. 10) L. 21 D. 46, 3.

11) Quae sequuntur: *incertum quippe est, an omnino Seius debiturus sit*, videntur potius insititia. 12) Cf. Savigny, *Obl.-R.* I § 20 (i. f.).

13) L. 27 § 5 D. 17, 1; l. 13, l. 71 pr. (quam quidem eius partem Triboniano adsignat Biondi, Iud. bon. fid. I (1920) p. 14 not. 2) D. 46, 1. Hoc idcirco

Digitized by Google

mandator solvendo vicissim non liberat reum [1]), nam ad id tantum mandatore solvente non liberatur [2]) reus, ut possint actiones mandatori praestari. Par causa est *tutori(s) et debitori(s) pupilli* [3]); ergo, si debitor solvit, defensor [4]), qui petere neglexit, liberatur [5]), sin defensor, ad id tantum non liberatur debitor, ut possint defensori actiones praestari [6]). **3.** Sed, quod initio diximus: posse actiones ita comparatas esse, ut ex altera actione vel solutione facta vel litis contestatione interposita altera tollatur minuatur, illud, ut solutio proficiat, aequitate nititur et tunc locum habet, quum alioquin futurum sit, *ut bis idem exigatur*, quod *bona fides non patitur* [7]); alterum, ut uno iudicio utraque actio tollatur, tunc locum habet, quum *eadem* est *obligatio*, actiones igitur *eiusdem facti* [8]), neque id aequitate nititur [9]), sed iure stricto [10]), quo vetamur de eadem re saepius litigare [11]), proinde ex bono et aequo nonnumquam id rescinditur [12]). Secundum haec aut *idem* est in utraque

---

fieri docet Helssig, *z. Konkurrenz* (1887) p. 76, quod re principali sublata accessio superesse non possit. Sed videndum (etiam apud Iulium Binder, *die Korrealobligationen* (1899) p. 162/3) an hoc argumento opus sit.

1) L. 28 D. 17, 1; l. 13 D. 46, 1; l. 95 § 10 D. 46, 3.

2) Binder, op. cit. p. 163/4: ne per exceptionem quidem.

3) Parem facit Papinianus l. 95 § 10 D. 46, 3.

4) Cf. Brisson in v. (§ 4).

5) L. 39 § 15 D. 26, 7 (vv. *a quibus totum servari non potuit*). Ergo perperam hinc sumit Binder, *Korrealobligationem* p. 346 lin. 4/6: „*dass die Klagen.... nicht elektiv konkurrieren*", nisi voluit dicere: non consumi *lite*.

6) Ulpian. l. 25 D. 26, 7. De clausula (*nisi forte* etc.) cf. Keller, *Litiscontestation* p. 532[3]. Damnat eam Schulz, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVII p. 98[2].

7) L. 57 D. 50, 17. Cf. Savigny, *System* V § 236 (p. 260/1). Elevare testem cupit Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 192/4. Nihil ad rem pertinet (pertinere censet Merkel, *Konkurs* etc. p. 126), sintne actiones strictae an ex bono et aequo, nisi quaeratur de genere exsecutionis.

8) L. 1 § 22 D. 27, 3. Cf. l. 48 D. 9, 2: *alterius facti*.

9) Merkel, *Konkurs* etc. p. 74: „*Berufung auf das* bonum *und* aequum (*würde*) *als.... unrichtig erscheinen*". Itaque apud eundem p. 75 lin. 11 cancellandum est „*vom Standpunkte der* bona fides *aus*".

10) Merkel, *Konkurs* etc. p. 9 („*Satz des strengen Rechts*"), p. 72 („*formalistische Auffassung*").

11) Cf. Dernburg, *Pandekten* II (1892) § 69 (p. 185), § 72 (p. 192/3).

12) L. 32 pr. D. 15, 1 (*Ztschr. der Sav.-St.* XXV p. 369). Cf. Ribbentrop, *Correal-Obligationen* (1831) p. 6/7; Keller, *Litiscontestation* (1827) § 57—69; Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 103 post notam 103 (II p. 511/2). — Sufficiatne

Digitized by Google

actione et proficiet una solutio, aut sunt actiones *eiusdem facti* [1]) et consumentur uno iudicio. Non esse cuiusvis ingenii tale aenigma solvere [2]) facile concessum iri puto; audiamus igitur summum nationis utique Teutonorum iuris Romani interpretem. Docet is [3]): quum *vere eadem* obligatio („*wahrhaft eine und dieselbe Obligation*") sit, uno iudicio tolli [4]), sin [5]) duae pluresve actiones *iuris potestate quasi* [6]) de eadem re sint („*wenn.... mehrere Klagen.... den juristischen Gegenstand* [7])*.... gemein (haben)*"), tunc unam solutionem proficere. Num sapientiores dimittimur, quam veneramus? Nam, sicut *eiusdem facti* esse videbantur actiones, in quibus *idem* esset, ita remotis ambagibus inter *quasi* et *vere* eandem rem quid proprie intersit, haud magnopere perspicitur, eadem vero res eandem facere videtur obligationem. Restat igitur [8]) non esse in re discrimen sed in interpretatione: ut facilius admittatur mutua peremptio solutione facta quam iudicio constituto [9]), unde illud quoque venit, quod, ubi lite consumitur, ibi vel magis perceptione consumitur [10]), ideo quia, sicuti praediximus,

---

rescissioni bonae fidei iudicio constituto iudicis officium, quaerit Ascoli, *Studi e documenti* XI (1890) p. 197—200.

1) Merkel, *Konkurs* etc. p. 74: *de eadem re.*

2) Certe non solvit Finestres, qui docet (Hermog. I p. 623, 53—625, 57): ubi plus semel experiri non liceat, ibi lite consumi; solutione, ubi liceat agere saepius.

3) *System* V § 232 (p. 220). Cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 96.

4) Addit (*System* V § 235 [p. 254]): modo plures rei sint. Quod facere non debuerat (§ 235 (p. 255) not. *g* a vocabulo *Uebrigens*).

5) *System* V § 231 (p. 209) not. *f.*

6) Ergo nihil commune habet sententia cum librorum nostrorum locis, ubi *de eadem re* concurrentes actiones sistuntur (§ 1 (i. f.) Inst. IV 9; l. 60 D. 44, 7; l. 130 D. 50, 17; l. 15 § 46 D. 47, 10; l. 43 § 1 D. 50, 17) aliove modo *eadem res* respicitur (*System* VI § 296 (p. 418) not. *b*).

7) In textu addit „*oder Zweck*", quod nunc unice probat Windscheid (1891) § 121 (ante notam 10), quum olim improbasset (*die* actio (1856) p. 36: „*ein viel zu unbestimmter Begriff*"). Quo de iuris articulo legant, auctor sum, Adolphum Last, *die Anspruchkonkurrenz* (1908) p. 17—31, somno quibus est opus alto.

8) Restare vidit Bekker, *die Aktionen* II (1873) p. 109: „*(es) müssen die Römer entweder zwei Kreise der Identität, einen weiteren und einen engeren angenommen haben, oder das Etwas, um dessen Identität es sich handelt, muss bei den beiden in Frage stehenden Regeln verschieden gedacht sein*". Nam de Fridolini ratione commodius paulo post dicetur (p. 261).

9) L. 18 § 3 D. 13, 5.

10) Dicetur infra (§ 5 i. f.).

Digitized by Google

illa aequitate nititur, haec stricto iure vel summum *probabili ratione* [1]). Quod ipsum obscure significare videtur Savigny, ubi scribit [2]): quum *idem* sit in utraque actione, proinde solutione consumendum, superesse iure Romano quaestionem [3]), quae tamen hodie cesset [4]), utrum iudicio consumatur, tunc enim, quum non consumatur iudicio, consumi solutione [5]). Veram („*nicht zu leugnen*") esse fatetur sententiam Merkel [6]), cui est consequens, ut, in quibus speciebus iure Romano consumatur iudicio, hodie quoque consumatur, sed solutione, quod non perspexit ille. Concedit enim [7]), ubi cesset consumi iudicio, ibi cessare consumi. 4. Vocat autem Savigny [8]), quem praeter Gulielmum Martens [9]) ante Iohannem (Hans) Peters [10]) secuti sunt ceteri [11]), *actiones concurrentes*, quae invicem consumant vel minuant („*Klagen, (welche) in einem ausschliesslichen* [12])

---

1) L. 6 D. 44, 2. Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 103 (II p. 484/6). Putat quidem Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 151, rationis rationem („*Endzweck*") esse: *ne bis idem exigatur.*

2) *System* V § 231 (p. 209).

3) Quam hinc facessere iubet Keller, *Pandekten* § 83 (i. f.). Cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 130—135.

4) *System* V § 235 (p. 255) not. *f* et *g*. Eandem tacite exterminant Windscheid (1891) § 121; Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 135, 3. Qua de re cf. W. Peters, *Klagenkonkurrenz* (1902) § 10; Last, *Anspruchkonkurrenz* (1908) p. 145. Nihilominus docent quum Savigny, *Obl.-R.* I p. 189/90, tum Windscheid (1891) § 295[8], in duobus reis absolutionem unius (propter l. 42 § 3 D. 12, 2) utrique proficere, quod rationem habere videtur Rudolpho Jhering, *Jahrb. f. d. Dogm.* 24 (1886) p. 186.

5) „*Die Lehre von der Prozessconsumtion.... (spielte) in die Concurrenz der Klagen mit hinein*" (p. 209 cit.). Remittit ad l. 18 § 3 D. 13, 5.

6) *Konkurs* etc. p. 9. — Ultra progressus Fridolinus, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 329, quem sequitur Hans Peters, *Ztschr. der Sav.-St.* 32 (1911) p. 182, atque (*die Konkurrenz* I (1918) p. 48 ima) Ernestus Levy, facit consumptionem iudicio „*(das) die Materie (beherrschende) Prinzip*", Alibrandi denique, *del concorso delle azioni* § 12, concurrentes actiones esse negat, nisi eas, quae *iudicio* interse consumant. Quod sic interpretatur Ferrini, *Pandette* § 205, quasi dictum demonstratumque esset mutuam peremptionem nullam esse nisi iudicio.

7) *Konkurs* etc. p. 125. 8) *System* V § 231 (p. 212).

9) *Ueber Concurrenz* (1856).

10) Hic demum rebellavit, *Ztschr. der Sav.-St.* 32 (1911) p. 183/4. Secundus venit Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 36/8.

11) Cf. W. Peters, *Klagenkonkurrenz* (1902) § 1. Interim accessit Last, *Anspruchkonkurrenz* (1908) § 2.

12) Cf. *System* V § 235 (p. 252).

Digitized by Google

Verhältniss zu einander stehen"), quod facere non debuerat [1]). Sunt enim concurrentes [2]) actiones, quibus de concurrentibus actionibus librum singularem [3]) conscripserat Paulus [4]), eae actiones, quae *ex uno facto* [5]) simul [6]) *competant* [7]), nominibus autem discrepent aliisve signis [8]), quibus, *quum.... deficiant.... nomina* [9]), actiones distinguuntur [10]), aut personis, quum nomina signave eadem sint [11]). Velut, *qui servum alienum iniuriose verberat, is incidit et in Aquiliam et in actionem iniuriarum* [12]), ergo *interdum* [13]) haec *utraque actio concurrit* [14]). Quod ubi locum habet, ibi non fit propter aliquam utilitatem, haud magis iura constituentium libidine [15]) vel arbitrio, sed ipsa re, quando quidem nulla causa, cur absorbeatur [16]) potius, quam absorbeat, utra actio [17]), nisi forte altera ad alteram quasi

---

1) Non debuisse èt vidit Martens èt dixit op cit. p. 65/6.

2) *Communes* appellat Ulpianus l. 2 § 10 D. 47, 8.

3) Supersunt inde l. 34 D. 44, 7 et l. 89 (88) D. 47, 2.

4) Itaque verum non est, quod scribit W. Peters, *Klagenkonkurrenz* (1902) p. 6: „*Klagenkonkurrenz .... war immer das, was man darunter verstand*".

5) L. 34 pr. (cf. l. 41 § 1) D. 44, 7.

6) Cf. adversus veteres quosdam Merkel, *Konkurs* etc. p. 2: „*die Voraussetzung der Koexistenz (war) doch zum Mindesten für die Möglichkeit einer Konkurrenz aufzustellen*".

7) Cf. l. 41 § 1 cit. (D. 44, 7).

8) „*Rechtlich(e) Gesichtspunkt(e)*" appellant Keller, *Pandekten* § 83 (init.) Windscheid (1891) § 130, 1; Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 135[14].

9) L. 2 D. 19, 5.

10) Alioquin numquam concurrerent actiones in factum, id est, *ἀνώνυμοι*, licet ex uno facto simul competerent, quod absurdum. Itaque rectissime docet Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 401/2, etiam hodie et inter easdem personas actiones concurrere, licet veteribus nominibus uti nemo cogatur. Qui locus tractabitur plenius in fine huius observatiunculae (§ 18).

11) De personis, quum actiones sint *ὁμώνυμοι*, testimonium nullum esse, recte notat Merkel, *Konkurs* etc. p. 118/9 (sed cf. ibid. p. 122/4: de duobus reis).

12) L. 34 pr. D. 44, 7.

13) *Interdum* delet Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 46[1]; reliqua servat Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 193.

14) Ulp. l. 5 § 1 D. 9, 2 (Merkel, *Konkurs* etc. p. 3).

15) Quasi libidine fiat, loquitur Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 135/6. Cf. quoque Merkel, *Konkurs* etc. p. 70 lin. 19—22.

16) Vocabulum Bernhardi (1891) § 454[24].

17) Uberiore actione utique absorberi minus pinguem, perperam docet Tuhr, Actio de in rem verso p. 207 (ia. p. 203). Saepe concurrere actiones inaequales, videbimus infra (§ 13).

Digitized by Google

species ad genus referenda sit [1]) quod interdum fallit [2]), plerumque ambiguum est [3]). Veluti sic putat Windscheid [4]) rerum amotarum actionem condictione absorberi [5]) et fallitur, quia rerum amotarum actio coniugis, condictio domini est [6]). Verum hoc remoto datarum semel actionum erit concursus velit nolit, qui iura constituat; tantum potest praecavere, ut aliquando praecavit Longobardorum rex Liutprandus [7]), adimendo [8]) vel non dando actionem vel dando subsidiariam. Subsidiariam enim cum principali actione non posse concurrere rectissime docet Merkel [9]), quia non simul competit; multo magis, quod

---

1) Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 189: *„es ist.... eine gemeingültige logische, wie rechtspolitische, Regel, dass die speziellere Vorschrift vor der allgemeineren den Vorzug hat"*. Praeiverat Papinianus l. 80 D. 50, 17; huic in legibus utique contrariis Cicero de Invent. II 49 § 146 (Docet hic praeterea (ibid. § 145) praeferri legem, *in utra maior poena statuatur*, quod sicut superius transiit in nostrum *W. v. S.* art. 55). Appellant eam hodie plerique *„Gesetzeskonkurrenz"* (Siber p. 227), de qua habuit (1917) orationem Groningae inauguralem Van Goudoever *(over samenloop en strijd van eigen wetten)*, efficit autem, actiones *n e* concurrant, quia una dumtaxat nascetur. Cf. Birkmeyer, *Strafrecht* § 29 (Encyclop. (1904) p. 1153); Simons, *Leerb. v. h. Ned. Strafr.* I (1910) § 300, 2; Berndt, *der röm.* conc. actionum. Diss. Wratisl. 1913 p. 58 lin. 10—12; Seuffert, *Literaturztg.* 36 (1915) p. 1958/9 (*„im bürgerl. Recht"*). Plane, quem intelligit Merkel, *Konkurs* etc. § 14 lin. 10 (p. 127), *„Konkurs der Rechtsquellen"* — intelligit autem regulam (l. 41 pr. D. 44, 7), quae salvas facit pristinas actiones, licet nova detnr — is perinde efficit, *ut* concurrant actiones, atque omne, de quo disputat Helssig, *z. Konkurrenz* p. 44/5, *„Zusammentreffen der Rechtssätze"*, quum scilicet neutrum praeceptum alterius sit veluti species, quem appellat Van Goudoever, or. cit. p. 3, *„samenloop zonder meer"*.

2) Exemplum praebet Ulpianus l. 1 § 4 D. 39, 4.

3) Van Goudoever, or. cit. p. 12.

4) *Lehrbuch* (1891) § 454[24].

5) Debebat potius condictio absorberi; est enim ipsius sententia rerum amotarum actio speciei instar, nec ad rem facit, quod supervacanea ipsi videtur. Cf. l. 15 § 26 D. 47, 10.

6) L. 17 § 3, l. 18 D. 25, 2.

7) c. 131 (Pap. 130) i. f.: *non habeat de una causa duas calomnias.*

8) Quia, quae non adimitur, actio perstat, licet nova detur (l. 41 pr. D. 44, 7).

9) *Konkurs* etc. p. 129/30. Quomodo igitur l. 14 § 13 D. 4, 2 cum actione quod metus causa concurrit de dolo actio? Crediderim Pomponium iam ibi oscitasse (ut l. 7 § 8 D. 4, 3, ut Labeonem l. 7 § 6 D. eod., quem sinit Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 210[1], non sinit Pringsheim, *Ztschr. der Sav.-St.* 41 (1920) p. 257), Ulpianum nondum (ut l. 7 § 8 cit.) expergefactum. Aliter solvit aenigma Seckel apud Ernestum, *die Konkurrenz* II (1) p. 157.

Digitized by Google

perspexit Levy [1]), cessabit electio. Quocirca, quum vult persuadere Salpius [2]) antiquitus apud Romanos concurrentes actiones fuisse nullas, haud illepide hoc sibi dari postulat [3]): principio omnem novam actionem („*jede neue Klage*") apud eos fuisse subsidiariam. Ne secutorium quidem iudicium concurrere potest cum eo, quod praecedere oportet, velut cum actione noxali actio in dominum de eo quod pervenit, postquam haec aliquando dari coepit non principaliter, sed *si noxae maluerit servum dedere* [4]). Ex diverso cum praeparatorio potest concurrere peremptorium, modo liceat a peremptorio ordiri [5]). Ergo sunt actiones concurrentes, ut dicebamus: ex uno facto quae competant, nominibus autem signisve personisve discrepent. Quamquam huic doctrinae multi contradixerunt [6]) propterea, quod interse consumant actiones non ex eodem facto descendentes. Quod generaliter [7]) verum esse non putamus Helssig [8]) egoque, modo quis *ex eodem facto* recte interpretetur [9]). Ex diverso, quod substituitur: concurrere actiones, quibus idem petatur [10]), prorsus est commentitium [11]) (Helssig [12]): „*aus dem*

---

1) *Die Konkurrenz* I (1918) p. 220: „*die Subsidiarität bildet einen Gegensatz zum* eligere posse".

2) *Novation* p. 180 med. 3) Op. cit. p. 222/3.

4) c. 4 pr. C. 3, 41; Ed. Theod. 108; 118. Cf. Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 436/8. Iure genuino principaliter competebat vel dabatur: l. 4 D. 13, 1. Cf. Levy, op. cit. I p. 440[2]. 5) Cf. Glück IV p. 14/5.

6) Veluti Savigny, *System* V § 231 (p. 206/7), § 233 (p. 234); Merkel, *Konkurs* etc. § 10 (excipit hic auctor (p. 84) actiones ex delicto); Windscheid (1891) § 121 not. 10 (i. f.); Dernburg (= Glück IV p. 13) *Pandekten* I (1892) § 135 post notam 12. — Nobiscum stat Gothofredus (ad. c. un. C. Th. 9, 20): *est concursus actionum, quotiens ex uno eodemque facto plures actiones competunt*; stat Keller, *Pandekten* § 83 (init.), nisi negat (§ 83 cit. fin.) ad propositam quaestionem pertinere actiones, quae iudicio interse consumant; stat indistincte Helssig, *z. Konkurrenz* p. 64/6 (p. 66: „*demnach ist die Einheit der begründenden Thatsache hier wie dort das Prinzip*").

7) Singulariter quidem et semel permiscentur actiones non ex eodem facto (l. 68 (67) § 2 D. 47, 2: *etiamsi duo furta fecisset, non amplius quam semel cum eo agi posset*). Potest idem contingere ex accidentibus propter concursum causarum lucrativarum (l. 66 § 1 D. 31), posse legantium contrahentiumve voluntate, docebimus infra (p. 274).

8) Op. cit. p. 65/6. 9) Interpretabimur mox (§ 5).

10) Helssig, *z. Konkurrenz* p. 7—22; Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 135, 3.

11) Cf. Merkel, *Konkurs* etc. 89—93; Helssig, op. cit. p. 41—64 (sed p. 64/6 demonstrare cupit re non interesse). 12) Op. cit. p. 41.

Digitized by Google

Begriffe.... rein analytisch ab(ge)leite(t)"). Quo perspecto simul concidit distinctio Fridolini, cui praeivit Helssig [1]), quem praevertit Jhering [2]), quando consumatur solutione, quando lite. Docet enim ille: quum in actionibus idem sit, solutione consumi [3]), nisi praeterea ex eadem *causa* sint, tunc enim lite consumi [4]). Quorum sicut illud est commentitium, ita hoc in concurrentibus actionibus necessarium, quia ne concurrunt quidem actiones, nisi sint *ex eodem facto*, et videtur *causa* pro *facto* mera μετονομασία [5]) aut, si interierit, hoc quoque commentitium. Plane *causam* intelligit Eisele [6]), unde sumpsit Karlowa [7]): „*de(n) die Verpflichtung zur Existenz bringenden Thatbesta(nd)*", quod erit auctore Fridolino nascentibus ex delicto actionibus factum delinquendi [8]); ex contractu contrahendi [9]), modo concurrant cum sui similibus, sin concurrat ex delicto actio, committendi [10]) („*die auf Grund des Vertrages den Anspruch auslösende Handlung*"), cui obloquitur Levy [11]) praecipitque ex contractu actionibus utique causam esse, etiamsi maxime ex delicto actio concurrat [12]), factum contrahendi, in rem denique actionibus ipsum ius in re [13]). De in rem actionibus praeiverat Helssig [14]), qui praeterea in personam actionis causam esse docebat [15]) ipsam obligationem („*das der* actio *zu Grunde liegend(e) obligatorisch(e).... Rech(t)*"), quasi aliud sit actio aliud obligatio. Quod iamdudum refutare conati

1) Op. cit. p. 24/8.

2) *Jahrb. f. d. Dogm.* XXIV (1886) p. 149.

3) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 329 (et 77 (1891) p. 458).

4) Ibid. 79 p. 367 (et 77 p. 421/3), Adstipulati sunt Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 270; W. Peters, *Klagenkonkurrenz* (1902) § 6; Wrzeszinski, *Die Konkurrenz*, Diss. Frib. 1902, § 9; Lewinsohn, *Beiträge zur Aktionenkonkurrenz*, Diss. Heidelb. 1910 p. 27/8 etc.; Berndt, *der röm.* conc. actionum, Diss. Wratisl. 1913, p. 38—46. Venit contra Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 395/7.

5) Cf. l. 3 pr. D. 47, 23.

6) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 361.

7) *Rechtsgesch.* II p. 988.

8) *Archiv* etc. 77 (1891) p. 425/6: „*ein und dasselbe* furtum".

9) Ibid. 77 p. 436: „*ein (und derselbe) Vertrag*".

10) Ibid. 79 p. 367. Cf. Wrzeszinski, Diss. cit. p. 19: „*eine Willkür ist hierin nicht zu erblicken*". Tales habere vellem criticos.

11) *Die Konkurrenz* I (1918) p. 99. 12) Ibid. p. 107/8.

13) Ibid. p. 115. 14) *z. Konkurrenz* p. 25.

15) L. l. (p. 25).

Digitized by Google

sumus [1]). — Intelliguntur nimirum actiones etiam non ex eodem facto *in eiusdem persona* creditoris debitorisque *concurr(ere)* [2]), quo casu, si nihil aliud, locus erit exceptioni litis residuae, nisi de omnibus simul creditor egerit [3]). Potest autem ea species contingere, etiamsi in utraque obligatione *(de) eadem(re)* praestanda agatur [4]), veluti, si ex stipulatu et ex testamento [5]) vel ex duobus testamentis [6]) vel proprio nomine et hereditario [7]) vel proprio meo et servi vel filii nomine [8]) idem mihi corpus ab eodem debeatur. In quibus speciebus [9]) auctore Africano [10]), quive Africanum interpolavit [11]), valebit prior causa omnino, posterior, quatenus aut prior aut ipsa non sit lucrativa [12]), nisi mihi et servo vel filio meo legatum sit [13]), tunc enim *sine dubio val(e)t legatum utriusque*, sicut valeret duobus in solidum dare damnatis, nam *idem est, acsi duobus testa-*

---

1) Cap. harum observ. L.

2) L. 10 D. 19, 1 (cf. l. 5 D. 46, 1). Eam appellat Glück IV p. 11: „*Concurrenz im uneigentlichen Verstande*", Merkel, *Konkurs* etc. p. 4: „*blosse Coexistenz*". Cf. praeterea Savigny, *System* V § 231 (p. 213) not. *o* = § 234 (p. 232).

3) Gai. IV § 122. Interpolata videntur èt mihi èt Ernesto, *die Konkurrenz* I p. 458, hodie quae leguntur l. 10 D. 19, 1: *et debere heredem — sentiat commodum* (sequentia quoque damnat Schulz, *Ztschr. der Sav.-St.* 38 (1917) p. 148). Etsi videntur potius Gustavo Hartmann, *die Obligation* (1875) p. 106, „*überwiegende Zweckmässigkeitsgründe dafür zu sprechen, die mehreren .... Ansprüche* [formell] *in ein* iudicium *zwingend zusammenzuziehen*".

4) L. 14 § 2 D. 44, 2.

5) L. 108 § 4 D. 30; l. 18 D. 44, 7 (Glück XLVI (Arndts) p. 303 not. 84).

6) L. 108 § 5 D. 30.

7) Ea est species l. 10 cit. (D. 19, 1), quam solam agnoscit Salkowski, *Novation* p. 250, eoque refert l. 18 D. 44, 7, quasi non ibi *initio ita constiterint .... obligationes, ut altera in iudicium deducta altera .... integra remaneret.*

8) L. 53 § 2 D. 30. Cf. l. 59 D. 31.

9) Prima utique (l. 108 § 4 D. 30) et secunda (l. 108 cit. § 5).

10) L. 108 § 4, § 5 (cf. l. 34 § 8) D. 30.

11) Difficile dictu est, quid Africano debeatur, quid Triboniano maxime de § 4 cit. (l. 108 D. 30). Clausulam *sin e duabus* rell. damnabat Pernice, Lab. II 1 p. 268[3], quod cur neutiquam admittendum sit, perspicue docet Di Marzo, *Bull. dell' istit. di dir. rom.* XV (1903) p. 101. Fuisse crediderim: *sin* [e duabus tunc] *magis, placet inutile esse legatum.* Cf. praeterea Schulz, *Ztschr. der Sav.-St.* 38 (1917) p. 176—178 (etiam p. 178 not. 1).

12) Aliter interpretatur Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 152[4], 177: si secunda causa emolumentum habeat (cf. Di Marzo, *Bull.* cit. XV p. 126 not. 1).

13) De hac specie nihil habet Africanus.

Digitized by Google

mentis legatum esset [1]). Quo casu docet Ulpianus [2]) sub huiusve persona Tribonianus, *bis pet(i) po(sse), ut ex altero testamento rem consequar, ex altero aestimationem*, sed verius est, quod praecipitur a summo Papiniano [3]), quem sinit Di Marzo [4]): ipso corpore, quod legatum dicitur, *ab uno herede solut(o)* ex altero legato *liberationem obtingere* — et nihil interesse videtur [5]), utrum *vivo testatore* [6]), an *die legati cedente* [7]), id est [8]), post diem cedentem legatarii res facta sit, nisi hoc intersit, quod in priore specie res legatarii facta nihilominus ei debebitur, si ante diem cedentem esse eius desierit [9]) — *obtingere* autem propter concursum duarum causarum lucrativarum [10]), etsi verbo

---

1) L. 53 § 2 D. 30. De hac specie aperte contradicit Africanus (l. 108 § 5 eod.), nisi differentiam facit, quod apud hunc eadem persona utrumque legatum debet. Alio modo res conciliare studet Cuiacius (cf. Glück XLVI (Arndts) p. 302 not. 83).

2) L. 34 § 2 D. 30, quam Triboniano acceptam referunt Di Marzo, *Bull.* cit. XV p. 121/3; Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 181/3. Quo negato cadet (Hoheisel ap. Glück XLVI p. 261 not. 18), concesso stabit § 6 Inst. II 20 (utique a v. *hac ratione*). Quamquam damnat utramque paragraphum Di Marzo (p. 123).

3) L. 66 § 1 D. 31.

4) *Bull.* cit. XV p. 122.

5) Mihi. Ex diverso permultum Friderico Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 193: *„beim Erwerb der vermachten Sache vor dem* dies cedens *spielt im klassischen Recht die (Art der) Erwerbs*causa *keine Rolle"*.

6) § 6 Inst. II 20; l. 87 pr. D. 31. Ergo utrubique Tribonianum arguit Schulz p. 193/4, p. 195/6.

7) L. 82 pr. D. 30. Recurrit formula (Vocab.): Ulp. XXIV 30; l. 12 pr. D. 30; l. 55 pr. D. 31; l. 26 D. 38, 2 (= post diem cedentem); l. 27 pr. D. 7, 1; l. 11 D. 33, 5; l. 5 § 2 D. 34, 3; l. 80 (78) § 10 D. 36, 1 (= ipso die cedente); l. 77 § 2 D. 35, 1.

8) Cf. Glück XLVI (Arndts) p. 279[44]. Sed videndum, utrum l. 82 pr. cit. (D. 30) ad propositam quaestionem revera pertineat. Nam *ab eo herede* interpretantur quidem plerique, velut Glück XLVI (Arndts) p. 262: *ab alio herede*, sed aeque commode potest *ab eodem herede*, post quod sermo erit non de concursu causarum lucrativarum, sed de solutionis vi et instantia (Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII (1917) p. 155—158. Sine causa damnat *eo*; si quid damnandum est, damnabimus *herede*).

9) Cf. Glück XLVI (Arndts) p. 278—287, p. 293/4.

10) § 6 Inst. II 20; l. 17 D. 44, 7; l. 83 § 6 D. 45, 1; l. 21 § 1 D. 32. Est in eam rem praestantissimus commentarius Ludovici Arndts (Glück XLVI § 1519*a*). Perseverabat regula temporibus Roberti Pothier (*Obligations* nis. 652—655 (616—619); *Testaments* no. 332 1°), quin creditur apud Teutonos etiamnunc stare (Last, *Anspruchkonkurrenz* (1908) p. 89).

Digitized by Google

tenus [1]) negat Di Marzo [2]). Quae pars iuris ut manifestior fiat, admonendi sumus: etiam remoto causarum lucrativarum concursu nihil tam conveniens esse naturali rationi, quam *n(e) bis eadem res* eidem *praestari possit* [3]). Quocirca non hoc est novum: *quotiens.... nihil absit*, una solutione ab utraque obligatione *compet(ere) liberatio(nem)* [4]), sed hoc: si quid absit afuturumve sit [5]), etiam *ratione Falcidiae* [6]), reliquam posse obligationem exerceri [7]). Quod non semper exprimendum duxerunt iurisconsulti; veluti, quum scribit Iulianus [8]): *quum mihi fundum dederis*, quem a te stipulatus sim, *is quoque liberabitur, a quo detracto usufructu fundum stipulatus fueram*, insuper habuit adicere: nisi ex alterutra causa aliquid absit [9]). Alibi similiter [10]):.... *si legatarii res facta fuerit die cedente, obligatio legati extinguitur*, insuper habuit adicere: nisi quid absit, modo textus ad concursum causarum lucrativarum pertineat,

---

1) *Bull.* cit. XV p. 125: „*a Giuliano in fatti si deve il principio che, se il legatario acquistò.... verso un sacrificio l'obbietto legatogli....*, *la* obligatio legati *non si estingue*". Extinguetur igitur, si gratis adquisierit.

2) *Bull.* cit. XV p. 124 (§ VII). Unde cuniculos agit (p. 91), l. 45 pr. D. 30 ad propositam quaestionem omnino non pertinet. Manifestant enim l. 44 § 1, l. 81 § 6 eod. illic pro *alienaveris* legendum esse *alii legaveris*.

3) L. 108 § 4 D. 30. Cf. l. 34 § 3 eod. (*eadem res saepius praestari non potest*); l. 87 pr. D. 31 (*nec possit id quod habet petere*); § 14 Inst. IV 6 (= Gai. IV § 4). Ergo multum fallitur Wrzeszinski, *Konkurrenz der Ansprüche*, Diss. Frib. 1902 p. 11[30], qui generaliter putat aestimationem praestandam. Rectius Last, *Anspruchkonkurrenz* (1908) p. 15: „*unter Umständen*", ipse qui in eo fallitur, quod vel propterea putat aliam causam regulae quaerendam, quia propositae exceptionis rationem ipsa non reddit (p. 93/4).

4) L. 61 D. 46, 3. Cf. l. 108 § 4 cit. (D. 30). 5) L. 34 § 8 (cf. l. 108 § 5) D. 30. Cf. Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 181 (et 176).

6) L. 108 § 5 D. 30. Pro *abscidit* reponendum est *absciditur* permittente Gulielmo Studemund, Apogr. p. 306. Est quidem ipsa res suspecta Salvatori, *Bull.* cit. XV p. 126[2]; Friderico, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 178.

7) Iul. l. 19 D. 44, 7. Cf. Glück XLVI (Arndts) p. 253/6; Windscheid (1891) § 360, 3; Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII (1917) p. 202/3. Sed putat hic reliquam posse obligationem exerceri, *modo* (nos: licet) lucrativam causam habeat, nam haud magis duas mercenarias (*onerosas* appellat) quam duas gratuitas causas in eundem hominem et in eandem rem concurrere posse (p. 146). Laudat in eam sententiam l. 56 § 7 D. 45, 1 (p. 147), quin districte vetat, ne quis aliter sentiat (p. 206: „*an der Tatsache.... darf nicht gerüttelt werden*"). Cui oppedit Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 256/7. 8) L. 56 § 7 D. 45, 1.

9) Cuiac. Paris. VI 381 C: *si uterque fundum promisit ex causa lucrativa.*

10) L. 82 pr. D. 30.

Digitized by Google

quod vix videtur verum esse [1]). Compilatoribus quidem pertinere visus est, quocirca vel decipiendi causa paulo infra, quae cancellabo, addiderunt [2]): *nam et si ex stipulatione mihi Stichus debeatur et is, quum sub condicione alii legatus esset, factus fuerit meus* [ex causa lucrativa] *nihilominus* [existente condicione] *ex stipulatu agere potero.* Ubi, quia ad concursum una lucrativa causa non sufficit, erat ab initio sic sententia ordinanda: *nam et si ex stipulatione (propter liberalitatem) mihi Stichus debeatur*, quod omissurus fuisse Iulianus non videtur, si ad concursum causarum locus pertineret, et exprimendum putaret. Idem volnus studio medendi intulerunt Marcello [3]); ex diverso immunis vitio est sermo Pauli [4]): *si rem, quam ex causa lucrativa stipulatus sum, nactus fuero ex causa lucrativa, evanescit stipulatio*, quocirca nihil inde ceterisve de locis, quorum par causa est [5]), Triboniano reddendum [6]). Ergo, si res legata ex non lucrativa causa ad legatarium pervenerit, manebit ex testamento actio, etiamsi maximc minoris emerit. Quomodocumque enim emi rem, quae mihi legata est, *competet mihi ex testamento actio* [7]), *usque ad pretium, quod mihi abest* [8]); *iudex* enim *in causa legati datus* [9]) *tanti litem aestimare debebit, quantum mihi aberit* [10]), id est, *quanti* mihi res *constit(erit)* [11]),

1) Quidni, diximus supra (p. 263 not. 8).

2) Cf. Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII (1917) p. 155—159, qui totam nebulam dispulit. Aliquid viderat Di Marzo, *Bull.* cit. XV p. 102/3; nihil Ferrini, *Enciel. giur.* XII (1) p. 869.

3) L. 98 pr. D. 45, 1 (cf. Di Marzo, *Bull.* cit. XV p. 110/2; Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 189/91.

4) L. 83 § 6 D. 45, 1.

5) Iul. l. 17 D. 44, 7; Scaev. l. 88 § 7 (i. f.) D. 31; Paul. l. 87 pr. D. 31; l. 21 § 1 (salva clausula) D. 32.

6) Prorsus dissentit Di Marzo, *Bull.* cit. XV p. 98 (ad l. 87 pr. cit.), p. 99 (ad l. 88 § 7 cit.), p. 100 (ad l. 21 § 1 cit.), p. 109 (ad l. 17 cit.), p. 112 (ad l. 83 § 6 cit.). Ex diverso Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII, tantum sollicitat l. 87 pr. cit. Nam, quod l. 83 § 6 cit. (p. 186), l. 88 § 7 cit. (p. 197) *legati* reponit pro *lucrativa*, alio nomine appellandum est.

7) L. 34 § 7, l. 108 § 6 D. 30; l. 73 D. 31.

8) L. 34 § 7 cit. (D. 30). Redit hoc sermonis genus l. 4 D. 17, 1 (cf. § 8 Inst. III 26) et item l. 30 § 1 D. 9, 2 (*usque ad modum debiti*). Sed est l. 30 § 1 cit. turpiter interpolata (Gradenwitz, *Interpol.* (1887) p. 89).

9) L. 73 D. 31.

10) L. 82 § 2 D. 30.

11) L. 73 D. 31, quae quidem sermonis genere peccare videtur Salvatori, *Bull.* cit. XV p. 106/7, ut peccat l. 12 § 18 D. 49, 15. Qua de re cf. Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 165/7.

Digitized by Google

modo dominum emptio me fecerit [1]). Ergo, *(si) proprietatem (legati) fundi redemero detracto usufructu*, stante usufructu debebitur mihi ex causa legati, si vero pretio nudum emi, verum pretium liberi fundi [2]), si minoris emi, eo minus, quanto minoris emi [3]), sin *postea venditor capite minutus (si)t et usus-fructus ad me pertinere coep(er)it, ... quantum mihi aberit* [4]), id est, pretium quod dedi. Respondit ita Iulianus; adnotavit Marcellus: *idem erit et, si partem redemero, pars mihi legata est aut donata* [5]); ergo petere debeo fundum legatum [6]), consequar pretium, quo partem redemi. Sed haec quidem locum habent, si alius mihi debet speciem, ab alio eandem speciem aut comparavi aut lucratus sum; quodsi quis mihi debet non speciem, sed illud aut illud, et alterum utrum *ex ali(a) qua causa* nactus sum, *reliquum debetur* [7]), licet illud nactus sim *ex causa lucrativa* [8]). Reliquus est tractatus possitne voluntas contrahentium legantium efficere, ut aestimatio praestanda sit, licet corpus, quod gratuito debebatur, creditor ex lucrativa causa nactus sit? Quod semel adfirmatur [9]), loco fortasse [10]) interpolato. Ex superioribus autem apparet, posse utique ex stipulatu et ex

---

1) Alioquin *non aliter absolvi heredem oportebit, quam si (et) pretium restituerit et hominem actoris fecerit* (l. 84 § 5 D. 30).

2) Nondum enim quidquam lucratus sum.

3) Id ne bis lucrer.

4) L. 82 § 2 D. 30. Non bene convenit huic textui cum § 9 Inst. II 20, sed videtur Digestorum potius genuinus quum Ludovico Arndts (Glück XLVI) p. 318—323, tum Friderico Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 160/1, et mihi.

5) L. 82 § 3 D. 30.

6) Quia Marcellus voluit *idem e(sse)* in utraque specie, non potuit scribere: *partem enim dumtaxat petere debebo.* Inducitur enim his verbis pluspetitio (Arndts (Glück XLVI) p. 311), quae a superiore specie abest (ibid. p. 322), etsi negat abesse Schulz (*Ztschr.* cit. XXXVIII p. 161), qui vel sic delet clausulam (p. 162).

7) L. 16 pr. D. 45, 1. Cf. Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 168/9.

8) L. 82 § 6 D. 30. Cf. Glück XLVI (Arndts) p. 275/6 (Aberrat Merkel, *Konkurs* etc. p. 97). Eodem modo discimus apud Iulianum: qui proprietatem rei emptae ex alia causa — lucrativa licet (Schulz: tantum) — nactus sit, emptorem *integras actiones retine(re)* (l. 19 D. 44, 7), sed apud eundem alibi (l. 84 § 5 D. 30): actione ex empto (cf. l. 13 § 5 D. 19, 1; l. 41 § 1 D. 21, 2; Tribon. l. 9 eod.) pretium dumtaxat reddendum (cf. Paul. II 17 § 8) remittendumve (cf. l. 29 pr. D. 21, 2). Cf. Schulz, *Ztschr.* cit. XXXVIII p. 117 sqq., p. 130 sqq. (In alia omnia abit Di Marzo, *Bull.* cit. XV p. 114/5).

9) L. 21 § 1 D. 32. Cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 90.

10) Ultra progredi ne Schulz quidem audet (*Ztschr.* cit. XXXVIII p. 185).

Digitized by Google

testamento [1]) vel ex duobus testamentis [2]) idem mihi corpus ab eodem deberi, si modo altera utra causa non sit lucrativa vel non tota lucrativa; sed ex duabus stipulationibus, nisi una sit propria altera hereditaria [3]), ex unove testamento, nisi mihi et filio vel servo meo idem legatum sit [4]), non potest, quia, si *(eidem) eadem res* ab eodem herede [5]) *saepius legetur in eodem testamento* duplici licet [6]), *amplius quam semel peti non potest* [7]); eodem exemplo, *qui bis idem (eidem) promittit, amplius quam semel* [8]) *non tenetur* [9]), idque ius est etiam in ceteris contractibus velut in emptione venditione [10]). In quantitate diversum probatur [11]). **5.** *Evenit* autem in delictis maxime, ut ex uno facto *plures nasc(a)ntur actiones* [12]), veluti *rerum raptarum nomine* non tantum vi bonorum raptorum, sed *etiam furti vel damni iniuriae vel condictione agi potest vel certe singulae res vindicari possunt* [13]). Simile quid evenit, quum *arbores furtim caesae dicuntur* [14]), erit enim actio ex duodecim

---

1) L. 108 § 4 D. 30 (interpolationis quaestione salva).

2) L. 108 § 5 D. 30 (interpolationis quaestione hic quoque salva).

3) Ea species est l. 10 D. 19, 1.

4) Cf. l. 53 § 2 D. 30.

5) Cf. l. 53 § 2 cit. (D. 30).

6) Cf. l. 88 § 7 D. 31.

7) L. 42 § 1 D. 7, 1; l. 34 § 1 D. 30; l. 66 pr. D. 31 (ubi legendum: *heres autem* etc. *mihi (et Seio) legavit*).

8) Pro *amplius quam semel* rescribit *ex posteriore promissione* Riccobono, *Ztschr.* eit. XLIII p. 291.

9) L. 18 D. 45, 1. Erit igitur, si quid in posteriore stipulatione novi sit, prior novata (Gai. III § 177), sin minus, nihil actum posteriore, nisi prior propter exceptionem fuit inutilis (cf. l. 25 D. 45, 1 ia. c. 2 C. 4, 28). Quod ius luculenter exposuit Salpius, *Novation* § 30 (p. 177), quocum hactenus („*hinsichtlich des einen Falles der* stipulatio posterior") facit Rud. Merkel, *der römisch-rechtl. Begriff der* novatio (1892), p. 32, in ceteris autem speciebus damnat (p. 21—25, p. 43) „*die angebliche Absorptionswirkung*".

10) L. 10 D. 19, 1. Erit nova emptio, si pretium auctum sit vel deminutum (l. 72 pr. D. 18, 1; l. 2 D. 18, 5), sin minus, nihil actum (l. 7 pr. D. 18, 5). Cf. l. 7 § 1 D. 18, 5.

11) L. 34 § 3—6 D. 30 (Gradenwitz, *Interpolationen* (1887) p. 31/2); l. 12 D. 22, 3; l. 9 D. 34, 4; Salpius, *Novation* § 31 (p. 179/80) et p. 260[3] (ad l. 58 D. 45, 1). Qui debuerat cum l. 58 cit. conferre l. 9 § 2 D. 46, 2, ubi desunt verba *sicuti qui decem, deinde quinque stipulatur, nihil agit.* Quae molesta fuerunt etiam Cuiacio, quocirca (Paris. VI 399 D/E) interpretatur *ex eadem summa quinque.*

12) L. 32 D. 44, 7.

13) L. 2 § 26 D. 47, 8.

14) L. 32 D. 44, 7.

Digitized by Google

tabulis *de arboribus succisis* [1]) et actio legis Aquiliae [2]), erit praeterea actio honoraria *arborum furtim caesarum* [3]) et interdictum *quod vi aut clam* [4]), quin immo, si conductor admiserit, addetur his locati actio [5]). Videbitur autem haec quoque actio cum superioribus concurrere, quia, quum dicimus *ex uno facto*, non, sicut in agendo [6]), *contractus initium* [7]) solum spectamus [8]) sed omne praeterea factum incidens [9]), quod actionem per se pariat vel saltem committat, id est, quo quis *incida(t) in obligationem* [10]), quo fit, ut concurrere videantur commodati actio et condictio, *si is cui rem commodavero eam subripuerit* [11]), commodati autem et legis Aquiliae, *si tibi commodavero vestimenta et tu ea ruperis* [12]), locati denique et legis Aquiliae, *si vulneraveris servum tibi locatum* [13]), licet illae coeperint ex contractu ante facto, hae ex delicto post commisso. Appellamus autem factum incidens, quod ad priorem obligationem quoquo modo pertineat nec tamen eam tollat vel novet [14]), veluti, quo

1) Gai. IV § 11; l. 28 § 6 D. 12, 2; l. 25 § 5 D. 19, 2; l. 1, l. 11 D. 47, 7.

2) L. 28 § 6 D. 12, 2; l. 1, l. 11 D. 47, 7; l. 25 § 5 D. 19, 2; l. 13 pr. D. 43, 24.

3) L. 25 § 5 D. 19, 2 (Paling. Gai. 245); cf. Lenel, *das* edictum § 139.

4) L. 28 § 6 D. 12, 2; l. 11 D. 47, 7; l. 25 § 5 D. 19, 2; l. 7 § 5, l. 13 pr., § 3, § 4, § 7 D. 43, 24.

5) L. 28 § 6 D. 12, 2; l. 9 D. 47, 7; l. 25 § 5 D. 19, 2. — Quodsi, qui cecidit, *lucri faciendi causa contrectaverit (ligna), etiam furti tenebitur.... et condictione et ad exhibendum* (l. 8 § 2 D. 47, 7), sed ex alio facto.

6) L. 8 pr. D. 17, 1; l. 1 § 13 D. 16, 3. Cf. etiam l. 33 pr. D. 39, 5.

7) Ita appellatur l. 8 pr. D. 17, 1; *primus contractus* l. 1 § 13 D. 16, 3.

8) Spectandum putabat Savigny, *System* V § 231 (p. 206) not. *a*. Quem falli vidit Merkel, *Konkurs* etc. p. 83. Cf. Martens, *Ueber Concurrenz* etc. p. 6/7; Helssig, *z. Konkurrenz* p. 65/6.

9) „*Haupt*-factum" id appellat Glück IV p. 7, p. 9, *„entscheidend(e) Thatsach(e)"* Demelius, *die* confessio p. 121, *fatto incidente*, ut nos, Pacinotti *Archivio giur.* 71 (1903) p. 218.

10) L. 81 § 1 D. 46, 3.

11) L. 34 § 1 D. 44, 7 (ex libro singulari *de concurrentibus actionibus*).

12) L. 34 § 2 D. 44, 7 (ex lib. sing. *de concurr. actionibus*).

13) L. 43 D. 19, 2. Cur igitur Iulianus (l. 5 § 3 D. 9, 2, cf. l. 13 § 4 D. 19, 2), quum *puero discenti ingenuo.... parum bene facienti forma calcei cervicem* sutor *percussi(sse)t* etc.,... *an ex locato* actio competeret, *dubit(ab)at,.... sed lege Aquilia posse agi non dubit(abat)*? Videtur enim locati actio hoc facto utique commissa, *quia levis dumtaxat castigatio concessa est docenti.* Quaesivit (sed non invenit) Kann, *Klagenmehrheit* (1901) p. 1—3.

14) Quodsi hoc evenerit, actiones non competent simul, proinde ne concurrent quidem.

Digitized by Google

quis adimat sibi restituendi facultatem, quod fuit in superioribus exemplis, in quibus dici potest, quin dixit Finestres [1]): causam agendi proximam utrubique esse eandem; est etiam in eo, si quis cuius operas conducat et eum mercis suae institorem faciat, concurret enim ex conducto actio prioris et mandati posterioris contractus ratione [2]); est denique secundum Pomponium in eo, si quis hominem prius subripuerit, deinde eundem etiam occiderit. Nam in hac specie [3]) concurrere visae sint Pomponio necesse est condictio furtiva et legis Aquiliae actio, quia propterea has actiones non contribuit [4]), *quia alterius aestimationis est legis Aquiliae actio, alterius condictio ex causa furtiva* [5]), quum alioquin *plura delicta in una re (concurrentia)* non confundantur, neque ob id quasi *ex una obligatione*, id est, ex uno facto [6]) *plures actiones nasc(i)* credantur, quae sententia Modestino [7]) aliquando placuit, sed ceterorum

1) Hermog. I p. 639, 96 (i. f.). 2) Cf. l. 11 § 8, l. 12 D. 14, 3.

3) Cf. in re simili Paul. l. 28 D. 47, 2 (quam non recte aut mihi aut Ernesto, *die Konkurrenz* I p. 464[9], videtur explicare Ferrini, *Diritto penale* (1899) p. 222; (1902) § 99). *Nihil ad poenam adicit*, ideo dicit Paulus, quia contribuit condictionem furtivam et legis Aquiliae actionem et *poenam* appellat, quidquid propter delictum praestandum sit. Cf. Windscheid (1891) § 359[11]; Pernice, *Sachbeschädigungen* p. 120/4; Savigny, *System* V § 210.

4) L. 2 § 3 D. 47, 1 (cf. l. 14 § 2 D. 13, 1). — Renuunt Savigny, *System* V § 231 (p. 207) ante notam *d*; Merkel, *Konkurs* etc. p. 32/3, ceterique plerique. Quos refellit Helssig, *z. Konkurrenz* p. 59[150].

5) Atqui haec ipsa delet Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 364/5, quem deterrere debuerat eiusdem Pomponii l. 18 § 2 D. 47, 10 (*quod sua cuiusque iniuria propriam aestimationem haberet*) aut, si ipsius Ulpiani verba suppressa putat, Ulpiani l. 5 § 1 D. 9, 2, quo remittit Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 29.

6) L. 1 § 21 D. 27, 3. Verterunt multi: *ex eodem facto*. Recte versum negat Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 109.

7) L. 53 pr. D. 44, 7. — Modestini famam salvam facere cupit Savigny, *System* V § 234 (p. 239), quamobrem *in una re* et *ex una obligatione* idem (= ex eodem facto) esse dicit. Cf. Glück IV p. 11 not. 27 (i. f.); Huschke, *Ztschr. f. Civilr. u. Proz.* 1846 p. 183, p. 191; Martens, *Ueber Concurrenz* etc. p. 26/8; Merkel, *Konkurs* etc. p. 66/7; Helssig, *z. Konkurrenz* p. 49/50; Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 994; Lewinsohn, *Beitr. zur Aktionenkonkurrenz*, Diss. Heid. 1910 p. 31/2; Kann, *Klagenmehrheit* (1901) p. 19/20; Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 232/3. Ex his *una(m) re(m)* sicut nos: unum corpus interpretantur Martens, Merkel, Kann, Lewinsohn, sed suo quisque modo rem temperat, ne videatur Modestinus literas nescivisse. Tribonianum reum agit cum Stephano Brasloff, *Wien. Stud.* 33 (1911) p. 142, Solazzi, *Rendic. dell' istit. Lomb.* 53 (1920) p. 124[1].

Digitized by Google

paene [1]) concordi testimonio refutatur, non modo, quum alius atque alius deliquerit [2]), sed etiam, quum idem [3]) et in eiusdem appellationis delictis. veluti, *si* quis *eundem servum vulneraverit, postea deinde etiam occiderit* [4]), vel bis *in ea(dem) re damnum det* [5]) vel *eandem (rem) idem subripi(a)t* [6]). In iis quidem, quae *impetu* fiunt [7]), facta confunduntur, quae *uno impetu* perpetrata sint, quocirca, *si quis uno impetu pluribus volneribus aliquem occiderit.... una erit actio de occiso* [8]). Quando igitur unum factum est? Quum èt res sit una èt actus unus [9]). Res autem intelligitur apud Romanos ipsum corpus [10]), in quo quis malivolentiam suam exprompserit [11]), quod hodie aliter observatur [12]). Ergo, quum servum quis alienum iniuriose verberat,

---

1) Stat quidem hactenus a Modestino Pomponius l. 2 § 3 D. 47, 1; omnibus modis Paulus l. 28 D. 47, 2 (etiam contribuit actiones).

2) L. 77 (76) § 1 D. 47, 2 (ubi legendum fortasse; *sed et si condictionem, condictio*). Si alter a domino alter a fure rem subripuerit, condicet dominus ab utroque nec liberabitur alter, si ab altero petitum vel exactum sit (cf. c. 1 C. 4, 8), *quia ex diversis factis tenentur* (l. 77 § 1 cit.), etsi valde repugnant Savigny, *System* V § 234 (p. 235) not. *e*; Merkel, *Konkurs* etc. p. 116[1]; Levy, *die Konkurrenz* I p. 481/2 (Tribonianum hic arguit). Cf. Helssig, op. cit. p. 61[155].

3) L. 11 § 2 D. 11, 3 (*sunt enim diversa maleficia furis* mancipii alicuius *et eius qui* post furtum *deteriorem* eundem *servum f(ece)rit*); cf. c. 4 C. 6, 2; l. 27 pr. D. 9, 2; l. 2 D. 47, 1; l. 25 D. 47, 10. Ergo, ubi quis *arbores ceciderit et lucri faciendi causa contrectaverit* (l. 8 § 2 D. 47, 7), non concurrunt actiones de arboribus furtim caesis et furti. Consentit in utraque specie Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 173, 180 not. 1, dissentit Helssig, *z. Konkurrenz* (1887) p. 53/4, p. 62.

4) L. 32 § 1 D. 9, 2.

5) L. 48 D. 9, 2. Cf. Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 471/3 (§ 61).

6) L. 46 § 9, l. 57 (56) pr. (cf. l. 9 pr.) D. 47, 2. — Non adversatur l. 68 (67) § 2 eod. (cf. Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 78 not. 2), sed novo exemplo permiscet actiones non concurrentes (*etiamsi duo furta fecisset, non amplius quam semel cum eo furti agi posset*).

7) Cf. l. 11 § 2 D. 48, 19.

8) L. 32 § 1 D. 9, 2. Non idem est, *si mihi plures iniurias feceris.... simul* (l. 7 § 5 D. 47, 10).

9) Cf. Pernice, *z. Lehre von den Sachbeschädigungen* (1867) p. 139. Quod requirit tertium, id refellit Helssig, *z. Konkurrenz* (1887) not. 117 (p. 48).

10) Ex diverso ius („*das verletzte Recht*") respici, docet sine teste Huschke, *Ztschr. f. Civilr. u. Proz.* 1846 p. 192 ima.

11) E. g. l. 34 pr. D. 44, 7 ipse servus, quem quis iniuriose verberaverit.

12) Veluti praecipit Carrara, *Programma* I (1877) § 152, *rem* intelligendam non aliquid corporale sed legem violatam. Quocirca postulat Paoli, *Nozioni elemen-*

Digitized by Google

ex uno facto incidit in Aquiliam et in actionem iniuriarum [1]); eadem ratione, quum servum vulneraverit et ex eo volnere servus mortuus sit, quasi ex uno facto concurrit actio de volnerato et de occiso [2]). Perinde erit, si quis tabulas alienas interleverit, itaque *non tantum furti actio locum habet, verum etiam legis Aquiliae* [3]) etiamsi non *subripuit priusquam deleat* [4]), quia delendo simul furtum facit [5]). Alioquin, si res violatae diversae sunt [6]), delicta, licet actu concurrentia, veluti, *(si) servum quis alienum spoliaverit isque ex frigore mortuus sit* [7]), non confunduntur, quocirca concurrere non debent videri [8]), quae *de vestimentis* competit *furti* actio et, quae *de servo.... in factum* [9]). Idem ius est in homonymis velut, si quis plures res simul subripuerit [10]), quocirca non concurrent furti actiones, vel, *si quis servum fugitivum sciens cum rebus furtivis*

---

tari (1871) p. 86, ut actus sit unus, voluntas delinquendi („*la risoluzione criminosa*") una. Nam, quod requirit tertium, ipse remittit in continenti (p. 88). Windscheid (1891) § 326 (post notam 7) tantummodo significat, quum sit unus actus („*eine.... Handlung*"), aliud superesse, quo fiat unum factum („*Tatbestand*"). Quod negat Levy docetque, *Konkurrenz* I p. 400/1, 106/7 (p. 401: „*mit den römischen Quellen*"), unum esse actum sufficere.

1) L. 34 pr. D. 44, 7. Cf. l. 5 § 1 D. 9, 2 (*utraque actio concurrit*).

2) L. 47 (ia. 46) D. 9, 2. Quae consumunt invicem, eae multo magis concurrere solent. Quamquam permiscet semel Celsus actiones non concurrentes (l. 68 (67) § 2 D. 47, 2).

3) L. 27 § 3 D. 47, 2 (Levy, *die Konkurrenz* I p. 463 not. 3).

4) L. 28 eod.

5) L. 41 § 1 D. 9, 2 (*interdum.... non*).

6) Helssig, *z. Konkurrenz* p. 47: „*wenn.... eine Verletzung verschiedener Güter.... vorliegt*". Quodsi res violata intelligenda est lex (Carrara, *Progr.* I (1877) § 152), erunt in uno actu *tot delicta,.... quot quis legum sanctiones* (Ferrini, *Dir. pen. rom.* (1902) § 102, 4: „*e... corrispondenti diritti*") violaverit (Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 83). Sin quis propositum spectat, quod eodem redit: *tanti.... i fini, tanti.... i titoli di reato* (Carrara § 167).

7) L. 14 § 1 D. 19, 5.

8) Pro concurrentibus ex eodem facto habet Savigny, *System* V § 234 (p. 245) not. *aa.* Vitaverunt errorem Pernice, *zur Lehre von den Sachbeschädigungen* (1867) p. 139/40; Merkel, *Konkurs* etc. p. 58, p. 86. Quamquam Pernice alio modo errat (cf. Helssig, *z. Konkurrenz* not. 117 [p. 48]).

9) L. 14 § 1 cit. (D. 19, 5).

10) Orietur in hac specie exceptio peremptoria, opinor, *furti una facti* (l. 84 (83) § 1 D. 47, 2, cf. l. 57 (56) § 5 eod.), ni quis coniungat actiones. Quod voluit extendere Marcellus ad *iniurias, quas* quis *simul passus es(se)t* (l. 7 § 5 D. 47, 10).

Digitized by Google

suscepit [1]), cum plagii actione hominis furti actiones rerum nomine. At concurrent profecto constitutoria et sortis [2]), est enim constitutum obligationi factum incidens. Eadem ratione concurrere dicendum est poena promissa actionem ex stipulatu et principalis rei [3]), eatenus scilicet, quatenus videatur *existens sequentis* [4]) obligationis *condicio non toll(ere) priorem* [5]). Tollit autem priorem obligationem existens sequentis condicio ex auctoritate Pauli [6]), quum stipulatio hoc modo concepta sit [7]): *haec quae supra scripta sunt, ea ita dari fieri?.... si ea ita data facta non erunt, tum viginti milia dari?.... Non enim utriusque rei promissorem obligari: ut ea daret faceret, et, si non fecisset, poenam sufferret* [8]), sed dumtaxat poenae, ut perinde sit, acsi „ea ita dari fieri" *non.... essent stipulati* [9]). Ex diverso manere putat pristinam actionem, quae ita stipulandi causa fuit, veluti pro socio, propterea quod novata non sit [10]), multo magis idem dicturus, *si*, ut loquitur Papinianus [11]), *stipulatio.... a condicione coep(er)it* [12]). His

1) c. 12 C. 9, 20.

2) L. 18 § 3 D. 13, 5.

3) L. 28 D. 19, 1; l. 42 (non etiam l. 41) D. 17, 2. Cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 83.

4) I. e., adiectae.

5) Haec genuina videntur etiam Ernesto, *die Konkurrenz* II (1) p. 117[4].

6) L. 71 pr. D. 17, 2; l. 44 § 6 D. 44, 7. Cf. c. 14 C. 2, 3 (Salkowski, *z. Lehre von der Novation* (1866) p. 206/7; Riccobono, *Ztschr. der Sav.-St.* 43 (1922) p. 357).

7) Quia aliter concipientibus *duae stipulationes* (l. 44 § 6 cit.) ne in speciem quidem erunt (Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 117 not. 2), consentaneum est, quod generaliter docet Savigny, *Obl.-R.* § 80 not. *k* (II p. 277), stipulationem sortis abrogari stipulatione poenae.

8) Diversum statuit Papinianus l. 115 § 2 D. 45, 1 (Savigny, l.l. not. *i*), *quum id actum probatur, ut, si homo datus non fuerit, et homo et pecunia debeatur*, quae non suspecta sunt Sibero, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIX (1908) p. 88/90.

9) L. 71 pr. cit. (D. 17, 2). Nodum non solvit Marchi, *Bull. dell' ist. di dir. rom.* XXI (1909) p. 92 not. 1 (p. 93); solverat Salkowski, *zur Lehre v. d. Novation* (1866) p. 210, p. 222.

10) Novata non est ideo, quia *non vide(tur).... re(s) in stipulationem pervenisse, sed*, ut diximus, *dumtaxat poen(a)* (l. 71 pr. cit.). Quocirca de superioribus utpote interpolata cancellanda esse *si novationis causa id fecissent*, recte dixit civis meus in *Themide* nostra 1881 p. 533/4 (not.).

11) L. 115 § 2 D. 45, 1.

12) Ergo recte generaliter docet Savigny, *Obl.-R.* § 80 (II p. 277/8), pristinam obligationem, nisi verbis contracta sit, non tolli poenae sponsione.

Digitized by Google

consequenter Ulpianus [1]): *si de homine petito secundum actorem fuerit iudicatum et iussu iudicis* [satisdatum sit] *hominem intra certum diem tradi* [et, si traditus non fuisset,] *poenamque* [2]) *stipulatus sit,* integram esse docet in rem actionem [3]) perinde acsi *hominem.... tradi* non esset stipulatus, quod in dubium vocare frustra studet Levy [4]). Idem nihilominus Ulpianus, quum quis *a socio poenam stipulatus sit, pro socio non a(cturum)* scribit [5]) et contradicit non Iuliano [6]) tantum, sed etiam sibi [7]). Sicut constitutoria et poenae promissae actio, ita hypothecaria quoque cum sortis actione sine dubio concurrit [8]); est enim pignoris quoque datio obligationi factum incidens, quod ad eam pertineat. Eadem de causa, quum quis testamento vendere damnatus vendiderit, concurrere dicendum est venditi actionem et ex testamento [9]). Quid, si quis creditori suo, quod debet, legat, in quibus speciebus legatum valet [10]), efficitne, ut concurrat principalis actio et legatorum? Quod admittendum est [11]) etiam, quum maritus uxori dotem relegaverit: incidit enim legatum negotio contracto. Plane, si promisit, quod debebat,

1) L. 4 § 7 D. 44, 4 (ex Labeone).

2) Quia *poenamque* omnino retinendum erat, non potui praecedentia non cancellare.

3) Vi replicationis *de re secundum se iudicata*: l. 9 § 1 D. 44, 2; l. 16 § 5 D. 20, 1.

4) *Die Konkurrenz* II (1) p. 119[1].

5) L. 41 D. 17, 2. Quae sequuntur: *si tantundem in poena sit, quantum eius interfuit,* interpolata esse paret, ne nimis aperte obstreperet l. 42 eod. Quod, modo quis interpretetur (cum Salpio, *Novation* p. 243), quasi scriptum esset: *si tantundem (poenae nomine exactum) sit, quantum eius interfuit,* aut (cum Carolo Salkowski, *z. Lehre v. d. Novation* p. 212 not. 24) *non aget* si quis interpretabitur: *agere nolet,* praestabunt.

6) L. 28 D. 19, 1, modo genuina sint verba *venditor.... ex vendito agere potest,* vel saltem (Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 129 not. 3) ex genuinis.

7) L. 42 D. 17, 2. Ibi quidem Tribonianum personare, opinio est Hugonis Krüger, *Beitr. zur* exc. doli I (1892) p. 205/8, et Petri Bonfante, *Istituzioni* (ed. 4) p. 129 (not.). Qui praeterea, ut nos, decidit caudam l. 41 eod.

8) Glück IV p. 13/4. Add. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 103[86] (II p. 507). Alio modo concurrere (= interse consumere) negat Merkel, *Konkurs* etc. p. 89, p. 124.

9) L. 5 pr. D. 19, 1.

10) Valet, si quid amplius est in legato.

11) Adfirmat Helssig, *z. Konkurrenz* p. 13, 18—21 (et not. 39), nec minus Merkel, *Konkurs* etc. p. 83, qui perperam laudat in eam rem l. 93 § 1 D. 32; l. 28 § 14 (ia. § 13) D. 34, 3. Est verum exemplum l. 84 § 2 D. 30 (Glück XLVI (Arndts) p. 296/7; Schulz, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXVIII p. 153).

Digitized by Google

novo quidem iure concurrunt actiones, *(si) non novandi animo hoc intervenit* [1]), sed iure genuino fieri non potest, nisi alii promisit, — idem eveniet, si alius [2]) — quia, ut supra quoque diximus, *qui bis idem (eidem) promittit, amplius quam semel non tenetur* [3]). Alia ratione *fundum Cornelianum stipulatus si quanti fundus est postea stipulor* [4]), actiones non concurrunt [5]): quia ne pertinet quidem ullo modo sequens stipulatio ad priorem. Quomodo igitur interse consumunt? Consumunt enim, si ea mens fuerit stipulantium, ut alterutro contentus esset actor [6]). Atqui potest voluntas contrahentium efficere, quia pacta servat praetor, ut vel non concurrentes actiones interse consumant [7]); legantium quoque potest, veluti, quum maritus uxori quid *pro dote* legat, quod legatum *quasi dos relegata accipitur* [8]), nec refert, utrum nominatim ita legatum sit, an *hoc.... animo relictum* [9]). Ergo debebit mulier, cui sic legatum est, etiam remoto edicto, quod de alterutro loquitur — removetur, quum dos in stipulatum deducta est [10]) — eligere, utrum dotem habere velit, an legatum consequi [11]). Potest praeterea dici: quum quis post obligationem promittat vel leget ita, ut alterutro actor contentus sit [12]), reapse coepisse sequentem promissionem

---

1) Cf. Tribon. l. 8 § 5 D. 46, 2 (Eisele, *Archiv* etc. 77 p. 462; Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 9—13).

2) L. 43 D. 6, 1. Ergo rectissime Levy, *die Konkurrenz* I p. 176[6]: „*Nichtigkeit der zweiten* obligatio *kann bei Personenmehrheit nicht in Frage*". Fallit hactenus purgata l. 8 § 5 D. 46, 2.

3) L. 18 D. 45, 1.

4) Cf. l. 28 D. 46, 2 (Paling. Papin. 56).

5) Pro concurrentibus habere videtur Salpius, *Novation* (1864) p. 253/4; habet certe Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 135 lin. 1/2, propterea, quod novatio cesset. Potest autem novatum non esse et concurrendi causa abesse.

6) Eo refero, quod addit iuris consultus (l. 28 cit.): *si.... fundum solvat, secunda stipulatio iure non tollitur*, potest enim, ut tollatur propter eam causam, quam posuimus. Quin videtur ea Carolo Salkowski, *Novation* (1866) p. 82[117], ad mentem auctoris utique („*immer*") subesse.

7) Helssig, *z. Konkurrenz* (1887) p. 14 lin. 4 sqq.

8) L. 2 pr. D. 33, 4.

9) L. 2 pr. cit. Contraria videtur hactenus c. un. § 3*a* C. 5, 13.

10) c. un. § 3*a* cit. (C. 5, 13).

11) L. 20 § 8 D. 10, 2; l. 6 § 1 D. 36, 2; l. 53 pr. (Kann, *Klagenmehrheit* (1901) p. 35: verbis interpolatis) D. 31.

12) Longe dissimilis est species l. 8 § 1 D. 31, ubi praeterea reponendum videtur: *sed uni (quartae locum factura)*. Cf. l. 5 § 1 D. 31; l. 22 D. 40, 5.

Digitized by Google

vel legatum ad priorem obligationem pertinere, proinde quasi ex facto incidenti novam actionem concurrere. Habet autem eandem in ea re facti dubitationem debiti quum stipulatio tum legatum [1]). — Itaque concurrunt ex facto incidenti et principalis actio, multo vero magis principales actiones ex eodem facto, veluti actio commodati et rei vindicatio cum commodatario, oritur enim utraque ex possessionis adeptione adversarii [2]), sicut furtiva condictio et rei vindicatio, quum simul nascuntur [3]), actio quod metus causa et in rem actio [4]), in rem denique actio et interdictum *unde vi* [5]). Sufficit autem, quod eodem facto actiones commissae sint, velut, *si tecum societas mihi sit et res ex societate communes, quam impensam in eas fecero quosve fructus ex his rebus ceperis, vel pro socio vel communi dividundo me consecuturum et altera actione alteram tolli Proculus ait* [6]), quia, quod factum harum actionum utram committit alteri incidit versaque vice.

---

1) Cf. Helssig, *z. Konkurrenz* p. 75/6.

2) Dubitare videtur Windscheid (1891) § 121 not. 10 (i. f.) ideo fortasse, quia commodatum constat, sicut permutationem (l. 1 § 2 D. 19, 4), *ex re tradita initium obligationi praebe(re)*, ex diverso *rei vindicatio ex praesenti possessione (est)* (l. 24 § 2 D. 5, 1). Sed observat recte Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 222 ima: non propterea aliud factum esse, quod permanere debeat. Tunc aliud factum esset vel certe incidens, quum sequeremur Pegasi (l. 9 D. 6, 1) sententiam (cf. Siber, op. cit. § 9).

3) Interdum condictio sola nascitur: l. 10 pr. D. 13, 1 ia. Gai. II § 79 (i. f.).

4) Cf. l. 9 § 6 D. 4, 2 (Wrzeszinski, *Die Konkurrenz*, Diss. Frib. 1902 p. 18 not. 47).

5) Cf. l. 18 § 15 D. 39, 2.

6) L. 38 § 1 D. 17, 2. *Altera actione alteram tolli* abiudicat Proculo Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 142.

(Continuabitur).

Digitized by Google

PROPERTIANA (AD LIB. II).

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

ELEGIA V.

Hoc verum est, tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas:
Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quae fieri nostro carmine nota velit,
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
Vellicet: heu sero flebis amata diu.

Hos versus equidem sic interpretor:

Hocine igitur verum est, Cynthia, te tota urbe in ore esse hominum omnium propterea quod vitam agis omnibus libidinibus deditam? Egone dignus eram qui haec, quae nunc patior, a te exspectarem? At iustas poenas mihi dabis, perfida: nostrum quoque pectus frigore torpebit (h. e. ab amore tui prorsus se abalienabit), verum tamen e multis sexus tui fallacibus unam mihi eligam quae, cum nostris libellis innotescere velit, nec mihi insultet moribus suis dissolutis et te insectetur perque ora hominum traducat (h. e. quae pro vindictae instrumento mihi futura sit).

Ista interpretatio mihi quidem numeris omnibus sufficit, quam quoniam opus esse apparebit, mox pluribus illustrare et confirmare mihi in animo est.

Quid enim loco nostro factum est?

Burman opinionem hora infelici conceptam evulgavit, poetam

Digitized by Google

vs. 4 non *aquilo*, sed *alio* posuisse, qua cognita suspicione H. Bosscha, eius discipulus, ratione palaeographica, ut puto, ductus, *aliquo* praestare censuit.

Ex illo tempore editores tantum non omnes hanc coniecturam receperunt, Paley (1872), Luc. Mueller (1874), Baehrens (1880), Postgate (C P L 1894), Rothstein (1898), Hosius (1911 et 1922). Hertzberg quoque, qui Aquilonem illum immanes tempestates interpretibus movisse facete observavit, novam admisit lectionem, quam perperam ascripsit Lachmanno. Hartman item traditam scripturam ioculare vitium esse affirmans in Bosschae sententiam discessit (Mnemos. IL p. 347) neque aliter Enk, qui ipse quoque in errorem iam tralaticium incidit, cum Bosschae inventum Lachmanno attribuerit (Ad Prop. Carm. Comm. Crit. 1911 p. 85).

Iam diligentius consideremus, qualis tandem sit coniectura ista universis fere editorum suffragiis probata.

Scriptura *aquilo* si vere corrupta est, vitium profecto vetustissimum iam esse debet, utpote quod archetypo nostrorum librorum mss., qui communi consensu lectionem *aquilo* exhibent, aetate anteire putandum sit. Facere non possum quin obiter hic moneam, quam vix ac ne vix quidem credibile sit, librarium aliquem pro vocabulis tritis atque vulgaribus *alio* vel *aliquo* substituisse nomen minus usitatum quale est *aquilo*, ceterum errare humanum esse concedo atque versus emendati qui dicitur sententiam accuratius inspicere lubet.

Paley interpretatur: „We too will sail somewhere else" i. e. I will attach myself to some other mistress.

Rothstein: „so denkt er sich hier eine andere, zu der sein Liebesschiff unter günstigem Winde gelangen wird, nachdem er auf der Reise zu der bisherigen Geliebten kein Glück gehabt hat".

At hercle vero parum idonea esset eiusmodi affirmatio utpote verbis praecedentibus minime consentanea. Disticho enim primo Cynthiae non exprobrare mihi videtur poeta, quod ita se deseruerit ut virum unum alterum coeperit amare, sed ut commercium habere cum primo quoque non sit verita; minatio igitur quae est 'ego quoque amicam novam mihi quaeram' sane mira esset oppositio.

Digitized by Google

Iam vero rationem animadvertas quaeso, quae inter versum nostrum et verba proxime antecedentia exsisteret, si lectio editoribus plerisque accepta reciperetur:

dabis mihi, perfida, poenas:
et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit,

h. e. dabis mihi, perfida, poenas eo quod ipse quoque amicam novam mihi parabo.

Nonne frigida atque etiam ridicula est ista comminatio? Quidni? Cynthia Propertium palam deseruit, eius libidinum intemperantiam crepant omnes: quid, rogo, ad eam iam refert, illum aliam puellam alicubi sibi quaesitum ire? An ista denuntiatio etiamtum poena Cynthiae putanda est?

Immo poena, quam ei Propertius destinat promittitque, prorsus est diversa et postea significatur, ubi exclamat se, quamvis doctum damno et dedecore atque sexus fallacis tandem pertaesum, e multis illis fallacibus tamen unam carminibus suis sibi esse conciliaturum, quae insectetur eam et per ora hominum traducat. Est ista poena prior quam ei minatur, altera autem est versus ille (28), quo labem indelebilem se ei impositurum esse denuntiat:

Cynthia forma potens, Cynthia verba levis,

ad quem Paley temerariam Scaligeri audaciam summatim ac merito ita perstrinxit: „Of all the absurdities (and they are not few) inflicted by Scaliger on Propertius his emendation of this verse bears the palm: Cynthia *formipotens*, Cynthia *verbilevis*".

Ceterum satis iam demonstrasse mihi videor, coniecturam Bosschae *aliquo* neque minus Burmanni *alio* non solum propter rationem palaeographicam vix probabilem esse, sed etiam rerum verborumque contextui nequaquam convenire.

Iamque ostendere conabor, lectionem *aquilo*, in codice ms. Propertiano nullo non traditam, omnino bonam esse integramque, ita ut causa nulla sit quicquam sive in versu nostro seu in proximo mutandi, nam hoc quoque sciat lector, Marklandum pro *ventus* voluisse *versus*, quod non intellego, et Fonteinium, cum lectione *aliquo* recepta particulam *tamen* obscuram inexplicabilemque iam redditam esse sentiret, pro ea proposuisse *tandem*, quam coniecturam Hartman non modo probat sed

Digitized by Google

etiam perficiendam esse censet legendo *inveni tandem*, quod sic melior fiat sententiarum connexus et egregie minarum gravitatem depingant spondei illi totum fere versum implentes.

E toto poematio apparet, Cynthiam ob nescioquam causam Propertio succensuisse ideoque ad alios se applicuisse; vs. 18 iubet:

Parce tuis animis, vita, nocere tibi!

ubi Paley verba *tuis animis* recte interpretatus est *ista ferocia* 'by that high spirit of yours' et Rothstein quoque annotavit '*Animi* hier der Uebermut'.

Iam vero eam praemonet ut caveat ne se iusta poena afficiat:

Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit!

h. e. mea quoque pectora, Cynthia, in posterum nil nisi frigora noverint, admittent iam sensum nullum mitiorem.

Numerus pluralis *nobis* post singularem *mihi*, quae variatio etiam est II 13, 15—18 et 26[b], 57 sq., minationi singularem addit gravitatem atque vim. Porro *et nobis* est pro *nobis quoque*, ut II 34, 46 et Verg. Ecl. 3, 44:

et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,

quem versum Postgate attulit in libello *Select Elegies of Propertius* (1885), in quo lectionem traditam *aquilo* retinuerat, quam venustam sed non necessariam iudicabat. Ut iam vidimus, sententiam postea vertit.

Quis tandem scrupulus restat? Ecqua in ipsa locutione molestia est? Paley quidem ascripsit: „Should any one insist on the MSS. reading, perhaps *eris* for *erit* would be the best solution of the difficulty; I too (like other disappointed lovers) shall hold you as fickle as the wind", sed ista difficultas solvenda qualis sit non video. Ut *aura* fere est ventus tepens, dulcis, secundus, ita *Aquilo* est ventus frigidus, fallax, procellosus apud Propertium e. a. (cf. III 7, 13 et 71 et nostrae elegiae vs. 11), cui *ventus* additum est ap. Gellium II 30 *Aquilones venti*, cf. Caes. B. G. V 7 *Corus ventus*. Sicut autem *aura* in translationibus ponitur ut II 27, 15: si modo clamantis revocaverit aura puellae, quocum versu cf. Hor. Od. II 8, 24: tua ne retardet aura maritos, ita *ventus*, cf. Cic. Sull. 41, neque aliter loco nostro *Aquilo ventus* est: animus infestus, turbulentus animi habitus. Metaphoram in carminibus amatoriis haud raram esse Postgate l.l. monuit, qui ex Anthol. Gr. V

Digitized by Google

190 attulit: κῦμα τὸ πικρὸν Ἔρωτος ἀκοίμητοί τε πνέοντες ζῆλοι, et XII 167: χειμέριον μὲν πνεῦμα. Iam vero apud poetam Latinum exemplum inveni luculentissimum, quod de traditae lectionis *aquilo* integritate dubitationem nullam apud quemquam relicturum iam esse arbitror. Est in Varronis Satiris Menippeis locus (ed. Riese p. 114), quem Nonius (Linds. p. 202, 10 et p. 304, 24) bis laudavit:

átque ut igni férvido medúllitus
Aquilóniam intus éruat frigédinem,

h. e. atque ut amore fervido, qui in imas penetret medullas, gelida frigora ex intimo pectore eius pellat.

Hoc fragmentum si Bosscha noster animadvertisset, versum Propertianum haud dubie diligentius perpendisset antequam coniecturam suam infaustam evulgaret neque scio an umbra eius iam gaudeat, quod hodierni poetae cultores lectionem insulsam Lachmanno attribuere maluerint quam ipsi.

Honor igitur iustus ac debitus Phillimorio habeatur, qui solus ex editoribus recentioribus veram lectionem vindicarit.

Elegia XVIII[b].

Hac elegiola Cynthiam monet ne nimio corporis splendore et specie alienos oculos in se convertere velit: sibi fidem servare satis habeat. Finis autem hic est:

37 Credam ego narranti (noli committere) famae:
Et terram rumor transilit et maria.

Verba *noli committere* varie explicantur ab interpretibus. Kuinoel interpretatur: Credam ego famae de te narranti, propterea noli committere, noli peccare, nam nihil tacetur. Paley: The meaning appears to be 'noli committere ut ego credam famae de te mala narranti'.

Rothstein: Lass es nicht dahin kommen, nämlich: ut habeam, quod famae narranti credam.

Ego quidem non nego, notiones istas diversas e verbis qualicumque modo erui posse, sed nihilominus traditam scripturam veram non esse persuasum habeo. Id ipsum, quod verba duo *noli committere* tam varie ac diverse intellegi possunt, fecisse credo ut nemini ullam umquam suspicionem moverint.

Digitized by Google

Ceterum ut missam nunc faciam istam nescioquam verborum obscure atque ambigue expressam sententiam, cur, rogo, poeta tanta vi et gravitate de rumore asseverat:

et terram rumor transilit et maria?

Scilicet quia Cynthiam ante monuerat ut delatorem illum ubique praesentem magis caveret neque parvi eum faceret umquam, a quo tuta futura esset nusquam terrarum! Nunc quidem eiusmodi admonitio in hexametro desideratur et deest, verum latet in verbo corrupto *committere*. Iam vero, lector, ad versum te revoco, quem supra legimus (Eleg. V 29):

Crede mihi, quamvis contemnas murmura famae,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit

neque amplius dubita mecum reponere:

Credam ego narranti (noli contemnere) famae:
Et terram rumor transilit et maria.

Elegia XX.

Est haec elegia responsum a Propertio redditum ad chartulam, qua amica nomine non dicta de aliqua re cum eo expostulaverat. Amica autem illa quis fuit?

Cynthiam esse editores communi consensu perhibent partim causa non addita, partim versu 21 satis edocti, ut opinantur. Cf. Rothstein: „Einer nicht genannten, aber deutlich (vs. 21) als die Heldin seiner ganzen Dichtung bezeichneten Geliebten giebt der Dichter die Versicherung ewiger Treue".

At hercle vero cum poetae elegiaci apud Romanos non inscriptione carmini superposita indicare solerent cui id esset dedicatum, sed in ipso carminis exordio sive nomine sive alio modo significarent, mirum esset si vs. 21 demum appareret legentibus, elegiam ad Cynthiam datam esse, atque in versibus 1—20 legendis haesissent incerti, de qua tandem amica sermo esset. Ceterum etiam versus ille, quem de ea re nos edocere Rothstein affirmat, dubius incertusque est, cum sit

Septima iam plenae deducitur orbita lunae,
Cum de me et de te compita nulla tacent.

Iam vero carminis exordium inspiciamus:

1 Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?

Digitized by Google

Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?

Primum igitur distichon duae quaestiones efficiunt inter se simillimae quae sunt

1. quid fles abducta gravius Briseide?
2. quid fles captiva tristius Andromacha?

In altera autem quaestione insuper est illud *Anxia*, quod nunc moleste abundare mihi videtur. Rothsteinium ipsum quoque incertum fuisse suspicor quid eo ageret, quippe qui ratione quaesita ac putida ita id extricare temptarit: „Das Adverbium *tristius* gehört nicht zu *fles*, sondern zu *anxia*; es soll an die Stelle des rein logischen *magis* eine lebendige Anschauung setzen".

Ergo *tristius anxia* = magis anxia! Quid hoc novae rei?

Sed verborum iam satis est. Nisi me res fallit, illud *anxia* ipsum amicae nomen absconditum tenet eo quod *cintia* in *anxia* abiit, nam poetam scripsisse credo:

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles,
Cynthia, captiva tristius Andromacha?

Hac emendatione illata concinnitatem sententiarum restitueris; lectorem per priorem elegiae partem non iam latebit, qualem amicam poeta compellet; epitheton *anxia*, quod abundat atque etiam importunum est, esse desierit; denique nacti erimus alliterationem *C*ynthia *c*aptiva, qualis est vs. 5: *q*uid *q*uereris?

Nescio an idem nomen revocandum sit infra in Eleg. XXV initio:

1 Unica nata meo pulcherrima cura dolori,

ad quem locum Rothstein annotat: „Der Name der Geliebten wird nicht genannt; nach vs. 3 kann aber kaum eine andere als Cynthia gemeint sein". Quod quamquam verum esse concedo, suspicio tamen me tenet, nomen *Cynthia* (cintia) hic quoque in *unica* depravatum esse.

Ceterum ad elegiam nostram redeo.

Alter enim versus, quem emendare posse mihi videor, continuo sequitur; est autem:

5 Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis.

Digitized by Google

Non me id offendit, quod vocabulo *volucris* attributa duo, *funesta* et *Attica*, per asyndeton addita sunt. Rothsteinio quidem notandum esse visum est: „*volucris funesta* verbindet sich zu einem Begriff, dem weiter noch das Adjectiv *Attica* beigefügt wird", sed nil opus est, cum eius rei exempla apud Propertium haud rara sint (cf. Postgate Introd. p. CV).

Offendit vero offenditque vehementissime alterius attributi species: nomen *Attica* nomini *Cecropiis* appositum ego quidem poeta nostro indignissimum esse iudico neque umquam lectionem inficetam mihi probabit Rothsteinii annotatio quae est „Mit *Attica* fällt *Cecropiis*, die Bezeichnung des Landes nach dem sagenhaften ältesten Könige, vollständig zusammen".

Sic ludimagister nescioquis lectionem turpissimam obumbret discipulis ut aequis auribus talia accipiant, nos vero tandem poetae suum reddamus corrigendo:

Non tam nocturna volucris funesta querela
A b d i t a Cecropiis obstrepit in foliis.

Scilicet verborum constructio est: Non tam nocturna querela volucris funesta, abdita in foliis Cecropiis, obstrepit. Verbum *obstrepit* usurpatum est infirmata praefixi notione ut in locis a Rothsteinio collatis Hor. Od. III 30, 10: qua violens obstrepit Aufidus, Ov. Met. IV 391: tympana cum subito non apparentia raucis obstrepuere sonis.

Iam agnoscimus Homericum illud Od. XIX 518:

δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν.

Luscinia nempe dum canit cernitur numquam, id quod poeta Graecus adiectivo πυκινοῖσιν, noster vero participio *abdita* (cf. II 33, 12) expressius significavit.

Denique in elegiae fine corruptelam manifestam tollendam esse moneo.

Postquam amorem suum sempiternum fore asseveravit, poeta affirmat:

35 Hoc mihi perpetuo i u s est, quod solus amator
Nec cito desisto nec temere incipio.

Iam Baehrens verba *ius est* depravata videri iure observavit, sed minus bene addidit: 'num *laudes* (= laudabis)?'

Paley interpretatur: „*hoc ius est*, hanc legem habeo, hunc morem sequor". Rothstein: „Nach *hoc mihi ius est* erwartet

Digitized by Google

man den Inhalt der von dem Dichter anerkannten Rechtsbestimmungen in einem Forderungssatz mit *ut*; aber ihm liegt daran zu betonen, dass er diese Forderungen, die er anerkennt, auch bisher schon stets befolgt hat". Haec credat qui intellegit!

Enkii haec est sententia: „Pro *hoc... ius*, quae verba corrupta immerito tuentur editores omnes praeter Postgatium, optime proponit Housmanus (J Ph. XVI p. 6): *haec... laus*".

Praeterea Otto coniecit *fas*.

Immo in archetypo, quod scribis nostrorum librorum ante oculos fuit, non *ius* exaratum erat, verum *uis̃* h. e. *visum*. Compendium autem quod pro — *um* est evanuerat aut ab eis observatum non est atque tres litteras reliquas *ius* — non *vis* efficere putaverunt, quod quidem ad pronomen *hoc* non conveniret. Inde illae lacrimae! Ergo rescribas quaeso:

Hoc mihi perpetuo visum est, quod solus amator
Nec cito desisto nec temere incipio.

Hoc etiam addere velim, Hosium in editione Teubneriana, quam iterum curavit, in apparatu critico ascripsisse: '*vis*(?) N'. In litterarum igitur ductibus quales in codice optimo exstant prior genuinae lectionis pars discerni posse videtur.

Elegia XXII.

Hac elegia ad amicum quendam data poeta quid imbecillum sit in se ingenue fatetur atque theatrum vel maxime sibi insidiosum esse queritur.

Sive aliquis molli diducit candida gestu
Brachia seu varios incinit ore modos,
Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.

Legendum esse credo:

Callida non tecto pectore si qua sedet.

Nunc quidem *candida* post idem vocabulum vs. 5 positum frigidissime repetitum videtur, cum voc. *callida* de muliere, quae immodica sui ostentatione oculos virorum in se convertere studet, aptissime dictum sit et re ipsa prope flagitetur.

Digitized by Google

Elegia XXIII.

Mulierum nobilium superbiam cum humiliorum facilitate comparans se hisce in posterum contentum fore affirmat.

1 Cui fuit indocti fugienda h a e c semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut p r o missa suae verba ferat dominae?

Versus primus editoribus molestias peperit eo quod in libris mss. melioribus aliis exaratum est *et*, in aliis hoc quoque omissum, qua de causa scripturam codicum deteriorum *haec* recensere solent. Housman traiectis vocabulis scribere voluit:

Cui fugienda fuit indocti semita vulgi,

sed alia ratione utendum esse reor ad lectionem veram revocandam.

E traditis scripturis neutram probabilem esse interpretationes eorum, qui eas vindicare conati sunt, satis demonstrant. Palmer, qui *et* defendit, perhibet: „*et* verum est: e t i a m semitam, qua utebatur vulgus"; Hertzberg: „h a e c semita quae nunc ante pedes lucet"; Rothstein: „der Weg, den die Ungebildeten gehen, ist der zunächstliegende, allen offen stehende, haec semita". Equidem hoc primum quaerendum esse opinor, cuius vocabuli lacinia in Neapolitani, codicis optimi, scriptura *et* latere videatur; id autem adverbium *nunc*, quod in vs. sq. est, nos edocere puto. Rothstein quidem *nunc*, quod nihil habet cui sit oppositum, contorta ratione explicare temptat: „*Nunc* bezeichnet nicht die Gegenwart (gerade jetzt will sich ja der Dichter von seinen bisherigen verkehrten Anschauungen befreien), sondern den Gegensatz zu der in *fugienda erat* ausgesprochenen Forderung: *mihi indocti vulgi semita fugienda erat, nunc eam secutus sum*".

Immo, ut suum huic adverbio reddatur oppositum nec non ratio debita habeatur scripturae in libris optimis corruptae *et*, in deterioribus vero perperam emendatae *haec*, corrigendum esse censeo:

Cui fuit indocti fugienda h e r e semita vulgi,
Ipsa petita lacu n u n c mihi dulcis aqua est.

Cf. Eleg. XXII 1: Scis here mi multas pariter placuisse puellas.

Digitized by Google

In disticho sequenti participium *promissa* ab interpretibus multis variis modis explanatur, qui ad unum omnes obscuri sunt incertique. Videas quaeso an non fuerit: *demissa*. Nempe facile fieri potuit ut quis praefixum perplexe exaratum compendium esse putaverit praepositionis *pro*.

Denique de loco, qui in carminis fine est, pauca in medium proferre velim.

23 Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
N u l l u s liber erit, si quis amare volet.

Est locus multimodis temptatus: *Nullas* Pfisterum, *Viles* Birtium, *Multas* Ottonem proposuisse video; Iacob post vs. 22 colon — post vs. 23 punctum collocavit, ne in protasi idem esset quod in apodosi: Quoniam nemo amans liber, nemo amans liber est. Mueller cum Fischero versum ultimum ab interpolatore confictum censet. At locum optime se habere credo, quamquam non cum Paleio interpretandum: 'Since every lover of necessity loses his liberty, none must love who wish to be free', verum voc. *nullus* adhibitum esse existimo ut I V, 22: Aut cur sim toto corpore nullus ego; cf. Cic. Tusc. I 107: Quae essent dura, si sentiret, nulla sunt sine sensu. Ergo: Si qui liber amare volet, actum iam erit de eo, pro mortuo erit.

Elegia XXIV.

Queritur de magnis sumptibus, quos amicae nobiles afferre solent, sicut Cynthia

11 Et modo pavonis caudae flabella superbae
Et manibus dura frigus habere pila
Et cupit i r a t u m talos me poscere eburnos,
Quaeque nitent Sacra v i l i a dona Via.

Pro *iratum*, quod bonam interpretationem non admittit, Lachmann *ingratum* — Heinsius *(subit)iratam* — Postgate *invitum* coniecerunt. An forte legendum *i n t e r d u m*, quod vocabulo *modo* vs. 11 respondeat?

Quin pro *vilia* reponendum sit *v i t r e a* dubitare noli. Lectio *vilia* quam inepta sit luce clarius apparet e Rothsteinii annotatione quae est: „*Vilia dona* sind nicht etwa billige Geschenke im Gegensatz zu teuren (das würde dem Gedanken dieser

Digitized by Google

Stelle geradezu widersprechen), sondern der Dichter will sagen, dass alle Geschenke, die man auf der Strasse kaufen kann, keinen Wert haben im Vergleich mit den Eigenschaften des Geistes und Herzens, die man in der Liebe allein schätzen sollte und mit denen die Geliebte eines Dichters zufrieden sein müsste".

Elegia XXIV^b.

Fidem suam prae aemulorum infidelitate extollens monet Cynthiam

49 Noli nobilibus, noli conferre beatis:
Vix venit, extremo qui legat ossa die.

Locum alii interpretantur, alii manu emendatrice egere iudicant. Paley annotavit: „*Conferre*, 'to draw comparisons with the noble and the wealthy'. Barth thinks it may mean 'confer your favour on', *χαρίζεσθαι*". Rothstein illud voluisse videtur, cuius annotationis diffusae haec sunt verba ultima: „Daher lohnt es sich gar nicht, ihn mit diesen Leuten erst in Vergleich zu stellen, die Entscheidung ergiebt sich von selbst".

Coniecerunt autem Heinsius *te offerre*, Eldikius *confidere lautis*, Schraderus *gaudere*, e quibus Hartman (Mnemos. Vol. L p. 101) illud reicit tamquam parum gratum, hoc ut nimis recedens ab universo elegiae argumento, Eldikii vero propositum ambabus manibus amplectitur.

Nescio tamen an potius rescribatur id quod mihi in mentem venit:

Noli nobilibus, noli consuesse beatis.

Elegia XXVII.

Unus amator scit quando quoque modo periturus sit: ceteris mortalibus leti via incerta est.

9 Praeterea domibus flammam domibusque ruinas,
Neu subeant labris pocula nigra tuis.

Fuit haec Hartmani nostri sententia, Luc. Muellerum recte pro *domibusque* restituisse *metuisque*, qui singularis egregie commendaretur vocabulo *tuis*, pro quo frustra Broukhusius

Digitized by Google

suis commendasset; Lachmanni *domibus flamman dominisque ruinam* specie ingeniosum esse, revera absurdum, atque Postgate et Baehrens Muelleri coniecturam receperunt.

An forte pro *tuis* emendandum est: *tremis*?

Cf. II X, 16: Et domus intactae te tremit Arabiae.
II XXXIV, 20: Stultus, quod stulto saepe timore tremo.

Elegia XXVIII.

Poeta Cynthiam alloquitur, gravi morbo afflictam.

15 Sed tibi vexatae per multa pericula vitae
Extremo veniet mollior hora die.

In codd. dett. *vexata* — *vita* scriptum est, ut scilicet tolleretur ambiguitas quae ex eo nunc nascitur quod *vexatae* dativo — *vitae* genitivo casu positum est.

Ego vero distichon sic restituendum esse aio:

Sed tibi vexatae per multa pericula, vita,
Extremo veniet mollior hora die.

Cf. II V, 18; XIX, 27; XX, 17; XXIV^{b}, 29; XXX, 14 e. a.

Elegia XXVIII^{b}.

39 Una ratis fati nostros portabit amores
Caerula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quaeso, miserere duorum:
Vivam, si vivet; si cadet illa, cadam.

Otto (Hermes XXIII p. 37) haec disticha inter se transponenda esse censuit, quem secutus est Postgate, atque sane praeposterus est sententiarum ordo, siquidem versus primus nunc aliter intellegi non potest quam Rothstein interpretatur: „In *nostros* ist der Dichter und seine Geliebte gemeint; seine Liebe und ihre Liebe werden gleichzeitig zu Grabe getragen werden".

At locum sanandum non esse puto traiciendis distichis, verum unius vocabuli emendatione eaque exigua ac manifesta. Legendum enim esse persuasum mihi est:

Illa ratis fati nostros portabit amores.

Hac emendatione illata verbis *nostros amores* Cynthia una significabitur atque distichon alterum apte iam sequetur.

Digitized by Google

Elegia XXVIII^{c}.

Iam Cynthia perfuncta est periculo atque e morbo assurrexit.

59 Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
Munera Dianae debita redde choros,
Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae:
Votivas noctes et mihi solve decem.

Precor te, lector, ut versus primos elegiae XXXIII inspicias q. s.

Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis:
Cynthia iam noctes est operata decem.
Atque utinam pereant, Nilo quae sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis!

atque Propertio tandem aliquando suum mecum reddas q. e.

Votivas noctes, ei mihi! solve decem.

Ratio qua Baehrens hunc locum tractavit, cum *Isidi* posuit pro *et mihi*, egregie confirmat iudicium, quod Phillimore de eo tulit in praestantissimo illo libello *The Revival of Criticism* (Oxford, 1919 p. 28); nempe rursus corruptelam sagaciter perspexit, defecit in adhibenda medela, coniecturam infelicem in textum recipere non est veritus. Qui lectionem codicum explanare student, dum post *iuvencae* partim, partim post *votivas* interpungunt, in *et mihi* lepidissimum quoddam esse ἀπροσδόκητον nobis persuadere conantur; ipsi non sentiunt, eiusmodi iocum inficetum ab animi habitu, quo poeta has elegiolas in Cynthiam primo periclitantem, deinde a morte iam servatam cecinit, plane abhorrere. Quamquam Isidis sacra, quae subinde per decem noctes Cynthiam sibi eripiant, odit et detestatur, nunc grato animo motus ultro iubet: Redde vigilias et solve decem noctes votivas tuae deae, quamvis reformidem vel nunc meam solitudinem.

Elegia XXX.

19 Non tamen immerito! Phrygias nunc ire per undas
Et petere Hyrcani litora nota maris,
Spargere et alterna communes caede penates
Et ferre ad patrios praemia dira lares!

Digitized by Google

Locum descripsi qualis in cod. Neap. pictus est, non quo verborum contextum ab omni parte sanum et perspicuum esse crederem, sed quia in hac elegia, quae omnium fortasse corruptissima, certe intellectu difficillima est, quicquam mutare inutile esse putabam. Aliquantulum tamen lucis in tribus verbis interpretandis afferre me posse confido: dico verba quae sunt *nota* et *communes penates*. Prius referre liceat, quam mire quamque varie interpretes hucusque ea explicare conati sint.

Hertzberg explanationem superiorum commentatorum merito derisit, quae est 'Cynthiae et Propertii aedes' et conferri iussit I XI, 16 'communes nec meminisse deos', h. e. deos communes qui sunt utrarumque partium, et referri ait ad foedus, quod Romani cum Polemone, rege Ponti, a. u. 728 adversus Parthorum nationem fecerunt. 'Itaque, ait, *communes penates* aut erunt *publici penates* eius regionis quam bello petitura erat expeditio Romana, aut, quod multo magis placet, quos uterque populus colit'. Sed quales deos Parthi et Romani communiter venerati sint, doctus editor nos edocere non potuit, ut Paley ironice observat. Carutti de bello inter Phraatem Tiridatemque sermonem esse suspicatur, qui de regno contendentes patriam fraternis caedibus foedabant.

Permira vero videntur ea quae Rothstein sermocinatur:

„Was der Dichter sich vorstellt, ist klar, einen Kampf zwischen zwei Hausgenossen, bei dem der gemeinsame Herd vom Blute beider Kämpfenden gerötet wird; aber unverständlich ist es, wie er dazu kommen konnte, sich die Einzelheiten eines Kriegszuges in dieser Weise auszumalen. Nur wenn man sich vorstellt, dass man in Rom Nachrichten von solchen Kämpfen unter den wilden Völkerschaften im äussersten Osten hatte, lässt sich allenfalls denken, dass Properz diese Vorstellung übertreibend auch auf den Freund übertragen konnte, der im Begriff war zum Kampf gegen jene Völkerschaften aufzubrechen".

Eho, verborum satis iam est, sed quid prosunt?

Alii, cum aeque minus locum intellegerent, ad coniecturas decurrere non dubitaverunt, ut Baehrens pro *nota* (vs. 20) de suo posuit *longa* et pro *alterna* (vs. 21) cum Guyeto *externa* — Postgate pro *nota* scripsit *muta* atque vss. 21 et 22 duce

Digitized by Google

Housmano in I XXII post vs. 8 migrare iussit. Alii alia commenti sunt.

At verba sollicitata ipsa optime se habere neque quicquam in eis mutandum esse aio. Poeta cum *communes penates* Romanorum Parthorumque diceret, de Romanis cogitavit qui, in proelio ad Carrhas a. 53 a. C. n. commisso capti, ut vitae salutem impetrarent mulieres Parthicas in matrimonium duxerant et hostium regionem domicilio sibi delegerant. Cf. Horat. C. III 5, 5:

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit et hostium —
Pro curia inversique mores! —
Consenuit socerorum in armis:

Ut apud Horatium *arma socerorum*, h. e. hostium, opposita sunt *patriis armis*, sic apud nostrum *communes penates*, h. e. Romanorum et perfugarum, oppositi sunt *patriis laribus*. Hyrcana vero litora post cladem ad Carrhas acceptam Romanis nimis nota fuisse opinor!

ELEGIA XXXIII.

21 At tu, quae nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui t e r faciamus iter.

Ut *ter*, quod nihili est, tolleretur Burman coniecit *perficiamus*, Scaliger barbare *refaciamus*. Emendandum puto:

Noctibus his vacui f a c faciamus iter.

Scribae vocabulo *ter* lacunam suppleverunt, quae per haplographiam ante *faciamus* in archetypo orta erat.

ELEGIA XXXIV.

In nobilissimo quo Vergilium prosequitur alloquio postquam Bucolica et Georgica laudibus extulit sic pergit:

83 Nec minor his animis aut si minor ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.

Pars posterior hexametri, verba *minor ore canorus*, omissa est in Cod. N. — ceteri praebent *sim m. o. c.*

Est locus conclamatus, quem expedire nondum cuiquam contigisse Luc. Muellero assentior. Si quis meam quoque sen-

Digitized by Google

tentiam cognoscere velit, persuasum mihi esse sciat, pentametrum neutiquam sollicitandum esse, hexametrum vero mutatione levissima emendari posse. Quae medela ut non pridem inventa sit inde factum esse credo quod ex criticis omnibus, qui locum sarcire studuerunt, a Scaligero ad Phillimorium et Hartmanum usque, nemini umquam alterum *minor* suspicionem movit: illud *minor* videlicet eidem formae a librario sive indocto seu negligenti repetitae per volventia saecula pro tegimento fuit: at tamen adverbium requiri ad adiectivum *canorus* facile agnoscitur. Reponendum igitur censeo:

Nec minor his animis aut hoc minus ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor,

h. e. nec his animis (qui in Bucolicis et Georgicis apparent) minor aut hoc ore (quo carmina illa protulit) minus canorus olor Vergilianus cessit indocto Anseris carmini.

ΔΕΚΑΝ.

Inscriptionem atticam antiquissimam:

ὃς νῦν ὀρχηστῶν πάντων ἀτταλώτατα παίζει
τοῦτο δεκᾶν νιν

perpendenti subnata mihi est suspicio ultima verba significare: „hoc decies accipiet" sive: „hoc vas decies ei exhaurire licebit" [1]). Δεκᾶν enim haberi potest pro infinitivo futuri [2]) verbi δεκάζειν, quod, collatis verbis quae sunt δυάζειν et τριάζειν, significare posse: „aliquid decies facere" haud facile negaveris.

G. V.

1) Hanc sententiam evulgavit alumnus almae matris Rheno-Traiectinae F. J. M. de Waele natione Belga (Musée Belge, XXVII, 1923, p. 308), cui eam die XXIV° m. Novembris a. 1922 in examine sollemni aperueram.

2) Cf. δικᾶν S. G. D. I. IV, p. 880, 20 (titulus Erythraeus); Herod. I, 97.

Digitized by Google

AD LYSIAE ORATIONEM PRIMAM.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM.

§ 2: *περὶ τούτου γὰρ μόνου τοῦ ἀδικήματος καὶ ἐν δημοκρατίαι καὶ ὀλιγαρχίαι ἡ αὐτὴ τιμωρία τοῖς ἀσθενεστάτοις πρὸς τοὺς τὰ μέγιστα δυναμένους ἀποδέδοται.*

Ita in codice Palatino 88 omnium procul dubio praestantissimo legitur; codex vero Vaticanus Palatinus 117, unus e deterioribus, lectionem *καὶ ἐν ὀλιγαρχίαι* praebet, quam multi editores aurium testimonium secuti probaverunt.

Diiudicatio difficilis est: *ὀφθαλμοὶ γὰρ τῶν ὤτων ἀκριβέστεροι μάρτυρες*, ut iam docuit Heraclitus, quam ob rem operae pretium erit rem accuratius investigare.

Exordium capiam a duobus locis, quorum testimonium nil valet: Xen. Conv. V 3 *καὶ ἐν ἵπποι καὶ βοῖ καὶ ἐν ἀψύχοις πολλοῖς*, ubi Naber scribendum esse coniecit *καὶ ⟨ἐν⟩ βοῖ*, vix recte; vocabula enim *καὶ ἐν ἵπποι καὶ βοῖ* verbis *καὶ ἐν ἀψύχοις πολλοῖς* respondent. Alter locus erit [Andoc.] IV 41: *ἐγὼ γὰρ πρεσβεύσας εἰς Θετταλίαν καὶ Μακεδονίαν καὶ εἰς Θεσπρωτίαν καὶ εἰς Ἰταλίαν καὶ εἰς Σικελίαν*; ibi quoque Sauppe *καὶ ⟨εἰς⟩ Μακεδονίαν* restituit — sine necessitate; nam iter in Thessaliam et Macedoniam susceptum aliis itineribus opponitur.

Poetae vix aliquid lucis afferunt: Philem. enim fr. 57 Kock quidem *κἀν βροτοῖσι καὶ θεοῖς*, Hense vero (Stob. Vol. III p. 350) *κἀν βροτοῖσι κἀν θεοῖς* edidit neque ullam variam lectionem commemoravit. Maioris momenti est Arist. Pac. vs. 770, ubi RV *καὶ ἐπὶ τραπέζηι καὶ ξυμποσίοισ* habent, quamquam correctionem Elmsleianam *καὶ ἐπὶ τραπέζηι καὶ ⟨ἐν⟩ ξυμποσίοισ* (ab editoribus vulgo receptam) lenissimam esse confitemur.

Digitized by Google

Plura exempla dabunt scriptores pedestres, quorum nonnulla iam a Thalheimio allata sunt:

Isocr. XII 105: *καὶ περὶ τοὺς Ἕλληνας καὶ τοὺς βαρβάρους.*

Lys. III 38: *καὶ περὶ τῆς πατρίδος καὶ τῆς οὐσίας.*

Lys. XVIII 6: *καὶ διὰ τοὺς προγόνους καὶ αὐτόν.*

Lys. XVIII 13: *καὶ πρὸς τοὺς πολίτας καὶ τοὺς ξένους.*

Lys. XXXII 10: *καὶ τῆς ἀδελφῆς ἕνεκα καὶ σφῶν αὐτῶν*, cf. Ant. VI 46 *καὶ σφῶν αὐτῶν ἕνεκα καὶ τῆς πόλεως.*

His omnibus diligenter perpensis statuendum esse colligo: *καὶ ἐν δημοκρατίαι καὶ ἐν ὀλιγαρχίαι* locutio est sollemnis (Lys. VII 41, Isocr. XV 27, XVI 50); Lysias vero in altero membro hic illic praepositionem omittere videtur; loco igitur de quo agimus traditam lectionem *καὶ ἐν δημοκρατίαι καὶ ὀλιγαρχίαι* intactam relinquere prudentis erit editoris.

Ex multis quos mihi notavi locis tres afferam, ubi similiter aures nostrae offenduntur, nihil tamen mutandum esse docet metrum: Arist. Eccl. 51 *καὶ τὴν Φιλοδωρήτου γε καὶ Χαιρητάδου | ὁρῶ προσιούσας* (post alterum *καὶ* neglegentius articulus *τὴν* omissus est); Thesm. 491 *ὑπὸ τῶν δούλων τε καὶ ὀρεωκόμων*, Ran. 773 *καὶ τοῖσι πατραλοίαισι καὶ τοιχωρύχοις.*

§ 4: bis tria se demonstraturum esse pollicetur Euphiletus: *a) ὡς ἐμοίχευεν Ἐρατοσθένης τὴν γυναῖκα τὴν ἐμὴν καὶ ἐκείνην τε διέφθειρε καὶ τοὺς παῖδας τοὺς ἐμοὺς ἤισχυνε καὶ ἐμὲ αὐτὸν ὕβρισεν εἰς τὴν οἰκίαν τὴν ἐμὴν εἰσιών, καὶ b) οὔτε ἔχθρα ἐμοὶ καὶ ἐκείνωι οὐδεμία ἦν πλὴν ταύτης, οὔτε χρημάτων ἕνεκα ἔπραξα ταῦτα, ἵνα πλούσιος ἐκ πένητος γένωμαι, οὔτε ἄλλου κέρδους οὐδενὸς πλὴν τῆς κατὰ τοὺς νόμους τιμωρίας.*

Suspicor Lysiam more solito, ut auditoribus novam seriem incipere significaret, scripsisse *καὶ ⟨ὡς⟩ οὔτε ἔχθρα κτέ.* vel potius, ut mihi suggessit Meerwaldt, vir artis rhetoricae peritissimus, *καὶ ⟨ὅτι⟩ οὔτε ἔχθρα κτέ.*[1]); confero Lys. XXVI 3 *καὶ νυνὶ αὐτὸν ἀκούω — λέξειν a) ὡς πολλὰ εἰς τὴν πόλιν ἀνηλώκασι καὶ Φιλοτίμως λελητουργήκασι καὶ νίκας πολλὰς καὶ καλὰς ἐν δημοκρατίαι νενικήκασι, καὶ b) ὅτι αὐτὸς κόσμιός*

1) Eodem modo, ut nunc demum video, locum iam correxerat Pertz; editor Oxoniensis ut solet — tacet.

Digitized by Google

ἐστι καὶ οὐχ ὁρᾶται ποιῶν ἃ ἕτεροι ἐνταῦθα τολμῶσιν, ἀλλὰ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν ἀξιοῖ.

Obiter moneo in fine sententiae κέρδεσι sine causa idonea a Rauchensteinio expunctum esse: ultio legitima Graecis lucrum, κέρδος τι, esse videtur, ut sescenti loci docent. Exemplo sit Soph. El. 34: „Delphos" — verba sunt Orestis cum paedagogo confabulantis — „me contuli, ut deum consulerem ὅτωι τρόπωι πατρὶ | δίκας ἀρούμην τῶν φονευσάντων πάρα"; ibi quoque poena est praemium, quod aufertur, cf. μισθὰν ἄρνυσθαι.

§ 7: ἐν μὲν οὖν τῶι πρώτωι χρόνωι, ὦ Ἀθηναῖοι, πασῶν ἦν βελτίστη, καὶ γὰρ οἰκονόμος δεινὴ καὶ φειδωλὸς † ἀγαθὴ καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα.

Frohberger post δεινὴ excidisse ἦν suspicatur: δεινὴ ⟨ἦν⟩; sed haec coniectura supervacanea mihi videtur, talis enim omissio, quamvis rara, haudquaquam inaudita est: Lycurg. in Leocr. 59 ἥξει — ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λόγον — ὡς οὐκ ἔνοχός ἐστι τῆι προδοσίαι· οὔτε γὰρ νεωρίων κύριος οὔτε πυλῶν οὔτε στρατοπέδων οὔθ' ὅλως τῶν τῆς πόλεως οὐδενός.

Sequentia difficiliorem movent quaestionem: quid enim sibi vult adiectivum ἀγαθή, quod verborum clarum ordinem perturbat? Lectio est vetustissima, ut docet Choricius Gazaeus Iustiniani aoqualis in Epitaphio Mariae Marciani episcopi matris: λέγεται — ἐπιβᾶσαν πατράδοσι οἰκονόμον τε χρηστὴν πεφυκέναι καὶ Φειδωλὸν ἀγαθήν (p. 30 Boiss., cf. Polak, Mnem. XXIX p. 427): bonus igitur Choricius Φειδωλός pro substantivo habuit!

Nemo tamen lectionem traditam defendit, sed sequi solent editores Dobraeum, qui molestum adiectivum ἀγαθὴ ut glossema expulit (Adv. Vol. I p. 173 ed. Wagner). Hoc remedium minus placet: aut enim adiectivum ἀγαθὴ inter versus adscriptum fuit, ut explicaret vocem δεινή; in textu vero tradito post Φειδωλός, non post δεινὴ legitur; aut in margine appictum fuit hoc modo:

\+ \+
καὶ γὰρ οἰκονόμος δεινὴ καὶ Φειδωλὸς ἀγαθή
καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα κτέ. Ubi vero in grammaticorum scriptis ἀγαθὸς adiectivi δεινὸς explicatio est? Hesychius e. g. habet δεινός. κακός. φοβερός. † ἐστραμμένος. δυνατός. πανοῦργος.

Digitized by Google

ἱκανός. ἀκολάκευτος et δεινότατος· πάνυ Φρόνιμος. Similiter scholia Euripidea δεινὸς explicant ἱκανός (Andr. 985, Hec. 379), τίμιος (Phoen. 355), φοβερός (Phoen. 454), δυνατός (Andr. 269).

Alii censent adiectivum fluxisse e vs. Phocylideo (fr. 3, B) ἡ δὲ μελίσσης / οἰκονόμος τ' ἀγαθὴ καὶ ἐπίστηται ἐργάζεσθαι, a lectore quopiam notato in margine! Sed haec explicatio paucis, opinor, placebit.

Ipse aliam viam ingressus sum: substantivum οἰκονόμος duobus ornatur epithetis (δεινὴ καὶ Φειδωλός), participium vero διοικοῦσα uno tantum (ἀκριβῶς), quod tamen particula καὶ cum praecedentibus coniungit. Suspicor igitur in monstro illo ἀγαθὴ adverbium latere, quod olim una cum adverbio ἀκριβῶς participio διοικοῦσα additum fuit; scripsit fortasse Lysias: καὶ γὰρ οἰκονόμος δεινὴ καὶ Φειδωλός, ἀγαπῆ ⟨τῶς⟩ καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα i. e. „ita ut contentus esse possem", cf. ἀγαπητὰ ἤθη (Xen. Mem. III 10, 5).

§ 12: καὶ ἐγὼ τὴν γυναῖκα ἀπιέναι ἐκέλευον — ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ ὠργιζόμην καὶ ἐκέλευον αὐτὴν ἀπιέναι κτέ.

Hoc loco dignissima quae memoretur pulchra et lepida est correctio, quam per litteras mecum communicavit van Leeuwen; non enim credo bis idem dixisse Euphiletum, sed prius placide uxorem abire iubet. Dicto non audiens est muliercula; tum maritus irae impatiens (ὠργιζόμην!) αὐτίκα (codd. αὐτήν) ἀπιέναι eam iussit. Adfero Soph. Ai. vs. 579, ubi Aias, ad Tecmessam conversus, δῶμα πάκτου clamat; duobus vero versibus post, furore incensus, addit: πύκαζε θᾶσσον (= αὐτίκα).

§ 16: προσελθοῦσα οὖν μοι ἐγγὺς — ἡ ἄνθρωπος — τῆς οἰκίας τῆς ἐμῆς ἐπιτηροῦσα κτέ.

Alii (Halbertsma) vocabula ἡ ἄνθρωπος expungunt, alii (v. Herwerden olim) transponunt ἡ ἄνθρωπος ἐγγὺς τῆς οἰκίας, frustra omnes: nam ἡ ἄνθρωπος omitti nequit, ne incertum fiat, utra mulier sententiae subiectum sit; neque ulla mutatione opus est. Fingit enim Euphiletus se ex tempore loqui et inter disserendum ἡ ἄνθρωπος addit, ut clarior et magis perspicua fiat sententia. Apte contuleris Thuc. II 65, 12 Κύρωι τε ὕστερον — βασιλέως παιδὶ — προσγενομένωι, ubi locutio ὕστερον προσγενομένωι additamento βασιλέως παιδὶ diiungitur.

Digitized by Google

§ 24: *ὥσαντες δὲ τὴν θύραν τοῦ δωματίου οἱ μὲν πρῶτοι εἰσιόντες ἔτι εἶδομεν αὐτὸν κατακείμενον παρὰ τῇ γυναικί, οἱ δ' ὕστερον ἐν τῇ κλίνῃ γυμνὸν ἑστηκότα.*

Hoc loco semper haesi: quis enim credat virum subito e somno excitatum in lecto consistere? Suspicor ordinem verborum mutatum esse et Lysiam scripsisse: *οἱ μὲν πρῶτοι εἰσιόντες ἔτι εἶδομεν αὐτὸν κατακείμενον παρὰ τῇ γυναικὶ ἐν τῇ κλίνῃ, οἱ δ' ὕστερον γυμνὸν ἑστηκότα.* Magnopere intererat adulterium firmissimis argumentis confirmari ita ut omnis dubitatio tolleretur augetque indignationem singularum rerum accurata enumeratio (*κατακείμενον παρὰ τῇ γυναικὶ ἐν τῇ κλίνῃ*, cf. *τὸν αὐτοέντην ἡμὶν ἐν κοίτῃ πατρὸς / ξὺν τῇ ταλαίνῃ μητρί*, Soph. El. 272).

§ 27: *οὔτε σίδηρον οὔτε ξύλον οὔτε ἄλλο οὐδὲν ἔχων κτέ.* Pellectus fortasse § 42 (*τί γὰρ ἥδη εἴ τι κἀκεῖνος εἶχε σιδήριον*) Reiskius hic quoque *σιδήριον* restituit, quod multis placuit. Errare tamen virum doctissimum docent sescenti loci: B 872 *χρυσὸν ἔχων πολεμόνδ' ἴεν ἠύτε κούρη*, ubi *χρυσός* = *χρυσία*, aurea monilia, cf. Arist. Av. 670, Dem. IX 42, 43, quo loco *χρυσὸς* et *χρυσίον* eodem sensu usurpantur; Σ 34 *ἕδρις γὰρ μὴ λαιμὸν ἀποτμήξειε σιδήρῳ* (= cultro), Ψ 30, Hdt. VI 75, II 86, Δ 123 *νευρὴν μὲν μαζῷ 'πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον* (= ferream sagittae cuspidem), Eur. Or. 966; adde Thuc. I 6, 3 *ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι τόν τε σίδηρον κατέθεντο*, Ant. Tetr. Γ *β* 2 *εἰ μὲν σιδήρῳ ἢ λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην*, Γ *γ* 3.

§ 36: *οἷς* (*τοῖς νόμοις*) *ὑμᾶς ἀξιῶ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχειν· εἰ δὲ μή, τοιαύτην ἄδειαν τοῖς μοιχοῖς ποιήσετε, ὥστε καὶ τοὺς κλέπτας ἐπαρεῖτε Φάσκειν μοιχοὺς εἶναι.*

In promptu est traditam lectionem cum Hartmanno in *τοσαύτην ἄδειαν* mutare, sed me retinent loci quales sunt Xen. Anab. I 3, 13 *ἐπιδεικνύντες οἷα ἡ ἀπορία ἄνευ τῆς Κύρου γνώμης καὶ μένειν καὶ ἀπιέναι* (*οἷα*: „welcher Art"; doch ziehen wir den Quantitätsbegriff „wie grosz" vor, ut recte observavit Rehdantz); Aesch. Ag. 278 v. Wil. *ποίου χρόνου δὲ καὶ πεπόρθηται πόλις*, quo loco Karsten *πόσου* sine causa idonea restituit.

Digitized by Google

§ 42: *καίτοι γε εἰ προήιδη, οὐκ ἂν δοκῶ ὑμῖν καὶ θεράποντας παρασκευάσασθαι καὶ τοῖς φίλοις παραγγεῖλαι, ἵν' ὡς ἀσφαλέστατα μὲν αὐτὸς εἰσῆια κτέ.*

In Euphileti aediculis urbanis multos fuisse servos vix credo; aliter se res habet III 33 (*ὥστε μήτε φίλους μήτ' οἰκέτας μήτ' ἄλλον ἄνθρωπον παρακαλέσαι μηδένα*); ibi enim de homine divite agitur.

Praeterea — quod maioris momenti est — bis idem dicit Euphiletus noster; nam initio § 41 *ἔπειτα*, inquit, *ὦ ἄνδρες, οὐκ ἂν δοκῶ ὑμῖν τοῖς ἐπιτηδείοις μεθ' ἡμέραν παραγγεῖλαι καὶ κελεῦσαι αὐτοὺς συλλεγῆναι κτέ.*

Quid multa? Alterum *καὶ* procul dubio in textum irrepsit et sententiam corrupit: *οὐκ ἂν δοκῶ ὑμῖν καὶ* (etiam) *θεράποντας παρασκευάσασθαι* [*καὶ*] *τοῖς φίλοις παραγγεῖλαι κτέ.*, ita ut *παρασκευάσασθαι* ab infinitivo altero (*παραγγεῖλαι*) pendeat. (In eandem correctionem iam inciderat, ut benigne mecum communicavit, I. v. Leeuwen).

Digitized by Google

SOPHOCLEI CHORI PERSONA TRAGICA.

SCRIPSIT

IGN. ERRANDONEA S. I.

(Continuantur ex pag. 60).

CAPUT SEPTIMUM.

Aiax.

I.

Non est facile primo obtutu oculorum definire personam et ἦθος nautarum ex quibus Aiacis chorus constat [1]). Videntur esse et dicuntur digni milites tam strenuo duce quibusque ipse maxime fidat, et tamen metu exterriti passim loquuntur nec quidquam aggredi audent. Summo se dolore affectos dicunt quod sit Aiax periturus, et iidem eodemque tempore addunt praestare eum mori quam νοσεῖν μάταν [2]), pauloque post subito erumpunt in laetissimum carmen, quamvis pateat Aiacem discedere ut se interimat [3]). Fidelissimi dicuntur suique ducis observantissimi [4]) ii ipsi qui multa, nimis multa dicunt quae non nimium amorem ostentant.

Aiax vero ipse qualis sit non facile dixeris. Fuitne a Pallade in insaniam coniectus propter insolentem iactationem, ut vv.

---

1) „Quod attinet ad chori verba (in Aiace), difficile est disceptare utrum dicta sint e nautarum condicione an quasi e theatro; nam ἐν πρώτοις περὶ ἑαυτῶν ὀλοφύρονται, ut recte ait scholiasta ad v. 900..., quod idem apparet e vss. 174, 254. Versu 139 autem... universe dicit domini salutem sibi curae esse; tum primum v. 141 spectat ad res praesentes, sed v. 228 timorem exprimit ne quid mali accidat". GUIL. EGGERKING, *De graeca artis tragicae doctrina, imprimis de affectibus tragicis*, (1912) pg. 18. 2) 635. 3) 693—716.

4) Ob eam causam putat scholiasta salaminios nautas electos fuisse in chorum a Sophocle (ad. v. 134).

Digitized by Google

750—783 dicitur, an illud solum facinus deae est, quod in prologo ipsa fatetur, eum *iam furentem* et in Atridas irruentem devocare atque in oves armentaque convertere? Estne igitur innocens vir, qui nullam deorum poenam subeat, an sons qui iuste patiatur ob crimina? Non enim ostenditur haec duo qui possint componi. [1])

Multo gravior est, multoque magis perplexa quaestio, quid tandem de tragoedia ipsa sit iudicandum. Aiax enim, quae praecipua videtur dramatis persona esse, occiditur iam versu 865; restant autem illi quingenti quinquaginta quinque versus, quibus longa admodum contexitur disputatio de eo sepeliendo, qua friget admodum actio, totaque animorum commotio exstinguitur, ut iam commentatores, et ipsi etiam scholiastae [2]) animadverterunt.

Quae enim hucusque tentata sunt ad ambas partes mutuo inter se conectendas et coagmentandas, ea quidem et debilissima sunt, et difficultatem, ut minuant, non certe penitus de medio tollunt.

Sit enim verum apud Graecos maximi habitas esse funebres erga vita functos caerimonias; insinuari iam in prima parte aliquid futurum esse, post mortem Aiacis, contentionis et belli; denique Graecos publicis verborum disputationibus multo magis fuisse delectatos quam nos [3]): quid eo magis adhaereat secunda pars primae? rectius dicam, quid eo magis secunda pars ita fiat magna et gravis ut maioris sit momenti quam prima qua occiditur Aiax? quid spectatores, mortuo Aiace, perstent in theatro, nec abeant, quasi re iam confecta, sed exspectent longas illas Teucri et Menelai et deinde Agamemnonis et postremo Ulixis concertationes et commenta, eaque tam gravia putent, ut iure etiam, ad ea audienda, tam praecipua persona

1) Cfr. Jebb, Introd. 14.

2) Ad v. 1123: *τὰ τοιαῦτα σοφίσματα οἰκεῖα τραγῳδίας· μετὰ γὰρ τὴν ἀναίρεσιν ἐπεκτεῖναι τὸ δρᾶμα θελήσας ἐψυχρεύσατο καὶ ἔλυσε τὸ τραγικὸν πάθος.* Ad. v. 1127: *τὸ δὲ τοιοῦτο κωμῳδίας μᾶλλον ἢ τραγῳδίας.* Ad. v. 1205: *καὶ ἄκαιρον μὲν ⟨τὸ⟩ περὶ ἔρωτος μεμνῆσθαι ἐν τοῖς παροῦσιν.*

3) Hae sunt rationes quas hucusque adhibitas vidi a viris doctis ad hunc nodum solvendum, vel potius nectendum. Sin dicas spectatores iam novisse fabulam, aut non esse antiqua dramata nostrorum temporum iudicio examinanda, similia, vide ne difficultatem declines, non solvas.

Digitized by Google

occidatur, qualis est Aiax? Neque illud omittam: apparent in secunda parte Teucer, de quo vix in priore facta fuerat mentio, deinde Menelaus et Agamemnon, quorum ne nomina quidem fuerant ante pronuntiata, postremo Ulixes qui tantum in prologo apparuerat. Quorsum hae de latebris subito erumpentes personae in fine tragoediae sine ulla fere actione? Haec omnia revera absona a Sophocle, immo etiam a quovis vel mediocri tragico poeta.

Nec sat esse puto dicere, quod paucis abhinc annis est dictum, eiusdem esse dignitatis et momenti utramque partem, cum secunda referat in astra heroa, quem prima deprimat et demittat. Quanto enim altius deicitur Aiax in illa quam effertur in hac! Adde quod non Aiax sed Teucer triumphat in secunda. Quod si, quod fratres sunt, vel uterque inconstantiae fortunae documentum (vs. 131), iam eo ipso suppeditent huic tragoediae requisitam unitatem, actum sit de Musa tragica. Nemo unus scriptor, qui rem ita tractaret, appellaretur a nobis poeta tragicus, nedum „Sophocles".

Neque magis prodest meminisse Aiantea festa illa quae Athenienses solerent cum Salaminiis celebrare in horum insula, continere pompam quandam in qua imago Aiacis lectulo deferretur, armis totaque panoplia induta [1]); nam etsi id poterat ansam praebere Sophocli ut Aiacis memoriam cum concertatione de armis eius coniungeret, tamen nisi in ipso dramate rationem huius coniunctionis ostenderet, esset sine dubio explosus ab Atheniensibus, et damnatus certe ab Aristotele, qui de unitate rectissime sentit, in libro de Arte poetica. Si enim, quia auditores Aiacem et eius arma saepe videbant coniuncta, liceat iam poetae tragico de Aiace et de armis sine ullo conexu agere, liceat pariter in reliquis heroibus similia facere, et, nulla habita ratione artis, desilire in res dissentaneas, si modo eas auditores coniunctas saepe viderunt. Id autem quis concedat?

Quae quidem omnia adeo sunt perspicua, ut multi iam dederint manus et tragoediam debita concinnitate carere dicant, ultimam manum operi non accessisse, Sophoclem diversis

1) Cfr. Aug. Mommsen, *Feste der Stadt Athen im Altertum*, p. 463, 452. Cfr. C.I.A. II, 466—471.

Digitized by Google

temporibus diversas partes scripsisse; rem non esse absolutam [1]). Immo vero Sophoclis solam priorem partem esse, id enim iam multi dicunt (O. Ribbeck, Bergk, alii), secundam ab alio recentiore fuisse conscriptam, fortasse ab Iophonte; quod ut credat, Harwood Hoadley [2]) non tam adducitur ea, quam dixi, debili aut nulla conexione, quam elocutione, quippe quae sit minus poetica in secunda parte, et numero dissolutorum iamborum, qui sint in ea multo plures numero quam in priore, aliisque similibus argumentis. [3])

Sapienter animadvertit Jebb, quidquid sit huic tragoediae unitatem et consonantiam daturum, hoc ita debere eam pervadere et permeare et eiusmodi esse ut, Aiacis mors desinat esse catastrophe summa, qua facta nihil habeat spectator desiderandum, sed incipiat esse eventus ducens in alios eventus, ita ut summa et praecipua res sit liberare corpus Aiacis ab infamia, qua id afficere volunt adversarii. Hoc nos latet, hoc investigandum est diligenter; scil. videndum quid maxime Sophocles intenderit, quid contenderit hoc opere. [4])

II.

Aiax complures dies in tabernaculo delituerat terribili ira correptus in Atridas, qui arma Achillis ipsi abiudicata adiudicarant Ulixi. Nunc vero ille fortissimus Aiax, qui capite et

---

1) Christ-Schmidt, *Gesch. d. griech. Litt.* 1912 n. 172. I. van Leeuwen, *Comment. de Sophoclis Aiacis authentia et integritate* (1881) 197 sq. Haigh, *The tragic drama of the Greeks*, pg. 188.

2) Harwood Hoadley, *The authenticity and date of the Sophoclean Ajax*, verses 1040—1420, Lancaster Pa. 1909.

3) Nominabo quasi praeteriens eos qui unitatem, eamque allegoricam fabulae inesse censent: „Benloewius perhibet Aiacis Sophoclei alteram partem Alcibiade patria carente scriptam esse, ut Salaminii mortem sui ducis lugentes Atheniensium maestitiam illustrissimi exsulis causa exprimerent". Cfr. I. A. Stricker, *De tragicorum anachronismis*, 1880, pg. 92. Georgios Mistriotis (*Welches ist das älteste Drama des Sophokles?*, Macon 1901) errare ait eos qui, ut Lobeck, Boeckh, Hermann, Bergk, dixerunt absolvi tragoediam prima parte; perfectam enim dicit adesse coagmentationem: „cadaver Aiacis nihil est aliud nisi Graecia liberata bello persico, agitur autem de Graecorum hegemonia... Manifeste Aiax repraesentat Athenienses, Ulixes Peloponnesios"; „utriusque disputatio certamen significat inter Athenienses et Peloponnesios de hegemonia graeca" pg. 7—9.

4) Jebb, Introd. 9.

Digitized by Google

umeris eminebat inter omnes, ille, ut verbis utar Tecmessae, ὁ δεινός, μέγας, ὠμοκρατὴς Aiax, iram vertit in insaniam, destrictoque ense egressus est noctu, adiit tabernacula Agamemnonis, Menelai, Ulixis; iam occidebat eos, cum Pallas obviam prodit, divertit virum insciumque convertit in greges. In quos tam furiose nocte bacchatus est, ut mane cuncta castra sanguine madefacta et ovibus pastoribusque occisis strata apparuerint. Horror perfudit omnes Graecos, qui cum Aiace erant.

Ipse Agamemnon, summus omnium dux, non dissimulat metum, quando in fine tragoediae Teucro, qui Aiacem, rege invito, sepelire vult: „non enim, ait, qui *immanes* sunt, quique umeris *amplissimi* viri [1]), iidem sunt ἀσφαλέστατοι", arguitque eum quod pro homine certet qui iam non exsistat nec sit nisi mera umbra, quasi dicat cum vivo quidem non se ausurum fuisse contendere. [2])

Clarius etiam fassus est paulo ante formidinem suam Menelaus; qui postquam acriter prohibuit sepelire Aiacem, addidit non sine puerili quodam metu [3]): „ne igitur nunc insolenter animum extuleris; nam si viventem compescere non potuimus, utique mortuum domitum habebimus et etiamsi tu nolis, manibus versabimus; numquam enim dum vivebat dicto nostro audiens fuit". Et post longum sermonem quo cantat, quam utile sit omni reipublicae δέος et αἰδώς, metus et reverentia, „sed expedit, inquit, ut homo omnis, quamvis immani corpore vigeat, sentiat parvo se malo posse praecipitem dari; qui enim metuit et simul verecundus est, hic salvus est"; „hic vir antea exsultabat insolentia, ego vero *nunc* μέγ' οὔ φρονῶ [4]). „Iustumne ergo censes, bene cum hoc agi, qui me occidit? — Occidit? ait Teucer, mirum profecto si occisus vivis. — Dea me liberavit, sed quantum in isto erat, perieram". [5])

Sed sicut in omnibus, ita in metu singularis est Ulixes. Incipit tragoedia dialogo inter eum et Athenam, quae eum aliquid machinantem, ut erat eius mos, invenit. Nunc enim speculatur et vestigat Aiacem; „et bene quidem eum vestigas, ut Lacaena canis, tuis acutis naribus, intus enim adest"; cupit

---

1) 1251. 2) 1257—1259. 3) 1066—1070.
4) 1077—1088. 5) 1126—1128.

Digitized by Google

enim scire ubi sit Aiax: εἴτ' ἔνδον, εἴτ' οὐκ ἔνδον, oves enim occisas mane invenerunt, eas ab Aiace destructas pro certo habent, amentia correptum πελώριον Aiacem suspicantur: Ulixes id muneris suscepit, quid rei sit investigare. [1])

Discit id quidem a Pallade, et plus etiam discit quam cupiebat discere. „Aiax, ait dea, revera noctu surrexit, et occidit oves, et praeterea constat, quod tu pervulgas, eum amentem esse factum". „Sed qua mente illam stragem fecit? quaerit Ulixes. — Νύκτωρ ἐφ' ὑμᾶς δόλιος ὁρμᾶται μόνος „in vos ibat" [2]); id nesciebat Ulixes nec suspicabatur. — „Quis ergo eum impedivit?" quaerit Ulixes timore anxius. — „Ego eum averti..." et pergit Athena terribilem et vividissimam descriptionem facere, qui corripuerit pecudes et confregerit ossa, qui duas oves, quas crediderit esse Agamemnonem et Menelaum, manibus discerpserit, alias deinde quas putarit *alios duces* exercitus" [3]). Facile est conicere quid tunc Ulixes senserit; quasi rerum tamen inscia insequitur Pallas: „ostendam tibi clarissime hanc insaniam, ut ubi videris, omnibus Argivis enarres... non tamen te videbit; heus tu, qui captivas manus vinculis colligas, venias huc, Aiax, te alloquor, huc ades". — „Quid agis, Athena, nullo modo eum huc evoces", clamat Ulixes — et post alia his similia: „quid, insanum hominem aspicere vereris?" — „Sanum quidem videre minus vererer", cumque audiat se miraculo non visum iri ab Aiace, consentit Ulixes. [4])

Quid vero patietur qui iam antea exterritus erat, cum videbit tacitus ante se Aiacem, furentem, exsultantem quasi occiderit Atridas servetque in tabernaculo vinctum Ulixem, quem quidem sit flagellaturus crudeliter, ut φοινιχθεὶς θάνῃ, cum audiet Athenam quaerentem ab Aiace furioso: „quid igitur Ulixes, τὸν σὸν ἐνστάτην λέγω, adversarius tuus?" quid non posthac verebitur, cum videbit abeuntem novis minis novoque furore contra Ulixem, abeuntem, inquam, πρὸς ἔργον, id est, ut flagellet et cruciet Ulixem, cum ipsam deam Aiaci valedicentem audiet his verbis [5]):

---

1) 1—10, 21—34. 2) 46—47. 3) 51—58.
4) 66—88. 5) 114, 115.

Digitized by Google

σὺ δ' οὖν, ἐπειδὴ τέρψις ἥδε σοι τὸ δρᾶν,
χρῶ χειρί, Φείδου μηδὲν ὥνπερ ἐννοεῖς.

Dixerit fortasse quispiam me illectum voluptate morum Ulixis describendorum indulsisse calamo et inutilia omnibusque nota repetisse. Utinam haec quae de Ulixe et de metu dixi tam essent inutilia dictu, ut mihi ab omnibus darentur nec opus esset ea confirmare. Neminem enim fere scriptorem repperi qui velit aperte [1]) fateri poetam hic irridere metum Ulixis. Immo omnes eum egregium virum, prudentissimum, magnanimum, misericordem (124) putant; ut vulgare iam sit, omnibusque usitatum, cum de *Philoctetis* Ulixe agitur, animadvertere et dolere quod illic eius personam deformaverit Sophocles, quam in *Aiace* tam nobilem sapientemque descripserit.

Tam inauditae nonnullorum laudes sunt, ut malim eas silentio praeterire; si enim quae ego dico vera sunt, inhumanum est eas auctoresque referre; si falsa, inutile.

III.

Sed veniamus ad chorum. [2])

Quaesieris: quid chorus timeat, cum Aiax non in suos nautas sed in eos duces qui eum armis Achillis spoliaverint sit iratus? Quidquid illud est, est in chori animo, est abunde metus; mirum quod commentatores ita eius sermones interpretati sunt, ut, quando metum ostendat, fidelitatem dicant et amorem in Aiacem perhiberi. Metum vero sonant omnia eius verba [3]), seipsum magis cogitat quam suum ducem, de seipso est magis anxius quam de Aiace.

---

1) Aliquid tamen viderant clari viri v. gr. Lessing, Christ-Schmidt, *Gesch. d. gr. Litter.* pg. 326 (309) et Jebb (Introduction, § 15 note 2), tametsi Philoctetis Ulixem defendit acriter, ut dixi eo capite quod de Philoctete est. — Ch. R. Post haec dicere ausus est: „I am convinced, as I shall later seek to demonstrate, that Sophocles meant to represent Odysseus in this scene as a poltroon to the point of the ludicrous" p. 94; „the cowardice of Odysseus at the beginning of the Ajax must have been comic" p. 121.

2) Cfr. Bücherer, *Berl. Phil. Wochenschrift* 35 (1915) 257 sqq., ubi conqueritur quod huius tragoediae choro parum attendat in commentariis Radermacher".

3) Ideo etiam hanc tragoediam praecipue spectant auctores qui tenent illum φόβον, quem finem tragoediae dicit Aristoteles, esse metum ne spectatori id eveniat quod protagonistae; hunc autem exprimi maxime cantibus et reliquis verbis chori.

Digitized by Google

Haec chori huius de seipso sollicitudo, quae summi momenti est ad huius fabulae interpretationem, nullum praeteriit ex scriptoribus, qui partes chori diligenter consideraverunt: „In *Aiace* Sophocles, ait Fries, chorum.... carmina canentem facit, quae e propria fortuna, haud ita arte cum Aiacis fato coniuncta, sumit". „Iam e primo stasimo v. 596 sqq. elucet desiderium patriae quo totum quartum stasimum abundat (v. 1217: *γενοίμαν ἵν' ὑλᾶεν...*)". „Eo quod Aiacis fato chorus laborat, fit, ut..., sed etiam ipsi patiantur (v. 139 ss. *σὲ δ' ὅταν... λόγος κακόθρους ἐπιβῇ μέγαν ὄγκον ἔχω καὶ πεφόβημαι*) et ipsi ignominia affecti sunt: *μᾶτερ αἰσχύνας ἐμᾶς* v. 174 et 216, 269, 273, 70, et maerent v. 203, quin etiam fugam capessere in animo habent v. 245 sq." [1]) Quid G. Eggerking, quid scholiasta hac de re scripserint dixi initio capitis. Helmreich quoque animadverterat chorum in hac tragoedia de seipso multa loqui, multo plura quam in omnibus reliquis tragoediis [2]), et ad hanc provocavit ut refelleret Friederichsii [3]) sententiam, qui dixerat numquam chorum sophocleum de seipso ulla verba facere; videlicet Friederichs nec Aiacem nec Oedipum Coloneum tunc respexisse videtur.

Quo in loco unam rem praetermissam nolim: ideo dicit Friederichs Sophoclem vitasse hunc chori de seipso sermonem, quia „noluit... nec potuit per artis leges, quem percipit animus spectatoris dolorem, dividere quasi inter chorum et actorem, sed totum ad alterum conferre" [4]); et ideo putat Helmreich chori sophoclei personam esse minus definitam et minus sui ipsius consciam et praesertim chorum *Aiacis* tam inertem esse nihilque aggredi ut adiuvet heroa, quia, si aliter fieret, chorus obscuraret personam principem, in seipsum attentos redderet spectatores, pessundaret magnitudinem Aiacis et unitatem tragoediae. [5])

Id est omnino verum, et si rebus volumus duci et veritate, oportet nos concludere, debere nos in hac tragoedia totos ad

---

1) Hans Fries, *De conexu chori personae*,.. (1913) pgs. 17, 18.

2) Helmreich, *Der Chor bei Sophokles und Euripides nach seinem Ἦθος betrachtet* (1905) Kap. I, 1.

3) Friederichs, *Chorus Euripideus comparatus cum Sophocleo*, Erlangen, 1853.

4) Op. laud. pg. 7. 5) Op. laud. pg. 18, 19, 20.

Digitized by Google

chorum converti, siquidem hic ipse de se assidue tam multa dicit: hanc fuisse sine dubio Sophoclis mentem. Age igitur id faciamus, saltem experimenti causa.

Cum primum ingreditur, id novit solum quod noverat Ulixes ante congressum cum Pallade; videtur Aiax occidisse armenta Graecorum, et id insanus fecisse; utrumque Ulixes divulgabat. Summa autem cura nautae procedunt et non minore anxietate quam ipse Ulixes, et ea fortasse ratio est cur pro parodo anapaesticum carmen concinant, ubi metum non sola longitudo revelat, sed ipsa etiam inconexa sententiarum series.

Ordiuntur vero sic dicere ad absentem Aiacem: „Telamonis fili... te quidem valente, maxime gaudeo, sed ubi te aut Iovis plaga aut maledicus Danaum rumor lacessit, tunc ingenti percellor metu [1]), et pavito ut alatae oculus columbae. Sic etiam nunc ingentes de superiore nocte tumultus nos invaserunt ob sinistram infamiam, te videlicet, *τὸν ἱπποµανῆ λειµῶν' ἐπιβάντα*, interemisse Graecorum pecudes et quidquid reliquum erat de abacta praeda, caedendo corusco ferro. Tales enim rumores confingens omnibus ad aurem insusurrat Ulixes persuadetque admodum [2])..." „Ab huiusmodi hominibus tumultus in te excitatur, ac nos sine te, o rex, contra haec non valemus obniti"; hic iam insinuat timorem suum non ab Aiace solo venire, sed aliunde etiam ideoque pergit: „nam ubi aufugerunt e conspectu tuo, perstrepunt ut greges avium; sed si prodires, magnum vulturem pertimescentes subito se animo demitterent et silerent". [3])

Hunc animum timore affectum non solum ea quae dicunt nautae manifestant, sed ipse etiam modus quo dicunt; magna enim arte est usus Sophocles. Nam amentiam Aiacis appellare numquam audent, licet eam saepe significent; velut cum canunt *σὲ τὸν ἱπποµανῆ λειµῶν' ἐπιβάντα*, hoc verbum *ἱπποµανῆ* ita est prudenter collocatum, ut et subiectum esse possit (i. e. Aiacem designare) et adhaerere obiecto. [4])

---

1) 139: *ὄκνος· ὀκνῳ* etiam fugiebat Ulixes (81, 82).

2) 134—150. 3) 165—171.

4) Si annectitur obiecto, significat prata equos amantia vel habentia; si Aiaci adhaeret, vertendum erit „furiosum *in* equos" (pastores vocat chorus *ἱπποvόµους* v. 232), aut fortasse furiosum *ut* equum". Cfr. egregium opusc.: MAX SCHNEI-

Digitized by Google

Simili modo in stropha [1]) fingit eos Sophocles quasi nolentes cogitare dementiam Aiacis, hanc tamen cogitationem sive rumores sparsos ab Atridis et Ulixe erumpere quasi in nolentes et insilire seseque interponere eorum menti: „An te Iovis filia Diana (o terribilis fama, o mater ignominiae meae) impulit in publicos boum greges, sive ob victoriae alicuius non solutas gratias, sive ob fraudationem ad inclyta spolia pertinentem, sive ob venationem non remuneratam? [2]) an Mars...? numquam enim tua quidem sponte, φρενόθεν (levissime innuit dementiam), adeo sinistrorsum devectus es, ut in greges irrueres". Hic denuo memoria dementiae: „possit [3]) quidem ingruere θεία νόσος, sed avertat Iuppiter et Apollo malos Argivorum rumores". Quid tandem timeat chorus, clarius insinuatur, etsi nondum aperte, his quae continuo dicit; si enim falsi hi rumores sunt et ficta calumnia, tunc rogat Aiacem absentem, ut exeat tandem de tabernaculo et compescat coërceatque suo terribili impetu *Atridas et Ulixem*, nam horum „inimicorum petulantia nullo cohibita metu grassatur ventosis in saltibus, dum omnes multo cum cachinno effundunt in te convicia acerbissima, ἐμοὶ δ' ἄχος ξύστακεν. [4])

Quamquam haec omnia satis clara sunt et abundant metu, studet Sophocles ut multo etiam clariora fiant et multo vehementius auditorum animos trahant in chorum. Huic igitur revelabit nunc et ea, quae noverat, certa esse, et alia etiam multo graviora, scilicet ea ipsa quae Athena revelavit Ulixi; sic chori

---

DER, *Sophokles' Aias* v. 144 *ἱππομανῆ λειμῶνα und die übrigen mit μανης gebildeten adjektiva*, Gothae, 1905 (in *Festschrift Albert v. Baumberg* 1 Okt. 1905). Etymologicum Magnum, (p. 474, 42) et antea Suidas (s. v.) et prius scholiastae, hunc duplicem sensum verbo hoc posse notari dixerunt; v. eorum verba in diss. inaug. CAROLI HAEUSLER, *De Aiacis Sophocleae testimoniis*, Lipsiae 1915, pgs. 8, 12, 13.

1) 172—181.

2) Non dicit poeta Dianam iratam *Aiaci* propter eas causas eum in greges impulisse, sed, iratam *aliis*, contra eorum greges excitasse Aiacem, in vindictam.

3) Vertunt passim: „Veniat quidem dementia, sed avertant Iuppiter et Apollo rumores..", quasi putet chorus amentiam tolerandam, infamiam solam fugiendam; sed ἴχοι ἄν potentialis est et chorus hucusque verbo φάτις intellegit non verba sed rem eis contentam; solos rumores non multum timet; a versu 186 incipit agere de φάτι quae non sit vera, sive de *calumniis* Argivorum et Ulixis; per totam tragoediam chorum non rumores metuere patet sed veram amentiam Aiacis, ut statim dicam.

4) 200.

Digitized by Google

metus tantus evadet quantus fuerat illius. Quo in loco longissime absum ab eis scriptoribus, tametsi sunt multi, qui Sophoclis artem reprehendunt imperitumque dicunt qui ne tres quidem personas versare in scaena sciat, eamque ob causam hanc tragoediam, cum adhuc iunior esset, conscriptam putant. [1]) Non est ulla hic inutilis repetitio earum rerum quas chorus iam novit, sed aptissima accretio timoris in choro et sustentationis in animo audientium.

Tecmessa igitur, Aiacis socia, alloquitur statim nautas quibus constat chorus his verbis: „Socii Aiacis navales..., gemendum est nobis, quotquot de Telamonis distante familia sumus solliciti, nam metuendus ille, ingens ille, umeris praevalens ille Aiax, turbida iacet pressus tempestate morbi". Quaerit sollicite chorus nondum graviora suspicatus de his solum quae fere certo noverat: „ea enim tu eius coniunx facile noveris". Confirmat Tecmessa singula: amentia correptum esse Aiacem eaque impulsum trucidasse oves [2]). Rumores iam chorus certos verosque fuisse videt: „Heu qualem mihi de ardentis animi viro affers rumorem, rem intolerabilem nec tamen evitabilem, *ἄτλατον οὐδὲ φευκτάν*, quam duces Danai rumoribus differunt augentque porro vulgi sermones". Nunc denuo dicet se non ab Aiace timere sed ab aliis: „Hei mihi! *metuo impendens malum*, morietur vir, qui furiosa manu contrucidavit enseque cruento pecudes pastoresque *ἱπποκόμους*".

Sed haec parva, illa maiora: „illinc, illinc nobis venit, vinctam praedam portans", ait Tecmessa [3]), indicatque manu sine dubio Atridarum tabernacula, dum narrat ut duos arietes corripuerit, alterius caput et summam linguam praeciderit forasque proiecerit, alterum alligatum columnae teneat verberetque, „dictis incessens malis quae daemon illum, haud sane natus homo ullus, edocuit". Non est difficile choro intellegere quid haec in furente Aiace sibi velint; iam igitur metus desperatio est causamque eius nobis aperte declarat: „Iam

1) Listmann, *Die Technik des Dreigesprächs in der gr. Tragödie*, Giessen, 1910, pgs. 16, 17. — P. Graeber, *De poetarum atticorum arte scaenica quaestiones quinque*, Gottingae, 1911, pg. 11. — Heinrich Haffenberger, *Das Dreischauspielergesetz in der gr. Tragödie*, Darmstadt, 1911, pg. 15, 16.

2) 214—221. 3) 233—244.

Digitized by Google

tempus est ut quis capite obvolutus fugam pedibus arripiat aut insidens celeri remigum transtro undis immittat pontivagam navem". En cur „tales iactent in nos minas gemini Atridae duces; metuo ne lapidibus impetitus misere mortem oppetam, luamque cum eo supplicia, quem fati inaccessa vis occupat". [1])

Metuit igitur chorus (venimus ad id quod in hac tragoedia summum est) mortem, eamque ab Atridis, qui iam ei minati sunt; timet non tam Aiacem quam Atridas, vel potius utrosque, id est, veretur ne Aiax ita irritet Atridas, ut exsequantur in chorum quod minitati iam sunt; ira Atridarum in sectatores Aiacis, rectius dixerim, formido sectatorum eius toto dramate dominatur: „ne misere mortem oppetam, luamque *cum eo* supplicia".

Nondum tamen apparuit Aiax; nondum enim necesse est eum prodire.

Ait Tecmessa cessasse quidem Aiacis dementiam nondum coniecto fulmine, eum tamen mentis compotem summa tristitia affectum esse: „at si conquievit, ait chorus de seipso magis quam de Aiace sollicitus, et si conquievit, *χάρτ' ἂν εὐτυχεῖν δοκῶ*, de malo enim quod iam praeteriit minor est cura"; nec longe aliter sequentibus versibus, quoad quaerit quod initium fuerit eius amentiae. Narrat id quidem illa pulcerrime, nimis pulcre fortasse, cum eum sedentem describit, qualem pictores sibi animo finxerant in media strage occisi gregis furentem [2]).

„Nunc vero tristi obrutus infortunio, nec cibo utens nec potu, iacet et media inter pecora ferro concisa prolapsus residet, immotus *ὥς τι δρασείων κακόν*, *aliquid etiamnum intentans mali*" [3]), quibus verbis auditis, etiam illa brevissima tranquillitas et spes chori evanescit, qui videt adhuc imminere certamen cum Atridis maioreque metu perfunditur, maxime cum dicat Tecmessa: „quapropter... ingredimini, opemque si quam potestis ferte; solent enim viri, qualis hic est, amicorum sermonibus flecti". — „Horrenda dicis, Tecmessa, nobis..." [4])

At eo ipso puncto temporis *ἰώ μοί μοι* [5]), clamat Aiax intus. —

1) 245—256.

2) Tam parva et detrita est haec pictura in *Tabula Iliaca* ut nulla inde sumi possit nova imago.

3) 323—326. 4) 328—330. 5) 333.

Digitized by Google

TECM. „Nonne auditis, nonne auditis hos clamores"? AI. *ἰώ μοί μοι*. — CHORUS: „Hic vir aut insanit aut de praeterita insania dolet.... aperite, fortasse enim me aspiciens sibi temperabit". Tum demum Aiax, immanis ille Aiax conspicuus fit mediamque scaenam occupat circumdatus ovibus, armentis, pastoribus occisis.

Hic quoque spectatores ad *chorum* attendere vult poeta; hunc enim, non Tecmessam [1]) alloquitur Aiax eo commo, qui confestim habetur inter *θούριον* illum, terribilem, furiosum Aiacem et chorum, qui theatrum ingressus trepidus ut columba gradatim in maiores semper timores coniectus est.

In media strage clamat AIAX: „videte, o cari nautae socii, o vos soli foedus integra fide servantes, videte quali cruentae procellae fluctu sim circumfusus". — „Hei mihi, respondet chorus, videris nimis vera testari". Petit vero inter alias lamentationes Aiax ut eum occidant: *εὔφημα φώνει*, inquit chorus. Audet tunc verbulum interponere Tecmessa, sed tacere eam iubet non tam Aiax quam Sophocles, qui iam ea satis usus est ad chorum terrendum; quem finem nunc ipse Aiax est persecuturus.

„Per deos oro, Aiax, obsequere et ad sanam mentem redi" [2]), ait chorus. Lamentatur tunc heros suum casum et initio internecionem pecudum solam commemorat, quod cum nullum periculum afferat choro: „quid, ait, de praeteritis angaris? fieri enim iam non potest ut haec se aliter habeant". Tunc invehitur Aiax in absentem Ulixem; interrumpit eum chorus: „ut deus dat, quisque et ridet et plorat". — „Utinam eum praesentem videam, hei mihi... [3]) — „ne quid elate dixeris, Aiax, non vides *ubi sis malorum*"; nempe vulnus chori contrectabat iamiam; quam ob rem, cum imprecatur diras Atridis [4]),

1) Ne hic quidem assentior iis qui Sophoclem accusant quod nescierit ullum in Aiace amoris affectum erga Tecmessam exprimere. Non id inconsulto fecit; Aiacis persona multo deterior est in hoc dramate multoque minus praecipua quam multi putavere, qui eius virtutem, dignitatem, nobilitatem laudibus efferunt. Iam POST observarat aliquid singulare esse in huius herois persona quo differat ab omnibus aliis a Sophocle descriptis; NORWOOD, *Greek Tragedy* (1920) pg. 135: „so far as the first part of the tragedy is concerned, Ajax is a magnificent brute; he is better dead"; at in secunda parte nullus est Aiax.

2) 371. 3) 384 sq. 4) 387—394.

Digitized by Google

silet alte chorus; sola Tecmessa his respondebit. Quod autem continuo eius verba fere approbat chorus [1]), etsi his contrarium videtur, perfecte congruens est; dixit enim Aiax: „O Scamandri vicina fluenta, non amplius hunc virum videbitis..." quasi iis valedicens: haec autem chorum non vexant; ait igitur: „nec qui te cohibeam, nec qui te talia dicere sinam reperio, tantis implicatum malis".

In hac sententia est chorus; quam etiam clarius ostendent quod de hoc episodio est reliquum et episodium secundum.

Deliberat longo sermone Aiax quid sit facturus: non redibit in Graeciam, non enim potest se inglorium patri suo sistere; non pugnabit contra Troianos, id enim laetitiae esset Atridis, qui eum iniuriis affecerunt; quid iam faciendum? *πεῖρά τις ζητητέα...* [2]) quae *πεῖρα* significat mortem, „nam turpe est viro longam expetere vitam;" [3]) omnia autem innuunt mortem voluntariam, de qua chorus non multum angitur ideoque etsi eum dehortatur, non id vehementer facit. [4]) Magis dolet Tecmessa quae statim rogat coniugem ut sibi cedat, ut desistat ab inceptis; suffragatur ei chorus, etsi frigide. [5])

Quid igitur paulo post novo terrore concutitur chorus?

δέδοικ' ἀκούων τήνδε τὴν προθυμίαν,
οὐ γάρ μ' ἀρέσκει γλῶσσά σου τεθηγμένη. [6])

Quia locutus est Aiax, dum puerulo valedicebat, de odio Atridarum in eum, de defensione pueri per Teucrum, de armis suis quae non sint possessuri nec Atridae, nec *qui me perdet* [7]); ex quibus omnibus intellegit chorus, non mortem voluntariam oppetere Aiacem, sed mortem *in pugna cum Graecis*. Quod ipsum clarius perspicit magisque exhorrescit, cum Aiax dissuadenti Tecmessae respondet: „stulta mihi quidem videris sentire, si putas ita te nunc momento temporis posse educare meum *ἦθος*, i. e. meum antiquum hoc odium". [8])

IV.

Quocirca statim init chorus stasimum primum [9]), cuius interpretatio, si vera sunt quae hucusque disputavi, vel etiamsi

1) 428, 429. 2) 470. 3) 473. 4) 481—484. 5) 525, 526.
6) 583, 584. 7) 573. 8) 594, 595. 9) 596—645.

Digitized by Google

vera non sint, longe diversa esse debet ab interpretatione usitata. Non enim lamentantur nautae quod Aiax sit iam moriturus sed quod *eo modo* sit moriturus, id est, *quod contra Graecos* pugnando sit moriturus; id enim timere non desinunt; nec matris summum dolorem describunt quod sit mortuus, sed indignationem eius, quod *νόσῳ* suae indulserit (de morte enim chorus ait praestare mori *τὸν νοσοῦντα μάταν*); nec pater aliud dolebit, nisi quod Graecis sit inimicus factus, qui fuerat genitus et educatus, ut Troianis bellum inferret.

Haec ita esse non negabit qui attente leget vv. 610—645; dolent enim quod *θείᾳ μανίᾳ ξύνκυλος* est, qui olim bello terribilis Aiax fuerit; quod *φίλοις μέγα πένθος εὕρηται*, id est, est suis, patriae, Graecis ruina; quod antiqua illa grandis virtus hostilis evenit hostilibus Atridis. [1])

„Mater vero longaeva canoque confecta senio, quando audiet *νοσοῦντα Φρενομόρως*, aelinon, aelinon, non miserabilis lusciniae querelas occinet tristis, sed lamentabitur acutissimas lamentationes; tunsum manibus resonabit pectus, canaeque lacerabuntur comae [2]). *Κρείσσων γὰρ Ἀιδᾳ κεύθων ὁ νοσῶν μάταν* (tam verum est se hic mortem meram non deflere), qui paterni generis nobilitate praestans fortibus Achivis, *οὐκέτι συντρόφοις ὀργαῖς ἔμπεδος*, non perstat in odio domestico, sed ab eo discedit". [3])

Spem totam amisit chorus; quae tandiu timuit tamque vehementer, ea iamiam imminent, illae minae, de quibus est locutus, Atridarum, ille *λιθόλευστος Ἄρης* iam instat; multo igitur maiore de causa nunc timet Atridas, qui etiam quando Aiax non in eos impetum facere intendebat, eorum vim et poenas tam pertimescebat.

Proxima autem quae dicit verba laetissima sunt hisque quae modo perpendebamus contraria. Opus igitur est illos quadra-

---

1) Cfr. PLAT. *Legg.* 686 D: *θαυμαστὸν κτῆμα παραπεσεῖν τοῖς Ἕλλησιν.* — *Ἄφιλος* proprie hostilis, inimicus est, non „ingratus animo".

2) Hic clare distinguitur inter tristitiam ob mortem, et iracundiam cum desperatione ob *talem* mortem; sin utroque membro solus dolor significetur, non appareat quid secundum addat primo. Cf. JEBB in h. l.

3) Odium significat in Troianos, Aiaci ingenitum, contra quos iam pater eius pugnaverat, ut ipse Aiax nuper commemoravit (465). Cf. vs. 556, 557.

Digitized by Google

ginta sex versus, monologum dico Aiacis, summa cura dispicere. Summi id momenti esse ait Jebb, unum enim hunc esse locum quo maxime omnium in hac tragoedia viri docti in contrarias sententias distracti sint.

Profecto ex ea quae hucusque valuit de Aiace et de nautis opinione nulla exstitit huius loci, nec potuit exsistere vera explicatio.

Diu dixerunt commentatores totum hoc soliloquium Aiacis esse „meram simulationem", fictos esse eos affectus omnes; Aiacem id solum intendere, ut eorum qui eum audiunt mentes decipiat. — At quomodo possit hoc verum esse? qua enim in re eos fallere conatur? nam eum in mortem proficisci clamant omnes postremi versus. Et quorsum eos decipiat Aiax? an ne impediatur? sed chorus ignavissimus est, et eius inertiam omnes commentatores animadverterunt; Tecmessam vero Aiax uno verbo in silentium saepe redigit in hoc dramate. Et si id frustra intenderet Aiax, quorsum Sophocles? quid per hoc soliloquium et istum dolum additur sive difficultatis sive facilitatis huic fabulae? At decipitur spectator. Ea est maxima difficultas et omnino inutilis.

Ideo iam post Welckerum tenent saepe interpretes Aiacem revera esse commotum neque ullum ei esse consilium decipiendi eos qui eum audiunt. Ut autem id dici possit, aliqua ratio praebenda est, cur tam ambiguo sermone utatur Aiax. Praeterea, si revera est animo motus, quid inde consilii capit? si amor eum Tecmessae vicit, quid est pro ea facturus? nam eum non in interemptionem se parare, ne illi quidem qui in hac sententia sunt, possunt negare.

Jebb credit Aiacem amore motum intendere, ut valedicat eis, sed ita ut non ab eis intellegatur; toto hoc soliloquio scilicet tria simul tamquam fila et licia contexi: veros animi sensus, ironiam, sermonem fallacem [1]). Vereor tamen ne haec

---

1) „He cannot part from them in silence; nor, again, can he bring himself to speak openly, and to part from them — as would be then necessarily — by force. He therefore veils his farewell so that it is such only to his own mind, not to their apprehension", pg. XXXV.

„The fact seems to be rather that three distinct threads are subtly interwoven in the texture of the speech: viz., direct expression of his real mind; irony in

Digitized by Google

subtilius sint quam verius dicta. Sumit enim animum Aiacis tam delicatum esse tamque uxoris amantem ut hoc artificio utatur; talis vero Aiax nusquam in hoc dramate apparet. Quod si vere doleret Aiax, debebat aut aperte valedicere aut omnino non valedicere, potius quam indulgere huic theatrali arti vale dicendi iis ipsis, a quibus tanta cum maestitia discedere dicitur. Quomodo autem dici potest vere destitisse ab odio in Atridas qui versus dicit 831—844?

Si igitur persona et natura huius chori praeteritur, hae sunt angustiae. Si vero eum, sicut hucusque fecimus, persequi diligenter volumus, nihil hoc loco clarius. Videlicet chorus, iterum dico, non timebat, ne Aiax sibi mortem consciscceret, sed ne Atridas adoriretur, et per totam tragoediam cupit chorus quae hanc pugnam impedire, fugit quae eam accelerare possint.

Nunc vero dicit Aiax, idque optime intellegit chorus, mutasse se consilium propter Tecmessam et propter puerum, nolle igitur relinquere eos viduam et orphanum πατρ' ἐχθροῖς, in *hostium* manibus [1]); scilicet relinquet quidem eos orphanum et viduam (moriturus enim est), sed non in hostium manibus, quod accideret si aggressus Atridas occumberet; sed Atridas non est petiturus; cedit ob amorem Tecmessae eosque veneratur, 666 sq. Utrum autem seipsum sit interempturus necne, chorus non multum laborat; certe vix videtur id non potuisse intellegere, ut est clara et plana Aiacis dicendi ratio. Quamquam Tecmessa videtur decepta fuisse. Sed in spectatores certe hoc non cadit.

Chorus igitur qui modo tristissimum stasimum primum canebat, cum Aiacem contra Graecos euntem videret, nunc, quia eum ab hoc periculosissimo incepto desistentem videt, exhilarescit subito, concinitque hyporchema [2]), cuius prima stropha conclamatio est gaudio triumphantis chori, secunda vero rationem continet huius exsultantis laetitiae; nam [3])

ἔλυσεν αἰνὸν ἄχος ἀπ' ὀμμάτων Ἄρης;

---

a form which does not necessarily imply the intention to mislead; and artifice of language so elaborate as necessarily to imply such an intention, at any rate when addressed to simple hearers. While the change of purpose is feigned, the change of mood is real", pg. XXXVIII.

1) Scilicet propter Tecmessae verba cedit (652); Tecmessa vero hoc argumento fuerat maxime usa, se Argivorum futuram esse servam.

2) 692—716. 3) 706.

Digitized by Google

hoc est illud ἄχος quod nautae patiebantur iam ab initio v. 200; hic ille Ἄρης (λιθόλευστος) quem *ab Atridis* [1]) timebat chorus quemque Argivi decrevisse dicentur paulo post. [2]) Nunc est saltandum, nam Aiax

λαθίπονος πάλιν

θεῶν δ' αὖ πάνθυτα θέσμι' ἐξήνυσ' εὐνομίᾳ σέβων μεγίστᾳ·

dixerat enim Aiax se iam posthac cessurum diis, veneraturum Atridas. [3]) Bellum igitur timebat chorus, bellum hoc dissipatum est, ideo invocat pacis deos.

Quod si quod dubium restat, ipse dicit palam in fine quodnam fuerit laetitiae eius argumentum:

πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει·
κοὐδὲν ἀναύδατον φατίσαιμ' ἄν, εὖτέ γ' ἐξ ἀ-
έλπτων Αἴας μετανεγνώσθη
θυμοῦ τ' Ἀτρείδαις μεγάλων τε νεικέων.

Postremum hoc verbum continet omnia eoque non minus hic totus cantus illustratur, quam totum illud colloquium Aiacis quod praecessit. [4])

---

1) 252. 2) 728. 3) 711—713.

4) Non constat num Sophocles, dum haec scriberet, in mente habuerit aliquam Euripidis tragoediam, tametsi multa sunt in hac, quae memoriam revocant „Herculis Furentis". Hercules destitit ab incepto se interimendi quia vidit venientem amicum Theseum (1153 sqq.), sicut Aiax dicitur mutasse consilium propter Tecmessam. Sed Aeschylus certe tractaverat hanc ipsam rem et Aiacis fatum in „Thracibus" (Fragm. 77—80) et gratissima debuit esse hoc loco audientibus indicatio illius tragoediae et emendatio. Nam, ut ait Scholiasta ad Sophoclis Aiacem 815, 833, referebat in ea tragoedia nuntius, Aiacem, cum conatus esset se gladio perimere, vulnerari nulla corporis parte potuisse, gladium vero cessisse et emollitum fuisse; tandem numen nescio quod eum docuisse sub ala eum gladio perfodi posse.

Meminerant sine dubio huius rei spectatores, cum Aiacem sophocleum ingredientem videbant, qui iam abierat tamquam in mortem, postquam singula constituerat quae ad sepulturam pertinebant. Putant igitur simile aliquid ei accidisse quod aeschyleo Aiaci, maxime cum ordiatur ita soliloquium: „Cuncta secreta detegit et cuncta manifesta obtegit diuturnum et infinitum tempus. Nihil vere necopinatum dixeris, siquidem capiuntur astu et terribile iusiurandum et subtilissima ingenia". Dubitare potest spectator quorsum haec spectent: novitne secretam pereundi viam? an non? „Et ego quidem, pergit Aiax, qui τὰ δεῖν' ἐκαρτέρουν τότε, βαφῇ σίδηρος ὡς, ἐθηλύνθην στόμα; crediderit Sophoclem secutum esse Aeschyli fabulam, sed addit: πρὸς τῇσδε τῆς γυναικός; iamque intellegit spectator quid haec sibi velint. Nec tamen omnia statim intellegit; putat enim initio amore Tecmessae gladium Aiacis esse hebetatum itaque eum destitisse a se

Digitized by Google

Illis in hyporchemate canendo occupatis ecce nuntius adest, qui Teucrum revertisse de Mysiis montibus significat, captum vero ab Atridis omni contumeliarum genere oneratum detineri; vera esse illa quae antea chorus dixisset, minas dico, se iam non impediturum quominus πέτροισι πᾶς καταξανθεὶς θανῇ. [1]) „Sed ubi Aiax"? — „Abiit, respondet chorus, et nova consilia novis adiunxit moribus". Stultitiam eorum reprehendit nuntius refertque: „Calchantem haec Teucro divinasse: oportere Aiacem eo die, tunc, eo solo, intra tabernaculum contineri, iratam in eum esse Palladem propter eius superbiam et insolentiam, iram vero Athenae diem modo duraturam; si domi maneat, salvum fore; sin aliter, periisse..." Quibus verbis commota Tecmessa rogat chorum se adiuvet inquiratque Aiacem. — „Paratus sum ire, nec id verbis solum ostendam; consequetur enim operis pedumque celeritas". Omnesque discedunt de scaena.

Ecce adest Aiax destricto ense brevique sermone usus se interimit coram spectatoribus. Quae res ipsa iam plane declarat Aiacem non esse in mente Sophoclis personam potissimam in hoc dramate; quod si secus haberet, vitasset profecto eum sine ulla audientium praeparatione interimere. [2]) Unde non minus esset imperfecta haec prima pars quam secunda, si ita esset intellegenda tragoedia ut fuit hucusque intellecta.

Frustra interea Aiacem quaesivere nautae. Queritur semichorus cum regreditur: „Labor labori laborem addit; ubi, ubi,

---

occidendo; sed mox audit ab eo alia verba quae clare indicant eum adhuc perstare in proposito suo et in id iam se praeparare. Ita iactantur initio et vacillant spectatores inter praeteritas ex Aeschyli fabula res et coniecturas ex verbis Aiacis. Haec cum maxime ad Sophoclis artem pertinent.

1) Hae sunt eae ipsae minae quas ante iam audierat chorus, qui eas bene intellegit; πέτροισι πᾶς καταξανθεὶς θανεῖν, est λιθόλευστον Ἄρῃ ξυναλγεῖν μετὰ τοῦδε τυπεὶς (254); πᾶς igitur spectat ad socios Aiacis, nautas chori; nec sensus esse potest „totus Teucer"; in morte enim non sunt gradus, sicut in salute (519) vel libertate (O. T. 706).

2) Abhorrebant enim omnino Graeci ab hac internecione in scaena: in Aeschyli tragoediis quae exstant neminem manu sua perire vident audiuntve spectatores: narrabatur tamen in „Thracibus" a nuntio Aiacis voluntaria mors. Deinde etsi frequens est hoc mortis genus in tragoediis (triplex in Antigona), nulla tamen in tragoedia in scaena fit, nisi hic in Aiace. Immo putat Kiefer ne hoc quidem factum fuisse aperte ante oculos spectatorum; Karl Kiefer, *Körperlicher Schmerz und Tod auf der attischen Bühne*; Heidelberg 1909, pg. 99.

Digitized by Google

ubi non fui ego? heu, nec ullus me locus docere potest... Heu, strepitum audio aliquem".

„Sed nec hi qui orientem adivere partem, nec hi qui occidentem, quidquam reppererunt", ipsi inter se dicunt timore confecti. Ideo coniuncti omnes stropham concinunt, numquis laboriosus piscator, num quae dearum ferum Aiacem viderit errantem. [1])

In his et in proximis chori verbis velim animadvertas eum 1° credere Aiacem vagari alicubi solitarium — 2° parum cogitasse de Aiacis morte voluntaria, quam cum cognoscet, non multum mirabitur, nec dolebit; 3° pro certo habere Aiacem contra Graecos *non* ivisse, id enim eum iam dicentem audiverat eoque summe laetatus fuerat; quod ita esse adeo putat, ut nec abierit eum quaesiturus versus Graecorum castra nec audire velit nec suspicari illuc Aiacem abiisse; ea causa est cur cum altera pars chori sermonem ita incipiat: „communes socios nostrae navigationis..." altera clamet subito *τί σὺν δὴ* [2]), quasi suspicata sit de castris Graecorum sermonem esse.

Cum Tecmessa ei narrat Aiacem repertum esse transfixum occulto ense, putat repente chorus eum pugnando cum Graecis periisse: „hei mihi, clamat, qui redeam, in patriam, hei mihi, occidisti hunc tuum socium"; hic etiam de seipso est sollicitus. [3])

At discit eum sua se manu peremisse, iamque non ruinam Aiacis, sed suum ipsius errorem lamentatur. „O meam *ἄτας* caecitatem, solus ergo, sine amicis es cruentatus (i. e. ipse te occidisti); me vero stupidum, me omnino caecum qui haec non viderim". Errorem igitur fatetur, dolorem aut nullum aut valde exilem, ille chorus qui dicitur passim fidelissimus amantissimusque Aiacis socius. His congruunt omnino quae statim addit vv. 925—936. Dicit [4]) nonnulla quibus maeret dolore Tecmessae; quae quam sint sincera, significat Sophocles versu quem illam dicentem facit: [5])

σοὶ μὲν δοκεῖν ταῦτ' ἔστ', ἐμοὶ δ' ἄγαν φρονεῖν.

---

1) 879—890. 2) 873.
3) Cfr. 252 sqq., 1217 sqq.
4) 925—947.
5) V. 942; cfr. similem versum *Phil.* 317, 318 et simili ioco dictum.

Digitized by Google

V.

Nunc videbunt chori nautae Aiacis morte metum suum non solum non tolli sed maxime augeri; angustiae enim in secunda parte tragoediae multo erunt graviores, maioresque erunt auditorum affectus.

Meminit Tecmessa Atridarum, qui sint eam cum filio in servitutem redacturi; chorus quasi cuncta futura praesentiens: „Heu! Nefandum geminorum Atridarum factum commemorasti in hoc luctu. Sed averterit deus" [1]). *Tecmessa*: „ipsi dii haec eis praestiterunt" — *Chorus*: „Onus sane nimis grave concinnarunt dii". — *Tecm.*: „Utique noxam hanc saeva Iovis filia, Pallas Athena, machinata est Ulixis gratia". — *Chor.*: „Revera tenebricosa illa sua mente irridet sine dubio nobis *Ulixes*, et insultat multo risu in hos dolores, *quos peperit Aiacis furor*, eheu! eheu! et cum eo, quando haec audient, *gemini reges Atridae*".

Respondentique Tecmessae, „tace, inquit chorus, nam vocem mihi videor Teucri audire edentis clamores ad hanc calamitatem pertinentes". Adventabat enim Teucer, Aiacis frater. Cuius quamquam laudant multi et mirantur amorem in Aiacem mortuum et dolorem, ego non possum non notare frigidissima eius verba [2]). Late enim diffuseque de sua ipsius fortuna sermonem facit deque calamitate in quam eum coniecerit Aiax, qua nec patrem adire inque Graeciam reverti possit, nec versari cum Graecis, nec pugnare cum Troianis; filium deinde alloquitur, et memorat porro fati similitudinem inter Aiacem et Hectorem; quem ita inepte blaterantem interpellat chorus, veritus ne immane illud cadaver etiam vita carens dolores pariat: „Nugaris, Teucer, cogita potius *qui hunc virum sepulcro condas*, et quibus verbis nunc respondeas; venientem enim video virum inimicum, qui etiam venit fortasse, adeo est improbus, ut nostris irrideat malis".

---

1) 946—949. Cfr. quae antea dixi de vv. 545—582.

2) Versus 1003—1039 deleri iubet G. H. MÜLLER (*Emend. et interpr. Soph.* pg. 18) quod „Teucri mores... his versibus pravissime deformentur... qui tota fabula fratrem maxime pium se praebeat et minime de malis sibi impendentibus cogitet". Sed non licet nobis verbis traditis vim afferre: praestat mutare iudicium quam documenta.

Digitized by Google

Chorum de sepultura iniecisse sermonem! et Teucrum, qui nihildum de ea cogitasset, a choro induci! et chorum seipsum et Teucrum in graviora semper pericula impellere! Simul enim ipsi Aiacem sepelire statuunt et Menelaus clamat ingrediens: „Heus tu, te alloquor; cadaver istud cave composueris; relinque id, uti est" [1]). En tibi totam spem chori collapsam et exstinctam; acerrime enim Menelaus contendit nec solum vetat, sed minatur Teucro, et fortasse etiam choro [2]):

καί σοι προφωνῶ τόνδε μὴ θάπτειν, ὅπως
μὴ τόνδε θάπτων αὐτὸς εἰς ταφὰς πέσῃς.

Gravissima res: „Menelae, ita *chorus*, simulac haec audivit, „ne post edita sapienter effata, ipse in mortuos iniuriosus fias". [3])

Sed ne Teucer quidem lingua destitutus est et post infinitas contumelias, „proinde plurimis circumdatus satellitibus, ait, ipsoque imperatore, veni huc; tuam vaniloquentiam nihil moror, dum sis qui es". Minus etiam placent haec formiduloso choro [4]):

οὐδ' ἂν τοιαύτην γλῶσσαν ἐν κακοῖς φιλῶ·
τὰ σκληρὰ γάρ τοι, κἂν ὑπέρδικ' ᾖ, δάκνει.

Acris sequitur stichomythia qua quid non sibi inter se mutuo dicunt in os Teucer et Menelaus; illud vero pessimum quod discedit hic talibus minis: „Abeo, nam turpe est auditu, si quis verbis rixatur, *cum vim possit adhibere*". [5])

Illam terribilem contentionem quam iam pertimescebat dum Aiax erat in vivis, nunc eo mortuo adesse iam cernit chorus Atridasque iam invehi in Aiacis sectatores; eam denotat, eam vitare cupit his verbis:

ἔσται μεγάλης ἔριδός τις ἀγών...,

„sed propera quantum potes, Teucer, *cavam fossam huic dare festina*, ubi mortalibus semper memorabile sepulcrum obtineat".

Non videt chorus suo se gladio iugulari, nam his verbis motus aggreditur opus Teucer, uxorem Aiacis puerumque advocat, cuncta disponit: „vosque ne sitis ignavae mulieres, adeste huc, manus operi movete, quoad ego revertor parato huic viro sepulcro, κἂν μηδεὶς ἐᾷ, licet fremant omnes". [6])

Et cum sic se operi accingit, chorus, non amentia nec cru-

---

1) 1047, 1048. 2) 1089, 1090. 3) 1091, 1092.
4) 1118, 1119. 5) 1159, 1160. 6) 1182—1184.

Digitized by Google

delitate Aiacis, non imprudentibus Teucri verbis, non suis sermonibus, sed suis manibus facta sepultura, se coniectum in odium Atridarum et in propriam ruinam videt. Hic sensus est illius stasimi: [1])

Τίς ἄρα νέκτος; ἐς πότε λήξει,... κτλ.

„Quis tandem postremus? quando cessabit infinitus hic errantium annorum numerus, qui infinitas mihi perpetuo parit bellicorum laborum miserias, ad hanc vastam Troiam, dedecus infame Graecorum"? Invehitur deinde in eum qui bellum Troianum iniit et in bellum ipsum, anquirit pacem eiusque delicias, desinitque in antistropha, qua, uti saepe alias, Sophocles veluti conspectum et summam praebet totius tragoediae:

καὶ πρὶν αἰὲν νυχίου
δείματος ἦν μοι προβολὰ
καὶ βελέων θούριος Αἴας·
νῦν δ' οὗτος ἀνεῖται στυγερῷ
δαίμονι· τίς μοι, τίς ἔτ' οὖν
τέρψις ἐπέσται;

Sed nondum finis adest: accedit Agamemnon, quemadmodum Teucer suspicatur, „ut os sinistris verbis solvat". Ita profecto; solvit enim et dicit horrenda, se quidem fortasse indigna, choro vero maxime iniucunda: „Utinam, aiunt nautae, utrique vestrum mens foret modestior, nihil enim habeo melius, quod e re amborum dicam". [2]) Sed Teucer aggreditur etiam duriora dicere; cumque iam tota spes chori amissa est, videt repente Ulixem adventantem clamatque [3]):

ἄναξ Ὀδυσσεῦ, καιρὸν ἴσθ' ἐλήλυθώς,
εἰ μὴ ξυνάψων, ἀλλὰ συλλύσων πάρει.

Vere opportunus, siquidem continebit Agamemnonem, rixabitur cum eo, aperteque ei persuadebit ut discedat: „Liceat tibi facere quidquid libuerit". [4])

Quid dicat tunc chorus, procella tandem tam inexspectato modo dissipata? „O Ulixes, quisquis dicit te, cum talis sis, non esse egregia mente praeditum, stultus vere est homo". [5])

Non enim solum permittit sepulturam Ulixes, sed etiam eam

---

1) 1184—1221. 2) 1264, 1265. 3) 1316, 1317.
4) 1373. 5) 1374, 1375.

Digitized by Google

ipse curare vult; solum quia Teucer veretur ne Aiaci mortuo sit ingrata eius praesentia, non manus admovet operi.

Absoluta caerimonia chorus:

ἦ πολλὰ βροτοῖς ἔστιν ἰδοῦσι
γνῶναι· πρὶν ἰδεῖν δ' οὐδεὶς μάντις
τῶν μελλόντων, ὅ τι πράξει.

Quorum versuum ea est brevissima interpretatio: „vivir para ver".

VI.

Dum nautarum verba et facta persequebar, dumque eorum mores mentemque definire conabar, coactus sum inscius, et fere invitus, multa demere et praeripere ab Aiace isque fortasse in secundum locum est relegatus, adeo ut eius mors quasi incidens casus quidam esse videatur. Primo enim auditores in chorum maxime attentos reddidi, potius dixerim, in chorum attentos Sophocles voluit; deinde ea ipsa quae chorus dicit quaeque antea Aiacis imaginem summe extollere putabantur, quia amore dicta credebantur, ea, inquam, eum magis deprimunt atque velant, cum chorus nullam benevolentiam, summam vero formidinem ostendat; tertio virtutes illae quae dicebantur Aiacis, alius Aiacis erunt, non certe Sophoclei, cum hic suum poeta et sero in scaenam inducat, posteaquam iam chorus occupavit auditores, et iam ingressum tam foedis eum coloribus describat, ut nesciam qui potuerit heros dici praecipuus huius tragoediae et inauditas laudes mereri quas plena in eum manu multi effundunt; vitavit enim magna cura Sophocles ne ita emineret virtutibus ut allicere in se animos spectatorum posset; hinc ille inhumanus sermo, hinc in Tecmessam iniusta agendi ratio [1]); quid quod etiam mortuum ita statim velo occuluit, ut iam nemo eum possit videre, nemo misericordia eius commoveri? [2]) Dixi ante ne passurum quidem

1) Haec est ratio cur unum solum filium adducat in scaenam et eum Eurysacen; non Philaeum a quo nobilissima tribus exstiterat Atheniensis; ad eam Miltiades et Cimo pertinuerant. Cfr. W. Büchner, *Über den Aiax des Sophokles*, 1894. Ideo etiam magis epos eiusque fabulas secutus est Sophocles in hoc dramate, quam Pindarum, qui multo magis favebat Aiaci. Cfr. Ar. Equit. 1056 sqq.

2) Velabant saepe mortuos in scaena, quia larvam vivi gerebant adhuc et quia actor alius personae partes erat simul acturus. Cfr. O. Hense, *Die Modificirung der Maske in der griech. Tragoedie* (1902), 228 sqq.

Digitized by Google

fuisse Sophoclem ut se in scaena perimeret, si personam principem eum esse vellet. [1])

Pariter eodemque tempore quo decrescebat Aiacis persona, crescebat et apparebat et eminebat alia hucusque fere ignota persona, chorum dico, cuius partes in hac tragoedia sunt tam praecipuae ut fortasse in nulla ex Sophocleis magis; quam personam comperimus fixam, definitam, constantem in perpetua formidine, semper fixas in se auditorum mentes tenentem, et perpetuo ascendentem ab initio in finem a minoribus in maiores metus, quoad tandem se liberatam subito repperit per eum ipsum, quem maxime timuerit, Ulixem.

Ea fortasse causa est cur Aristoteles hanc Sophoclis tragoediam inter *patheticas* posuit, non inter *implexas* in quibus maxima res peripetia sit aut anagnorisis; non est igitur summum in *Aiace* herois sors et casus neque eius per funus instauratio (*Ars poet.* cap. 18).

Quae quidem omnia iam perfecte *unam* faciunt hanc tragoediam; tamque admirabilem et sui ipsius consciam ostendunt Sophoclis artem, ut dicere non dubitem scriptam eam fuisse, non, quod omnes fere volunt, primis inexperti poetae annis, sed matura arte florente poeta omniumque dramaticae artis instrumentorum perfectissimum dominium tenente. Quis enim iunior poeta audeat possitve tam belle etiam occidere in scaena personam, quae sit tam gravis, sine sustentationis detrimento? quis chorum tam constanter et clare et vivide definire, tenere, in finem usque perducere? [2])

---

1) Haec omnia quae de moribus Aiacis minus sublimibus dixi refellere eo argumento, quod adduci solet, drama hoc „Aiacem", non „Salaminios" appellari, et hoc nomen „Aiacis" tamquam pugionem extollere contra omnia argumenta, puerile esse existimo; nemo enim ex iis qui haec dicunt ostendit adhuc in Trachiniis personam principem chorum esse, ex quo nomen illud drama accepit; et quid erit de illis dramatis dicendum, quae duo nomina habent, v. c. inter Sophoclea *„Nausicaa* sive *Plyntriae"*, *„Camicii* seu *Minos"*, *„Atreus* seu *Mycenides"*?

2) Alia argumenta adolescentis artis quae afferuntur a viris doctis nullius sunt pretii: vitia dialogi inter tres personas, repetitio aliquarum sententiarum, herois non absoluta descriptio; haec omnia errore nituntur eorum qui chori obliviscuntur et ad Aiacem properare semper volunt, quasi illa sit summa persona. Quod Homerum multum sequatur poeta, nihil antiquitatem fabulae probat. Cf. I. Lob, *Die Verwendung des homerischen Wortschatzes bei Sophokles*, Salzburg 1909, pg. V.

Quod ad culpam et poenam Aiacis in hac tragoedia pertinet, multa restant

Digitized by Google

VII.

Verum plurima restant de hac Tragoedia investiganda et disputanda. Unam rem deligam, ἐπεισόδιον nuntii, qui versu 719 apparet et Teucri adventum Palladisque minas refert. Hunc aio nuntium non verum sed fictum esse, nec missum a Teucro sed ab aliis, nec vera proferre sed falsa omnino. Neque hoc difficile probatu esset, nisi tam multa commentatores aedificassent super his quae ab hoc famulo narrantur [1]), ut plus quam ipsa argumenta pertimescendum mihi videatur, ne viri docti constantiae causa pergant defendere quae semper pro veris habuere.

Iam illud satis mirum, quod ait nuntius Palladem iratam esse in Aiacem „usque in finem huius diei", non vero ultra; egregium sane odium, tam Graecae mythologiae quam naturae contrarium! quis umquam, dum furebat, praedixit se ab odio hora quadam certa cessaturum, quidquid inimicus fecisset? Finge Aiacem revera contineri in tabernaculo toto die, cessabitne Palladis ira? Sin autem contendunt his verbis significari numinis iram esse levem [2]), fateor me non videre qui id possit dici, cum eum eo ipso die interimat; perit enim quia ipsa

---

investiganda et dicenda. Quod ad numerum eorum qui chorum constituunt, cfr. U. v. WILAMOWITZ in *Beobacht. z. d. dr. Techn.* pg. 340, 2. Minuta illa de re metrica et de copia aliquorum pedum iam in dies minoris ponderis existimantur a viris doctis et saepe fallunt; non tam aetatis sunt effecta quam materiae, praesertim si, ut hic accidit, aliis testimoniis certis sunt contraria; cfr. CLEM. ALEX. *Strom.* 6, 2 p. 740 P; SCHOL. ad SOPH. *Ai.* 1295—1297. Cfr. WOLTERSTORFF, *Sophoclis et Euripidis Electrae*, Ienae, 1891, pg. 2. Argumenta etiam alia interna suppetunt quae hoc drama posterius esse multis aliis probant. Cfr. TYCHO v. WILAMOWITZ, op. laud. pg. 51.

1) His quae nuntius hic narrat usi sunt Auctores, alii ut aestheticam artem laudent Sophoclis qui ita paulatim et facta prius et causas postea insinuet in tragoedia, quique μιαρὸν illud vitarit, quod Aristoteles vitandum in tragoedia dixit, faciendo ne insons plecteretur Aiax; alii ut poetae nobilem animum efferrent laudibus, qui non sit passus Aiacem haec pati nisi prius fuerit reus deorum irae; quamquam alii id ipsum reprehenderunt in Sophocle, quod tam caece adhaeserit religionis principiis, ut de iustitia et honestate deorum iudicare non sit ausus et tam iniuste agentem intulerit Palladem. Sunt qui in hac scaena ponant totam quam dicunt „moralitatem dramatis".

2) WELCKER, *Kleine Schriften*, II, 288.

Digitized by Google

dea eum exagitat. Magis etiam absonum videtur dicere Palladem non insequi eum, sed nuntia illa *spei* et *salutis* nuntia esse [1]), scire enim eam aut interempturum se esse Aiacem eo die, aut eo die mentem mutaturum; quid si neutrum fit, et Aiax, ut conicere licet, perseverat obstinato animo et furente?

Quamquam id ipsum est valde incertum: quaenam tandem est persecutio haec Palladis quam nuntius dicit? quod Aiacem amentem fecit? Sed Aiax iamdudum compos mentis factus est. An quod eum in mortem impellit? Sed Aiacis mors plane est voluntaria, ipse secum de ea cogitat et deliberat: non Teucer nec Menelaus nec Agamemnon nec Ulixes, ne ipse quidem Aiax eam Palladis irae, sed Aiacis acri animo tribuit. [2])

Crimina autem Aiacis, ob quae vehementes iras Palladis patitur, quaenam sunt? — Quod *olim*, nescio quando, arroganter fuerit *locutus*; ea vero locutus quae in eius militari consuetudine et audacissimo animo potius cottidiana debuerunt esse quam alicuius diei occasionisve propria.

Quodque est maxime mirum, e verbis nuntii, ut intelleguntur a commentatoribus, efficeretur Aiacem ab Athena fuisse dementem factum, ab Athena irata ob eius petulantiam, ab ea ipsa dea per totum diem exagitari, ab ipsa etiam fortasse perimi. Sed Athena in hac fabula, tam in prologo, quam in exodo, omnino alia est. Dicit enim initio tragoediae cum vidisset Aiacem odio furere in Atridas et Ulixem iamiamque iis exitium minari, se accucurrisse ut eis esset auxilio, obviam exisse praecipiti in iram viro, eius animum vi divina abstraxisse a proposito, destrictum ensem, qui iam in illos caderet, in oves et armenta deflexisse; scilicet est dea humanissima qualis ab Atheniensibus fingebatur idemque agit quod in Euripidis Hercule furente [3]), nisi quod Euripidis Athena, coniecto immani lapide, heroa inhibet Sophoclis, obiectis ovibus pro viris. Itaque hic etiam sicut in aliis multis inventio Euripidis est, expolitio Sophoclis.

Haec omnia ita accidisse et Palladis opus id fuisse, in prologo didicit ex ipsa Pallade Ulixes, cumque iussus ab ipsa

1) Büchner, *Ueber d. Aias d. Soph.* (1894), 11 sq.
2) Solam Tecmessam apparet nuntio credidisse (953, 970).
3) 1004.

Digitized by Google

dea abierit ut ea Argivis referat [1]), Atridae id ipsum credunt et dicunt in secunda parte tragoediae, cum scaenam ingrediuntur; ex. gr. Menelaus versibus 1055—1061; sanus, omnino sanus adibat exercitum Aiax noctu, ut duces interimeret; nisi quis deus eum cohibuisset, perierant; νῦν δ' ἐνήλλαξεν θεὸς τὴν τοῦδ' ὕβριν πρὸς μῆλα καὶ ποίμνας πεσεῖν. Idem repetit infra v. 1126—1128. Nulla hic mentio furoris *in poenam* incussi, tametsi erat haec opportuna occasio id significandi. Nec Tecmessa, quae postea nuntio credidit, putavit prius quidquam deorum poenae fuisse in Aiacis amentia (284 sqq.). [2])

Ante Sophoclem vero nullum omnino ex scriptoribus culpam ullam commemorasse, ob quam ita plecteretur Aiax, apud omnes in confesso est. [3])

Apud Homerum ne dementiae quidem mentio ulla est. In Odyssea (λ, 543—564) sua manu confoditur Aiax. In Parva Iliade furoris certe peccative quo eum mereretur nulla est significatio: Pindarus etiam eum hac in re semper innocentem putavit. Aeschylus ipse ea tragoedia quam de hac re scripsit (Θρῇσσαι) ita videtur eum descripsisse ut omnes poetae antiqui. [4])

Solus igitur Sophocles, qui tam saepe „religiosissimus omnium poetarum" est dictus ab antiquis, solus Sophocles hac labe nomen Minervae foedet? καὶ γὰρ εἷς ἦν τῶν θεοσεβεστάτων. [5])

Si igitur Athena ipsa, si Ulixes, si Menelaus, Teucer, Agamemnon, si poetae ante Sophoclem omnes interrogantur, si tota tragoedia consulitur, hac una nuntii narratione excepta, nihil Pallade benignius, nihil providentius ea dea quae et Ulixi et Atridis tam benevolenter consuluit, et in furentem virum nihil criminis commisit nisi quod oves substituit viris quos paene iam trucidabat.

---

1) 67.

2) Aiax vero ipse, quandiu furit, adeo non credit se a dea punitum, ut roget eam velit se iuvare sicut ante in omnibus rebus, maxime autem in vindicta quam sit tunc exsecuturus; cum autem resedit furor, dolet quidem, non quod dea eum furentem fecit, sed quod eum in oves convertit nec permisit ei satiari sanguine inimicorum.

3) De difficultatibus quas ideo offendunt hic viri docti in mythologia vel religione Graeca curiosi vide ex. gr. Pauly Wissowa vol. I s. v. Aiax.

4) Cfr. I. van Leeuwen, *Commentatio de Aiacis Sophoclei authentia et integritate* (1881) pg. 77; Jebb, Introd. pg. XI. 5) Schol. in Soph. *El.* 831.

Digitized by Google

Si vero nuntio fides habetur, Pallas et pueriliter nunc subito revocat in mentem bina olim dicta ab Aiace altiora verba, et eam ob causam dementia torquet eum, et quasi vix possit coërcere eum ipsum quem ipsa amentem fecerit, obviam ei occurrit, quia conatur duces graecos conficere gladio, et postea iniusto eum odio prosequitur et persequitur [1])... per viginti quattuor horas.

Ob multo leviora argumenta profecto solent multi viri docti in ipsis Sophoclis tragoediis aut alias partes aliis temporibus, sicut in *Oedipo Coloneo* de Polynice agens dixi, aut alias partes aliis auctoribus tribuere, ut in *Trachiniis* nonnulli fecerunt nec non in *Philoctete*. At vero est Sophocles ipse maiore fide et reverentia dignus quam hic servulus qui partes nuntii agit. [2])

Sed elucet multo clarius id quod iam diu demonstrare conor, cum ea, quae de Teucro refert nuntius, considerantur: venisse scilicet e Mysia hunc Aiacis fratrem, captum et circumclusum esse ab Argivis omnibus omnique genere contumeliarum lacessitum et oneratum, hisque praesertim minis: fore ut cum suis obrutus lapidibus moriatur, cum frater sit viri amentis et exercitus Graecorum inimici, et alia porro multa...; ex augure Calchante didicisse Teucrum haec: Palladem invehi in Aiacem ob illa duo antiqua peccata, hanc iram hunc tantum diem duraturam; si hoc die in tabernaculo maneat, salvum fore; necesse esse omnino ut nunc, hodie praecludatur, evocetur si abiit; cuncta periisse si secus fiat.

Nunc vero, post tam gravia et imminentia pericula, Teucer ille qui tam fidelis dicitur Aiacis frater a commentatoribus, nihil ipse agat? non veniat ipse? [3]) servulum mittat eiusque verbis Tecmessaeque curae et diligentiae rem totam committat?

---

1) Cfr. Vlacos, *Some aspects of the religion of Sophocles* (1906) pg. 164, qui deae obicit quod cum sit tam sollicita puniendi illa antiqua verbula, non punit crimina Aiacis in Graecos.

2) Iam dudum hic nuntius vexarat commentatores: Nauck in *praef.* observarat eum aliqua inutilia dicere, quo Sophocles eum famulum esse ostenderet; Er. Henning, *De tragicorum attic. narrationibus*, Gottingae 1910, pg. 52: „in Ai. nescimus utrum nuntius famulus Teucri (780/2) sit, an miles gregarius qui cum Teucro venerit".

3) Id quoque quaesiverunt viri docti; Ad. Roemer, *Philologus*, N. F. 19 (1906), 74, credit ideo non venisse Teucrum quod idem actor partes ageret et Teucri et

Digitized by Google

At impeditur, inquis, ab Atridis. — Sed Teucer, cum tandem adventat, ait se, cum audiverit mortem Aiacis, constituisse venire (997, 999); nec dicit se, dum Aiax viveret adhuc, venire voluisse, nec dolet, ut ipse nuntius fingit se dolere (737—740), quod serus advenit, nec quod incassum misit nuntium, nec incusat Graecos Atridasve, quod eum ad tempus adesse praepedierint; et erat illud sane tempus effutiendi quidquid in Atridas haberet, cum tam multa inter se invicem Teucer et Atridae coniectent, ut nonnullis tota haec tragoediae huius pars non digna visa sit cothurno sophocleo, nedum nostris moribus et institutis.

Solus etiam nuntius meminit illius Calchantis, quem penitus ignorant omnes, etiam ipse Teucer, cui dicitur secreto fata revelasse (750). Est enim hic Calchas simillimus illi Heleno, cuius Ulixes in *Philoctete* meminit [1]), sicut sunt illis simillima haec nuntia, non solum fine et proposito, sed etiam per partes et membratim. [2])

Duae quaestiones exoriuntur hic subito: quomodo cognoverunt spectatores hunc nuntium esse fictum? et quis tandem eum misit? — Huc pertinet illud Cassianum „cui bono fuerit".

Sed haec non iam ad ipsum chorum pertinent: longius devehor ab instituto meo. Iam dudum nimis multa destruo et omnia quae dixi non debuissem fortasse dicere. Exempli tantum causa hoc volui innuere et nolim propter haec, illa quae certiora et vera, si ita videantur, prius dixi, irrideri aut contemni, aut occupato animo excipi.

Idcirca etiam de Trachiniis dicere praetereo. Innumerae codicum manuscriptorum lectiones quae in Trachiniis reiciuntur et duarum fabulae partium inter se conexus debilis aut nullus et multae aliae rationes vereri me cogunt ne haec quoque tragoedia, etiam magis quam Philoctetes et Aiax, longe aliter interpretanda sit atque fieri solet.

Aiacis; hic igitur prius erat removendus; innuit tamen fortasse etiam aliam causam fuisse. Illic etiam dicitur, ut solvere sint conati hunc nodum scholiastae, Nauck, alii.

1) 606 sqq.

2) *Phil.* 542 sqq. fert nuntia mercator; 604 sqq. narrat Heleni auguria ab Ulixe capti; Aiacis vv. 719 sqq. nuntius refert de Teucro; 748 sqq. Calchantis auguria exponit.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES IN AUCTOREM AD HERENNIUM.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Incerti Auctoris de ratione dicendi Ad C. Herennium Lib. IV iterum recensuit F. Marx (Lipsiae in aedibus Teubneri 1923).

Post triginta annos Auctorem ad Herennium Marx iterum recensuit, commentario locupletissimo doctissimoque instruxit, textum multis locis emendavit. Ne sua quidem lacunarum supplementa intacta reliquit, nam non raro supervacanea recidit (e. g. p. 145, 29). Licet ceteris rebus haec nova editio summa laude digna sit, lacunae ne nunc quidem omnes apte videntur expletae esse, quamquam Marx interdum longos ambitus excogitavit. Hic conabor si non meliora at certe breviora supplementa proponere, praeterea quasdam observatiunculas grammaticas addam.

Auctor ait quattuor modis nos auditorum benevolentiam consequi posse, tum sic pergit:

I 5, 8 (p. 5, 24) Ab nostra persona benivolentiam contrahemus, si nostrum officium sine adrogantia laudabimus, atque in remp. quales fuerimus aut in parentes aut in amicos aut in eos, qui audiunt..... aliquid referemus e. q. s.

Nimirum auctor dicere vult: quidquid refers, verecunde id narrandum est, si favorem eorum qui adsunt tibi conciliare vis. Quocirca explendum censeo:

〈*narrantes verecunde unum*〉 aliquid referemus.

Conferri iubeo IV 41, 53 (p. 169, 6): Nam *unum aliquid*

Digitized by Google

aut alterum potest in istum casu cecidisse suspiciose; ut omnia inter se a primo ad postremum conveniant.

Unum hic adiectivum est, at *aliquid* substantive adhibetur (cf. Kühner-Stegmann I p. 636 A. 2).

Contrarium habemus III 23, 39 (p. 103, 13): Postremo praeceptoris est docere, quemadmodum quaeri quidque conveniat, et *unum aliquod* aut alterum, non omnia, quae eius generis erunt, exempli causa subicere, quo res possit esse dilucidior.

Etiam huc faciunt IV 5, 8 (p. 112, 13): Quare *unius*[1]) *alicuius* esse similem satis habebit

et ibidem (p. 112, 20) neque sua protulerunt neque *unius alicuius* aut denique duorum, sed ab omnibus oratoribus et poetis exempla sumpserunt.

Non offendimus in syllabis *quid referemus* clausulam heroam efficientibus, quod permultas eiusmodi clausulas apud Sallustium Livium Plinium Tacitum invenimus.[2])

Batave Auctoris verba sic verto: Wij zullen, voor zoover het van onze persoon afhangt, de welwillendheid der hoorders winnen, indien wij zonder aanmatiging onze plichtsbetrachting prijzen en als wij bij 't verhaal, hoe wij ens tegenover den staat, onze ouders, vrienden of hoorders gedragen hebben, op bescheiden wijze 't een of ander zullen vertellen.

Marx proponit: ⟨aperiemus et si de humanitate misericordia clementia nostra qua in alios usi sumus aut in eos qui audiunt⟩.

In toto Auctore unum omnino exemplum variationis modorum deprehendimus:

I 6, 10 (p. 8, 11) quid alii *soleant*, quid nos facturi *sumus* breviter exponam.

Cf. Brakman, Arnobiana p. 48; Mnem. LII (1924) p. 135 sqq.

II 3, 5 (p. 28, 12). Defensor primum demonstrabit vitam integram, si poterit: id si non poterit, confugiet ad inpruden-

1) *Unus* coniungitur etiam cum *quivis* cf. II 8, 12 (p. 34, 25) neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus, ideo quod *quivis unus* homo possit quamvis turpem de quolibet rumorem proferre. Laudandus igitur est Marx, quod edidit II 2, 3 (p. 26, 22): Horum *unum quidquid* quid valeat, aperiemus.

2) Cf. etiam p. 132, 7 *virtutes revereri*.

Digitized by Google

tiam, stultitiam, adulescentiam, vim, persuasionem; quibus de rebus..... vituperatio eorum, quae extra id crimen erunt, non debeat atsignari.

Auctor, nisi omnia me fallunt, dicit haec: patronus si non ad vitae integritatem rei, at certe ad imprudentiam stultitiamque eius aetatis provocare poterit, quae fortasse vi aut persuasione decepta est: itaque sua vita privata reo vitio verti nequit. Quapropter nihil aliud addo nisi

quibus de rebus ⟨*efficiet ut reo*⟩ vituperatio eorum, e. q. s.

A *rebus* (fortasse scriptum *reb.* et ideo confusum cum *reo*) librarius in scribendo facile transiit ad *vituperatio.*

Batave haec verba sic verto: De verdediger zal eerst, zoo mogelijk, wijzen op den reinen levenswandel van zijn client, gaat dat niet aan, dan zal hij zich beroepen op het gebrek aan ervaring, op de dwaasheid van diens jeugdige jaren, op het geweld of de overreding, die aangewend is; op grond daarvan zal hij bewerken, dat de aangeklaagde geen berisping treffen moet ter zake van wat buiten het punt van beschuldiging ligt.

Tribus vocabulis insertis ego sensum recuperasse mihi videor, at tres fere versus Marx excidisse arbitratur; ⟨caute dicendum est et ad utilitatem nostrae causae adcommodate: et praeterea dicemus nihil attinere cum de crimine agatur vitam et mores eius vituperare propterea quod reo⟩.

II 6, 9 (p. 32, 21). A testibus dicemus secundum auctoritatem et vitam testium et constantiam testimoniorum. Contra testes ⟨*vituperantes*⟩ vitae turpitudinem testimoniorum inconstantiam e. q. s.

Hic facile subaudimus *dicemus*, quod fortasse non faciens librarius omisit *vituperantes* a me additum, etsi etiam similitudine initii verborum *vituperantes* et *vitae* illud potest intercidisse. Quamquam non multae allitterationes [1]) apud Auctorem inveniuntur, tamen interdum haec figura adhibetur una cum παρηχήσει [2]), cf. p. 51, 1 quae vitia vitanda sunt cet. *Vitu-*

1) Cf. p. 21, 3 criminis causa constat, cum; 118, 18 proelio positum putarent; 109, 3 laboribus libare laudem cet.

2) Cf. p. 181, 7 dici divitem.

Digitized by Google

perare saepius noster usurpat, cf. p. 76, 4 vituperabimus; 81, 23 vituperaturi; 63, 12 vituperare; 64, 6 vituperari cet.

Marx vult: ⟨dicemus secundum contemptionem testium⟩.

Auctor agit II 22, 34 (p. 53, 22 sqq.) de initio Ennii tragoedia Medea vehementer repetitionem improbans eiusdem sententiae, quocum conferenda est Frontonis ratio iudicandi de prooemio Lucani carminis epici, cui titulus Pharsalia (Ad. Marc. Anton. de orat. p. 157 sq. Nab.). Eadem de causa de eodem versuum numero et ille poetam reprehendit. Hanc similitudinem inter Auctorem et Frontonem praeterire nolui, cum Marx comparet:

Auct. II 4, 7 (p. 29, 25) quid anni
cum Front. (39, 4 Nab.) quid horae?

Addere possim vocis, quae est *hora*, ἔλλειψιν post ordinalia:

Auct. IV 51, 64 (p. 183, 2) vos huc *decuma* venitote.

Front. (Ad M. Caes. et inv. lib. IV 6 p. 69, 10 Nab.) Ego ab *undecima* noctis in *tertiam* diei partim legi ex agricultura Catonis partim scripsi.

Auctor postquam Ennium, quod frequentius eandem sententiam repetat, vituperavit, sic pergit:

II 22, 34 (p. 54, 13) Ergo hac quoque ab ultimo repetitione in expositionibus magnopere supersedendum est. Non enim *reprehensione sed* sicut aliae conplures.... sua sponte vitiosa est.

Marx corrigere vult: Non enim *reprehensionis* [sed] sicut aliae conplures ⟨*indiget sed*⟩ sua sponte vitiosa est. Equidem duo verba pro corruptis habens locum sic refingo:

Non enim *reprehensionis* ⟨*eget*⟩, sicut aliae conplures: sua sponte vitiosa est.

Eget apud Auctorem genetivum, non ablativum adsciscit p. 170, 13 non *eget* exempli; 177, 23 si virtutis et artium, quae virtutis magistrae sunt, *egebit* cet.

Quisquis et *quisque* proprie synonyma [1]) sunt, idcirco mirandum non est pro *quotusquisque* legi *quotusquisquis* cf.

Ad. Herenn. III 17, 30. Item putamus oportere ex ordine

1) Schmalz Lat. Gramm. p. 626 (§ 24).

Digitized by Google

hos locos habere, ne quando perturbatione ordinis inpediamur, quo setius [1]) *quoto quoquo* loco libebit, vel ab superiore vel ab inferiore parte imagines sequi et ea, quae mandata locis erunt, edere possimus.

Conferenda insuper sunt:

III 18, 31 (p. 97, 16) quinto *quoquo* loco conlocare

et III 19, 31 (p. 97, 24) quid in *quoquo* loco conlocavit.

Praeterea, quod attinet ad pronomina, observanda sunt haec:

III 21, 35 (p. 100, 11). Hoc modo naturae subpeditabitur doctrina. Nam *utraque altera* separata minus erit firma.

Utraque altera Auctor posuit pro *altera utra*.

IV 43, 55 (p. 171, 3). Quid est, quod a me satis ei persolvi possit, *unde* haec accepi.

Unde significat *a quo*.

IV 36, 48 (p. 161, 18) (Miramini) quod se nemo *vestri* defensorem profiteatur?

Genetivo pronominis personalis utitur Auctor pro possessivo (cf. Kühner-Stegmann I p. 598 Anm. 4).

III 13, 23 (p. 90, 19). Narratio est rerum gestarum aut *proinde ut* gestarum expositio. [2])

Satis frequens est iunctura *proinde ut* (cf. Kühner-Stegmann II p. 449), at multo rarior cognata locutio *exinde ut*, quam feliciter in nova editione Marx revocavit:

IV 43, 55 (p. 171, 3). Quid est quod a me satis ei persolvi possit, unde haec accepi?" *Exinde ut* haec loquetur secum sapiens saepe, in periculis reip. nullum ipse periculum fugiet. Comparari potest Plaut. Most. 227 (cf. Kühner-Stegmann l.l.):

Ut famast homini, *exin* solet pecuniam invenire.

Hic legentes Lorenz relegat ad Varr. R. R. I 20, 4 et I 24, 3.

III 18, 31 (p. 97, 13) quod genus, si in quinto loco manum auream conlocemns, si in decumo aliquem notum, cui praenomen sit Decumo, *deinde* facile erit *inceps* similis notas quinto quoquo loco conlocare (cf. Liv. V 37, 6 deinceps inde).

1) Cf. p. 17, 9 (Caepio) impedimento est *quo setius* feratur.

2) Repetuntur haec verba ex I 3, 4 (p. 3, 20).

Proinde atque adsciscit coniunctivum III 16, 23 (p. 95, 2), sicut *proinde ac* Lucret. III 1035.

Digitized by Google

Alterum eiusmodi exemplum habemus p. 100, 10 *deinde tum* (cf. Lucret. V 1007 *tum deinde*).

Praeterea attendamus novum adverbium *cummagis*:

IV 5, 7 (p. 111, 17) Dicimus igitur, eos id, quod alienis utantur, peccare, *cummagis* [1]) etiam delinquere, quod a multis exempla sumant.

Exemplum insolitae consecutionis temporum invenimus (cf. Prolegom. ed. 1894 p. 178):

IV 11, 16 (p. 121, 14). Socii nostri cum belligerare nobiscum vellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam, quid *possint* facere, si quidem sua sponte facerent et non haberent hinc adiutores multos, malos homines et audaces.

IV 12, 17. Quae maxime *admodum* oratori adcommodata est (sc. elocutio), tres res in se debet habere: elegantiam, compositionem, dignitatem.

Hic *admodum* vim superlativi auget, at comparativi Salvian. Gub. I 6 et ideo (aiunt) in hoc saeculo deteriorem *admodum* statum esse meliorum; V 18 si atrociores *admodum* quam sunt esse dicantur. (Cf. Mnemos. LII (1924) p. 125).

Auctor primum de repetitione et conversione disseruit, tum incipit verba facere de nova figura:

IV 14, 20 (p. 126, 19) Conplexio est quae utramque conplectitur exornationem, ⟨*ut utraque*⟩ utamur, quam ante exposuimus, et ut repetatur idem verbum saepius et crebro ad idem postremum revertamur.

Quod inserui, idem videtur litterarum similitudine explicare, quam facile id praetermissum sit. Marxii supplementum ⟨ut et conversione et repetitione⟩ ad sensum haud dubie rectum, a ratione palaeographica minus probabile est.

IV 16, 23 (p. 130, 16). Quam (sc. mulierem) inpudicam iudicarant, ea veneficii quoque damnata exeistimabatur. Quid ita? quia necesse est eam, quae suum corpus addixerit turpissimae cupiditati, timere multos. Quos istos? Virum, parentes, ceteros, ad quos videt sui dedecoris infamiam [2]) pertinere. Quid

1) Cf. Corp. Gloss. Lat. I (Goetz 1923) p. 29 demagis σφοδρῶς.

2) Ecce genetivus inhaerentiae! Cf. Arnob. V 17 turpitudinis infamia.

Digitized by Google

postea? Quos tantopere timeat, eos necesse est ⟨*optet necare*⟩. Quare necesse est? e. q. s.

Vides meum supplementum, quod bonam clausulam praebet, at Marx minus bonam assecutus est explens ⟨iniuria quavis de medio sustulisse velit⟩.

Cf. 142, 19 indemnatum *necasti* cet.

IV 17, 24 (p. 132, 7). Difficile est ⟨*ei ut*⟩ primum ⟨*bonum*⟩ virtutes revereri, qui semper secunda fortuna sit usus.

Sumo Auctorem de industria *primum* bonum, non *summum* scripsisse, ut oppositio oreretur inter *primum* et *secunda*. Hic quoque (virtu*tes revereri*) ut supra (I 5, 8 ali*quid referemus*) clausula heroa adhibetur. Marx proponit: Difficile est primum ⟨quidque. Item. Non soletis potissimum⟩ virtutes revereri, qui e. q. s.

IV 17, 25 (p. 133, 15). Sententias interponi raro convenit, ut rei actores, non vivendi praeceptores videamur esse: cum ita interponentur, multum adferent ornamenti. ⟨*Item*⟩ necesse est animi conprobet eam tacitus auditor, cum ad causam videat adcommodari rem certam, ex vita et moribus sumptam.

Ergo duabus condicionibus sententiis patrono causarum uti licet: oportet enim primum eas esse raras, deinde auditori probatas. Quare inserui *item*, post *ornamenti* facile praetermissum. Hic quoque versione in linguam vernaculam videtur opus esse: Wij behooren om den indruk te wekken, dat wij redenaars geen zedenmeesters zijn maar zelden spreuken in ons betoog in te lasschen: worden zij onder deze voorwaarde aangewend, dan zullen zij veel tot opsmuk bijdragen. Insgelijks moet de hoorder bij zich zelf in stilte zijn goedkeuring er aan hechten, daar hij inziet, dat een waarheid opgemerkt in 't leven en de zeden der menschen een rake toepassing vindt op de rechtszaak.

De ἀντιθέτου figura haec scribit Auctor:

IV 18, 26 (p. 134, 14). Hoc exornationis genus breviter et continuatis verbis perfectum debet esse, ut⟨i*que*⟩ cum commodum est auditu propter brevem et absolutam conclusionem tum vero vehementer, id quod opus est oratori, conprobat contraria re et ex eo, quod dubium non est, expedit illud, quod est in dubio, ut dilui non possit aut multo difficillime possit.

Digitized by Google

Utique vel *utiq.* ante *quom commodum* in *ut* corruptum sine ullo negotio fingi potest. Verto: Deze figuur moet zich over een niet lange reeks doorloopende woorden uitstrekken, in elk geval is zij aardig om te hooren wegens de korte en bondige gevolgtrekking, maar inzonderheid geeft zij, wat de redenaar noodig heeft, door het contrast een sterke bevestiging van wat hij beweert, en zij ontwikkelt uit wat vaststaat datgene, waaromtrent men in twijfel verkeert, zoodat dit zich niet of allermoeilijkst laat weerleggen.

IV 38, 50 (p. 164, 22). Utrum igitur avaritiae an egestatis ⟨*ergo*⟩ accessit ad maleficium?

Librarius videtur praepositionem priscam omisisse, quam et Sisenna et Lucretius aequales fere Auctoris agnoscunt. Hic certe in una eademque sententia duobus archaïsmis utitur IV 10, 15 (p. 120, 17): Nam ita ut corporis bonam habitudinem *tumos* imitatur saepe, item gravis oratio saepe inperitis videtur ea, quae turget et inflata est, cum aut novis aut priscis verbis aut *duriter* aliunde translatis aut gravioribus, quam res postulat, aliquid dicitur.

IV 50, 63 (p. 181, 7) „Iste", inquies, „iudices, qui se dici divitem putabat esse praeclarum, primum nunc videte, quo vultu nos intueatur. Nonne vobis videtur dicere.... *dant*, si mihi molesti non essetis?"

Post *dicere* videtur excidisse (aut corruptum esse in *dant*) *ditarem*; edendum igitur censeo: Nonne vobis videtur dicere: ⟨*ditarem vos*⟩, si mihi molesti non essetis?"

Marx adnotat: excidit veluti: ⟨Darem vobis libenter quae clientibus⟩.

Auctor ad Herennium haec verba usurpat rariora:

P. 65, 7 ad *exaugendam* et *conlocupletandam* argumentationem.

P. 158, 17 reip. rationes virtute optimatium *revirdescent.*

P. 182, 5 si hodie vis *transnumerari.*

P. 184, 20 quin auribus meis *applorare* desinitis?

P. 185, 16 hunc *examplexare.*

Adde hasce formulas vulgares: *oriculas* (120, 5) *depultus* (121, 1) *totae* rei (179, 5).

Digitized by Google

IN MEMORIAM

IANI VAN LEEUWEN I. fil.

Septuaginta quattuor annos natus Leeuwenus d. XXI m. Iulii in Helvetia diem supremum obiit.

Anno MDCCCL in pago Zegwaart ortus studiis classicis in Universitate Lugduno-Batava dedit operam. Per decennium fere in gymnasio Amstelodamensi praeceptor cum fuisset, anno MDCCCLXXXIV professor in Cobeti cathedram creatus linguam ac litteras Graecas docuit usque ad annum MCMXIV, quo anno munere se abdicavit et in pagum Helveticum Melchtal migravit. Si quis umquam, Leeuwenus de nostra Mnemosyne optime meritus est. S. A. Nabero, I. M. Valetonio, aliis iuvantibus hanc Bibliothecam post Cobeti mortem vacillantem sustentavit et multis egregiis dissertationibus de Homero, Aristophane, Menandro, aliis exornavit. Postquam patriam nostram reliquit, lectores eius lucubrationes aegre desiderare coeperunt, sed dubitabit nemo quin peregre quoque Mnemosynen suam tam caram habuerit dilectamque quam apud nostrates grata semper stabit viri summi memoria.

Requiescat in pace!

Digitized by Google

Digitized by Google

L. S.

Hoc carmen venustum, repertum inter scripta ab Hartmano nostro relictum, uxor eius dono dedit I. A. H. Baroni A Zuylen à Nyevelt, cui uni poeta ipse id quondam inspiciendum commodaverat. Vir nobilis, qui non solum artis musicae peritissimus est sed etiam litterarum humaniorum assiduus cultor fautorque, nobis hanc veniam rogantibus benevole permisit ut in Mnemosynes bibliothecam, quam amicus noster defunctus tot praeclaris commentationibus per annos multos ditavit, postumum quoque hoc opusculum reciperetur. Quo beneficio quantopere nostram litterariam rempublicam sibi obligaverit sectatores Camenae Latinae omnes grato animo agnoscent.

P. H. D.
F. M. Iac. fil.
C. W. V.

VITA.

SATIRAM COMPOSUIT

I. I. HARTMAN.

„Ah, pereas, bellum", clamabat rusticus ille
Comicus; et quoties haec est repetita per orbem
Vox deplorantum tot funera totque pericla
Sustentata diu! Sed vix succrevit ab illis
Altera progenies, et iam vestigia nulla
Relliquisse sui pestis prior illa videtur
Mentibus in levibus; nam iam nova vexat Erinnys
Nunc alias partes terrarum, nunc et easdem;
Saevior et semper, semper crudelior exstat
Horrisoni vis illa mali; crudelius usque

Digitized by Google

Ingenium humanum fieri miratur et ipsa
Gens humana: dolis (quam diris quamque cruentis!)
Adstupet, ecce, suis, nec sese agnoscit in illis.

Bella gerunt homines. Quid vult sibi dira voluptas
Sanguinis et caedis? Lucri quid saeva cupido
Promittit miseris? Agedum, circumspice, noris:
Contemplare virum, decorant cui pectora vittae
Cum crucibus: portant mutilatum lignea crura;
Ille assem rogat et narrat sua praelia caecus;
In tabula pictam demonstrat navita puppim,
Se salvo comites quae mille ad Tartara traxit
Icta latente malo: narranti lacrima manat,
Porrigit et dextram tremulus, nam quinque reliquit
Sub riguo tecto gracili cum matre puellos,
Dum friget focus atque vacat panaria cella.

Bellorum hoc pretium non ignorare potestas
Est homini cuiquam, sed bellum provocat ille,
Ille parat; patriae decus est huic semper in ore,
Huic vicinorum rabies artesque dolosae.
Hostis sic homini fit homo non cognitus ante;
Hinc lacrimae cunctis, ridcnt sed machina belli
Ars quibus est et fallacis genus omne veneni,
Quodque in corpora quodque in mentes insinuat se.

Bella gerent populi. „Quo tandem", quaerimus, „usque?"
An dubitatur adhuc quin finem ponere bello
Bella sit in fatis? Aequatas vidimus urbes
Una luce solo magnas, provincia tota
Attonitis nobis antiquam denique cretam
Monstrat, humo quae tecta fuit per saecula multa.
Exspectantne homines, donec secedat in orbes
Terra duos, dein mox rabioso instincta furore

Digitized by Google

Sese ipsa exscindat? Sic fiet, ni resipiscat
Qui sapiens est dictus homo, sed belua nunc est,
Aut erit, immanis. Sed non Divina Voluntas
Cuncta perire sinet; veniet nam tempus, abunde
Cum genus humanum solvisse videbitur illam,
Quam sibi conscivit fraterno sanguine culpam;
Tum melior pars maiorem resipiscere coget
Inque bonum commune omnes iam foedera pangent:
Arma feras pellent parvusque erit usus in armis,
Atque hominem defendit homo, fera bella quiescent.
Nam cum quisque velit se vivere, vivere nulli
Eripiet, sibi quem comitem natura creavit.

Vivere quisque volet, sed veram vivere vitam
Quae nec luce caret puri nec flaminis aura.
Non homini poterit posthac imponere talpae
Sacra fames auri mores, nec dira cupido
Gemmarum, tandem didicit quoniam esse malorum
Cunctorum hunc fontem, bella esse hinc omnia nata;
Nam pax pauca sibi quaerit quae terra recondit.

Non erit e caecis latebris qui protrahat istam
Horribilem massam igniparam, quae funditus omnem
Evertit vitam humanam rapuitque quietem.
Hinc etenim natus daemon, Furiis similis qui
Exagitat cunctos semper crepitante flagello.
Nam quae sors hominum nunc est? Qua nulla tyrannis
Fingere servitium potuit crudelius ullum.
Quis vere vivit, quis sese vivere sentit?
Proripimur cuncti: quis non festinat anhelus,
Nil ut agat? Quis non alio properare laborat
Tempus ubi perdat? Nostram omnes spernimus urbem
Et fugimus patriam. Cupimus nam visere gentes
Usque alias aliasque urbes, sed visere quid nunc
Dicitur? Huc illuc empto monstrante magistro

Digitized by Google

Circuagi, quacunque liber monstraverit ipsi,
Ille etenim simulatque novum ver ingruit, ad se
Arcessit pecudem docilem, Sanctoque Sepulcro
Impositum ostendit templum, perque omnia ducit
Quae loca Christicolis sancta pietate coluntur,
Utpote qua posuit vestigia Christus, ubique
Substitit ut miseros consolaretur et omnes
Iudicium summum iamiam adventare moneret,
Denique ubi peccata luit communia solus
Sanguine vulneribusque suis; quid curat at ista
Grex inhians? Quid mente agitat? Quod scilicet ipse
Pastor: „erit finis quando? Quid solvere debet
Quisque sua pro parte? En mensis proximus: idem
Pastor oves alias exspectat ad ostia Nili.
Has numerat, navemque iubet conscendere, possint
Ut deserta sibi spectatas Pyramidasque
Narrare et rictu quam sint longo crocodili.
Martis adest mensis: quisnam ille adscendit ad arcem
Cecropiam? quem grex sequitur non passibus aequis?
Consistunt, resonat: „Pericles", dein unus et alter
Annorum numeri, mox audis nomina multa
Clarorum ingenio misere distorta virorum;
Monstratur Salamis, sancta et monstratur Eleusis
Quaeque aliae sedes hac conspiciuntur ab arce.
Aut nimio spatio distantes lumina fallunt.
Paschales redeunt feriae, delubraque Petri
Orbilio indocto fiunt spectacula nostro
Commonstranda novis, dederunt quos acta diurna,
Discipulis. Hos inde trahit quacunque ruinae
Antiquos Romae proceres populumque loquuntur.
Agminibusque aliis superaddet saepe catervam
Ille suam, possint ut cuncti tempore parvo
Historiae magnam partem vidisse videri
Sub duce communi docto recitare libellos
Doctrinae variae, quam non intelligit ipse.

Digitized by Google

At cum sole nives liquefactae plana relinquunt,
Albicat atque nihil nisi summa cacumina montis,
Monstratore vago felix Helvetia gaudet,
Invictoque die stat et illic turba parata
Pondera non metuens, metuens non illa periclum:
Namque umeros saccus gravat et calx ferrea plantas;
Dextra tenet baculum munitum cuspide acuta,
Fulgentem laeva et non parvi ponderis axem.
Et modo grex totus — visum sic namque magistro —
Navigat, aut rapitur praeruptos praeter abyssos
Impositus raedis perque et glaciemque nivemque.
Pars modo, dum merito fruitur pars altera somno,
Traditur indigenae, miseros qui fune ligatos
Per glaciem aeternam montem conscendere celsum
Cogit et hinc salvis ad deversoria nota
Monstrat iter. Reduces miratur cetera turba,
Anxia quae tantum ad bellum spectavit euntes;
Ne tamen interea nequicquam tempus abiret,
Strenuus hic flores Alpinos... emit in urbe,
Ille avium plumas, quibus est in culmine nidus;
Pilea victorum his ornant, sua nec minus ipsi.
O quanto excipiet cunctos mox patria plausu!

Longior at iusto ne sim, qui terminus anno
Exacto maneat iam raucum discite: mirum!
Et patriam visit nostram. Bolswardia namque,
Frisiacum oppidulum, sellas conservat in aede
Egregie sculptas, quibus olim tempore sacro
Sancta cohors procerum sancta gravitate sedebat.
Hic quoque adest noster; mirantibus explicat Anglis
Quid sibi quaeque velit tabula et quid quaeque figura;
Multaque ructatur docte de lumine et umbra
Et quae praeterea multo sudore quotannis
Ipse sibi inculcat, ficta gravitate loquenda.
Hic operis finis, dimisso nam grege pastor

Digitized by Google

Se rapit hinc: Solymis debet nam stare paratus
Cum novus annus adest atque instaurare laborem.

Sic homines nunc se delectant, sic sua vulgo
Otia disponunt, namque est e pluribus unus
Dux meus ille, gregem nec frustra convocat ullus.
Sic ludunt homines, at qui nunc seria tractant?
Cuique suus labor est oneri; quis dicere possit:
Se delectari studio doctoque labore?
„Officium facito" cathedra clamatur ab omni:
Ni servum fieri me vis, subiunge „libenter".
Illa tamen vox nunc, eheu, plerumque tacetur,
„Officium" remanet: „ne delectere labore,
Aut tibi verbum istud spernendum nomen inuret.
Collige, dispone et scriptores atque poetas
Excerpe, ut crescat multo tibi maior acervus
Quam quem rivalis poterit venumdare iamiam".
Festinato opus est: haec lex nunc unica regnat,
Sive vaporina est, seu carbonaria mavis
Audiat; est etenim carbonis maxima culpa,
Primaque, mortales cur tandem ceperit istud
Insanum studium properandi, quo perit omnis
Omnibus in rebus dulcedo grata laboris,
Effectique operis quae mulcet corda voluptas.
Nam miseros quid nunc memorem quos quaerere victum
Assiduo manuum cogit sors dura labore?
Ah, miseri, miseri! nunc sors haec dura profecto
Est cur dicatur, quia nulli dicere ius est:
„Haec mea sunt. Opus hoc ecquid placet, an magis illud?
Agnoscisne manum, docuit qui cuncta, magistri?
O bene quam memini mihi gaudia quanta pararit
Ianua quae decorat nunc aedes divitis Alphî,
Et quam difficilis fuerit structura fenestrae
Quae nunc laudatur; nostro tamen, ecce, camino
Glorior ipse magis" Nam quis iam ponere totum,

Digitized by Google

Sit licet exiguum, discit? Dediscere cunctos
Ipse tuis oculis cernis, nec tempore longo
Huc fore perventum ut nemo possitve velitve.
Huic rotulas facere, huic rotulis incidere dentes
Unicus est labor ad tenebras a lumine primo:
Hic acuit clavos, capitâ hic imponit acutis,
Et quae tracta aliis hic tingere fila iubetur.
Namque fori lex haec, ut solus vincere possit
Et caput inde referre unctum, cui copia mercis
Maxima, quam minimo vendat, mox deinde novorum
Scrutorum ingentem proventum deferat illuc.
Hinc illud: „propera, ne nos vicinus Enipeus
Praevertat: viden ut iam nunc festinet anhelus?"
Hinc crepitant ignes, obtundit malleus aures,
Hinc oculi fumo lacrimant et machina sudat
Humanam simulans faciem, sed machina vere;
Et miramur adhuc, quod semper milia plura,
Quae natura homines genuit, minitantia pugnis
Brachiaque et torvos vultus ad sidera tollunt
Et: „tandem volumus nos, nos quoque vivere" clamant?
„Nam quae vita fuit nostra hactenus? Omnia dêrant,
Quae poterant aures suavi mulcere susurru,
Atque oculis laetos fessis praebere colores.
In tenebris fumoque diem vix cernere nobis
Contigit, aut certo veram discrimine noctem.
Nec nox ipsa dabat requiem, quae sola voluptas
Iam poterat fingi miseris: nam membra grabato
In duro vigiles torquebant languida curae:
„Surgendum mane est!" haec vox inimica soporem
Pellebat nunc, nunc lemures prodire iubebat
Flammantes et anhelantes et semper eundem
Invisumque magis properantes usque laborem".

Cuique labor suus est odio, nam non sibi quisquam
Exercetve manus, durum novitve magistrum

Digitized by Google

Cuius ad arbitrium se nocte dieque fatigat,
Sed „sociorum" audit semper „collegia", fenus
Qui capiti extorquent (mirum) capite haud minus ipso.
Vulcani quales! et qualis Iuppiter ille
Regnator mundi! Frendens sibi quisque reclamat
Inde suam partem, nec quidquam cogitat ultra.
Nam solidum ut sit opus limatumque arte fabrili
Quid refert? „Age, sat bene fit quidquid cito fit sat.
Haud decus, haud ulla ars, quaerenda est copia tantum,
Ut pretio vili vendatur nostra supellex,
Sit fragilis licet, et quae nos alimenta paramus
Corporibus noceant quamvis, vescatur iis gens
Tota hominum, fieri si quit, toto orbe bibantur
Quae nos concoquimus, male sana, at vilia cuncta.
Vestimenta paret vilissima machina nostra
Vita quibus brevis est (opus est sartore sed illis
Assiduo, nec forma manet, mutantque colorem),
Ornamenta domus et corporis arte sine ulla,
Sed mirabiliter vario splendentia vitro,
Machina nostra vomat, mox provolvenda cloaca:
Denique sit quidvis, crescant modo fenera, donec
Cuique domus socio de marmore regia surgat".
I nunc atque tuum felix extolle laborem
Arte tua laetus, millesima tu rota cum sis
Vel potius servus mediastinusque rotarum.
Ah, ah, ne laetare, opifex, ne gaudia tangant
Ulla tuum pectus! Semper sis tristis, acerbus,
Sit tibi vita odio, vitae carbone notatus
Quisque dies atro, cupias tua rumpere vincla,
Et vitare locum, tibi qui stridore rotarum
Perpetuoque metu mortis sensum eripit omnem,
Mentis et obtundens aciem, corpusque gravatum
Extenuans, annis paucis ad Tartara mittit
Te iuvenemque senemque simul, cui nulla voluptas
Obtigerit, quam non turbarit cura metusque,

Digitized by Google

Uxorem ne deficeret pullosque tenellos
Sustentans aegre macilenta cadavera victus;
Felicem, simul et si non solacia caeli
Eripuere tibi doctores, spemque fidemque,
Quos iuvat omne sacrum et quidquid non corporeum sat
Deridere iocis et detrectare malignis.
Praecipue tamen, heu notum nimis, ipse laborem
Detestare tuum, cuius nunc poscere maius
Desistis nunquam pretium: tibi nempe parari
Et sociis primum, cunctae mox denique vitae
Nescius exitium. Quid enim prodesse putatis
Argentum atque aurum? Num quisquam vescitur istis?
Charta famem sedare potest, quae milia multa
Nummorum loquitur? Numquid variare laborem
Assiduum poterit miseris et semper eundem?
Hoc etenim vestram sortem contristat et usque
Suffundet squalore novo quod nulla voluptas
Vos manet: usque eadem crudelis machina mentem
Exercere vetat; satis est si crura manusque
Horarum spatio fuerint exercita certo;
Vix oculis opus est, cerebrone opus esse putemus?

Ah, miseret, miseret vestrae me, credite, sortis;
Non tamen idcirco, certe non praecipue, quod
In tenui victu totum consumitis aevum,
Hoc etenim damnumst paucis reparabile nummis,
Quidque est vilius his? At nulla pecunia pondus
Allevat, ad terram quod vos noctesque diesque
Deprimit, incassum quod tot periere labores,
Utpote qui nullis vos ipsos fructibus unquam
Laetificent: trahitis, pulsatis, caeditis atque
Torquetis lora et funes gracilesque lacertos,
Mens hebet et torpet, cui nil addiscere detur:
Vespera cum venit, quis est qui dicere possit:
„Hoc mihi perfectumst hodie", sed milia multa

Digitized by Google

Quisque sibi numerata tenet vel pondera rerum
Appensa; at quoniam nunquam quid singula possint
Quidve velint norit, nil ultra quaerere curat,
Sed magis atque magis spirans fit machina, donec
Ne spirare quidem possit, sed frigidus atque
Immotus tumulo succedat, mortuus esse
Nunc habitus vulgo, qui nunquam vixerit ante.

O tandem, tandem simulatae taedia vitae
Vos capiant, iam nunc subitam deposcite mortem,
Aut vitam veram, quam nulla pecunia maior
Praestiterit luxusve ullus vel corporis ullum
Delenimentum, sed mens sibi conscia vitae!

In vobis, quîs nulla fuit spes hactenus ipsis,
In vobis, nocti servos quos ipse diurnus
Addicit labor, in vobis quos aeris egestas
Exagitat, miseri, quibus irrita carmina fundunt
Veris aves, quos nec dulci delectat odore
Floribus aut variis pratum, vel lumine caelum,
In vobis spes omnis erit! Consurgite et eia
Consortes miserae vitae durique laboris
Undique contrahite in foedus, legemque sacratam
Figite, dein cuncti cunctis date iusiurandum:
Non fore qui posthac ulla ratione moveri
Possit, ut in terrae venas se mergat apertas,
Sed potius cunctos unitis viribus illas
Clausuros, fiant iterum ut maneantque latebrae
Quo penetrare queant neque homo neque lumina solis.
Hae teneant pestes antehac quaecunque tulerunt
Exitium certum, non ulla detur ad aurum
Ire via vel ad argentum, sed caecius illis
Abscondat barathrum lapides atrosque malique
Omnigeni fontem; servent sua Tartara massam

Digitized by Google

Exsecrandam illam, mox hanc non oppida norint,
Non urbs aut pagi. Sic demum saecula vere
Humano generi non indignanda redibunt.
Nam sua cuique domus praebebit gaudia: sedes
Haec fiet stabilis, stabulo quam dispar ab illo
Unde volant et quo revolant, urgente labore
Insani domini, tempus qui perdere cogit,
Nec sinit e vita mansuros carpere fructus
Auctorique suo securos reddere vitam.
Hic etenim proprio deiectus stipes in horto
Ad sese placidam turbam laetamque vocabit
Elicietque suo sermones lumine saepe
De propriis rebus de communique labore.
Hic narrata sibi narrabit, lecta sed ille.
Materiem senior sibi sumet tempora prisca,
At iuveni tempus praebebit somnia praesens,
Dum loquitur compar spem consiliumque futuri,
Omnibus et mentem exhilarant aut ruris opella
Mane instauranda aut positae bene praemia lucis.
Dat focus hic victum cum laetitiaque calorem,
Dat lucis quoque quod satis est, nam tempora nostra,
Progeniem peperere minus cui scripta novella
Esuriuntur — an haec, quaeso, tibi forte videtur
Barbaries? Reputa num quidquam copia cuiquam
Qua nunc obruimur, quae rumpit scrinia nostra,
Profuerit: digitis vix est pervolvere parvam
Nedum luminibus, partem. Quae gratia tanta,
Pulveris impuri toties quem combibis ore?
An tibi forte putas commentis ex alienis
Heu quam saepe sonum quae praebent, lumina nulla,
Ingenio quod dêst suppleri posse? Quid illa,
Quae petimus cuncti, sapientia maior habebit
Quod nos exhilaret? Quamvis sit maxima, nonne
Iam nunc perspicitur semper mortalibus aegris
Exiguam partem concedi, plura negari,

Digitized by Google

Et quo quidque magis doctorum quisque laborat
Scire, magis tenebris densis obvolvier illud?

Quantillumst, eheu, quod chartae tradere possim!
„Sudavit scriptor, video", sibi quisque loquatur,
„Hoc satis est, nobis nunc otia grata relinquat".

Ad Platonem.

Plato, Parm. 141 d. (1) Τί οὖν; τὸ ἦν καὶ τὸ ἐγεγόνει καὶ τὸ ἐγίγνετο οὐ χρόνου μέθεξιν δοκεῖ σημαίνειν τοῦ ποτὲ γεγονότος; Καὶ μάλα. (2) Τί δέ; τὸ ἔσται καὶ τὸ (γε)γενήσεται καὶ τὸ γενηθήσεται οὐ τοῦ ἔπειτά που μέλλοντος; Ναί. (3) Τὸ δὲ δὴ ἔστι (καὶ τὸ γέγονε) καὶ τὸ γίγνεται οὐ τοῦ νῦν παρόντος; Πάνυ μὲν οὖν. Εἰ ἄρα τὸ ἓν μηδαμῇ μηδενὸς μετέχει χρόνου, (4) οὔτε ποτὲ ἐγεγόνει οὔτ' ἐγίγνετο οὔτ' ἦν ποτε, (5) οὔτε νῦν γέγονεν οὔτε γίγνεται οὔτ' ἔστιν, (6) οὔτ' ἔπειτα (γε)γενήσεται οὔτε γενηθήσεται οὔτ ἔσται.

(1) et (4), γέγονε libri; plusquamperfectum recte restituit Hermannus. uide ea quae Proclus de hoc loco disseruit (Comm. in Parm. VI. 243) — de prima uel quarta triade — οὗ τὸ μὲν ἄκρον κατὰ τὸ ἦν τὸ δὲ μέσον κατὰ τὸ γεγονέναι τὸ δὲ τελευταῖον κατὰ τὸ ἐγίγνετο; de tertia uel quinta... τῷ ἔστι... τῷ γέγονε... τῷ γίγνεται... — de secunda uel sexta... τῷ ἔσται (ἔστι libri)... τῷ γενήσεται... τῷ γενηθήσεται. γεγονέναι manifesto corruptum est (in ceteris enim locis modus indicativus prouenit) — credo pro ἐγεγόνει.

(2) et (6), satis apparet γενηθήσεται Platonem scripsisse; sed sine ratione probare conatus est Stallbaumius id futuri exacti munere fungi posse. uiderat Schleiermacherus opus esse futuro exacto; sed perperam pro γενηθήσεται γεγενήσεται scripsit, cum facile uideas in prioribus tribus triadibus actionem perfectam secundum locum obtinere, in posterioribus autem primum: unde liquet in uerbo γενήσεται corruptelam latere, prima syllaba semel et iterum amissa.

(3) καὶ τὸ γέγονε amissum requiritur. uide (5) et uerba Procli supra memorata. J. A. Fitz Herbert.

Digitized by Google

DE TERMINALIBVS, REGIFVGIO, MENSE INTERCALARI.

SCRIPSIT

H. I. ROSE.

Inter Terminalia et Regifugium intercalatum esse et iam diu nouimus [1]) et, si quis etiam tum dubitabat, luce clarius ostendunt Fasti Antiates [2]) qui soli ante diuum Iulium confecti ad nos peruenerunt et ad diem mensis intercalaris uicensimum tertium notam R adponunt, quam olim REG(ifugium) fuisse apparet. sed nihilo minus manet quaestio, quam ob rem inde potissimum mensis intercalaris initium ceperit, quam quaestionem uel eo magis tractandam censeo quod is qui rem proxime tractauit, C. T. Merrill Americanum dico [3]), ut neque doctrina neque mentis acumine caruisse, ita interdum mihi uidetur auius a uera ratione, ut ait Lucretius, uagari.

Hic enim censet (nam Gulielmi Soltauii de ea re opinionem non sine causa damnat) Terminalia olim ultimum anni diem fuisse, quod et Varro (*de ling. Lat.* VI 13) et Ouidius, Verrium Flaccum hic quidem fortasse secutus (*Fast.* II, 50), diserte docent. igitur finito anno ueteres intercalare consuesse; necdum illis annum in certum numerum mensium descriptum fuisse quorum singuli singulos lunae cursus adaequarent. mox, ubi aliquanto melius siderum rationem comperissent, quinque dies additos esse, ut plenus et lunaris annus constaret. sed etiam tum ueterem intercalandi consuetudinem mansisse, diesque

1) Veterum de ea re testimonia collegerunt qui de temporis ratione scripserunt, quorum breuitatis causa unum Idelerum (*Chronologie* II, 48 *sqq.*) nomino.

2) V. *Notiz. degli Scavi* 1921, pp. 73—141; Wissowa, *Hermes* 1923, p. 378 *sqq.*

3) *Classical Philology*, 1924, p. 20 *sqq.*

Digitized by Google

illas quasi ἐπαγομένας quasdam finito demum mense intercalari locum nouissimum, ut erant sane nouissimi, cepisse.

Iam quod ad ipsum Regifugium attinet, coniecturas Frazerianas, ingeniosiores non mea tantum sententia sed plerorumque qui religiones Romanas exquirunt, quam ueriores, amplectitur: reges scilicet Romanos sacrorum et artis magicae causa creatos esse; pro deis habitos fuisse; coactos denique post certum spatium, annuum fere, aut mortem obire aut certamen aliquod inire quo se et corpore et animo tantum uigere quantum deo par esset ostenderent. eiusmodi uero certamen Regifugium fuisse, quo rex uetus pedum celeritate cum eo qui munus tam sacrum tamque periculosum ambiret, contenderet. [1]) addit Merrill eam fuisse causam cur confecto denique anno Regifugium obseruaretur, quod in animo Romanis esset integrum regnandi annum regi tribuere, quem non essent daturi ei si extremo anni die et Terminalibus uictus decederet. ergo regem, siue is nouus fuit seu uetus, Regifugio ut uidetur creatum kalendis demum Martiis initium anni sui fecisse.

Haec fere doctrinae Merrillanae summa est, quae num ueri similis sit, uideamus. atque omnium primum, num Terminalia re uera dies anni extremus fuerit, quaeramus. quam rem ut minime extra dubitationem positam, ita et alias ob causas et auctoritate Varronis motus mihi speciem ueri prae se ferre non infitias ibo. nam et cogitari potest, cum Ianus ex deo minuto et singulis ianuis praeposito deum deus factus sit cui omnia fere initia curae essent, Terminum quoque auctum fuisse et terminorum non agellorum tantum sed cuiuslibet rei custodem exstitisse, et etiam si hanc sententiam reieceris, numquid mirandum est si agricolae Romani, cum uere nouo agros suos iterum colere inciperent, ante omnia terminorum curam habuere, ne frustra in alieno agro exercendo operam consumerent? hactenus ergo cur Merrillo adsentiaris, causa non deest. sed ut longius eum sequi possis, ualde metuo. nam unde, quaeso, scimus Romanis unquam in mentem uenisse ut

---

1) V. *The Golden Bough*, edit. tert., passim; Regifugium vol. II, p. 308 tractatur. ibidem apud barbaras gentes persaepe tale certamen moris esse fusius demonstratur.

Digitized by Google

quinque dies ad annuum spatium explendum adsumerent? quos a mense Februario dempsisse, annis scilicet eis cum intercalatum est, Varro (loc. laud.) testis est, addidisse qui dicat frustra quaeras. quos dies si quando addiderunt, Numa, credo, uel Tarquinio uel decemuiris iubentibus, quot dierum annum antea egisse credamus? an cccl? qua, non dicam ratione, sed rationis specie? nolo, fateor, ea excogitare quorum nullum testimonium, nullum omnino signum inueniri possit.

Reges uero Frazerianos cur nusquam apud Italos credam fuisse, breui, ut spero, fusius demonstrabo [1]); sed fac fuisse; fallitur Merrillus cum negat, si quis kal. Mart. rex creatus extremo eius anni die uel necatus uel aliquo certamine uictus et regno pulsus esset, annum integrum regnaturum fuisse. nonne enim consules integrum annum magistratum gerebant? quibus primum anni diem initium honoris fuisse, extremum eiusdem anni diem finem quis nescit? sane ueteres, ut non semper, plerumque tamen ea temporis computandi ratione utebantur qua etiam hodie Galli, dum hebdomadis spatium uernacula lingua octo dies nominant. quid quod cur nouus ille rex quattuor ante diebus imperium meruerit quam creatus sit, nulla idonea causa adfertur? nam quod addit, interregibus singulis quinos imperi dies datos esse, id nihil prorsus ad rem. nam interrex non expectabat quintum diem sed usque ad eum diem regnabat; et quod moris erat inter duo regna unum pluresue interreges interponere, aliud est ita facere, aliud regem creare qui quinque dies ante regnet quam coeperit regnare.

Reiecta igitur Merrilli sententia, recta, ut opinor, uia et ratione utemur si omnium primum quae comperta habemus recensebimus, deinde coniecturas quam paucissimas et ueri simillimas adhibebimus. constat ergo primo, ut dixi, inter Teminalia et Regifugium intercalari solitum esse; deinde, Terminalia extremum anni diem aut fuisse aut certe nonnullis uisa esse; tertio, dies illos qui mensis Februarii extremi erant ita eius mensis partem fuisse ut inde diuelli quodammodo et mensi intercalari addi possent; quarto, ex ipsis illis diebus

1) In libello qui *The Roman Questions of Plutarch* inscriptus Oxonii e prelo Clarendonio prodibit.

Digitized by Google

duos festos fuisse, Regifugium dico et Equirria priora. iam multorum testimoniis satis constat (quae congessit Idelerus II 16, sqq.), Romuleum annum decem mensium tantum fuisse, Numam demum duos mensis Ianuarium Februariumque addidisse. horum autem testium unus est qui aut casu aut traditam alicunde doctrinam recte referens partem ueri conseruauit, Macrobium dico. hic enim (*Saturn.* I, 12, 3) 'cum is numerus', inquit, 'neque solis cursui neque lunae rationibus conueniret, nonnunquam usu ueniebat ut frigus anni aestiuis mensibus et contra calor hiemalibus proueniret. quod ubi contigisset, tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur absumi quantum ad id anni tempus adduceret quo caeli habitus instanti mensi aptus inueniretur'. recte dixit Idelerus (p. 22) priscos Romanos Macrobii sententia barbaros fuisse, quos etiam re uera eos fuisse non dubium est. reicienda sunt igitur quae de calore et frigore somniat, nam qui ita faciebant non barbari fuerunt neque Romani sed gens cultissima Aegyptii, quorum rationes apud Geminum Rhodium (*Isagog.* 6) expositas uidemus. ueros autem hodiernosque barbaros si animum aduerterimus, inueniemus eos interdum anno uti plane Romuleo. exempla congessit uir doctissimus M. P. Nilsson [1]) 'Sunt', inquit, 'gentes quae non totum annum mensibus et luna metiuntur. spatium enim est „quo nihil fiat", cuius spatii ita incuriosi sunt homines ut nemo lunam inspicere aut cursum eius nomine insignire curet; qualis est uel apud populos septentrionales bruma, qua ita uiuunt ut possunt, herbarum prope ritu. sic apud nationes quae ad Kamchatkam flumen incolunt dicitur mensis decimus,

1) *Primitive Time-Reckoning*, pp. 89, 223. Cf. eiusdem commentariolum, *Zur Frage von dem Alter des vorcäsarischen Kalenders*, in *Strena Philologica Upsaliensi* (1922), cuius ultima uerba adponam: 'Es bestand ein primitives Ackerbaujahr mit nur zehn Mondmonaten. Das Jahr fing mit dem Mondmonat an, in dem die Ackerarbeit im Frühling wieder aufgenommen wurde, und schloss mit der Beendung der Aussaat. Die übrige, nicht mitberechnete Zeit diente zum Ausgleich zwischen dem Naturjahr und der lunaren Rechnung, indem ihre Unbestimmtheit die Schwierigkeit beide chronologisch zu vereinigen verdeckte'. neque obliuiscendum est iam anno 1740 Iulium Pontederam, suone ingenio an aliqua barbarorum cognitione rituum nescio, non longe diuersa protulisse, u. Idel. II, p. 24—25. qui annum Romuleum pro commenticio habebant, oleum perdidisse iam apparet.

Digitized by Google

qui idem ultimus apud eos est anni, trium mensium longitudine instar esse; Amansi uero', — natio est Africana, eo sermone usa qui Ibo uocatur, — 'decem menses numerant, dein unum quem *evulevu*, h. e., mente carentem, nullum, inanem, nominant'. inde alias quoque gentes recenset quae eodem prorsus modo annum suum computent. quid ergo mirum si pastores illos aut quicunque fuerunt qui tum Romam condidisse uidentur cum Itali ferrum nondum cognoscerent, aes uix aut ne uix quidem usurparent, eodem fere modo anni rationem confecisse credamus?

Accedit quod ne ad lunae quidem rationes mensis eorum actos esse facile crediderim. nam ut exempla omittam quae sibi quisque apud Nilssonium facili negotio inueniet, nuper Talansorum calendarium luculenter descripsit uir earum rerum peritus A. W. Cardinall [1]). natio est in ea Africae ora quae Aurea appellatur sita, undecim gradibus a circulo aequinoctiali septentrionem uersus remota. de ratione anni ita Cardinalis: 'Annus', inquit, 'in haec spatia diuiditur, quae ut nec cum mensibus nostris quadrant neque ad lunae cursum diriguntur, ita in tempora anni cadunt quae ab omnibus facillime noscantur'. deinde nomina eorum spatiorum adponit, quorum unum et alterum exempli gratia subiungo. frigus hiemale quod nos in menses Decembrem et Ianuarium dispertimus, illi *kodo* uocant, quod feriarum nomen est. en mensis enormis qui lx fere dierum spatium contineat. at contra mediam fere mensis Octobris partem proprio nomine signant, *tenlebgre* scilicet, quae uox apud eos *terram mutatam* sonat. nempe id temporis incipit siccitas annua. quodsi quis statuerit Romanos olim, ante quam uel Numa uel Tarquinius annum ad astrologiae rationes redegisset, Maium, puta, mensem non lunae uicibus computasse, sed tum uenisse cum crescere fruges uiderent arbitratos esse, quamuis coniectura, non testibus, causam eum agere fatendum sit, me quidem aduersarium non habuerit.

Annus ergo priscus et uere Romanus tunc incipiebat cum idoneum ad agros colendos tempus adesse uisum erat, eiusque

1) In ephemeride quae singulis mensibus Londinii edita *Man* uocatur, 1924, nnm. 47; *The Division of the Year among the Talansi of the Gold Coast.*

Digitized by Google

finem faciebant cum instare hiemem illam colono ignauam uiderant. sequebantur dies plus minus sexaginta, quibus frigore et imbribus impediti agros colere non poterant; quibus peractis, rursus uer appetebat. sed eo tempore quamquam agrorum cultura cessabat, religione non uacabant hominum animi, ut ne nunc quidem uacant neque initio ueris nec per id spatium quod inter Natalem Christi et Epiphaniam interiacet; cuius spatii quae sit origo, bene docet E. Norden in libro qui inscribitur *Die Geburt des Kindes* (Lipsiae 1924), p. 24 sqq., Vsenerum aliosque secutus; quot cum eo apud rusticos superstitiones cohaereant, scit quisquis ei rei uel minimum studuit. sic et December mensis qui aut tunc aut postea uocabatur multis feriis insignis est, Consualibus, Saturnalibus, Opalibus, Angeronalibus, et Februarium omne genus lustrationum continere ipsum nomen declarat.

Harum uero lustrationum non minima fuit ea quae Regifugium dicitur; de quo sacro cum multo minus sciamus quam uelimus, tamen tantum fortasse scimus ut eius indolem enucleare possimus. narrat Plutarchus ita fieri solere: *ἔστι γοῦν τις ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς τῷ λεγομένῳ Κομιτίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς.* (*Quaest. Rom.* 63); et Festus quid e Verrio Flacco excerpserit nescimus quidem, ita uerba eius iniuria temporis pessumdata sunt, uidemus tamen Salios adfuisse; supersunt enim haec (p. 356 Lindsay);..... *t Salios..... (sacri)ficium in*; unde non iniuria Mommsenus putabat olim hanc fuisse sententiam, eo die regem et Salios in Comitio rem diuinam fecisse. ergo rex sacrorum adiuuantibus Saliis certe, fortasse aliis, rem diuinam faciebat, qua confecta quam celerrime fugiebat. quem ritum et Atheniensium *Βουφόνια* inter se similes esse iam dudum uidit Lobeckius (*Aglaoph.* p. 677), nostra aetate monuit Eitrem moris esse in sacris nonnullis nec non in caerimoniis magicis eo consilio fugere, ne eum qui extremus fuerit et tardior occupet non scabies sed numen aliquod infernum atque dirum; atque indidem Vergilianum illud *post tergum iace nec respexeris* et alia sexcenta quae ei loco similia sint deducta esse.[1]) at

1) V. *Some Roman Festivals*, in libro qui inscribitur *Festskrift til. A. Torp*, Christianiae 1913, p. 80.

Digitized by Google

inferna numina mense Februario et ante ueris inceptum adesse nemo mirabitur. lustrationis ergo genus fuit Regifugium, quod crediderim peracto anno fieri, si illum annum uocare licet qui nondum annulus et circulus quidam temporis fuit, ut quicquid diri et mali ominis per id temporis spatium congestum esset purgaretur.

Dixerit fortasse quispiam; sat multa tuquidem de Regifugio; numquid Equirria oblitus es? nempe ea censeo cum nouo potius anno cohaerere. nam fastos inspice; inuenies altera Equirria prid. id. Mart. fieri, quae cum prioribus aliqua saltem necessitate coniungi fieri non potest quin credamus. scimus etiam equos Marti, ut par erat, in deliciis fuisse. non ergo absurdum erit si quis ita coniecerit; peractis tandem lustrationibus fas fuisse equos uel pullos ornare eosque aliquo, credo, ritu parare quo deo bellico magis placeant; inde spatio interiecto eos aut pompa deductos fuisse aut alio quo modo Marti ostentos, ut is suo eos numine adflaret et ad futura proelia magis idoneos redderet.

Ordo igitur sacrorum, quem immutatum per omnia saecula mansisse credibile est [1]) hic fuit; otioso illo tempore quod inter annos ueterem et nouum interiacebat, lustrationibus potissimum se dedebant Romani, priuatis maxime; nam diebus parentalibus uidentur pontifices magis occasionem ciuibus praebuisse ut suorum quisque Manes placeret quam imperasse ut ita fieret; neque enim nefasti sunt omnes, utpote quorum tres etiam comitiales sint. sed piaculorum ordinem claudit Regifugium, sacrum perantiquom, ipsa uetustate uenerabile, quod ne liberae quidem rei publicae temporibus recte fiebat sine simulacro quodam regiae potestatis.

Quae cum ita sint, quid putas ei in animo fuisse qui tamquam unus paterfamilias de his rebus tum sentiret cum pontifices a Graecis Etruscisue meliora edocti nouam anni computandi rationem inducerent? nempe mensium numerum et ordinem parum se curare; unum illud probe se tenere, fas esse spatium aliquod inter binos annos relinquere quo fierent piacula et

1) Ipse diuus Iulius quam parcus in mutando fuerit in opere supra laudato monet Wissowa.

Digitized by Google

praecipue Regifugium. spatium, inquam, aliquod; quod ipsum si quis bene Latine dicere uolt, ita, ni fallor, dicendum erit; *quinque dies*. sic enim Horatius (*Epp.* I, 7, 1—2),

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror.

Numerum autem quinarium apud Romanos sacrum atque adeo magicum fuisse non est quod multis uerbis demonstrem; de numeris sacris Romanorum ipse pauca scripsi (uide *Journal of Rom. Studies*, 1922, p. 130); aliqua Horati editores, multa et doctissima A. S. Pease ad Ciceronis *de diuinatione* lib. II, 34 adgessit. iam interreges iterum adspiciamus; cur quinos singuli dies populum rexerint, causa profecto est; nempe sacer erat ille honor, et cum multis et antiquis caerimoniis coniunctus; consentaneum ergo fuit ut numero quoque dierum sacro uterentur qui hoc honore subinde fungebantur. Horatianae uero locutionis origo inde repetenda est quod solent res quae olim sacrae erant, postquam religionem aliqua saltem ex parte exuerint, in prouerbia quodammodo et mores sermonesue cotidianos abire. ita uerbi causa, cum hodie nemo uel mediocriter bonis artibus institutus in numeris ternario et septenario uim magicam inesse credat, tamen eos qui annum uicensimum primum impleuerint sui iuris esse et patris tutela liberari iubemus. ita postquam didicimus aliquando falsam esse illorum doctrinam qui hominum fata ab astris regi crediderint, leues tamen homines Mercuriales, Iouiales iucundos uocamus. si ergo Horatius, homo a uolgi superstitionibus maxime alienus, *quinque dies* pro spatio temporis quod uno die longius, mense breuius esset, ponere solebat [1]), non sine causa censebimus maiores eius illud spatium ad res sacras et magicas praeter cetera idoneum credidisse.

Oportebat ergo uolgi certe opinione quinque dierum spatium inter binos annos interponi. id si sumpserimus, uide quam multa quae obscura fuerint unius coniecturae ope fiant clariora. nam primum intercalandi rationem magis intellegemus. nempe

1) Ita nos hebdomadem, spatium temporis et ipsum olim sacrum; quis enim non se *hebdomadem unam et alteram rari fuisse* interdum dicit, uel hominem graui morbo laborantem *uix hebdomadem posse uiuere*?

Digitized by Google

quinque dies qui in fastis mensis Februarii atque totius anni ultimi erant, apud uolgus nulla anni pars fuere; quid enim id ad homines astrologiae ignaros quod demptis illis diebus mensis Februarius paucioribus diebus conficeretur quam iustus lunae cursus postularet? accedit quod Terminalia ipso nomine finem anni adesse uisa sunt edicere, rectene an secus, non quaero. hi ergo dies, cum mensis Februarii proprii non haberentur, facili negotio inde auellebantur qui mensem intercalarem augerent, eidemque, cum nullius neque mensis neque anni pars essent, omnium maxime idonei uisi sunt quibus sacrum et necessarium et religionis formidinisque plenissimum fieret. [1]) denique, id quod mihi quidem omnium grauissimum uidetur, ita demum intellegimus quam ob rem, cum ceterae feriae statiuae suo quaeque mense semper fierent (neque enim stercus ex aede Vestae nisi Iunio mense deferri licebat, neque Volcanalia Septembri neque Larentalia Ianuario facere) haec tam grauis caerimonia modo Februario, modo intercalari mense facta sit; quod scilicet neque hoc neque illo re uera fiebat. quae omnia si una coniectura eaque per se non improbabili explicare mihi contigit, non uereor ne temere et insolenter egisse arguar.

1) Eo nempe consilio ne, si mense aliquo fieret, totus ille religione imbueretur. ita religiosa est, quod quidem ad nuptias attinet, mensis Iunii pars prior, ante scilicet quam stercus ex aede Vestae delatum est.

Digitized by Google

ARCHILOCHUS ERATOSTHENI COMPARATUS.

SCRIPSIT

J. VAN IJZEREN.

Leeuwenii piae memoriae.

I.

„Hominum ingenium ita esse conformatum haud nescio, ut in omnibus rebus humanis ea quae deteriora sint facilius perspiciamus; vitiorum autem memoriam indeletam manere, sed pulchri imaginem cito languescere. Verumtamen quamquam non pauca quae improbanda sint notavi ex Homero atque ex aliis praeclaris poetis, minime talibus vitiis delectatus, tamen ea omnia errores dicere malo ab ingenii incuria temere profectos quam peccata sponte et ultro commissa; nec minus mihi persuasum est virtutes eorum quae quamvis per tota carmina non aequabiliter dispositae multo maiores sint ad principem in arte locum eos evehere, imprimis propter excelsam sublimitatem. Etenim Apollonius mehercle Argonautica sua pure et emendate composuit et Theocritus paucis exceptis quae ad externam speciem pertinent felicissimus in Bucolicis — atqui utrum malis Homerus esse an Apollonius? Eratosthenes deinde in Erigona — quod carmen nulla fere reprehensione dignum — num forte maior poeta habendus est quam Archilochus ille qui multa et inaequabilia secum rapiat, multa quae oriantur ex divino illo ingenio quod alienum est ab omnibus legibus ac praeceptis. In lyrica autem poesi velisne Bacchylides fieri potius quam Pindarus, in tragoedia Ion Chius potius quam ipse Sophocles, quorum illi puro et eleganti sermone insignes omni vitio careant cum Pindarus et Sophocles interdum concitato animorum ardore omnia comburant, saepe repente exstinguantur et misere concidant".

Digitized by Google

Longiorem hunc citavi ex tractatu περὶ ὕψους locum [1]) idque hac praecipue ratione ductus quod nescio an nusquam in aureo illo libello ipsius scriptoris ingenium magis eluceat. Audire mihi videor hominem grammaticum arrogantia non prorsus destitutum: haud pauca ex Homero [2]), Pindaro, Sophocle vitia sibi enotavit; apud Archilochum quoque observavit πολλὰ καὶ ἀνοικονόμητα — nec tamen adeo sano et sincero iudicio caret ut non sentiat ea omnia facillime compensari divino illo summorum poetarum instinctu.

Ipse contra scriptor de Sublimi inter paucos eminet animi aequabilitate: accurata et severa trutina pensitat et comparat inter se ea poeticae artis documenta quae eiusdem sunt generis, ita tamen ut classicae quae dicitur aetatis scriptoribus palmam dare soleat. Homero opponuntur Apollonius et Theocritus — de cuius epylliis hic potius cogitandum est quam de idylliis — Sophocli Ion Chius, Bacchylides Pindaro, Eratostheni denique Archilochus.

Ultimum autem quod nominavi poetarum par habet quod mirum videri possit; unde factum est ut qua aetate ars critica non minore ingenio quam intemperantia scriptorum textum traditum vexare soleret corruptelae suspicio moveretur. Alphonsus enim Hecker — is qui inter nostrates primus fere Hellenisticis quae dicuntur litteris operam dedit quo tempore Hellenistica aetas et nomen suum accepit et philologorum studiis digna haberi coepit — Ἀρχίλοχον [3]) in Ἀντίμαχον mutandum esse coniecit [4]). Quod et propter methodi quoddam vitium reiciendum est nec per se spectatum probari potest. Nam quamquam multo pauciora Antimachi fragmenta servata sunt quam Archilochi, nec pauca illa fragmenta nec grammaticorum antiquorum testimonia Antimachum nobis praebent poetico

1) XXXIII 3 sqq.; textum secutus sum ex Wilamowitzii Anthologia Graeca (*Griechisches Lesebuch* II p. 379) qui Vahleniano praestare mihi videtur.

2) Conferantur cum de Homero quae observavit scriptor IX 7 tum quae eodem capite dixit de poeta sene qualem Odyssea prodat, simul tamen addens egregia illa (§ 14): ἀλλὰ γῆρας διηγοῦμαι, γῆρας δ' ὅμως Ὁμήρου.

3) Traditum est Ἀρχιλόχου, sed Manutii emendationem necessariam esse nemo non videt.

4) In Epistula Critica Philologo V inserta p. 426. Obloquitur paucis Hiller, Eratosthenis carminum reliquiae p. 95.

Digitized by Google

ardore et concitatione elatum. Quod enim dicit Quintilianus (X I 53): „*In Antimacho vis et gravitas et minime vulgare eloquendi genus habet laudem. Sed quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat: et affectibus et iucunditate et dispositione et omnino arte deficitur, ut plane manifestum appareat quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum*" — id quin vere observaverit dubitari nequit. Thebaidem autem Antimachi — quod carmen heroicum eiusdem fere generis et eiusdem ambitus fuisse videtur atque Statii epos — a Pseudo-Longino cum Eratosthenis Erigona comparatam esse, id nemini non absurdum videri potest; utique elegiaca carmina sub censum vocanda essent quibus sub *Lydae* nomine collectis magnam inter aequales gloriam adeptus est Antimachus. Quae carmina non immerito Apollonii Rhodii scholiastae digna videbantur quae identidem citaret; quin etiam interdum Antimachus, qui Argonautarum saepius mentionem fecisse videtur, rem multo praestantius egit quam Apollonius. Quid enim? Nonne multo elegantius Antimachus (fr. 11 Bergk[4]) Iasonem et Medeam mutuo et ardenti amori obsecutos finxit ἐν Κόλχοις πλήσιον τοῦ ποταμοῦ quam Apollonius (IV 1065—1167) castum cum casta fugientem fecit in Iasonis patria iustum et legitimum matrimonium initurum, donec tandem in Phaeacum insula intellegunt sibi expedire ut Aretae reginae doloso consilio obtemperantes corpora iungant prudenti ratione magis suadente quam dulci amore?

Nunquam tamen Antimachum videre nobis videmur intemperato furore abreptum, qualem furorem neque exspectaveris apud poetas exeuntis saeculi quinti quo tempore quartum saeculum iam appropinquare coepit pedestri potissimum orationi dedicatum neque in ea poesi quae maiore ex parte priorum poetarum imitatione nitatur; hoc enim loco non facile assentiatur quis scriptori περὶ ὕψους cui τῶν ἔμπροσθεν μεγάλων συγγραφέων μίμησίς τε καὶ ζήλωσις viam ostendit ἐπὶ τὰ ὑψηλά (XIII 2), usque adeo ut cum Stesichorum et Archilochum tum praesertim Platonem Homerici ingenii subolem dicere audeat [1]).

1) ἀπὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ κείνου νάματος εἰς αὐτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποχετευσάμενος.

Digitized by Google

II.

Comparationem igitur inter Eratosthenis Erigonam et Archilochi poesin in Libello de Sublimi cum retinendam censeo, manet tamen difficilior quaestio de causis quae ut compararet grammaticum moverunt. Quas indagare cum studerem mox mirabar locum quem supra Latine reddidi ne commemorari quidem a Bergkio in Poetarum Lyricorum editione quarta. Postea demum cum rem quodammodo expedisse mihi videbar cognovi ipsum Bergkium de eodem argumento egisse in Oratione Academica anno 1846 habita [1]); quadamtenus autem eodem quo Bergkium me pervenisse vidi. Nihil vero proderat quod locum attulit Maassius in *Analectis Erathosthenicis* (p. 94); nam de Archilocho ibi altum silentium. Paulo plura denique dedit Hiller haec observans [2]): „Potuerunt autem in hoc poemate (i. e. in Erigona) nonnulla inesse veluti vini laus aut descriptio lamentationis post Icarii mortem exortae, quae quamvis diversa ab elegiis Archilochi comparari tamen quodam modo cum uno alterove Archilochi loco liceret". Equidem longius progredi ausim; totus enim loci contextus me eo ducit ut sumam certam quandam ob causam comparationem institutam esse. Quam causam investigare mihi proposui.

Quae investigatio ut non omnino inanis esset et alii effecerunt et is quem modo nominavi Maassius. Nam quamquam ex Eratosthenis Erigona paucissima tantum fragmenta supersunt — nisi forte his diebus felix Aegypti solum rursus copias nostras auxit — singulari tamen acumine et diligentia Maassius [3]) eo pervenit ut carminis imaginem nobis delinearet ad veritatem proxime accedentem.

Moverant Eratosthenem ad carmen componendum studia astronomica: ut Callimachus Comam Berenices in caelum vocavit, sic Eratosthenes Virginem Booten Sirium inter sidera receptos cecinit, hac fere fabula usus. Icarius Atticus postquam a Dionyso hospitii mercedem accepit vitium culturam ab aliis rusticis vino hactenus ignoto deceptis interfectus erat

1) Kleine philologische Schriften II p. 202—221.
2) Eratosthenis carminum reliquiae p. 95.
3) L. c. p. 59—138.

Digitized by Google

propter veneni suspicionem. Cuius filia Erigone corpus auxilio Maerae canis repertum sepulcro condit, deinde laqueo vitam finit ex eadem arbore suspenso sub qua pater necatus erat. Pietatis ergo deinde filia simul cum cane inter sidera recipitur, sicut pater receptus erat; canis autem ne sic quidem domini mortem ulcisci neglegit: Cea insula quo sicarii confugerant vehementissime vexatur ardore Sirii, donec Aristaeus — quem Hyginus insulae regem dicit — auctore Apolline ad caedem expiandam solemnem pompam instituit in Sirii honorem.

En carmen de quo immerito usurpaveris verba Homerica leviter mutata: *τάχα κεν καὶ ἀνχίτιον αἰτιάοιο* „fieri potest ut id quod *αἴτιον* non sit *κἄτιον* dicas". Immo vero: tantum non omnia hic sunt *αἴτια*, iam a Maassio accurate indicata. Explicantur enim illi quos iam dixi *καταστερισμοί*, Atheniensium *τῶν προτρυγαίων* solemnia [1]), caper Dionyso sacrificatus [2]), ludus *τῶν Ἀσκωλίων* et saltatio *περὶ τράγον* [3]), fortasse *τῆς τραγῳδίας καὶ τῆς τρυγῳδίας* initia [4]), inquinatio fontis quo Icarii corpus deiectum erat, fortasse nomen Icarii montis [5]), nomen putei *Ἀνίγρου*, in quem canis siti vexatus desiluit [6]), ludus *τῶν Αἰωρῶν* quo ut virgines Atticae vitam taedio finire cupientes ad sanitatem redirent corpus Erigonae ex arbore suspensum *καθαρτικῶς* repraesentabatur [7]), sacrificia in insula Cea solemnia, etesiae eandem insulam perflantes quas *αἰτησίας* ab Eratosthene dictas Iuppiter Aristaeo *αἰτήσαντι* dedit auxilium adversus Sirii tormenta, pompae solemnes et alibi et apud Ceos habitae quae Sirii graves impetus lenirent et repellerent [8]).

Dubitari non potest quin tota haec Erigone omni ex parte responderit praeceptis quae Callimachus dederat poesi epicae et lyrico-epicae suae aetatis. Sic veri est dissimillimum Eratosthenem, quem iam aequales Βῆτα dixerunt *διὰ τὸ δευτερεύειν*

1) Cf. Maass p. 111.

2) Ibid., propter fr. XXXII (Hiller): *Ἰκάριοι τόθι πρῶτα περὶ τράγον ὠρχήσαντο.*

3) Utique distinguendum censet Maass inter saltationem circum caprum nondum occisum et *ἀσκωλιασμὸν* illum quo rustici Attici uno pede usi saliebant circum pellem immolati vino impletam et oleo oblitam, cf. Schol. Plato Conviv. p. 190 D.

4) Maass p. 115. 5) Ibd. p. 119.

6) *ἀνιγρὸς* in provectiore Graecitate usurpatur pro *ἀνιαρός*.

7) De hoc ritu cf. et Maass in Philologo LXXVII p. 6.

8) De ultimis cf. Maass, Anal. Eratosth. p. 121 sq.

Digitized by Google

ἐν παντὶ εἴδει παιδείας [1]) in carmine componendo propria inventionis felicitate usum esse. Nam Maassium cum Erigonam nostram — alteram nunc praetereo, Aegisthi ex Clytaemnestra filiam a Sophocle in tragoediam receptam — apud scriptores Graecos Eratostheni aetate superiores non reperiret, Eratosthenem ex suo ingenio hausisse statuentem nemo quod sciam secutus erat; quin ipse postea errasse se in Philologo professus est [2]).

Equidem pro certo statuere ausim Eratosthenem quam aliunde collegerat ingentem historiae, astronomiae, geographiae scientiam in carmen convertisse, ita ut Callimacheum illud (fr. 442) ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω de se ipso adhibere posset; Erigonen deinde non fuisse παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορὸν — quod Callimachus Antimacho obiecerat [3]) — cum ipsum argumentum ostendit varietate insigne tum laudes scriptoris περὶ ὕψους; neque erat μέγα ψοφέουσα ἀοιδὴ qualem ipse Callimachus dare nolebat [4]).

Immo, quod fecit Callimachus cum de Hecale narrans tum de Acontio et Cydippe, quod fecit et is qui *Heracliscum* et *Heraclem* cecinit inter Theocriti carmina receptos, idem fecisse videtur Eratosthenes vitae domesticae illa modesta et simplicia gaudia celebrans; sic quod servatum est fragmentum μέσσον δ' ἐξκύσατο βυνόν [5]) ex initio carminis desumptum videtur, in quo Icarius Dionysum advenam hospitaliter et comiter excipiebat eodem modo quo Baucis Ovidiana Iovem Mercuriumque.

Quodsi autem carmen Eratosthenicum Callimacheae poesi fuisse simillimum sumere licet, paulo longius progressus Erigonen quasi auxisse et supplevisse crediderim Callimachi Αἴτια; sic non testium paupertati atque tenuitati tribuendum est

1) Quod verbis corruptis tradidit Suidas i. v. Ἐρατοσθένης.

2) In disputatione modo citata p. 5: „Kallimachos bezeugt eine jährliche ἀγιστύς für Erigone an den Anthesterien; das sind eben die Aiorai (A. Körte, Rh. M. 1910 S. 577 ff.). Er hat die angedeutete Legende so wenig erfunden wie Eratosthenes. Meine Annahme in den Anal. Eratosth. war unrichtig". Cf. Pfeiffer, Kallimachosstudien p. 105.

3) Fr. 74[b] Λύδη καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν.

4) Fr. 165 Μηδ' ἀπ' ἐμοῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν.

5) Fr. XXVII Hiller, cf. Maass, Anal. Erat. p. 106

Digitized by Google

quod nusquam apparet Callimachum eandem materiem tractasse. Etenim quod ante biennium suspicatus est Rudolfus Pfeiffer [1]) Eratosthenem hic quoque Callimachum imitatum esse, hac in re stabili fundamento non subnixus videtur vir doctissimus. Equidem contra observare mihi videor Callimacho haud displicuisse carmen a discipulo compositum, quod vix dubito quin lectoribus suis quasi commendasse putandus sit in ampliore illo τῶν Αἰτίων fragmento quod ante paucos annos ex Aegypto prodiit [2]). Narrat ibi Callimachus se aliquando cenasse apud amicum quendam Atheniensem qui domicilio in Aegyptum translato tamen patrios dies festos celebrare non desierit:

Ἠὼς οὐδὲ πιθοιγὶς ἐλάνθανεν, οὐδ' ὅτε δούλοις
ἦμαρ Ὀρέστειοι λευκὸν ἄγουσι χόες,
Ἰκαρίου καὶ παιδὸς ἄγων ἐπέτειον ἀγιστύν
Ἀτθίσιν οἰκτίστη, σὸν Φάος, Ἠριγόνη,
ἐς δαίτην ἐκάλεσσεν ὁμηθέας.

„Neque diem festum τῶν πιθοιγίων neglegebat neque illum diem quo οἱ χόες, Orestae dedicati, servis laetitiae sunt; tum quoque amicos ad cenam invitare solebat, cum celebrabat solemnem Icarii consecrationem, quae tibi honori est, Erigone, o virgo virginibus Atticis miseranda".

Nec minus Eratosthenis poema Callimachi animo observatum esse credo cum *Acontium et Cydippen* caneret. Communis utrique carmini erat Ceae insulae mentio; quo Icarii interfectores cum confugissent Aristaeo Sirii ultionem avertendam fuisse iam dixi. Idem autem Aristaeus in ipsa insula pro Acontii patre habebatur; nam ne hic quidem rem de suo finxisse aestimandus est Callimachus. Quin etiam pauca tantum de hac re dixisse videtur quoniam longiorem Eratosthenis narrationem lectoribus notam fuisse sumere poterat. Cydippae autem patrem Apollinis oraculum de eius salute consulentem deus monet eum filiam iuveni haudquaquam ignobili loco nato daturum, si Acontium generum acceperit [3]):

1) Kallimachosstudien (München 1922), p. 107.

2) Fragm. 8 apud Pfeiffer (Callimachi fragmenta nova, Kleine Texte 145). Accurate de toto fragmento egit L. Malten, Hermes LIII p. 148—179.

3) Ed. Pfeiffer 9, vss. 32 sqq.

Digitized by Google

Κοδρείδης σύ γ' ἄνωθεν ὁ πένθερος, αὐτὰρ ὁ Κεῖος
γαμβρὸς Ἀριστᾶίου τῶν Διὸς ἀμΦ' ἱερῶν
Ἰκμίου οἵσι μέμηλεν ἐπ' οὔρεος ἀμβώνεσσιν
πρηύνειν χαλεπὴν Μαῖραν ἀνερχομένην
αἰτεῖσθαι τὸ δ' ἄημα παρὰ Διὸς ᾧ τε θαμινοί
πλήσσονται λινέαις ὄρτυγες ἐν νεΦέλαις.

„Tu quidem socer a Codro rege originem ducis, at gener a Cea insula oriundus filius est Aristaei ex Iovis Icmii sacerdotibus unus, quorum munus est in montium cacuminibus acerrimam istam Macram orientem lenire atque a Iove eum ventum rogare quo flante coturnices crebrae retibus capiuntur".

Locum citavi ex Pfeifferi editione minutias de papyri apicibus nunc non curans. Nec tamen de secundo versu rem minime constare ignoro. Sed quamquam Crusii quod recepit Pfeiffer supplementum an sermonis elegantiae conveniat vehementer dubito, sententiam tamen sic habemus lucidam et perspicuam. Quod aliter se habet in eo textu quem a Puechio constituto probavit amicus Ph. G. Gunning [1]), quo auctore — nam ipsam Puechii disputationem non vidi — ille legendum censuit:

Κοδρείδης σύ γ' ἄνωθεν ὁ πένθερος, αὐτὰρ ὁ Κεῖος
γαμβρὸς Ἀριστᾶίου Ζηνὸς ἀΦ' ἱερέων
Ἰκμίου —

Nam etsi per se spectata haec quoque aptum praebent sensum, prorsus reicienda mihi videtur interpretatio a Puechio adiuncta: „Toi, le beau-père, tu es de la race des Codrides et de son côté le Céen qui deviendra ton gendre *appartient à la famille de Zeus Aristaios, que l'on appelle aussi Icmios*" [2]).

Nam unde tandem istud *que l'on appelle aussi?* Nonne praeterea suspecta nobis esse debent tria illa divina nomina inter se coniuncta Ἀριστᾶῖος Ζεὺς Ἴκμιος? Iovis Aristaei mentionem facit Scholiasta Apollonii Rhodii II 498; paucis locis quos indicat Pfeiffer ad vss. 33 sqq. et ad vs. 34 Ζεὺς Ἴκμιος vel Ζεὺς Ἰκμαῖος occurrit neque Ἀριστᾶῖος Ἴκμιος

1) In libro *De Ceorum fabulis antiquissimis quaestiones selectae* (Amstelodami MCMXII) p. 16 sqq.

2) Quod ad verborum sensum attinet eandem interpretationem praebet Emile Cahen in nova Callimachi editione (ed. Guillaume Budé, Paris 1922).

Digitized by Google

sicubi commemoraretur offensioni esset; trium vero nominum sic inter se cohaerentium exempla frustra quaero.

Sed quaerere supervacuum est. Aristaeus saepius filius Apollinis et Cyrenae nymphae dicitur, unde et dignus est qui ἥρως appelletur nec sacerdotio Iovis maior aestimandus; eundem interdum cum deo cuius erat antistes confusum esse non minus probabile est quam antiquitus ipsum fuisse numen nobilissimum [1]). Sed qui Callimacho Iovis Aristaei nomen obtrudat — ut taceam de tertio nomine quod est Ἰκμιος — is poetam doctissimum Eratostheni discipulo suo adversatum esse immerito statuit. Iam paulo supra regio nomine Aristaeum ornare dubitabam; quod cum fecit Maassius nimium tribuisse videtur verbis Hygini, quo maxime nisus Erigonen poema ex inferis revocavit. Quidni Hyginus ipse Aristaeum regem eundemque sacerdotem Iovis fuisse finxit, qui apud Eratosthenem nonnisi sacerdotis munere fungebatur? Sic omnia optime inter se cohaerent nec, id quod suspicatur Gunning, Apollonio Rhodio adversatur Eratosthenes. Narrat enim et Apollonius de etesiarum origine, vocis veriloquium non curans (II 519 sqq.): „iussu Apollinis patris Aristaeum Phthia patria relicta in Cea insula consedisse, ibi magnam Iovi Icmaeo aram exstruxisse et in montibus ipsi Iovi sacrificasse. Inde per quadraginta continuos dies etesias flare et caeli ardorem lenire; nunc quoque insulae sacerdotes ante Sirii ortum sacra facere". Quo loco comparato Apollonium ex virorum eruditorum doctis de Ceae insulae prisca historia disputationibus hausisse suspicatur Gunning, non ex fabulis quae saeculo etiam tertio in ipsa insula narrari nondum desiissent; Callimacho contra sacram insulae historiam in ore hominum etiamtunc viventem pro fonte fuisse, qua Aristaeus cum Iove Icmaeo coniunctus esset. Multo tamen simplicius et probabilius res explicari mihi videtur si sumamus Callimachum et Apollonium eadem narrationis forma usos esse, sed cultum Iovis Icmii ab Aristaeo καθαρτικῶς institutum ab illo leviter tantum tactum esse quoniam ampliorem Eratosthenis narrationem lectoribus suis notam censeret. Apollonius autem ut

1) Cf. Pindar fr. 251 Bergk[4], Hiller von Gaertringen apud Pauly-Wissowa I 853, Diodorus VI 2 (F. Gr. Hist. ed. Jacoby I p. 302).

Digitized by Google

in minutiis nonnullis ab Eratosthene discesserit fieri sane potest; nam saepius eum Callimacho eiusque discipulis oblocutum et adversatum esse constat.

Postremo commemorare liceat verba quaedam Callimachea quibus ad Erigonae historiam alludi videretur si revera a Callimacho profecta esse constaret. Res mihi haud perspicua. In fine enim carminis de coma Berenicae postquam superbe de divino quem accepit cultu locutus est ὁ βόστρυχος quadamtenus praeter exspectationem haec legimus:

Δήνεα τί μ' ἐπέχει; δεσποίνης εἴθε γενοίμην
Κ' Ἀρκτοῦρος λάμποι ἔγγυον (l. ἐγγιον) Ἠριγόνης.

Ludere hic me ipsum facile observaveris; neque enim citavi ex ipso Callimachi carmine quod temporis iniuria interiit, sed ex Graeca conversione carminis Catulliani quam anno fere MDCC p. C. n. confecit Antonio Maria Salvini Florentinus. In qua conversione unde sint orta verba Δήνεα τί μ' ἐπέχει nunc non quaero; sed in ceteris interpres Italus cuius opusculum receptum est in Callimachi editione Ernestiana [1]) sequitur textum Catulli qualem eadem editio exhibet [2]):

Sidera cur retinent? Utinam coma regia fiam,
Proximus Arcturos fulgeat Erigonae".

Quae verba et ἀστρονομικῶς egregiam admittere interpretationem demonstravit mihi ex collegis unus astronomiae peritissimus; is enim Berenices comam Arcturum inter et Erigonam Virginem positam esse ex caeli tabula mihi ostendit. Sic apud Callimachum haec fere comam loquentem habemus: „Dummodo in caput reginae meae ut redeam mihi concedatur, Arcturum in caelo Erigonae rursus finitimum esse per me licet — sicut erat antequam Conon ille, omnia qui magni dispexit lumina mundi, in caelo me fulgentem animadvertit".

Quae omnia quamquam optime inter se cohaerere nemo negaverit, unum tamen mihi obstat quod unde textus Catulli quem citavi ortus sit nusquam invenire potui. Etenim iam in editione Ernestiana haec adnotata sunt (p. 381): „Omnes vetustissimae Editiones et scripta membrana habent,

1) Lugduni Batavorum MDCCLXI, I p. 610—614.
2) Ibid. p. 371—374.

Digitized by Google

Proximus hydrochoo fulgeret Oarion,

nimirum haec est bona lectio. Neque enim de Thesi illius Astri sermo est". Ultima verba vix intellego; sequitur bonae istius lectionis interpretatio quam caeli imagini non convenire ipsis oculis vidi. Etenim si vicini inter se fiant Aquarius et Orion, totum fere conturbetur caelum; iure Baehrensius adnotavit: „*Hydrochous sive Aquarius et Orion maxime inter se distantia sidera sunt, ut si hunc proximum illi esse vult coma, significat per se caelum omnibus liberum esse posse*". Itaque sic fere loquitur Coma: „Quod ad me totum caelum confundatur licet".

Equidem si meo arbitrio statuere liceret utra praeferenda esset lectio, quin priorem praelaturus essem nullus dubito, quae astronomis Alexandrinis caelum accurate considerantibus optime convenire videtur; sed ut meo iudicio hic agerem neque ulla mihi ex iis quas inspexi recentioribus editionibus — nec paucae sunt[1]) — mihi permisit, neque Vahlenii et Wilamowitzii de carmine Catulliano doctae disputationes[2]). Res autem obsura etiam obscurior mihi fiebat cum in Mureti commentario anno 1554 composito ipsam lectionem *Proximus Arcturos fulgeat Erigonae* explicatam esse viderem[3]); quo facto Muretus more suo acriter invehitur in Politianum saeculi XV[i] praeclarum philologum, qui *adhibita industria* turbas dederit Erigonem Orione commutans, id quod tantae fuerit offensioni ut Marullus nescio quis et hoc epigramma fecerit:

„Oarionem pro Erigone citat Ecnomus. unde?
Non facit ad mores virgo, sed Oarion",

et alterum carmen quattuordecim versuum quod exscribere supersedeo. „Hinc autem videri potest", sic pergit Muretus, „illustres homines, quique magnum nomen habent in literis, quanto periculo peccent. effecit enim Politiani auctoritas, ut nullus jam, quod sciam, extet liber impressus, in quo non,

1) L. Müller, Baehrens, Schwabe, Riese, Friedrich, Merrill.

2) Vahlen, Ueber ein Alexandrinisches Gedicht des Catullus (Sitzungsber. d. K. Preuss. Akademie 1888, p. 1361—1385; von Wilamowitz, Reden und Vorträge p. 243—270. Neque plura me docuit qui ante paucos menses de loco Catulliano disputavit E. Harrison, Class. Review XXXVII p, 57 sq.

3) Opera omnia, ed. Ruhnkenius II p. 837 sq.

Digitized by Google

rejecta vera lectione, nothus ille et suppositicius versus legatur,

Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion."

Suspicor autem hanc lectionem quamvis probabilem, saeculi XV[1] alicui interpolatori deberi. Qui tamen qua ratione ductus vel quo fonte usus interpolationem excogitaverit tam praeclaram ut pro vera lectione accipere vellemus si possemus, id frustra quaero.

III.

Iam transiturus ad Archilochum primo loco observatu non indignum censeo scriptorem περὶ ὕψους poetis lyricis non nimis favisse videri. Quod cum dico me ingrati animi in crimen posse vocari non nescio: quis enim neglexerit nos Sapphicum illud φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν Pseudo-Longino illi acceptum referre; quod carmen citat ad illustrandum id quod capite decimo his verbis exposuit: ὁ μὲν γὰρ τῇ ἐκλογῇ τὸν ἀκροατὴν τῶν λημμάτων, ὁ δὲ τῇ πυκνώσει τῶν ἐκλελεγμένων προσάγεται „alter detinet auditorem" — noli neglegere illud τὸν ἀκροατήν: clara enim voce Graecos scripta legere solitos fuisse notum est — „argumentorum electione, alter rerum electarum tractatione" [1]).

Sed praeter carmen Sapphicum paucissima in libello invenimus lyrici generis; citantur (cpt. XXXI) Anacreontis nonnulla verba, sed Bacchylidis, Pindari, Sterichori nonnisi nomina reperimus, et Simonides nominatur addito πάντα δὲ ἀμήχανον παρατίθεσθαι. Ad unum Archilochum plus semel provocatur: praeterquam eo loco a quo profecta est haec disputatio nomen eius commemoratur inter eos poetas et scriptores quibus Homerus pro perenni fonte fuerit (XIII 3); denique postquam egit scriptor de naufragio per comparationem in Iliadis libro XV° (vss. 624—628) descripto, obiter addit: οὐκ ἄλλως ὁ Ἀρχίλοχος ἐπὶ τοῦ ναυαγίου (X 7).

Quam naufragii descriptionem inquisitioni meae quasi pro

1) Miro errore hunc locum sic interpretatur Rhys Roberts in libelli editione amplissima: „*The former process* attracts the hearer by the choice of ideas, *the latter* by the aggregation of those chosen" — quasi scriptum esset τὸ μὲν et τὸ δὲ, quod et per se spectatum aptum sensum vix praeberet; quid enim hic sibi velint ista *the former* et *the latter* vellem mihi exponeretur.

Digitized by Google

fundamento esse oportere iam statueram, cum venit in manus meas Bergkii quam supra citavi oratio academica.

Perpauca tamen de hoc naufragio nota sunt; unde ubi in Jahnii editione a Vahlenio emendata et aucta ablegamur ad commentationem quandam a Wilamowitzio iuvene compositam [1]) laeta spes affulget — quae mox nos destituit. Etenim Wilamowitzius ibi haec tantum praebet (p. 344) „Archilocho iniuria infertur, ubi naufragii magnifice descripti memoriam ad iambicos versiculos Iahnius rettulit; respicitur autem nobilis ad Periclem elegia"; modeste deinde addit: „sed hoc recte perspexit Bergkius". Equidem elegiarum Archilochearum hic imprimis rationem habendam esse ut Bergkio (l. c. p. 203) libenter concedo, ita virum praestantissimum delusum esse arbitror — id quod multis et summis in philologia viris nonnunquam accidit — amabili illa insania qua totam antiquitatem nobis notam esse sumatur. Quam pauci versus ex ingenti Archilochi copia servati sint scimus, et tamen intra paucorum illorum versuum orbem reperiri posse nobis imputamus quidquid de tota eius poesi innotuit. Quod ad me attinet, post longam deliberationem persuadere mihi non possum ut credam id quod Bergkius credebat, nobilem illam naufragii descriptionem reperiri in Elegia illa ad Periclem, quam servavit Stobaeus (fr. 9 Bergk[4]):

„Propter tristium nostrarum curarum taedium, o Pericles, neque quisquam e civibus nostris neque tota res publica laete diem festum aget. Tales enim viros aestus maris fluctuosi oppressit; dolore animus incenditur. Attamen, amice, dii magnum nobis robur dederunt, remedium miseriae insanabilis. Alibi aliis malis obruimur; iam nos aggressa est calamitas cruento vulnere confectos. Posthac alii prosternentur; durate igitur femineo luctu reiecto".

In huiusmodi carmine clara voce poetam canentem audire mihi videor de misero reipublicae statu; unde fit ut credere nequeam fragmentum superesse ex vera naufragii descriptione. Quod ut statuamus his tantum versibus quasi admonemur:

---

1) In libellum ΠΕΡΙ ΤΨΟΥΣ coniectanea, Hermes X p. 334—346.

Digitized by Google

τοίους γὰρ κατὰ κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
ἔκλυσεν,

sed notissimam eam allegoriam hic quoque inveniri quam Latinus poeta reddidit illo *o navis referent in mare te novi fluctus* id quamquam pro certo demonstrari non potest, tamen veri videtur simillimum. Quod ut credam eo magis inclinat animus quod certum aliquem hominem adloquitur poeta, Periclem illum qui et in fr. 16 appellatur:

Πάντα τύχη καὶ μοῖρα, Περίκλεες, ἀνδρὶ δίδωσιν;

eidem alibi ab Archilocho parasiticos mores obiectos esse Athenaeus auctor est [1]).

Etenim praesertim in carminibus ad rem publicam pertinentibus et si qua componunt ex eodem genere poetae lyrici ex amicis uni quem nomine appellant intimos animi sensus exponere solent. Sic Archilochus ad Glaucum se convertit in fr. 70:

Τοῖος ἀνθρώποισι θυμός, Γλαῦκε, Λεπτίνεω πάϊ,
γίγνεται θνητοῖς ὁκοίην Ζεὺς ἐπ' ἡμέρην ἄγῃ,
καὶ φρονεῦσι τοῖ', ὁκοίοις ἐγκυρέωσιν ἔργμασιν,

et in fr. 14:

Γλαῦκ', ἐπίκουρος ἀνὴρ τόσσον φίλος ἔσκε μάχηται —

ad Erxien vel Erxionem in fr. 60:

Ἐρξίη, πῇ δηῦτ' ἄνολβος ἀθροΐζεται στρατός;

et in fr. 62:

Ἐρξίων, ἐτήτυμον γὰρ ξυνὸς ἀνθρώποις Ἄρης,

ad Charilaum in notissimis versiculis (fr. 79):

Ἐρασμονίδη Χαρίλαε, χρῆμά τοι γελοῖον
ἐρέω, πολὺ φίλταθ' ἑταίρων, τέρψεαι δ' ἀκούων.

Et aliis autem in rebus et in hoc more lyrici sequuntur Hesiodum [2]), quem fratrem suum Persen, μέγα νήπιον illum, identidem alloqui nemo nescit. Eodem autem modo et Alcaeus auctore Herodoto V 95 se in bello minus honeste gessisse narravit Μελανίππῳ ἀνδρὶ ἑταίρῳ. Plura etiam praebent carmina Theognidea, quae Hesiodo non pauca debet; appellantur

1) Athenaeus I XIV Ὅτι περὶ Περικλέους φησὶν Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος ποιητὴς ὡς ἀκλήτου ἐπεισπαίοντος εἰς τὰ συμπόσια; cf. fr. 78.

2) Idem observat Crusius apud Pauly-Wissowa III 503.

Digitized by Google

ibi praeter Κύρνον illum Simonides Onomacritus Clearistus, Timagoras Demonax. Neque hoc loco reticendum videtur elegiam illam ad Periclem quam modo citavi simillimam esse carminibus Theognideis, in quorum farraginem nonnullos Archilochi versus forte fortuna delatos esse iam Bergkius suspicatus est [1]), postquam observavit Archilochi fragmentum 123 ᾄδων ὑπ' αὐλητῆρος, redire in Theognideis vss. 533 sq.:

Χαίρω δ' ἐμπίνων καὶ ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδων,
χαίρω δ' εὔφθογγον χερσὶ λύρην ὀχέων.

Quae cum ita sint neque Wilamowitzio neque Bergkio, summis in arte nostra viris, adsentior naufragium de quo agit Pseudo-Longinus reperientibus in Elegia ad Periclem; contra optimo iure Wilamowitzius Iahnium reprehendisse mihi videtur lectorem ablegantem ad Archilochi fr. 43B

Ἴστη κατ' ἤκην κύματός τε κἀνέμου [2]),

et ad fr. 23:

ψυχὰς ἔχοντες κυμάτων ἐν ἀγκάλαις.

Vix enim credibile est Archilochum in iambicis et in trochaicis carminibus verum naufragium descripsisse; eisdem vero poeseos generibus aptissima est allegoria politica. Quod hinc quoque probari potest quod ultimus quem citavi versus sic apud Aristophanem redit (Rann. 704):

Τὴν πόλιν καὶ ταῦτ' ἔχοντες κυμάτων ἐν ἀγκάλαις.

Nec tamen prorsus desperandum. Primum enim fieri potest ut ad Naufragium quod voluit Pseudo-Longinus referendum sit fr. 10:

Κρύπτωμεν δ' ἀνιηρὰ Ποσειδάωνος ἄνακτος
δῶρα

et fr. 11:

Πολλὰ δ' ἐυπλοκάμου πολιῆς ἁλὸς ἐν πελάγεσσιν
θεσσάμενοι γλυκερὸν νόστον,

de quorum versuum vera lectione nequaquam constat.

Deinde duobus locis quos citat Bergkius Plutarchus narrat

---

1) P. L. Gr.[4] II p. 439.

2) Pro ἴστη legendum esse ἔστη suspicarer nisi in poetarum fragmentis rem criticam exercere quam periculosum sit probe novissem.

Digitized by Google

Archilochum miseram mortem cecinisse qua sororis suae maritus in navigatione interierit; poetam et alia dixisse et se dolorem melius laturum fuisse (fr. 12)

εἰ κείνου κεφαλὴν καὶ χαρίεντα μέλη
Ἥφαιστος καθαροῖσιν ἐν εἴμασιν ἀμφεπονήθη,

— sed indignatur fere Plutarchus eundem poetam in eodem carmine confessum esse se dolorem oppugnaturum οἴνῳ καὶ παιδιᾷ (fr. 13):

Οὔτε τι γὰρ κλαίων ἰήσομαι οὔτε κακίον
θήσω τερπωλὰς καὶ θαλίας ἐφέπων,

„Nec lacrimis unquam potero sanare dolorem
Nec magis incendam, gaudia laeta petens".

Hic Archilochum deprehendere mihi videor qualis animo obversabatur scriptori περὶ ὕψους. Sumamus Eratosthenem sororis suae maritum naufragio interemptum carmine deplorasse: nemo unquam exspectaverit eum in fine carminis dicturum fuisse „atqui praestat vino pellere curas". Sed quod a doctissimo poeta Alexandrino quam maxime alienum foret id grammaticus Archilocho facile condonavit, sublimitatis memor qua totum de naufragio carmen haud dubie insigne fuit.

Neque in initio carminis vini gaudia ab Archilocho neglecta esse suspicor; vix enim retineor quin statuam hinc originem ducere versus hos (fr. 4):

Ἀλλ' ἄγε, σὺν κώθωνι θοῆς διὰ σέλματα νηός
φοίτα καὶ κοίλων πώματ' ἄφελκε κάδων,
ἄγρει δ' οἶνον ἐρυθρὸν ἀπὸ τρυγός· οὐδὲ γὰρ ἡμεῖς
νήφειν ἐν φυλακῇ τῇδε δυνησόμεθα.

Custodiam agere navis longae sub fervido Graeciae caelo non semper et ubique nautis gaudio fuisse apparet et ex eo quod narrat Herodotus VI 12 de Dionysio Phocaeo praefecto maritimo, qui nimia severitate effecit ut stationem desererent classiarii. Vinum autem pro remedio adhibere id egregie cadit in Archilochum de quo non minore iure quam de Homero dixeris Horatianum illud sic mutatum:

Laudibus Archilochus vini vinosus habendus.

Quanto gaudio ingens papyrorum nostro aevo inventarum numerus omnes affecerit qui antiquitati cognoscendae operam

Digitized by Google

dant tam frequenter iam ab aliis celebratum est, ut unum exemplum afferre nefas non sit fragmenti papyracei quod bilem fere moveat. Legimus enim frustulum inventum esse *einer einst starken Papyrusrolle*, in quo octo versuum indicia servata sint; secundo versui adscriptum esse numerum $\bar{\theta}$, quattuor priorum versuum pauca tantum vocabula distingui posse, sed alteros quattuor eosdem esse apparere quos iam aliunde notos modo citavi [1]). Olim in hac papyro totum carmen exscriptum fuisse quam facilis est suspicio! Quid si liceret exquirere an hoc carmine Archilochus πολλὰ ista καὶ ἀνοικονόμητα peccaverit quae scriptor περὶ ὕψους ei vitio dedit! Argumentum profecto τοῦ ναυαγίου aptissimum erat ad excitandam illam in novis vocabulis fingendis audaciam qua grammatici Archilochum insignem fuisse testantur inter Graecos poetas quorum nemo fere in hoc genere nimiae continentiae obnoxius fuerit. Ipsa naufragii descriptio quo licentiae ne dicam temeritatis ingenium poeticum abripere posset postea Timotheus in Persis ostendit.

Incerta me hic pro certis dedisse etsi facile concesserim id tamen mihi persuasum est carmen Archilocheum quod Pseudo-Longino menti obversabatur propterea quoque cum Erigona comparari potuisse quia sicut ἀμώμητον illud ποιημάτιον metro elegiaco compositum esset; hac in re Bergkio omnino adsentior. Metrum enim iambicum vel trochaicum tali carmini minus idoneum fuisse iam supra dixi; sed ineptius etiam foret hic cogitare de chori aliquo cantico. Quid enim? Estne credibile poetam Parium domesticum suum dolorem de tristissima sororis mariti morte choro recitandum tradidisse? Neque neglegendum est Pseudo-Longinum Archilochi Naufragium verbis οὐκ ἄλλως Homericae descriptioni subiunxisse.

Quam ob rem alio perfugio hic vix opus esse credo, quali saepius arti nostrae opus est fundamentis incertis et vacillantibus subnixae. Praeterire tamen nolo Archilochum et aliud naufragium cecinisse choro destinatum, quod ipsi ut dolori fuerit fieri vix potest. Rursus enim Plutarchus narrat [2])

1) Supplementum Lyricum ed. Diehl, Archilochus. 1.
2) Cf. Archiloch. fr. 114.

Digitized by Google

aliquando factum esse ut Κοίρανος quidam Parius delphinorum generi profuerit delphinis aliquot de piscatoribus coemptis et in mare reiectis; brevi post ipsum naufragio inter Naxum Parumque insulas facto a delphino gratum animum exhibenti servatum esse. Ἐπὶ τούτῳ δὲ λέγεται — sic pergit Plutarchus — ποιῆσαι τὸν Ἀρχίλοχον·

Πεντήκοντ' ἀνδρῶν λίπε Κοίρανον ἥπιος Ποσειδῶν.

Eandem autem fabulam paucis mutatis servavit monumentum illud quod primo ante Christum natum saeculo Sostheus Parius exstruendum curavit in honorem Archilochi civis sui etiam tunc clarissimi [1]). Apparet igitur Archilochum fabulam illam de Coerano per chori canticum tractavisse, naufragii descriptione inserta [2]). Quin etiam fieri posse non negaverim ut scriptor περὶ ὕψους de hac descriptione cogitaverit cum citaret Archilochum ἐπὶ τοῦ ναυαγίου; sed alia Archilochea eius menti obversata esse cum Erigonam Archilochi carminibus compararet id non sine fiducia quadam statuere audeo.

Facilius fortasse ut metricam illam similitudinem neglegerem mihi persuaserim cum Archilochum carmen composuisse recordor cui nomen Ἰόβακχοι. Diuturnae tamen recordationi hic nullus est locus; nam unum tantum ex hoc carmine Hephaestion servavit versiculum, idque propter ipsum metrum (fr. 120):

Δήμητρος ἀγνῆς καὶ κόρης τὴν πανήγυριν σέβων,

praeterea adiectivum χρυσοέθειρ (fr. 121) hinc profert Stephanus Byzantius. Quod carmen Bacchico choro destinatum fuisse videtur canendum ἐν τοῖς Ἰοβακχείοις, quale solemne Athenis quoque celebratum esse ex Demosthene LIX 78 apparet. Archilochum autem hic quoque laudem cecinisse Bacchi auricomi consentaneum est quem Ἰόβακχον interdum appellatum esse aliunde constat [3]). Neque ingenio abuti videmur cum adiungimus suspicionem vinum humano generi datum hic quoque celebratum esse — eodem modo quo in Eratosthenis Erigona,

---

1) Apud Diehlium, Archilochus 4.

2) Ibid. vv. 10 sqq.: δοκεῖ μοι πεντηκόντορος Μιλησίων πρέσβεις ἄγουσα καὶ ἀνακομιζομένη ἐγ Μιλήτου διαφθαρῆναι ἐν πορθμῷ τῷ Ναξιακῷ, καὶ σωθῆναι ἕνα τινὰ αὐτῶν, ᾧ ὄνομα Κοίρανος, ὑπὸ δελφῖνος ἀναληφθέντα κτέ.

3) Hesych. i. v. Ἰόβακχος· Ὁ Διόνυσος ἀπὸ τῆς βακχείας. Cf. praeterea Anthol. Planud. 289.

Digitized by Google

in qua Dionysum Icario vitium culturam tradidisse iam dixi. Deinde aptissime provocaveris ad Eratosthenis fragmentum XXXIV (Hiller) quod Erigonae iam Brunckius vindicavit:

Οἶνός τοι πυρὶ ἶσον ἔχει μένος, εὖτ' ἂν ἐς ἄνδρας
ἔλθῃ· κυμαίνει δ' οἷα Λίβυσσον ἄλα
βορέης ἠὲ νότος· τὰ δὲ καὶ κεκρυμμένα φαίνει
βυσσόθεν· ἐκ δ' ἀνδρῶν πάντ' ἐτίναξε νόον.

Cavendum tamen est ne ad incerta omnia nos abripi patiamur; praestat reminisci Archilochum, quod iam dixi, alibi quoque frequentius vini mentionem fecisse; sic elegantissime in fr. 77: „Nam Dionysum regem ut celebrem pulchrum carmen ordiar *οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας*". Ultima verba Latine quis mihi reddat velim! Deinde ubi audimus Archilochum (fr. 151) vinum Naxium cum nectare comparavisse, facile suspicamur comparationem uberius ab eo expositam esse neque vini laudem defuisse; quin etiam ad ipsos Ἰοβάκχους hoc referre nimiae fortasse non est audaciae. Neque minus de vino tacuisse videtur poeta ubi usurpavit vocabulum ῥώξ pro σταφυλή (fr. 191). Denique notissimum est fragmentum 2:

Ἐν δορὶ μέν μοι μᾶζα μεμαγμένη, ἐν δορὶ δ' οἶνος
Ἰσμαρικός, πίνω δ' ἐν δορὶ κεκλιμένος,

quo quamquam primario loco positum est illud ἐν δορὶ ter repetitum, vino tamen plus tribuitur quam τῇ μάζῃ.

Quidquid id est, scriptorem περὶ ὕψους Eratosthenis Erigonam comparasse cum Archilochi poesi statuere ausim et propter naufragii cuius alibi mentionen fecit descriptionem et quoniam in elegiacis Parii carminibus legisset quo modo Bacchi donum gratissimum ad homines pervenisset.

Qua de re ut novae papyri aliquando certiora et meliora doceant desiderio nunquam expleto ardenter cupimus. Interim magna ex parte Wilamowitzio assentiendum est, adfirmanti (Sappho und Simonides, p. 10) „*dass Archilochos für uns ein Rätsel ist*". Nomen vero Archilochi multis aliis nominibus Graecis hic mutare licet, praesertim lyricorum poetarum.

Digitized by Google

DONATEA.

SCRIPSIT

L. RANK.

Praefatiuncula.

Facturusne operae pretium sis necne, benevole lector, paulisper si mecum per hortos istos notissimos Donateos huc illuc vagabundus oberraveris, id profecto nescio. Comitem me tibi fore attentum, sedulum, criticum, si quidem potero, id proloqui ausim.

Quid autem hortos loquor? Fuere sane olim horti hi pulcherrimi et delicatissimi atque omnibus Terentianae artis amantibus ambulatio gratissima. Labentibus vero saeculis nitidae silviculae in arbustorum truncorumque congeriem mutatae sunt.

Comitem, ut dixi, me promitto, ducem me tibi fore ipse vix credo. At hercle duce novo iam minime opus est. Nota enim regio dici potest, notae eius viae. Nam ut taceam strenuos illos priscos duces, Stephanos volo Lindenbrogiosque, viatores suos indefesso labore per omnes viarum notas ignotasque regiones aut ducentes aut trahentes, innumerabilia obstacula docta removentes arte, sed de universa horum hortorum exstructione topiaria prorsus securos, ecquis hodiernorum philologorum est quin fando saltem audiverit laborem improbum, indefessam industriam ducum istorum, quos recentior tulit aetas, quique in miri istius viridarii priscam exstructionem depravationemque sensim grassantem usque indagaverunt?

Immo vero notissima est, ut multos alios invito paene silentio praeteream viros strenuos, haec nominum trias: Sabbadinii, Wessneri, Karsteni. Italus ergo primus totius investi-

Digitized by Google

gationis iecit fundamenta solida, mox deinde Germanus hortorum historiam conscripsit locupletissimam, totius loci ambitum, singularum viarum semitarumque cursum accuratissima delineavit tabula, quominus etiam circumiacentium regionum plenam perfectamque adderet descriptionem nonnisi praematura morte impeditus; tertius denique Batavus ille noster singulari iterum cura totius luci viis latebrisque pertentatis, novam atque hucusque invisam regionis adumbravit tabulam, signis notisque monitoriis usque quaque refertam, quibus ambulatores identidem docet: „hucusque hac via vere Donatea est prodire, ultra non datur". Istis igitur strenuis viris ducibus vulgo nunc, ut par est, per loca Donatea carpitur via, atque de iis praesertim, quotquot itineraria Wessneri et Karsteni manu tenent, haud iniuria dixeris: *βιβλίον τ' ἔχων ἕκαστος μανθάνει τὰ δεξιά.*

Sic et ego, benevole lector, nil nisi Terentii amator, peritorumque istorum ducum assecla et discipulus, multus in silvis Donateis fui, amoenas perreptavi ambulationes, per semitas erravi atque aberravi, ad arborem unam alteramque, circa arborum truncos praesertim haud ita paucos sum moratus, sub densa saepiuscule virgultorum fronde delitui, hic illic fortasse vidi aliquid memoratu dignum. Si non fastidis, veni!

Propositum mihi est longa serie proferre observationes coniecturasque varias ad varios Donateorum et Pseudo-Donateorum commentariorum locos, subinde nonnullas observatiunculas ad commentum Eugraphii spectantes interserere, hic illic brevissimis notulis corollariisque errores nonnullos (minutos plerosque) corrigere in editione Wessneriana repertos. Nam praestantissima ista editione et me usum esse usque vix est cur moneam.

Prooemii instar, quo simul ad proprias lucubrationes sensim perveniam, haec dabo: Quam misere corruptus textus ille et Donati et „Donateorum" traditus (etiam si missa tota ista quaestione „Donatea" vocabula tantummodo ipsa adspexeris) ad nos olim pervenerit, id vix ullo exemplo aptius illustraveris, quam scholio ad Phorm. v. 254 allato: Senex filio iratus et ad iurgium promptissimus sic respondet fratris filio sibi obviam eunti et blande se salutanti: „Salve. Sed ubi est

Digitized by Google

Antipho?" Adnotatur: „bene expressit promptum animum *ad litigandum raptim reddita* salute et potius ad iurgium *prae*vertendo". Lepida annotatio sed quattuor emendatiunculis opus fuit ut nasceretur ex sordidis quas praebuit textus traditus ineptiis: bene expressit promptum animum *alligandum*, *partim addita* s. e. p. a. i. *per*vertendo. Iam quot emendationibus lepidis et palmariis istiusmodi textus receptus sanatus sit, quis non sponte opinione praecipit? Et hercle nomen illis legio! Et animi et utilitatis et honoris causa tria proferam exempla: „Hem et hui" explicat Donatus ad Eunuch. v. 806 „et cetera id genus *sane* sunt adversus eos, quibus irascimur". Quam egregie calamo quasi cursim corrigenti *sane* istud male sanum sanavit Stephanus scribendo *sannae*! Leniore si fieri potest medela, duarum nempe literarum commutatione, molesta et ridicula sana facta sunt et lepidissima in longiore scholio ad Adelph. v. 308: Timoris et doloris plena ante ostium stat bona matrona Sostrata cum nutrice sua. In scaenae priore parte cernitur et auditur a spectatoribus Geta, Sostratae servus fidelis, dolore et ira aestuans. Aeschini perfidiam audivit. Miseratur herae filiaeque herilis fortunam, mox in iras ingentesque minas contra nefariorum (ut putat) turbam erupturus. In hoc discrimine rerum Sostrata nutrici dicit: „Non intellego satis, quae loquitur". Audiunt hoc spectatores, non audit Geta, nam „quia non est perdenda tam suavis ἠθοποιΐα dolentis ad irascentem, idcirco non audit Geta *conservus* ne ob illam loqui desinat". Sic praestanti scholio monet Donatus. Sed quid *conservus* iste? οὐκ ἐσ κόρακας; Vix tandem evanuit homo plorare iussus a Teubero, qui anno 1891 emendavit: *conversus*! Sed per saeculorum seriem locum suum obtinuit. Stephanus, de ipso illo scholio optime meritus in proxima τοῦ ὁμοδούλου vicinia, hominem non vidit aut visum durato corde tulit. Quot porro qualesque post eum? [1]) Tertio hoc specimine finem

1) Et animi et exempli causa iuvat hic emendare scholion Eugraphianum ad locum Heautontimorumeni. (Wessn. III. 1. p. 184).

Simili enim modo et hic brevis annotatiunculae pars prior simplici correctione manifeste est emendata, dum pars altera adhuc (quantum scio) ridicule corrupta simpliciore etiam medela sanari potest:

„Eho quaeso laudas, qui eros fallunt?" callide rogat Syrus servus dominum

Digitized by Google

faciam, simul omnium quotquot mihi innotuerunt emendationum recentissimam prolaturus. Pertinet sane ad unam ex observationibus istis levidensibus, quibus scatet commentarius Donateus, quarumque ingentem numerum subacto iudicio damnavit Karstenus et Donati nomen deponere iussit. Ad Andriae v. 146: „ego illud sedulo negare factum" haec tradita est observatiuncula ridicule corrupta: „quomodo sedulo si negabat? an sedulo *ut sosie*, id est simpliciter?" Pro *ut sosie* Rabbovius corrigebat ὡς εἰ, tum ⟨ἁπλῶς⟩ supplevit Schoellius. Utrumque in textum recepit Wessnerus. Sed hoc est vulnus oblinere, non sanare. Quotiens limis hanc correctionem adspexi oculis! Tandem fixis oculis adspexit Kauerus bonum „sosiam" ab oscitante librario huc invitum invectum verumque eius nomen explicuit restituendo: *studiose*. [1])

Haec sufficiant. Paenultimo ultimoque exemplis exponere studui, quid etiam nostris temporibus in hac re sperare liceat viro philologo sollerti industria praedito.

Iam iam opus meum aggressurus extra seriem praemittam emendatiunculam certam fortasse, mihi certe dilectissimam, qua lectores benevolos mihi me facturum esse spero: In Hecyrae actus secundi initio Laches senex graviter atque acerbe invehitur in uxorem Sostratam. Comperit nurum suam novam nuptam Philumenam e socerorum domo migrasse et rediisse ad matrem suam. Huius calamitatis, huius ignominiae quin unica culpa

---

senem Chremetem. „In loco ego vero laudo" respondet ille sibi doli nihil timens: „quippe qui magnarum saepe id remedium aegritudinum est".

Annotat Eugraphius: „namque *falli in* tempore maximum saepe remedium est". Recte sic Wessnerus demum (*falli in* restituens pro lectione tradita *fallunt*) locum constituit.

Sed pergit adhuc bonus scholiasta sic: „ut gravior aegritudo videtur". Nonne sat ridiculum hoc? Religiose in apparatu suo critico monet editor praestans iam Lindenbrogium proposuisse: *ne* gravior aegritudo *videatur*, sed in textum recipere correctionem noluit. Recte sane. At correctio vera in promptu est. Confidenter emendemus: ut gravior aegritudo *citetur*. Erum fallere interdum graviorum malorum optimum est antidotum!

1) R. Kauer: zu Donat. Wiener Studien Vol. XXXII (1911) p. 144 sqq., ubi simplicis correctionis exhibuit rationes prorsus sufficientes. Haec emendatiuncula procul dubio fugit Karstenum, qui anno post in nota sua editione Rabbovii illud ὡς εἰ in textum recipiens, Schoellii ⟨ἁπλῶς⟩ omittens ita edidit: „an sedulo ὡς εἰ id est simpliciter". Haec mihi sensu cassa videntur.

Digitized by Google

sit penes Sostratam, quippe quae socrus morosa moribus dictisque suis vitam non amplius vitalem reddiderit nurui in socerorum domo, nullus dubitat (Hec. II, 1, 22 sq.): Iampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam; Minimeque adeo mirum, et ni id fecisset magis mirum foret.

Annotavit Donatus: „satis amare pro merito dicit odium, contra meritum amorem". Male habuit hoc scholium viros doctos neque iniuria. Nam „odium" quidem dixit Laches, „amorem" in ore non habuit. Ergo iam Stephanus correxit: „contra meritum amorem*que*", qua correctione parum proficimus. Inanis enim et languida est ista coniunctio „meriti" et „amoris" simulque pessumdat *τὴν ἀντίθεσιν τῶν* „pro merito" et „contra meritum", quam procul dubio voluit Donatus. Audaciore medela hic opus esse credidit Wessnerus. Excogitavit ergo et confidenter in textum suum recepit: „satis amare pro merito dicit „odium", contra meritum „⟨minimeque⟩ a⟨deo⟩ mirum". Summi viri manes mihi ignoscant profitenti me hoc modo cuiusvis scriptoris corruptissimam quamque sententiam emendare posse [1]). Iure Karstenus, qui in editione sua textum Wessnerianum diligenter secutus est, hanc emendationem recipere noluit. Caute textum traditum immutatum exhibuit prudenterque in calce paginae annotat: „fortasse corrigendum: contra meritum ⟨fore⟩ amorem", prudenter etiam porro observat: „si corrigimus: contra meritum ⟨fore⟩ amorem, hoc explicat verba in lemmate omissa: ni id fecisset sqq. h. e. si amaret magis mirum foret et contra meritum". Recte, nam sic a phantasiis ad subactum iudicium revocamur. Vix autem est dubitandum, quin observatione sua breviter et lucide indicare voluerit scholiasta acerbissimum Lachetis animi statum de propria sua uxore sic iudicantis: tu iure odio es dignissima, amore omni prorsus indigna. Ne longior sim: nonne una literula mutata ipse ille Lachetis animi status optime depingitur ipsis verbis traditis: „satis amare pro merito *ducit* odium, contra meritum amorem"? [2])

1) Complures istiusmodi correctiones in textum suum recepit Wessnerus. Suo loco unam etiam tractabo et ibi quoque, lenissima emendatiuncula Donati manum restituere conabor.

2) De „ducendi" et „dicendi" formis in libris permutatis, si tanti est confe-

Digitized by Google

Speciosiorem correctionem unam alteramque in sequentibus commendare tibi lector conabor, simpliciorem non habeo. Haec ergo hactenus. Esca quam habeo dulcissimam proposita praefatiunculae finem facio atque accedo ad

Caput Primum.

Ante fercula Donatea cenae promulsidis instar hic offeram duas disputatiunculas paulo longiores, quibus de duobus locis in controversiis Terentianis sat notis vereque ut dicunt conclamatis agam.

Dubitanter atque omine mihi vix fausto initium faciam a famoso isto versu Volcacii Sedigiti, quo mirus ille criticus loquitur de Hecyra Terentiana. Vix ullum locum alterum, opinor, inveneris tot et tam variis ratiocinationibus petitum, defensum, explicatum, tot et tam diversis correctionibus tentatum, immutatum, refictum. Omnium illorum conaminum si historiam conscripseris vix quicquam aliud fueris assecutus nisi quod amplam sat materiem iocandi praebueris artis criticae obtrectatoribus. An credibile id videtur, simplicem versiculum singulis vocabulis prorsus sanis constantem et olim Oudendorpio [1]) et hodiernis temporibus Fleckeiseno [2]) sanum sat et perspicuum visum fuisse, at eundem Vahleno [3]) refingendum miris ingenii conaminibus et exquisita insuper defendendum doctrina, ut tandem eius sensus intellegeretur? Sed ad rem veniamus:

In vita Terenti Suetoniana haec legimus de fabulis Terentianis: et hanc (i. e. Andriam fabulam) et quinque reliquas aequaliter populo probavit, quamvis Volcacius in dinumeratione omnium ita scribit:

---

ratur exemplum, quod exhibet scholion ad Andr. v. 849, ubi optimi codices omnes praebent vitiosam lectionem *dicendo* pro *ducendo* quod in deterioribus apparet et nisi omnia me fallunt adhuc in scholiis ad Eunuchum locus in mendo cubat prorsus eodem modo sanandus. Sed de ista correctiuncula suo loco agam. Ceterum operae pretium est videre lepidam Bentleii emendationem, qua sanavit scholion ad Adelph. III. 4. 41. (Wessn. II, p. 103).

1) In editione sua Terenti ad locum.

2) In priore sua editione Terenti. In altera recognita (anni 1898) confidenter recepit Ritschelii correctionem, de qua infra agam.

3) In lectionibus suis academicis (cf. Berl. Phil. Woch. 1884, Sp. 1237).

Digitized by Google

Sumetur Hecyra sexta *ex his* fabula.

Haec est versiculi lectio antiquissima [1]) simulque (quod ratiocinationis meae decursu me demonstraturum esse spero) optima, quamvis corrupta. Hinc ergo proficiscendum est. Ab hac etiam senarii lectione profectus est, nisi omnia me fallunt Schanzius, cum in magna sua Historia Literaria Romana suo loco copiose et docte de Volcacio Sedigito referens haec scriberet: „Es sind uns noch einige Fragmente aus dem die Palliata behandelnden Abschnitt erhalten; eines dieser Fragmente erörterte die Nachrichten über den Tod des Terenz, ein anderes bezieht sich auf die Hecyra dieses Dichters, und zwar wird das Stück als sechstes *d. h. als letztes aufgeführtes* bezeichnet". Alio loco sane super ipsa illa intricata quaestione de temporis ordine, quo fabulae Terenti in scaenam prodierunt fuse disserens haec exhibet vir doctissimus [2]): „Endlich" (i. e. ut ultimum afferam argumentum hoc) „heisst es in der Vita (p. 5 Wessn.): Volcacius in dinumeratione omnium ita scribit: sumetur Hecyra sexta *exilis* fabula", sic Bergkii correctionem ad tempus recipiens, sed statim addit: „vgl. über die Konstituirung und Interpretierung dieser Stelle unten", his verbis lectorem relegans et ad locum, quem iam dedi et ad enumerationem variarum huius loci lectionum, qua perlecta iure suo opinor sed frustra lector attentus rogabit: „quid iam ipse, vir doctissime, sentis de senarii nostri „constitutione"? Sed levius hoc gravamen mittamus, nam de interpretatione utroque loco res sat constat Schanzio. Nec hercle solus adstat cum sua interpretatione. Nam, ut mittam nunc Ritschelium et Vahlenum, etiam Karstenus noster in docta illa et laboriosa disputatione de „ordine" Terentianarum fabularum, quam huic diario ante triginta fere annos inseruit, quasi de re minime dubia locutus haec scripsit [3]): „Versus Volcacii corruptus, *quomodocumque*

1) Apud Schanzium legitur (Gesch. d. röm. Lit. I, 1 p. 226); Sumetur Hecyra sexta *in* his fabula: so ist in der ältesten Handschrift dem Parisinus A überliefert (!). Sed erravit aut vir doctus aut eius typotheta. Parisinus codex A exhibet *ex his*, quod Wessnerus multique ante eum viderunt, quodque nuper mihi affirmavit v. c. Henricus Omontius cum insigni comitate ad me scripsit: „Le ms. latin 7290 fol. 1, porte la leçon suivante qui ne prête à aucun doute: sumetur hęcira sexta *ex* his fabula".

2) In libro laudato p. 141.

3) Mnemos. Vol. XXII. (1894) p. 208.

Digitized by Google

legitur docet profecto [1]), eum Hecyram sexto posuisse loco, sed hinc non sequitur Adelphos ei fuisse secundo loco positam" e. q. s. Iam post Schanzium haud paucis sic explicandum visum fuisse versiculum tuto suspiceris. Quorum tamen in numero quominus et ego nomen meum profitear multa mihi et gravissima obstant. Fusius aliquanto gravamina mea exponam: Hoc primum: vir criticus quidam literatus lectoribus simplicem hunc nuntium communicare vult: E fabulis Terentianis Hecyra sexta in scaenam prodiit. Quomodo id faciet? Facillime. Dicat quae iam dixi aut id si non vult e sex septemve sententiis similibus unam eligat, qua simplicem nuntium lectoribus offerat. Sed iste oraculi instar sic effari mavult: „Sumetur Hecyra sexta"! Sit ergo per me licet bonus criticus sed Latine scribere in hac re saltem nequit. Sed haec leviora. En concedo ad tempus Sedigiti verba iam toties allata id significare quod olim Karsteno, Schanzio aliis haud paucis opinor significaverint. Vice sua nunc mihi interpretationis istius assectatores concedant, ita etiam Suetonium verba illa intellexisse. Audiamus nunc historici nuntium et bene censeo animum attendamus:

„Et hanc autem et quinque reliquas aequaliter populo probavit, *quamvis* Volcacius in dinumeratione omnium ita scribat: Hecyra fabula sexta ex his in scaenam prodiit". Praeclara hercle ratiocinatio et de qua vel iocari supersedere possum. Iam Schanzianae interpretationis fautoribus haec ni fallor optio datur: Aut concedant Suetonium hoc loco duas sententias, duos nuntios nullo inter se vinculo cohaerentes per suam coniunctionem *quamvis* absurde in unam periodum male sanam conflasse, aut agnoscant verba ista, de quibus fit sermo, nisi prorsus corrupta ad nos pervenerint, aliud quid historico nostro significasse.

Neque hercle aliae explicationes desunt. Sic e. g. iam olim *sumetur* Rothius explicavit: „mag hingenommen werden", de qua interpretatione recte et breviter sic iudicavit Ritschelius in celebri sua de nostro loco disputatione: „et sanam sententiam et latinitatem desideramus". Optimo iure idem vir summus sic tertiam interpretationem damnat his verbis: „Nec

1) Sat confidenter haec enuntiata sunt!

Digitized by Google

plus profecerunt si qui (*sumetur*) pro *eximetur* acceperunt: nec enim hanc vim *sumere* verbum habet omnino, nec unde eximenda fabula sit, quave causa quemve ad finem eximenda intellegitur". [1])

Sed ad meliora transeamus nec nova sane nec mea dicenda, quamvis quod et ego proprio Marte cum verbis pugnans ad ista perveni, gaudeam admodum. Sed rem expediamus:

Lectoris ergo bona venia implorata, notissimum Sedigiti canonem, de quo usque ad taedium est disputatum ad partes vocemus:

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetae comico cui deferant.
Eum meo iudicio errorem dissolvam tibi,
Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.
Caecilio palmam Statio do mimico.
Plautus secundus facile exsuperat ceteros.
Dein Naevius qui fervet pretio in tertio est.
Si erit quod quarto detur *dabitur* Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto *consequetur* hos Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

In huius canonis canone indagando multi viri docti sat multum sed frustra me iudice desudaverunt. Nam quod olim Ritschelius de Ladewigii in hac re curis censuit cum scriberet: „operam perdidisse Ladewigium puto", id mihi valere persuasissimum est de conaminibus omnium, quotquot studuerunt mirum istum canonem ad normam qualemcumque extrinsecus oblatam exigere. Et procul dubio rem acu tetigit v. d. R. Büttner, qui dixit, miram enumerationem nulla alia re stare posse quam *αὐθαδεστάτου* critici istius fastidioso iudicio. Sed plura de hac re disserere huius loci non est. [3])

---

1) Opuscula. Tom. III, p. 234 sq. 2) l. l. p. 238.

3) Operae pretium est legere, quae parum concinne de hac re scripsit Schanzius l. l.: „Es kann nicht bestritten werden dass Volcacius seine zehn Palliatendichter abschätzen will; *aber es bleibt unklar* nach welchem Prinzip er hierbei verfahren ist. Bei Naevius führt er..... den feuerigen Charakter des Autors an, bei Ennius das hohe Alter (bene notetur hic Ennii „antiquitas"

Digitized by Google

Ad formam, ad stilum versiculorum animum attendamus et praecipue notemus futura ista abrupta confidentiaeque plena: *dabitur*, *consequetur*. Iam cum „futuris" meis recta ad Hecyram redeo, ad Hecyram, quae „*sumetur sexta*". In promptu est conclusio haec: Quam maxime verisimile videtur Sedigitum nostrum prorsus eodem modo, quo decem illos palliatarum scriptores quasi in processionem prodire coëgit, et Terentianas fabulas in seriem ordinasse, praeeunte ut suspicari licet Eunucho, Hecyra misella agmen claudente.

Sic ergo cogitabam, sic rem mihi informabam, cum incidi in lepidam Ludovici Haveti disputatiunculam, quam ante quadraginta fere annos scripsit [1]). Ibi cum multa legerem, quae ob nimiam et impetuosam scriptoris sagacitatem mihi non displicere non possent impense gavisus sum hisce sententiis repertis: „Le terrible juge (en epitheton et optimum et facetum!) Volcacius Sedigitus, qui ne donnait à Térence que le sixième rang parmi les auteurs de palliatae en classant l'Hecyra comme la moins bonne des six pièces en rappelait sans pitié l'échec: Sumetur e. q. s. „Sumetur sexta" est au futur comme dans le même Volcacius: „si erit quod quarto detur, dabitur Licinio; in sexto consequetur hos Terentius". C'est une expression analogue à celle ci: Decimum addo antiquitatis causa Ennium. „Sexta" est un rang de mérite, Volcacius dans le peu que nous avons de lui fait de l'esthétique et non de la chronologie".

Haec mihi prorsus suffecerunt parumque me movit iudicium Philippi Fabiae biennio post Haveti disputatiunculam prolatum: „Il est difficile de décider si les mots: „Hecyra sexta ex his fabula" de Volcacius faisaient parti d'une liste chronologique ou d'un classement par ordre de mérite" e. q. s. [2])

Verum quod multo magis mirabar et adhuc miror hoc est:

---

tamquam seria ordinandi sive aestimandi norma Naeviano „fervori" iuxta posita!) „Subjective Eindrücke und Willkür wird den Dichter bei seiner Klassificierung geleitet haben". Mox addit: „Büttner urteilt richtig dass Volcacius bei Aufstellung des Kanon von persönlichen Neigungen und Abneigungen bestimmt wurde". Quae si ita sunt et si recte iudicavit Büttner, *quid restat obscurum*? (cf. Hauleri opinio in editione Phormionis notissima, p. 24).

1) Revue de Philologie 1886, p. 16.

2) Les prologues de Térence. Paris 1888, p. 45.

Digitized by Google

De illa Haveti explicatione altum silentium est apud Schanzium! At quin illam noverit vix ulla dubitatio esse potest. Nam ipsam illam brevem disputatiunculam viri docti alio loco sedulo laudavit [1]). Cur igitur rem silentio oblitteravit? Num indigna ea explicatio visa est ei, quae memoraretur? Id nescio, sed hoc certo certius scio, ista via, quam Havetus olim muniverit insistendum pergendumque esse omnibus, qui ad sanum iudicium de Volcacii versu, ad sanum intellectum periodi Suetonianae pervenire cupiant.

Hac via ergo pergamus. Nam etsi bene, ut suspicor, coepi procul abest ut dimidium facti iam habeam. „Pretio" igitur „in sexto", ut ipsius viri verbis utar, Hecyra fuit Volcacio.

Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.

Ecquid hoc iudicium pugnare dici potest cum Suetonianae periodi priore parte, qua discimus Terentium omnes suas fabulas aequaliter populo probasse? Quis non sentit hic curtae rei non nescio quid sed adhuc multum abesse?

Iam audienda est altera pars versiculi. Haec pars non corrupta esse non potest omnibus, quibus mecum haec duo iam constent: Sedigitum suo versiculo critici partes egisse Suetoniumque, quae sit vis coniunctionis adversativae probe calluisse.

Perpendamus nunc Bergkii correctionem elegantissimam quamque Wessnerus in textum suum recipere non dubitavit [2]):

Sumetur Hecyra sexta *exilis* fabula.

Summa se commendat correctio probabilitate palaeographica. Nec hercle ei deëst persuadendi vis quaedam logica. Recepta enim hac correctione adepti sumus disiunctionem quae sequitur hanc: Omnes fabulas suas aequaliter populo probavit Terentius quamvis sexta fabula, ut dicit Volcacius, fuerit exilis. Haud deërunt opinor quibus sic satisfiat. Mihi vero minime item. Quid? Fabulam exilem optime placere potuisse numquis est qui infitias ire audeat? Nonne ipsa Hecyra cum tertio prodiret placuit? Mihi ergo adhuc repugnat contumax ista coniunctio *quamvis*.

In deliciis admodum habuisse Suetonium coniunctiones adversativas mihi observasse visus sum. Procul absit ut hic tibi,

1) Libro laudato, p. 142. 2) Wessn. Vol. I, p. 5.

Digitized by Google

candide lector, taedium moveam vocularum locorumque computationibus. Non opus est istis. Hoc tantum volo: Semel atque iterum voculas istas elegisse et quasi ad partes vocasse mihi videtur historicus noster, ut per eas lectoribus suis offerret optionem inter duas res duasve opiniones aperta fronte inter se pugnantes. Sic per voculam *etsi* in Vespasiani vitae initio eiusmodi optio lectori quasi iniungitur haec: „Huius filius cognomine Sabinus *expers militiae* (*etsi* quidam eum *primipilarem* tradunt) publicum quadragesimae in Asia egit". Sic in loco vitae Claudii per *quamvis* coniunctionem nobis optio obtruditur inter illius principis dictum et scriptum, quorum alterum utrum mendax fuerit necesse est: „Fecit et saeculares, quasi *anticipatos* ab Augusto *nec legitimo tempori reservatos*, *quamvis* ipse in historiis suis prodat, intermissos eos Augustum multo post, *diligentissime annorum ratione subducta* in ordinem redegisse". Tertium validius adhuc testimonium afferre possum: Quid quod *in ipsa vita Terenti* sic scripsit historicus de Terentio, Scipione, Laelio aequalibus..... „quod et ipsum Fenestella arguit contendens *utroque maiorem* fuisse, *quamvis* Nepos *aequales omnes* fuisse tradat". Nonne haec ponderis aliquantum habent ad thesin confirmandam, qua perhibere ausim, ipsam voculam *quamvis* nobis quasi imperare, ut in versiculo conclamato hunc nuntium manifeste prolatum desideremus: *Hecyra fabula displicuit?*

Novi atque inauditi, id probe scio, nihil hic protuli et dudum istam viam ingressi sunt viri docti nonnulli, qua quaerere ut insistamus vice mea nunc iterum moneo. Idcirco autem fusius de vocula *quamvis* disputatum est, ut hoc evincerem, unicam et unice veram esse viam istam, sicut supra pro virili demonstare conatus sum, futurum *sumetur* esse et Crotone sanius et Sedigito critico prorsus dignum.

Libenter igitur hic proferam honoris causa correctionem Mommseni:

Summota Hecyra sexta ex his fabula.

En simplex correctio e sano totius rei iudicio orta, (nam quid aliud a tanto viro exspectaveris?) sed mihi prorsus reicienda.

Sed iam tempus est, quo prodeat celeberrimum illud Ritschelii

Digitized by Google

commentum, quo versiculum sanasse sibi nec non multis aliis [1]) olim visus est. Sic emendavit:

Simitur Hecyra sexta *exclusa est* fabula.

Priorem emendationis partem mittamus ad tempus [2]), de *exclusast* coniectura fusius disputemus. Quam egregie sibi placuerit vir summus hac correctione reperta ex ipsius verbis cognoscamus: „Igitur, quoniam, quae non placuisset vel stetisset fabula, vel exacta vel explosa dicebatur, facile quispiam ipsius *explosast* vocabuli reliquias *ex his* literas interpretetur. Verum aliud in promptu est multo etiam graviorem vim persuadendi habens. *Quotiens* [3]) enim „non placitae" Hecyrae mentionem Donatus inicit, *totiens fere* [3]) uno certo vocabulo utitur, quod cum alia exempla non habeat, vix mihi tempero, quin ex ipso Volcaciano versu vitae Suetonianae petitum dicam" [4]).

Verum enim vero ipsum illud quod Ritschelium induxit ut hanc medelam adhiberet, id me ab ipsa hac medela deterret. Hoc primum rogatum velim: Estne ulla causa sat probabilis cur Volcacius de rebus scaenicis (Terentianis praesertim) circa annum centesimum ante nostram aeram scribens deque Hecyrae calamitate referens aut oblitus sit aut consulto spreverit participium usitatum *exactus* (metro suo optime conveniens) malueritque adhibere participium *exclusus*, nusquam alibi usque ad tempora Donati nobis hoc sensu cognitum? Estne aut rectius (si rem spectas) aut (si ad critici mentem potius animum advertis) acerbius vel facetius vel speciosius denique dictum hoc: fabula *exclusa* est quam fabula *exacta* est? Non opinor. „Attamen" dicat quispiam „fieri id potuit". Id concedo.

Videamus nunc participii usum apud Donatum. Bonus ille scholiasta suis observationibus ad Hecyrae initium sortem fabulae illustrans simulque de aliorum fabulis quae olim displicuerunt disputans usus est:

---

1) Fleckeisenus emendationem in textum suum recepit, ut supra dixi.

2) Temere profecto de vocula *simitur* sic iudicare ausus est Havetus l. l.: „*simitur*" ne donne pas de sens. Di boni! Ritschelium aliquid sensu cassum pro emendatione protulisse! Cur summi viri disputationem legere noluit vir doctus Francogallus, de ipsa hac re tam bene meritus? Ceterum quid significent verba: simitur exclusast fabula, infra statim apparebit.

3) Typis cursivis haec dedi ego.

4) Opuscula Tom. III, p. 235.

Digitized by Google

forma participii „exclusus" *octies*
substantivo „exclusionem" *semel*
forma participii „exactus" *sexies*
forma participii „expulsus" *ter*,

praeterea locutus est *semel* de fabula „deiecta" *semel* de fabula „reiecta" *semel* de fabula „neglecta" *semel* de fabula *non peracta* [1]). Aliud hoc opinor est atque Ritschelii illud *quotiens..... totiens fere*. Num hoc fundamentum sat solidum est quo innitatur suspicio Ritscheliana? Vix opinor. Sed et hic valet illud: „fieri tamen potuit" et per me licet facta sint haec omnia, fieri quae posse non negavi, dummodo in commento insit persuadendi vis palaeographica sufficiens et valida. Sed et hic mihi minime satisfit et nimis facile sibi persuasisse summum virum in voculis *ex his* superesse vestigia *τοῦ*: *exclusast*, id mihi persuasissimum est. Quid quod *vicies* fere occurrit participium *exclusus* in commento Donateo, *omnibus locis integrum ne una literula quidem immutata vel dubia*! Commentum ingeniosum laudare quidem possum accipere non possum.

Sed ne sic quidem a summi viri in hac re curis sagacibus recedere possum. Proposuit:

Simitur Hecyra sexta exclusast fabula,

i. e.: simul (isdem nempe ludis funeralibus Aemilii Pauli, quibus acta est Adelphi fabula) prodiit sed exclusa est fabula Hecyra, temporis ordine sexta.

Et Ritschelio ergo non Terentianarum elegantiarum arbiter est Sedigitus sed merus rerum scaenicarum Terentianarum historicus. Neque hoc mirum est. Evanuit enim „molestum" vocabulum *sumetur*.

Sed ipsam correctionem non curo amplius. Cognoscamus potius, quomodo nunc Ritschelius propria sua correctione quasi cogatur nos monere, ne Volcacium istum historicum rerum scaenicarum iusto pluris faciamus. Ita scripsit: „Mirari sane licet secundam potius Hecyrae actionem a Volcatio memoratam, quam tertiam, qua placita est fabula teste didascalia..... Verum tamen non est nimis mirandum quaedam in hoc genere veteres illos pinacographos saeculi VII fugisse. Nam illud de ter acta

1) In Phormione de eadem re adhibita invenimus participia „exclusus" (*bis*) et „exactus" (*semel*).

Digitized by Google

Hecyra nisi fugisset Volcacium non profecto *sic uti fecit* [1]) scripsisset..... Consentaneum est nihil de actione illa prima (Hecyrae) ei, quisquis fuit innotuisse, qui factarum ordinem in Bembino proditum instituit similique conditione Volcatius usus et primam et tertiam ignorabat" [2]). En testimonium ignorantiae sat triste critico nostro redditum ab eo, qui viri manum, ut dicunt philologi, restituit. Neque hercle dum sic non nimis magnifice de Sedigiti scientia historica se sentire dicit Ritschelius solus cum iudicio suo adstat. Audiamus Fredericum Leonem de Volcacio et Licinio sic iudicantem: „Seine (Varronis nempe) Hauptzeugen waren Porcius Licinius und Volcacius Sedigitus, geistreiche Leute, die in Nachfolge des Lucilius und Accius poëtische mit litterarhistorischen Neigungen verbanden und zu ernsthafter Untersuchung dessen was sich hübsch in klingende Verse fügte nicht verpflichtet waren" [3]). Belle haec sonant atque acerbe. Fortasse et vera sunt. Sane et mihi Licinius iste foedus videtur Terentii calumniator. Sed mittamus hominem cum malignis suis versiculis, Sedigiti doctrinam, fidem, auctoritatem videamus. Et hic nihil novi atque inauditi proferam. Scripsit Sedigitus indices Plautinos, quibus procul dubio de Sarsinatis fabulis genuinis et spuriis iudicium protulit [4]). Scripsit canonem suum, mihi denique atque iis, qui mecum faciant, scripsit seriem senariorum, quibus de pretio et dignitate Terentianarum fabularum iudicavit. Utrum verisimile est haec omnia conscripsisse Sedigitum *non* cognitis, *non* perlectis qualicumque modo illorum poetarum fabulis annon est verisimile? Hoc opinor. Plautina mittamus. Sexto loco Terentium posuit Sedigitus in canone suo. Non nimis igitur amavit Afri artem. Utrum verisimile est eum sic iudicasse lectis et examinatis qualicumque modo Terentii fabulis annon est? Illud opinor. Propius etiam ad nostram quaestionem accedamus. Terentianas fabulas pretii dignitatisque norma quadam adhibita ordinavit Volcacius. Utrum hoc fecit calamo sic temere sumpto an perlectis Afri fabulis? Temere ego fortasse hoc alterum conten-

1) I. e.: Sic ut emendatione mea feci ut fecerit.
2) Opusc. III: p. 237.
3) Fr. Leo. Plautinische Forschungen², p. 65.
4) Teste Gellio Noct. Att. 3. 3. 1.

Digitized by Google

dere ausim. Id saltem mihi concedent hoc fieri potuisse. Nam procul dubio Afri fabularum exemplaria scripta Volcacii temporibus legere cupientibus praesto fuere [1]) Brevem nunc, qui me hucusque secutus erit mecum hanc faciat ἀνακεφαλαίωσιν:

I. Verba: sumetur H. s. sunt sana nobisque significant: Ob pretium suum sexto et ultimo loco ponetur Hecyra.

II. In versiculi parte altera, teste Suetoniano vocabulo *quamvis* utique desideramus mentionem qualemcumque de Hecyrae „calamitate". Verisimile admodum est mentionem illam latere in voculis supervacuis *ex his.*

III. Verisimile est Sedigitum notas habuisse Terenti fabulas.

Iterum nunc ad locum accedamus. Nam et me meum commentum in hac re habere vix dicere opus est. Verum me tandem repperisse si contenderem, profecto Thrasone Terentiano arrogantior essem. Nam ultra probabile in hac re prodire vix datur. Et probabilitate palaeographica praesertim hic se commendare debet omnis nova medela [2]). Iam quomodo in mente mihi sensim succreverit commentum meum exponam:

Neque Ennii nec Terentii artem comicam amavit Sedigitus. Illud demonstravit acerbo versiculo, quo canoni suo finem imposuit: „Decimum" e. q. s. Nam pace Schanzii aliorumque fortasse haud paucorum dictum sit: nihil umquam in hoc versu deprendere potui quam ὕβριν quandam „ironice" prolatam. Et haud absimili mentis statu ultimum istum versiculum de Hecyra conscripsisse criticum poetam facile mihi persuadeo. Nam id credere ausim, Sedigitum, etiam si pro Hecyra alterum Eunuchum scaenae Romanae dedisset Afer, vel sic de praestantissimi adulescentis arte prorsus idem iudicium prolaturum fuisse. Quapropter quin non modo absque ulla misericordia (ut Haveti verba repetam) sed etiam gavisus admodum Hecyrae infortunium notaverit nullus dubito. Avide arripuit optimam hanc occasionem, qua poetae a se sexto loco positi mediocritatem ingenii arguere sibi posse visus est. Haec si probabiliter disputavi, sequitur ut utique credamus Sedigitum ista —, quam

1) Leo, l. l. p. 36: Terenz hatte seine Stücke ohne Zweifel *gleich* für ein Lesepublicum veröffentlicht, wie er sie geschrieben hatte.

2) Nimium quantum in hac re peccasse mihi videntur, uno Bergkio excepto, omnes viri docti qui versiculum nostrum attigerunt.

Digitized by Google

sibi acquisiverit notitia super Hecyrae calamitatibus aptissime usum esse. Id esse e re sua optime sensit.

Iam nullo pacto praeterire possum quaestionem molestam, qua nosmet ipsi implicare quasi cogimur quaque nos ipsi ut rogemus necesse est, quid de Hecyrae sorte innotuerit critico nostro. Id mihi certum videtur, Volcacium in illis saltem versibus, qui Suetonio innotuerint, nullam fecisse mentionem de tertia fabulae actione, qua vix tandem stetit. Id opinor sat apparet ex ipsa ratione, ex ipsa forma nuntii Suetoniani. Daturne ultra? Non opinor. Omnia desunt testimonia iuxtaque periculosum iam videtur credere et non credere. Credere tamen licet. Ergo proloqui ausim me credere, probe notum habuisse Sedigitum serum illum parumque nobilem successum fabulae, sed eum scientem prudentemque rem silentio pressisse. Nam vel sic infortunium solummodo fabulae memorans deque sero successu tacens a mendacii crimine (caute sane magis quam sincere) se tutatus est.

Sed iam missis temerariis suspicionibus ocius ad probabiliora redeamus statuamusque id admodum verisimile esse, Sedigitum quam plenissime potuerit usum esse illis super Hecyrae sorte nuntiis, quos ex fabulae prologis colligere posset. Atqui aliter omnino fieri non potuit, quin ex istis prologis vel obiter perlectis cognoverit, Hecyram non semel sed bis displicuisse. Iamne credibile videtur istiusmodi criticum eiusmodi ἕρμαιον non avide arripuisse? Bis displicuisse se confitetur poeta tristis, bis displicuisse poetam memorare neglegeret criticus ille etsi non veritatis attamen severitatis appetentissimus?

Pro *his* igitur lenissima mutatione scribo: *bis*. Nunc de ceteris probabiliter porro disputare conemur. Iam restat misera praepositio EX sola relicta. Pro qua nisi restituatur verbi forma simplex et metro et sensu conveniens simulque probabilitate palaeographica se commendans, qua certior fiat lector, Hecyram displicuisse, omnis profecto labor cassus est.

Terentianos prologos paulo accuratius perlegentem id fugere non potest, solemnem esse poetae vocem „exigendi", ubi de fabulis loquitur, quae aut displicere possint aut re vera displicuerunt. Sic sat confidenter de propria arte locutus his versibus finem imponit Andriae suae prologo:

Digitized by Google

Ut pernoscatis ecquid spei sit reliquum,
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an *exigendae* sint vobis prius.

Sic in Hecyrae prologo „Ambiviano" bis deinceps loquitur de artis sodalium fabulis *exactis* [1]). Verum ubi primum ad Hecyrae infortunium venit poeta verbum *exigendi* nusquam est. Bis exactam esse hanc fabulam maerens profecto sibi atque amicis confessus est poeta sed spectatorum turbae, obtrectatoribus, lectoribus futuris opinor id palam declarare scriptoque mandare nec potuit nec voluit. Lenius leviusque quatenus fieri potuit rem proposuit. Et hic notissima repetere cogor. Ad calamitatem suam respexit hisce verbis in Phormionis prologo:

Cum per tumultum *noster grex motus locost.*

Locutione simili (quasi iocatus insuper) usus est in Ambiviano prologo:

Tumultuantur, clamant pugnant de loco.
Ego interea meum *non potui tutari locum.*

Ecquis umquam fuit sive fautor sive obtrectator Terentii Terentianaeque artis, qui hisce verbis auditis lectisve non intellexerit, quid poeta dixerit, quid dicere noluerit?

Sed tertia adhuc exstat locutio, de qua prorsus idem valet quamque unice nunc appeto. In eodem prologo de priore calamitate Hecyrae sic Ambivium suum declamantem inducit poeta:

Cum primum eam agere coepi, pugilum gloria,
Comitum conventus strepitus, clamor mulierum
Fecere ut *ante tempus exirem foras.*

Quid nunc si sumamus criticum nostrum ipsum illud *exeundi* verbum arripuisse, quo paulo doctius sed sat perspicue simulque quasi ioco quasi serio denotaret Hecyrae sortem? Quid si dedit:

Sumetur Hecyra sexta: *exit bis* fabula?

Periculumne ei ullum erat timendum sic rem enuntianti ne, omissis vocabulis *ante tempus*, lector aliquis existeret qui haec non intellegeret? Non opinor. Quid enim? Pauca sane sunt, quae nobis innotuerunt de Sedigito, de Licinio, de ceteris pinacographis, perpauca profecto de toto illo genere priscorum

1) Hec. Prol. II, v. 4 et 7.

Digitized by Google

philologorum Romanorum, qui Cratetis doctrina imbuti aut eius exemplo saltem instigati variis suis vacabant studiis, sed hoc probe scimus (nec non ipsa evincit ratio), viros istos non populo scripsisse, sed amicis sodalibusque suis aeque secum rerum grammaticarum, dramaticarum, scaenicarum curiosis opuscula sua elaborasse et recitasse. Quid poetarum canon Volcacianus ad populi turbam in cavea spectantem? Quotusquisque fuit inter eos, qui intellexerit illud: „Naevius, qui fervet"? Num a populo se intellegi voluit ille, quisquis fuit, qui exeunte saeculo secundo a. C. n. haec de Terentio scripsit:

hae..... quae vocantur fabulae,
cuiae sunt? non has qui iura populis dabat,
summo honore affectus fecit fabulas? [1])

Sed viri literati probe id intellexerunt sibique in memoriam revocaverunt senarios istos, quos in Adelphorum prologo lectitabant.

Prorsus idem, me iudice, valere potest de „Hecyra sexta fabula, quae *exit bis*". Haec hactenus.

Quomodo porro commentum meum aut defendam aut commendem vix habeo. Dicere possum admodum mihi placere senarii finem abruptum. Simili modo totum poetam a se quasi ablegat noster:

.....visus nusquamst, sic vita vacat [2]).

Quam egregie sibi placuerit fastidiosus criticus, cum brevi hoc iudicio conficere Hecyram, carpere Terentium posset in „dinumeratione" sua fortasse coactus boni aliquid dicere de Eunucho, id mihi puto facilius quam aliis persuadeo. Quid si hoc addam: Nunc verum mihi colorem videtur habere nuntius Suetonianus, quo historicus nos docet: „Omnes fabulas Terentius aeque populo probavit, *quamvis* Volcacius criticus (aut temere non explorata re aut odiose parte veritatis silentio pressa) scribit: Sumetur Hecyra sexta, *exit bis* fabula. Verum praestat istiusmodi commendationibus finem imponere, quibus movemus quidem sed non promovemus. Nam si quis fortasse Ritscheliani commenti parte priore spreta altera grate accepta sic constituerit versiculum:

1) Wessn. Vol. I, p. 10. 2) Ibid. p. 7.

Digitized by Google

Sumetur Hecyra sexta, *exclusast* fabula [1])
et hanc senarii lectionem similibus argumentationibus stabilire et commendare suo iure poterit.

Ultimum sed gravissimum officium restat, ut de commenti mei probabilitate palaeographica accurate agam. Nam hic ipsa illa πειθανάγκη palaeographica mihi inventi fuit origo et fundamentum:

Exempla compendii istius, quo *fec* vel *fec̄* pro *fecit*, *dic* vel *dic̄* pro *dicit* in libris manuscriptis exarata reperimus ut minime ὄσῃ κόνις obvia sunt ita tamen et in libris „Donateis" non desunt: Sic passim invenimus *dic* vel *dic̄* pro *dicit*, *dix* vel *dix̄* pro *dixit*. Sed hae usitatissimorum vocabulorum notae levioris sunt momenti. Inveni *produc̄* (cum „tilda" ut dicunt, vitiosa, ut passim in cod. A) perperam correctum in *producit* in cod. V. (Wessn. I p. 99), vidi *dixere* et *laudare* pro *dixerit* et *laudarit* (Wessn. I p. 243. II p. 61) procul dubio ex *dixer̄* et *laudar̄* orta, vidi post *nolit* insertum ⟨*nol*⟩ (Wessn. II p. 302), notavi *quivū* pro *quivit* (Wessn. I p. 200), *relinquer̄* et *relinquerit* pro vera lectione *reliquerunt* (Wessn. I p. 18), repperi *intulto* pro *intulit τ ό* (Wessn. I p. 186), alia pauca eiusdem farinae. Lepidum deprendi exemplum ad Hec. 877. (Wessn. II p. 341) ubi *perit enim* restituit Schoellius ex *perire enim* (in cod. V) et PER ME (in cod. C.) vitio et correctione proxime ad morbi casum nostrum accedentibus. Sed si quis haec omnia simo damnet naso ultima haec accipiat: In brevi vita Terenti *et in corruptelae nostrae proxima vicinia* haec *tria deinceps* reperiuntur exempla: *dux* (sine lineola superposita) pro *duxit*, *ded* pro *dedit*, *fec̄* pro *fecit* (Wessn. I pp. 5 et 7). Plura non habeo sed haec mihi sufficiunt.

Simul autem totius disputatiunculae finis ecce adest. Nam quid disceptando assequi voluerim, quid ipsa rei natura assequi non potuerim, iam probe vides, candide lector.

Multo brevius, paulo audacius agam de altero loco conclamato, qui legitur in Euanthii quae dicuntur Excerptis de Fabula et Comoedia, nobis a Donato servatis.

---

1) Quod placuisse videtur Haveto.

Digitized by Google

Duplex loci dos est. Nam et materiam dedit philologis verborum criticis sat amplam coniciendi et disputandi simulque primarius exstat testis inter pauca illa et rara documenta super prologis comicis vere, quantum cognoscere possumus, Romanis. Legimus [1]):

„Tum etiam Graeci prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent; deinde θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id est deos argumentis narrandis machinatos, ceteri Latini ad instar Graecorum habent, Terentius non habet; ad hoc προτατικὰ πρόσωπα, id est personas extra argumentum accersitas, non facile ceteri habent, quibus Terentius saepe utitur" e. q. s.

Quanti ponderis fuerint haec verba Philippo Fabiae in stabilienda et commendanda sua hypothesi de Prologi Romani persona, novimus omnes, quotquot legimus sagacis viri librum qui inscribitur: Les Prologues de Térence [2]).

„Prologus" inquit „natus est Romae [3]) patre Plauto genitus [4]), a comicis posteris grate adoptatus [5]). Adulescens [6]) cum suo peculiari habitu [7]) in scaenam prodibat. Sed adulescentem non modo sibi adoptaverunt recentiores poëtae comici sed etiam adaptaverunt [8]), ita ut modo Caecilianus, modo Terentianus, modo Naevianus, modo Afranianus [9]) evaserit". Quantilla istius hypotheseos pars firmis nitatur testimoniis, quanta vero seu probabili ratiocinatione seu lepida coniectura sit subiuncta et superaddita, id rerum peritis repetere mihi non opus est. Vel sic mihi hypothesis (iusto magis fortasse) arridet. Sed

---

1) Wessn. I, p. 18 sq.

2) Philippe Fabia: Les prologues de Térence. Paris—Avignon 1888, p. 84 sqq.

3) Prologus, personnage permanent du prologus, ne vint pas de Grèce: il naquit à Rome.

4) C'est dans le théâtre de Plaute, que nous rencontrons pour la première fois l'étrange personalité de Prologus.

5) Mais n'y-a-t-il qu'un personnage de ce nom? Il y en eut plusieurs.

6) Les vieux comiques romains avaient fait de Prologus un jeune homme, cf. Ter. Heaut. Prol. 2.

7) Ter. Hec. Prol. II, 1.

8) Le Prologus de Térence, celui de Caecilius, celui de Naevius, celui de Plaute furent des individus distincts.

9) ..... lorsque commença la vogue de la togata, dans ce nouveau genre Prologus était un jeune Romain.

Digitized by Google

tristi inopia testimoniorum et in hac re premimur [1]). Quae cum ita sint non mirandum est auro cariora fuisse Fabiae pauca ista Euanthii verba, quae totis viribus, ut ita dicam, sic est interpretatus: „Tum prologi pronuntiatores (adulescentes) istos, quos in scaenam induxit ars comica Latina, Graeci numquam noverunt". Talem esse loci sensum unice verum sibi persuasit vir sagax, dum observat artissime hic Prologos coniungi et quasi uno tenore proferri cum deis deabusque ex machina et cum personis protaticis. Cuius argumenti (per se me iudice minime spernendi) ut augeat pondus pretiumque scite admodum suoque iure nostro loco alterum Euanthii locum opponit hunc: „Comoedia per quattuor partes dividitur: prologum, protasin, epitasin, catastrophen; est prologus velut praefatio quaedam fabulae" e. q. s. [2]) atque „hic iam" inquit „deprendimus prologum de verbis, de oratione dictum, sicut priore nostro loco Prologi apparuerunt prologorum pronuntiatores.

Sed hic sedate oblocutus est vir summae in hac materia auctoritatis Fredericus Leo, qui de loco controverso et alia multa scripsit et haec [3]): „Keinesfalls ist es gestattet, aus diesen Worten zu schliessen, der Grammatiker habe bezeugt, dass es bei den Griechen keine von der Handlung und ihren Personen gelöste prologi gegeben habe". Vix quisquam nunc est, opinor, qui perlecta disputatione, quam ipse Leo scripsit de prologo comico apud Graecos et Romanos nascenti, crescenti, adulto, hisce obloqui ausit. Tum continuo sic pergit „oder gar" (id est nimirum: vel quod multo etiam audacius dictum est multoque magis a vero abhorret) „dass er den personificirten Prologus habe bezeichnen wollen". Haec contra Fabiam sunt scripta verba, ut apparet ex annotatione in paginae calce addita:..... „Fabias Meinung, dass hier nur von der Person, erst später (4, 5) vom Inhalt des Prologs die Rede sei, beruht auf einem Missverständnis. Hier (priore nempe loco nostro) wird von den Verschiedenheiten der römischen von der griechischen und der terenzischen Komödie von andern römischen gehandelt, dort von den Teilen der Komödie". Sed

1) Faute de textes il nous est impossible de dire ce qu'il devint au juste chez les divers poètes. 2) Wessn I, p. 22.

3) Fr. Leo. Plautinische Forschungen², p. 224 sq.

Digitized by Google

si omnino aliquid in hac re dispicio, cavillandi potius quam redarguendi vis in ultimis hisce verbis inest, et observatio Leonis non nisi hactenus vera est, quod iam *non cogimur* (ut putat Fabia) prologos istos personas intellegere, *minime tamen id vetamur*. Porro nunc sequamur Leonem sic scribentem: „Welchen Inhalt der Satz gehabt hat, kann nicht wohl bezweifelt werden..... Der Grammatiker hat die Prologe bezeichnet, die nur die Ankündigung des Stückes und Persönliches enthalten, das heisst die terenzische Form, die auch bei anderen, aber nur bei Lateinern vorkam". Iterum dictum sit: vix quisquam erit, quin nunc libenter assentiatur, eiusmodi tantum prologos, quales indicaverit scriptor, iure dici posse prologos vere Romanos, solumque id esse prologorum genus cuius nullum umquam exemplum protulerit Graecia [1]). Id ergo genus prologorum quin unice spectaverit, unice voluerit indicare Euanthius verbis suis sive obscuris sive corruptis, id ne dubitemus monet Leo, multique, ut opinor, ei sunt adstipulati. Quantilli vero pretii re semel inventa et stabilita Leoni fuerint verba tradita lucide ostendit ultimis hisce verbis, quibus quaestioni finem imposuit: „Möglich dass er *nostrorum* gleich *Terentianorum* setzte, aber auch dann muss ergänzt werden: *quos* (*etiam alii*) Latini habent".

Vix operae pretium duco hic observare, quam egregie mihi displiceat explicatio ista, qua *nostrorum* pro *Terentianorum* nobis obtrudens inducitur bonus grammaticus et prorsus tacebo de additamento „necessario". Quid enim? Siquidem de re constat, quid de verbis litigandum est? Etsi sic non fit optime, variis modis aliis bene fiat!

Denuo nunc Leonis interpretatione muniti ad grammatici verba accedamus: Haec igitur Euanthius docet lectores: „Certum quoddam prologi comici genus (quod Terentianum haud iniuria appellaveris) unice Romanum dici potest, apud Graecos non invenitur; deinde *θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς* e. q. s." Orsus igitur a *stili* (ut ita dicam) *differentia* quadam, non nisi subtiliore

1) „..... Ueber die Entwicklung des komischen Prologs wird stofflich nach Leos Ausführungen in den Plautinischen Forschungen und nach dem von Franz beigebrachten Material nichts Neues zu sagen sein". Sic W. Süss in Museo Rhenano (1910, p. 442).

Digitized by Google

(si quid in hac re sapio) iudicio mentis assequenda, uno narrationis tenore pergit loquendo de *personis* istis deorum hominumque, quae aut passim aut rarae apud varios comicos scriptores obviae, notissimae sunt omnibus, qui non plane sunt hospites in fabulis comicis. Bene censeo et hoc animadvertamus, in verbis locum nostrum proxime praecedentibus sermonem fieri de chori comici partibus, *quae et ipsa quaestio tota in personis versetur*. Ipsa haec tam varii generis nuntiorum arta coniunctio suspicionem mihi movent, qua suspicione me liberare non potero, nisi prius, cur tandem de prologi pronuntiatioribus, de Prologis, in priore nuntii Euanthiani parte agi omnino nequeat, certo certius didicero. Nam quod hucusque dedi gravamen Leonis me hoc nondum didicit. *Non cogimur, non vetamur*. Sed me ad Fabianam hypothesin relabentem statim retinet alterum gravamen, quod hucusque de industria praetermisi, quodque nunc proferam atque examinabo. Breviter ergo sic repetam Leonis verba ultimumque hoc gravamen addam: „Keinesfalls ist es gestattet zu schliessen der Grammatiker habe den personificirten prologus bezeichnen wollen, *in welchem Falle es überdies prologum heissen müsste*" [1]).

Sed id praefracte negare ausim. Quae quidem audacia esset ridicula et nullius pretii nisi pro virili argumentationem addere conarer. Nova non proferam, vetera rerumque peritis notissima meo modo proponam: Denuo igitur ad partes vocandi sunt senarii Terentiani:

> Ne cui sit vestrum mirum, cur partes seni
> Poeta dederit, quae sunt adulescentium [2])

et

> Orator ad vos venio ornatu prologi [3]).

E priore loco efficitur moris fuisse Romani iam ante Terentium, ut adulescens vice Prologi fungeretur. *Mos* Plautinus dici non potest. Fuit igitur, quantum conicere possumus mos Caecilianus, factus tum est mos Terentianus κατ' ἐξοχήν. Fuitne *mos* Graecus? Profecto non fuit. Si fuisset et Plautinus fuisset, nisi quis fortasse contendere velit, prologorum Plautinorum

1) Typis cursivis dedi ego.
2) Heaut. Prol. 1 sq.
3) Hec. Prol. II, 1.

Digitized by Google

varietatem ab ipso Sarsinate esse inventam invectamque. Iam quid de togatarum Prologis? Utrum magis verisimile videtur Romanarum istius generis fabularum scriptores, Terentii aetate aut paulo post florentes ad Plautinam Graecamque rediisse Prologorum varietatem an probabilius videtur, eos morem normamque palliatarum Terentianarum in togatas suas transtulisse? Hoc opinor. Afranium togatarum scriptorum decus eundemque summum Terentii admiratorem in fabulis suis felicissime „graecissitasse" disertis sane novimus testimoniis. Quin etiam Graeco more Priapum, Remeliginem [1]) Sophiam Prologos eum induxisse in scaenam notum habemus. Tria haec sunt exempla, sed *plus quadraginta* togatas dedit egregius poeta. De Titinii et Attae prologis nihil nobis traditum est. In tanta testimoniorum penuria quid suspicari nobis liceat, quid non, id haud facile dixeris. Equidem paucissimis illis exceptionibus Afranianis regulam confirmari credere ausim, maioremque partem togatarum fabularum a Prologo adulescente iam Romano facto in scaenam esse introductam cum Fabia (nimis facile fortasse) mihi persuadeo [2]). Alterum testimonium Terentianum de Prologi ornatu diserte nos docet, Prologum adulescentem iam ante Terentium peculiari suo ornatu praeditum in scaena Romana conspici solitum fuisse. An putemus Terentii hoc fuisse inventum? Potius credamus censeo iam ante Terentium Prologum Caecilianum cum suo ornatu populo Romano apparuisse.

Qualis fuerit iste ornatus nusquam verbis adumbratum reperimus. Sed habemus imagines codicis Vaticani, talemque fere, qualis ibi depictus conspicitur, fuisse olim Terentianum Prologum fortasse credere licet. Iam si quis porro perhibeat et Caecilianum Prologum et ceterarum palliatarum Romanarum Prologos Terentiano isti tam similes fuisse quam lac lacti, ego non obloquar. Sed id opinor pro certo statuere licet: *togatarum Prologum toga fuisse ornatum.* Nonne duo ergo Prologorum genera spectatoribus exhibuisse scaenam Romanam,

1) De Remeligine Prologo cf. Fabiae disputatiunculam lepidam in diarii c. t. Revue de Philologie, Volumine XVIII° (1894, p. 139 sqq.).

2) Versus illos, quos e Compitaliorum prologo nobis servavit Macrobius (Saturn. 6 : 1 : 4), quibus Afranius se contra obtrectatores defendit, partem esse prologi vere „Terentiani" quis non sentit?

Digitized by Google

palliatum alterum, alterum togatum, iure nostro suspicabimur? Quidni aut ipse Varro aut alius minorum gentium grammaticus aliquis de Prologis illis scriberet? [1]) Quo tandem iure Euanthium aliquem de istis personis in plurali numero sermonem facere vetemus, id scire pervelim [2]).

Sed graviora restant. Fuitne umquam Graecus Prologus adulescens τῆς νέας an numquam prodiit? Nescimus. Caute super hac re scripsit Leo: „Den Prologredner, der sich umkleiden muss um seine Rolle im Stück zu spielen finden wir auch Poen. 123. 126.... Ob er aus der griechischen Bühnenpraxis stammt ist nicht nachzuweisen, da jeder die Rolle spielen konnte und er also im Technitenpersonal als eigne Figur keine Stelle hat". [3]) Sed eiusmodi Prologum in fabula Menandri aut Apollodori una alterave conspectum fuisse ideo probabile duco, quod minus probabile mihi videtur eum a Plauto inventum esse, quodque Leo paulo post (de prologorum *formis* variis praesertim disserens) dicit: „und was bei Plautus als griechisch nicht zu belegen ist braucht darum noch nicht römischen Ursprungs zu sein" [4]) id perinde de Prologorum *personis* valere persuasum habeo. Sed *mos* Graecus numquam fuit, ut adulescens prologi pronuntiator in scaenam prodiret.

At vel sic vineta mea cecidisse videor. Nam etiamsi rarus hic illic modo in scaenam prodiit Graecus adulescens Prologus, fallitur quisquis scribit: tum etiam Graeci Prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent.

Quid nunc? Responsio mihi sat audax in promptu est haec: *Erraverit ergo per me licet Euanthius*! Quid? Nonne in verbis

---

1) Macrobius circa annum 400um in Saturnaliorum prooemio (Saturn. Praef. § 16) haec scribit: „nunc argumentum, quod huic operi dedimus *velut sub quodam prologi habitu* dicemus".

Utrum his verbis Terentium modo respexerit vir ille antiqua doctrina et literis affluens an potius de Prologis adulescentibus in universum cogitaverit, id diiudicare non ausim. Sed locum indicasse operae pretium esse putavi.

2) Euanthium nostrum sedulo rationem habuisse togatarum fabularum et Afranii praesertim, id cum e toto eius „tractatu" apparet tum praecipue nos docet brevis illa titulorum series, qua e „nomine, loco, facto, eventu" inscriptas esse comoedias docet (Wessn. I, p. 26). Ibi enim praeter titulos Plautinos et Terentianos tres modo alii allegantur, *quorum duo sunt Afraniani*!

3) Plaut. Forsch.[2] p. 190. 4) Ibid. p. 192.

Digitized by Google

proxime sequentibus manifeste erravit bonus grammaticus dum haec scribit: „.....ad hoc προτατικὰ πρόσωπα non facile ceteri habent, quibus Terentius saepe utitur"? Atqui apud Plautum προτατικὰ πρόσωπα minime desunt! Quidni modo simillimo bis erraret grammaticus noster? Tantaene est audaciae suspicari, exempla illa rarissima Prologorum adulescentium Graecorum aut eum fugisse aut de industria ab eo esse omissa, dum Prologum adulescentem *de more* in scaenam prodeuntem Latinis vindicaret comicis? Me prudentiores ergo cautioresve Leoninam in hac quaestiuncula sequantur doctrinam, mihi tanti est grammaticum nostrum duplicis erroris crimine arguere, dummodo simul in eius narratione *personatis* Prologis medium iustumque, si quid sapio, vindicem locum inter chori *personas* proxime praecedentes et inter deos ex machina cum *personis* protaticis continuo subsequentes.

Nunc ad verba veniamus:

„Tum etiam Graeci prologos non habent more *nostrorum* quos Latini habent". Recte sic Leo: „Der Satz hat durch die Ueberlieferung gelitten. Dass Reifferscheid mit Unrecht *quos Latini habent* gestrichen hat, bedarf für den, der die ganze Stelle betrachtet keines Beweises, aber es ist richtig dass in *nostrorum*, *quos Latini habent* der Relativsatz dass Pronomen aufhebt, oder umgekehrt" [1]). Quibus verbis statim hoc additum velim: Numquam in tractatu suo grammaticus adhibuit vocabulum *noster* pro *Latinus* vel *Romanus*, quamquam (quod ipsa expositionis ratio fert) occasionibus minime deficientibus. Quo facilius animum induco, ut istud *nostrorum* unice corruptum putem. Eadem fuit opinio Schoellii, eadem Wessneri. Schoellius proposuit *oratorum*, haud illepide, sed nimis artis, quippe Terentianis, finibus rem circumscribens. Dubitanter et sobrie Wessnerus legendum proposuit: *eorum*. Aptum hoc quidem quod ad sensum attinet, sed quare et quomodo simplex illa vera lectio *eorum* in *nostrorum* abierit, haud facile quis dicat [2]).

---

1) l. l.

2) Wessn. I, p. 18. Ceterum ex Schoellii coniectura, nisi egregie fallor, apparet et huic viro docto loco nostro sermonem fieri de Prologis personatis.

Digitized by Google

Iam quid ipse excogitaverim breviter expediam. Tantum abest, ut cum Reifferscheidio aliquid hic delendum esse existumem, ut tempore atque incuria librariorum aliquid hic deletum esse perhibere ausim. Qua in suspicione admodum mihi firmatur animus, quod in uno saltem libro bono lacunam ante vocabulum *nostrorum* deprendimus, ita ut iam, etsi novarum rerum minime cupidus, *novi* tamen aliquid aegre hic desiderem. Quid? Nonne de novitate, de novatione, sermonem facit noster grammaticus, ubi Prologos istos Romanos palliatum togatumque, de more in scaenam identidem prodeuntes, suo iure etsi fortasse parum recte, opponit Prologorum Graecorum cohorti variae?

Audiamus virum de origine satirae Romanae disserentem: „Et hinc deinde aliud genus fabulae id est satyra sumpsit exordium.... quod idem genus comoediae multis offuit poetis cum in suspicionem potentibus civium venissent, illorum facta descripsisse in peius ac deformasse genus stilo carminis; quod primus Lucilius *novo* conscripsit *modo*, ut poësin inde fecisset, id est unius carminis plurimos libros" [1]). Hic igitur satirae illud genus, Romanum κατ' ἐξοχήν, *novo modo* generatum nobis proponit Euanthius et apte et optimo iure. Quid si modo prorsus simili de *novis* istis Prologis Romanis haec scripsit: „Tum etiam Graeci Prologos non habent *more novo istorum* quos Latini habent" e. q. s.?

Istud *novo istorum* librariorum socordia in *nostrorum* coaluisse, id non nimis temere, opinor, suspiceris.

---

1) Wessn. I, p. 17.

(Continuabuntur).

Digitized by Google

SOPHOCLEI CHORI PERSONA TRAGICA.

SCRIPSIT

IGN. ERRANDONEA S. I.

(Continuantur e pag. 328).

CAPUT OCTAVUM.

Epilogus.

Cum oculis nunc et memoria recolo quae his capitibus scripsi cumque viam recurro quam sum hucusque persecutus, etsi valde gaudeo quod non initio professus sum, me cuncta quae de chori persona essent inquirenda inventurum, tamen spes me tenet magna fore ut ante multos annos exsistant, qui totum hoc opus perficiant et nobis non minus Aristotelis famam confirment, quam Sophoclis veram interpretationem, chorique eius germanam naturam propriamque personam describant.

Erunt sine dubio qui id faciant, et viam qua id obtineatur eam esse quam lento gradu percucurrimus, eaque progressos personam chori nos reperturos esse firmiter spero.

Quod ut tam confidenter profitear, id me maxime movet, quod velut insciis occurrerunt nobis, dum progrediebamur, nonnullae gravissimae res, quas iamdudum quaerebant frustra commentatores omnes non minus quam scholiastae antiqui.

Si enim fides est mihi habenda amicis, quorum est hac in re sincerum iudicium et verax, stasimum secundum *Oedipi Tyranni*, exempli causa, ita nobis hanc chori personam detexit ut haec iam existimanda sit huius loci vera interpretatio; cohaeret enim, aiunt, apte cum historia Oedipi et Lai, cum erroribus vel superstitionibus Atheniensium, cum Aeschyli et Euripidis de hac ipsa re tragoediis, cum toto dramate Sophocleo cumque aliis duobus quae de eadem familia Labdacidarum agunt.

Digitized by Google

Similiter in *Antigona*, si chorum actorum socium et consortem esse sumimus, stasimum quartum suum locum in tragoedia obtinet.

Magis repugnabunt nonnulli, saltem nunc initio quoad assuescant aures, his quae de *Philoctete* et *Aiace* scripsi; est enim durum interpretibus repente decedere de sententia et errorem fateri, praesertim quando, ut in his tragoediis est factum, gravissime et tamquam de re summi momenti diu fuit iudicatum de verbis quae iam multo esse leviora et fere per iocum dicta fuisse comperta sunt. Mihi vero nec Aiacis clamores et insaniam, nec Philoctetis lamentationes et dolorem tam serio tractari a Sophocle quam commentatores saepe credidere, certum est; neque dubium est quin, dolis Ulixis bene explicatis, spinae quibus *Philoctetis* tragoedia consita est, aut omnino aut magna ex parte removeantur. Praeterea manifestum est, nullo alio modo potuisse adhuc Aiacis fabulam compingi et coagmentari nisi perpetuo metu, quo *chorus* ab initio ad finem usque afficitur et torquetur. Quod ad clamores vero attinet, quam sunt illi diversi a gravissimis illis omnique commiseratione plenis eiulatibus quos edit Oedipus Rex in exodo, quibus vix meminit doloris in corpore e laceratis oculis, sed solum in animo ob foedissima facinora detecta.

In *Electra* etiam, quia chorus inducens atque impellens apparuit quem ante semper frenare et coercere putabant, et Electram nobis descripsit, inertem quidem et flebilem, sed ab ipso choro actam et excitatam et impulsam, multa debuerunt corrigi et emendari quae in huius fabulae interpretatione dura erant et violenta et falsa. Possint similia dici de *Oedipo Coloneo*.

Nulla tamen re magis apparet recta nos via incedere, dum chori personam reperire conamur, quam multitudine lectionum antiquarum, quas restituit nobis haec investigatio. Eae sunt satis multae, praesertim in *Antigona*, *Oedipo Coloneo*, *Philoctete*; quae cum continerentur omnibus codicibus manuscriptis, reicerentur tamen ab omnibus editoribus et interpretibus, nunc aut necessarias omnino ad veram interpretationem aut saltem iusti rectique sensus capaces esse apparuit. Quamquam, dicendum enim id est honoris causa, fortunati sumus qui hac aetate vivimus, quando maior est in dies veneratio et reverentia

Digitized by Google

monumentorum scriptorum, et minor audacia et libido corrigendi textus quos summo consensu nobis omnes antiqui codices tradiderunt [1]).

Iam vero, si quidquid de chori natura et actione extudimus, colligere licet, imprimis *parabases* nullas me reperisse debeo fateri; *hyporchemata* vero cuncta quae explicui, ita ex actione et ex chori dictis factisque enascuntur, ut magnam in Sophocle artem revelent summamque in audientibus delectationem; nam chorus in personam veram constitutus et, sicut faciendum ait Aristoteles [2]), aut τὸ ἀναγκαῖον aut τὸ εἰκὸς semper sequens, tam in *Aiace* quam in *Oedipo Coloneo* canit quae ab ipso eo puncto temporis essent exspectanda quaeque in exitus pulcritudinem conducunt miro modo. Canunt hilarem illam odam nautae in *Aiace* quia credunt, et ita est revera factum, Aiacem destitisse a pugna cum Atridis; tristi illi cantui se dant Colonei senes quia, ne Oedipus vivendi spe illectus ab eis discedat, vitare omnino volunt.

Mediam autem istam mixtamque chori naturam, qua sibi licere putet alia aliis actoribus, aut uni ipsi diversis temporibus inter se pugnantia dicere, cum id ad agonem necessarium sit, quae et naturae dramatis et Aristotelis verbis plane contraria esset, in nulla omnino e Sophoclis tragoediis reperiri dicendum est. Non in *Electra*, ubi verba iam exposui quorsum sint ea dicta, non in ullo ex reliquis dramatis. Quis enim dicat, qui nolit pertinacia vincendique studio veritati resistere, non sibi constare chorum in O. T., quod dicat versu 284 et v. 298 Tiresiam cuncta nosse, versu vero 500 de eius scientia dubitet, cum contraria sit maximae illi opinioni quam de Oedipo habet chorus?

---

1) Libenter ad Sophoclem refero quae de Euripide scripsit G. Murray: „Plus interpretationis eget, me iudice, Euripides quam emendationis; nec, puto, bene interpretis vice fungetur homo quamvis doctus, nisi artis scaenicae aliquid sapiat, nisi cum magno homine magnoque poeta se rem habere semper intellegat, nisi denique in unoquoque δράματι non solum versus et sententias sed etiam homines δρῶντας — agentes dolentes timentes furentes — constanter sibi ante oculos proponere meminerit". *Euripidis Fabulae*, I, Praefatio, ad finem. Addendum fortasse est etiam chorum constare *hominibus* δρῶσι καὶ συνδρῶσι.

2) *Art. Poet.* 1451b, 9.

Digitized by Google

Ex quibus omnibus facile concluditur chorum non *spectatorem* multoque minus *idealem spectatorem* esse; agit enim multa in *Electra* ex. gr. et in O. Coloneo, et patitur in Aiace multa, dum spectatores nec patiuntur nec laborant, sed sedent laeti et tranquilli. Quamquam miror equidem quomodo idealem possint vocare spectatorem eum chorum iidem interpretes qui eum tam stulte deceptum fingunt in *Aiacis* et *Oedipi Tyranni* hyporchematis, quando veri spectatores vident nihil esse, cur ita laetitiae se dedant, cum deberent maxime dolere.

Non est magis verum chorum *poetae vocem* referre in Sophocle et iudicium scriptoris de rebus actis in scaena manifestare; sit enim hoc verum de *Oedipo Tyranno* aut *Colonco* aut *Antigona*, quamquam ne id quidem facile concesserim; sed anne poëta decipitur in *Philoctete* aut decipit Philoctetem? an metu exanimatur, ut *Aiacis* nautae, poëta?

Frequentior est sententia illorum, qui autumant chorum semper sustentare personam principem. Quid si ipse est persona princeps, ut in *Aiace*? Quid si est difficile, quaenam haec princeps persona sit, discernere, ut in *Antigona*? Quid si personam ‚principem perdere conatur, ut in *Philoctete*? Quid si, quando stat pro ea, non tam iuvat eam quam regit, impellit, versat, ut in *Electra*?

At vero dicitur chori munus esse attollere sese, res ex altioribus locis prospectare, summam rerum contemplari, ex actione ad generales idealesque prospectus deducere spectatores. Iam velim mihi dicant, quinam sint ideales illi prospectus nautarum in *Aiace*, quando bello male dicunt, voluptatibus, vino, choreis inhiant.

Quid igitur est tandem aliquando Sophocleus chorus? Si hoc interroganti ea mens est, ut respondeatur in universum et uno verbo, ubi loci consistat chorus semper in tragoediis, et quam rationem habeat cum persona principe aut ipsa actione, frustra id quidem quaeritur. Tam varias enim tamque inter se diversas formas induere potest chorus, quam varias quamque diversas quivis actor potest. In ipsis enim, etsi tam paucae sunt, Sophoclis tragoediis quas hodie tenemus summa est varietas et diversitas. Umeris sustentat totam fabulam, totamque actionem ipse summo conatu interque infinitas difficultates

Digitized by Google

ducit ad exitum in *Electra*. In *Aiace* nihil toto tempore agit, sed patitur et exhorrescit et clamat et in se attentos retinet spectatores; in eum enim, tamquam fluctus in naufragum, aliae post alias impelluntur et influunt scaenae omnes, quoad tandem deponitur in littore; illic eum exspectabant benevolae manus Ulixis. In *Philoctete* vero tam clare tenet secundas partes, ut id plane et diserte dicatur a Neoptolemo (143. 148); obsequitur enim toto tempore adulescenti, dumque ita agit, decipitur ab Ulixe non minus quam ipse Neoptolemus. Ne illi quidem senes, quibus chori cycli Thebani constant, populi Thebani et Coloni vicarii, unam faciem gerunt unumve habent colorem. Oedipum enim Regem ardentissime diligunt, mordicus ei adhaerent, laeti dum valet ipse, anxii cum eius fama vacillat, tristissime cum collapsum eum et prostratum vident. In *Coloneo* mutatur animus chori, quemque primo detestantur caecum senem, amore et benevolentia prosequuntur cum vident patriae fortunam in illius animo periclitari. Contra fit in *Antigona*; qui toti primo a Creonte sunt, deinde eum relinquunt, insolenter agentem reprehendunt, deiectum in fine conculcant.

Sed paucis explanandum est, quid tandem agere possit chorus in tragoediis, ut intellegant spectatores quam personam gerat. Actor est verus, multum tamen differt a reliquis actoribus, sicut differt ab spectatore. Est profecto magis in actionem immersus magisque cum ea connexus quam spectator quivis, etiamsi sit attentissimus et maxime sollicitus. Sed res perficere manibus fere numquam potest: non ipse occidit Aegisthum, non comitatur Philoctetem, non filias Oedipi e Creontis satellitum manibus eripit; semel tantum exit de scaena, in *Aiace*, et ne tunc quidem quod volebat exsequitur; in *O. Col.* cum senibus conatur de Oedipo retinendo decertare; in universum vero, ut eleganter dixit Aristoteles [1]): *εὔνοιαν... μόνον παρέχεται οἷς πάρεστιν.*

Eundem habent sensum illa Stagiritae verba quibus dicitur chorus esse *κηδευτὴς ἄπρακτος* (ibidem). Quidquid animo, consilio, verbis agi potest, id omne decet chorum, est verus

1) *Probl.* 19, 48.

Digitized by Google

κηδευτής, hoc sensu est verus actor; est tamen ἄπρακτος, manibus non multa agit. Non igitur in his verbis inertiam quam altera vox significat ita augere debemus, ut sollicitudo quam primum denotat minuatur [1]).

Idem repetit alias Aristoteles: ὁ μὲν γὰρ ὑποκριτὴς ἀγωνιστὴς καὶ μιμητής, ὁ δὲ χορὸς ἧττον μιμεῖται..

Ita si intellegetur chori et personae natura, nemo iam, credo, negabit verum eum esse actorem et vera esse verba Aristotelis de quibus per totam commentationem meam egi. Quadrat in hunc locum quod dixit AD. ROEMER [2]) de Aristotele interpretando, nullo nos scilicet iure pollere ut Aristotelem contemnamus, etiamsi quando nobis minus placet quod dicit; novisse eum eos homines quibus scriberet; ea autem quam ab eo fuerint scripta, a scriptoribus qui eum sunt consecuti, saepe fuisse repetita.

Possunt autem sine dubio multi esse gradus in personae huius notatione, sicut possunt esse in cuiuslibet personae, multaque restant fortasse etiam nunc investiganda, ut ea ipsa magis magisque definiatur.

Unam tantum singularem rem significatam velim. Interdum Sophocles, dum apposite cantus suos emittit chorus, summo in aestu nonnihil deflectit, quasi lyrico enthusiasmo devectus, ita ut quae tunc canit, exitum aut venturas res in scaena praenuntient; sic deviat paululum in *Electrae* versibus 505 sqq., et qui cantus hilaris erat initio, tingitur in fine nonnulla tristitia dum cogitat Myrtili interitum; praedicit autem de morte Orestis fictum nuntium. Minus etiam fortasse dissonant in eadem tragoedia quae respondet Electrae vv. 193 sqq.; sunt

1) *Probl.* 19, 918^{b} 15.

2) *Philologus*, N. F. 19 (1906) 68: „Aristoteles ist nicht so leicht aus seiner Position zu werfen. Das Wort, welches er dort weiter noch gesprochen, wird wohl klassisch bleiben fur alle Zeiten 7. 34.... Mögen nun auch diese Urteile des Stagiriten nicht nach unserm Geschmack sein, so leicht über sie wegzugehen haben wir nicht das Recht, vielmehr haben wir aus ihnen zu lernen, wie ein Mann von Urteil, wie ein Grieche sich zu einer so wichtigen Frage der σύστασις τῶν πραγμάτων stellte. Wenn wir sehen, wie die späteren griech. Dichter in dem Punkte strengere Forderungen an sich stellen als die früheren, so erhellt doch daraus offensichtlich dass sie mit einem Publikum, das auch darauf seine Aufmerksamkeit richtete, zu rechnen hatten und wirklich gerechnet haben".

Digitized by Google

autem rerum quae in fine fabulae accident imago. Multo magis decedit et quasi digreditur chorus in *Antigonae* stasimo quarto, et veluti delapsus illis ipsis navibus quibus Danaen deductam narrat prima stropha, orditur in secunda de Lycurgo dicere, et deinde de Cleopatra, quibus praeludit exitum totius tragoediae; maxime autem est memoria tenendum, chorum dum haec meditetur, solum stare in scaena. Similia sunt etiam in Trachiniis. Ceterum fixam omnino suam naturam servat.

Quae cum ita sint, iam conicere est facile qui sit effectum ut Sophocle tantopere delectarentur cives Athenienses; in illius enim tragoediis et musica et sacra saltatio et lyricae odae, et actiones personarum, omnia in unum confluebant, abreptumque ferebant spectatorem dulcissima sustentatione a prologo ad exodum. Ideo tot victorias reportavit [1]), cum Euripides non nisi quattuor, dum viveret, est assecutus.

Ex his ergo quae dixi etiam efficitur, cur minus placuerit Atheniensibus Euripides. Non tam facile ad dicendum est cur, cum haec ita sint, Euripidi non placuerit hoc tragoedias conscribendi genus. Utut est, huius rei causa in eius ingenii indole procul dubio quaerenda est. Fortasse autem haec est ratio: habet haec chori constitutio artificiosi nonnihil et ficti, quod, etsi delectabat spectatores, ne ipse quidem Sophocles adhibere feliciter potuisset, nisi diuturni temporis consuetudo praecessisset, qua essent assueti Athenienses videre duodecim vel plures homines uno quasi animo viventes, eadem semper sentientes uniusque saepe viri ore cuncta quae sentirent proferentes. Fas erat id ipsum facere Euripidi, sicut Sophocli, sed fortasse non placebat rigido eius atque duriusculo animo; itaque coryphaeo quidem in scaena partes suas tribuit, cantus vero choreasque elegit quae cum actione plus minusve connexa essent, voluitque hos concentus non quasi e re tunc sponte natos sed quasi praeparatos videri, quibus non moverentur actores, sed spectatores. Senes illos, ut exemplo utar, inducere brevitatem

1) Duodeviginti victorias retulit Sophocles, Diod. XIII, 103, 4. Idem apparet ex laterculo, in quo Sophoclis commemorantur XVIII victoriae Dionysiis magnis partae; Suidas qui XXIV eius victorias enumerat, comprehendisse videtur hoc numero etiam victorias Lenaeis partas, Ioh. Kirchner, *Prosopographia Attica*, II, 264.

Digitized by Google

vitae canentes mortisque maturae commoda, non quod ita sentirent, sed quod vellent Oedipi animum sibi retinere, Euripides nec voluit nec fortasse potuit. Sophocles, qua erat facilitate ingenii, audientibus inserviebat. Uter rectius egerit, non mea refert; neutrius ego patrocinium suscipio; Sophoclem ita fecisse ut dixi ostendere conatus sum hoc libro.

Et sicut abstineo quominus hanc quaestionem profligem, ita etiam alias multas quaestiones arceo, inprimis de moribus et religione, quae in utriusque poetae scriptis reperiuntur. In ore enim omnium sunt laudes in Euripidis audaciam, et vituperationes in Sophoclis pietatem coniectae. Sed fortasse „non erat his locus".

Antequam finem faciam, liceat mihi profiteri non fuisse meam mentem lacessere cuiusquam animum his quae hoc opere scripsi. Vitavi id quantum potui. Si quos scriptores, dum refellebam, saepius nominavi, ea tantum causa est, quod eos pro eximiis habui. Nam cum investigationis hoc opus sit neque rerum quae ab aliis dictae sunt repetitionis, debui saepe eos appellare quos maximi in quaque re aestimarem.

Ad Thucydidem.

Thucydides VII 13, 2. *οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας προφάσει ἀπέρχονται*, libri. alii alia. malim *ἐπ' αὐτομολίᾳ προφανεῖ*.

J. A. Fitz Herbert.

Digitized by Google

PROPERTIANA (AD LIB. III).

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Elegia I.

Callimachi manes et Coi sacra Philitae,
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro?
Quove pede ingressi? quamve bibistis aquam?

Nonne potius *aggredior* poeta scripsisse putandus est? Causa haud una est quae id mihi persuadeat, primum notio atque usus verbi aggrediendi cum infinitivo (*orgia ferre*) iuncti, ut Cic. Off. II 1: de quibus dicere aggrediar e. a., deinde idem verbum intra paucorum versuum spatium iterum positum (*ingressi* vs. 6), denique vero Manilii imitatio, quem Astron. I 3 sqq. Propertii locum ante oculos habuisse ante me multi monuerunt, ubi scripsit:

caelestis rationis opus deducere mundo
aggredior primusque novis Helicona movere
cantibus et viridi nutantes vertice silvas,
hospita sacra ferens, nulli memorata priorun.

Elegia V.

Haut ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus at inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris,
Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes,
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro:
Optima mors, parca quae venit acta die!

Digitized by Google

Ita Hosius versum ultimum secundum cod. Neap. recensuit, aliis editoribus pro *acta* magis placuit reliquorum codicum scriptura *apta*.

Coniecturarum copia a criticis prolata haud sane parca est, qui dum omnes voc. *parca* suspectum habent proposuerunt: *tarda* Guyetus — *propera* Heinsius — *Parcae* Lachmann — *carpta* Baehrens — *Parca.... dea* Hailer. Postgate quoque vocabulum corruptum, Phillimore fortasse corruptum putat.

Mihi tamen constat, scripturam *parca* sollicitandam non esse, sed vitium latere in postremo versus vocabulo: poetae enim reddendum esse iudico:

Optima mors, parca quae venit acta l u e!

Sic demum evadit ipsa sententia quae requiritur; nempe post Iugurthae et Croesi casus miserandos aptissime admonemur, illam mortem optimam esse, quae veniat malis quam maxime exiguis adacta.

Elegia VI.

Propertius Lygdamum, Cynthiae servum, alloquitur

7 Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Siccine e a m incomptis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?

Cod. Neap. exhibet *si cā*, sed vix liquet utrum *c* an *e* scriptum sit — ceteri libri *sicut eam* — deteriores *siccine eam*, ut vulgo edd.

Pronomen *eam* ferendum non esse arbitror ante pron. *illius* in vs. sq., quo iterum Cynthia denotatur, atque, hercle, parum reverenter Propertius ita amicam suam huius servo indicaret! Corrige quaeso:

Siccine (h)e r a m incomptis vidisti flere capillis?

Elegia VII.

In pulcherrimo poemate de Paeto, qui in Aegyptum iter faciens demersa nave periit, poeta amissum amici corpus deplorat atque undas precatur ut id reddant, quo composito litora illa famam colligant et tumulus eius absterreat homines a lucro trans mare captando.

Digitized by Google

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Qua notat Argynni poena Mimantis aquas.
Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides,
Pro qua mactata est Iphigenia mora.

Ain tu, codicis optimi scriba? At satis hoc certum esse credo, hunc iuvenem, non alium fuisse! Revera locus nunc quidem speciem praebet annotationis ludimagistri, quae, in distichi formam conversa, in textum irrepsit, ut Hartmani fuit opinio. Scriptura voculae in archetypo obscura et ambigua fuisse videtur, quandoquidem reliqui libri non *Hoc*, sed *Nec* exhibent; omnia vero bene iam procedere videbis, si mecum rescripseris:

Heu iuvene amisso classem non solvit Atrides.

In eis quae continuo sequuntur:

Reddite corpus humo, posita est in gurgite vita;
Paetum sponte tua, vilis harena, tegas

multum sudarunt interpretes atque transpositionibus imprimis locum explanare conati sunt, cum alii Aquilonem et Neptunum (e vs. 13 et 15), alii undarum deos (quos nullos esse modo e vs. 18 didicimus!) imperativi *reddite* subiectum esse contenderent. Equidem Vahleno assentior, undas maris a poeta compellari, sed non ei concedo, poetas Latinos saepe imperativo uti, cum non addant, quos alloquantur, idque exemplis quae attulit minime probari Otto (Versumstell. I p. 21) verissime observavit.

Iam ad homines provoco numine Phoebi quamvis leniter afflatos, de quibus sciscitari velim, quos corpus Paeti reddere poeta iussisse putandus sit nisi undas maris, atque porro, num quis eorum, si idem argumentum tractandum sibi sumeret et similibus precibus uti vellet, umquam additurus esset insulsum illud *humo*. Immo nullus verus poeta locum, cui corpus redderetur, adiceret, cum ipsius verbi reddendi notio, per se satis diserta, additamentum tam otiosum non pateretur: accedit quod in vs. sq. *vilis harena* compellatur. Contra ea nemo ad imperativum *reddite* subiectum omitteret, si exprimere vellet hanc sententiam 'Praedam habetis, undae crudeles, at corpus reddite'.

Quae cum ita sint, poetae suum restituere iubeo, quod est:

Reddite corpus, aquae! posita est in gurgite vita.

Digitized by Google

Corruptelae originem sic explico: ad verba *reddite corpus* illustranda nescioquem glossam *humo* supra voc. *aquae* posuisse, hanc autem postea locum genuinae lectionis occupavisse suspicor, ut in codicibus mss. saepe factum est. Ceterum emendatione mea recepta nullam iam offensam habet scriptura codicis Neap. *posita est*, cui hucusque multi lectionem aliorum librorum *positaque* praetulerunt. Deinceps poeta ita pergit:

Et quotiens Pacti transibit nauta sepulcrum,
Dicat: 'et audaci tu timor esse potes'.
Ite, rates curvae, et leti texite causas:
Ista per humanas mors venit acta manus.

Vide quaeso an non affirmatio q. e. *Ista... manus*, nunc quidem satis ieiuna ac frigida mihi visa, tunc demum vim suam ac nervos obtineat, si pro *Ista* scribitur *Iusta*: mors, quae per humanas manus sive ipsorum hominum culpa adigitur, iusta venit et merita.

Ad locum iam pervenimus, quem quamvis multis coniecturis a viris doctis temptatum atque etiamnunc varie constitutum intellectumque parva emendatione sanari posse opinor. Est autem

Non tulit haec Paetus, stridorem audire procellae
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed Thyio thalamo aut Oricia terebintho
Et fultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues,
Et miser invisam traxit hiatus aquam;
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
Paetus ut occideret tot coiere mala.

In hoc loco recensendo vel maxime peccatum est interpunctione perversa, sed unum quoque vocabulum, quod aegre desideratur, in vs. 50 initio revocandum est: id autem abiisse credo sive eo quod sententiarum structura male intellecta est sive e compendio perperam interpretato sive oculis scribae ad pentametri praecedentis vel sequentis initium deerrantibus. Pro *Et fultum* (vs. 50) coniecerunt Palmer *Est fultum* — Puccius *Effultus* — Paley *Effultum* — Wratislaw *Et fultus*. Quid corrigendum sit me quidem docent *Huic* vs. 51 et *Hunc* vs. 53, quae pronomen relativum quod respiciant exigere

Digitized by Google

videntur: ita demum pronomen *hic*, bis cum emphasi in primo versus loco positum, apte enuntiatum erit:

Non tulit haec Paetus, stridorem audire procellae
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed Thyio thalamo aut Oricia terebintho
Cui fultum pluma versicolore caput,
Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues
Et miser invisam traxit hiatus aquam,
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
Paetus ut occideret tot coiere mala!

In ipsa morte Paetus haec precatus esse fertur
Di maris Aegaei, quos sunt penes aequora, venti,
Et quaecumque meum degravat unda caput,
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus.

Quousque tandem editores hanc absurdam tuebuntur lectionem? Rothstein explicat: „Aber nicht nur jung ist Paetus, sondern auch schön: das ist die Bedeutung der langen Arme", sed iure Enk observat: „Optime intellegere possumus longas manus nominari, ubi alia signa formae laudentur, sed fac poetam revera hic dicere velle: cur iuvenem me rapitis, cur moriendum mihi est, qui tam pulcher sim; nonne mirum est manus potissimum ex tot pulchritudinis signis elegi?" Id aliis multis haud aliter visum est; coniecerunt enim Francius *castas* vel *puras*, Lipsius *lotas*, Waardenburg *sanctas*, Postgate *sontes* — *manus*? Housman *nocuas* — *manus*? Phillimore *nullas* (I have done no violence to your waters, given you no provocation).

Ad hunc locum sanandum equidem hoc primum statuendum esse iudico, quid tandem Paetus illo tempore deis marinis asseverasse putandus sit. Nonne exspectaveris, eum admonuisse numina, dignum se esse quem servarent propter vota pie nuncupata, propter sacra rite facta? Ego sane haec fere exclamantem eum fecerim: „Quo me iuvenem admodum rapitis? At tamen hoc iter initurus dona opima vobis pro mea salute tuli!" neque dubito quin Propertius scripserit:

At tulimus largas in freta vestra manus!

Digitized by Google

Manus largas h. e. non parcas (cf. Horat. C. III 16, 43), sed plenas, munificas, et sententia similis est Hom. Il. I 39 sqq.

Elegia VIII.

Aut in amore dolere volo aut audire dolentem,
Sive meas lacrimas sive videre tuas,
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Versus 25 et 26 alii spurios iudicarunt, transposuerunt alii, alii aliter explicare sunt conati, rursus alii ante vs. 25 lacunam statuerunt. Mihi quidem parva emendatio satis esse videtur ad locum reficiendum, quae qualis sit docet Ovid. Her. 17, 81:

Ah quotiens digitis, quotiens ego tecta notavi
Signa supercilio paene loquente dari!

Reddendum enim esse poetae censeo:

Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda noto.

Elegia IX.

Maecenas poetam hortatus est ut heroicum carmen attingeret, cui operi se parem non esse et aliis respondet verbis et hisce:

Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Palma nec ex aequo ducitur ulla iugo.

Baehrens, Postgate, Hosius lectionem codicum deteriorum *palma* receperunt spernentes scripturam *flamma*, quam libri optimi exhibent, neque aliter censuit Reid, qui de hoc loco haec exposuit: „I believe *palma* to be the right reading for *fama* and *iugo* to be certainly a hill, as in IV 10, 4 *nec iuvat e facili lecta corona iugo*, which gives the key to the general sense here. What *ex aequo* originally was is a puzzle. Some MSS. have *eoo*; possibly read *e Coo... illa* 'Such laurels are not to be won on the Coan (Philetean) Parnassus'."

Digitized by Google

Bene disputata haec esse Reidio facile concedo, sed displicet coniectura ab eo proposita. Spero fore ut meum solvendi aenigma conatum ei probare possim, cum emendo:

Palma nec exiguo ducitur ulla iugo,

h. e. palma, arbor nobilis, in humili colle gigni non solet. E Rothsteinii annotatione, qua lectionem *flamma* explanare temptat, ea quae de ducendi verbo dicta sunt accipio: „In *ducitur* liegt dieselbe Vorstellung zu Grunde wie in *producere* oder *educere* für das natürliche Entstehen aus der Erde".

Causa corruptelae manifesta est: postquam *ex* separatin ab *iguo* scriptum fuit, hoc nimirum abiit in *aequo*.

Iam poeta varios artifices atque opera praestantissima eorum commemorat, in quibus

10 Argumenta magis sunt Mentoris addita formae
At Myos exiguum flectit acanthus iter.

Vocabulum *formae*, quod variis interpretationibus editores explicare conantur, ab hoc loco alienum esse aio, legendum vero:

Argumenta magis sunt Mentoris addita torno,

quam opinionem confirmari puto Verg. Ecl. 3, 38:

lenta quibus torno facili superaddita vitis.

Ipse Propertius vocabulo usus est II 34, 43.

Continuo sequitur

15 Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno,
Praxitelen propria vindicat urbe lapis.

Hoc distichon cum lego atque doctorum de eo sententias recognosco, et rationem et rem ipsam centum codicibus potiores esse Bentleio assensus id reponere non vereor quod locus flagitat:

Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno,
Praxitelen propria vindicat urbe Venus.

Nempe *propria urbe* = Cnidi, in urbe sibi acceptissima. Voc. *lapis* natum esse suspicor e glossa, addita ab aliquo qui de huius quoque statuae materia legentes certiores facere vellet.

Poeta Maecenatem alloquitur:

23 Cum tibi Romano dominas in honore secures
Et liceat medio ponere iura foro,

Digitized by Google

Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes
Atque onerare tuam fixa per arma domum,
Et tibi ad effectum vires det Caesar et omni
Tempore tam faciles insinuentur opes,
Parcis et in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.

Copulatio q. e. *Medorum... per hostes* multos offendit. Markland *hastas* — Lachmann *astus* — I. Helvetius *arcus* — Housman *M. pugna rescindere postes* coniecerunt, e quibus propositis Baehrens, Rothstein, Hosius etiam, prudentissimus ille editor, Marklandi coniecturam receperunt.

Iure tamen optimo Postgate (a. 1885) *hastas* reiecit, quod Parthi, sagittarii celeberrimi, nusquam tamquam hastati insignes commemorarentur, neque Lachmanni commentum quicquam probabilius esse ostendit, quamquam *hostes* quin corrupta esset lectio ipse non dubitaret: eam enim neutro modo intellegi posse, neque tamquam *hostes qui ex Medis constant* neque velut *hostes Medorum* sc. gentes Parthicas vel Bactricas, inter quas interpretationes haesitat Paleii explicatio.

Ista quidem Postgatium vere argumentatum esse puto excepto quod lectionem *hostes* damnat. Est revera bona lectio, sed alibi latet vitium. Miror equidem nemini umquam illud *tibi* suspicionem movisse, quod, post *tibi* (vs. 23) prorsus abundans atque ex uno eodemque verbo *liceat* pendens, inscite ac turpiter nunc repetitum est. Accedit quod *ire per hostes* per se ipsum non est quod quis magnopere admiretur, nisi id faciat miles vexans hostes illos atque a dextra laevaque prosternens.

Quae cum ita sint, corrigendum esse censeo:

Vel lue Medorum pugnaces ire per hostes
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Cf. Eleg. 12 huius libri, ubi vs. 11 est:

Neve tua Medae laetentur caede sagittae,

quo versu notio verborum *tua caede* ei contraria est, quae est in verbis *lue Medorum*. Ceterum *tibi*, primum a nescio quo supra lineam ascriptum, postea *lue* detrusisse atque irrepsisse in versum suspicor.

Digitized by Google

Elegia XI.

Amicus quidam poetae obiecisse videtur, quod serviliter ad Cynthiae ambularet gradum, cui et alia respondet et haec: bene hercle exhortaris, sed te non usus docuit,

5 Venturam melius praesagit navita mortem,
Vulneribus didicit miles habere metum.

Coniecit Markland *vetulus*, Lachmann *pavidus*, Baehrens *expertus*, Hosius *tremulus*, Owen *Ventorum — motum*, Richards *Venturum — ventum*, Postgate *Naufrage iam — praesagis*, Lendrum *Iactura m.*

In pentametro pro *mortem* in libris mss. duobus a manu secunda est *noctem*, Ellis coni. *molem.*

Ne desint indicia, e quorum notitia navita futurum periculum praesagire possit neve vocabulum *vulneribus* suo careat opposito, emendandum censeo:

Venturam nebulis praesagit navita mortem,
Vulneribus didicit miles habere metum.

Ubi de Cleopatra sermo est, poeta indignabundus exclamat:

29 Quid, modo quae nostris obprobria vexerit armis
Et famulos inter femina trita suos,
Coniugii obsceni pretium Romana poposcit
Moenia et addictos in sua regna patres?

Pro languidissimo isto *Et* Livineius *Heu* — Heinsius *Ut* proposuit. Praestat corrigere: *En.*

Porro in eandem ita grassatur:

39 Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine adusta nota,
Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas, e. q. s.

Pro *Una* omnino scribendum est: *Illa.* Quam sit vitiosa lectio, ex ipsa Rothsteinii annotatione patet, q. e. „*Una* verlangt einen Gegensatz; Properz muss von den anderen Nachkommen Philipps (wahrscheinlich denkt er nur an die anderen Ptolemäer) eine günstige Meinung gehabt haben, die er wohl nur aus der höfischen Dichtung der Alexandriner schöpfen konnte".

Digitized by Google

59 Hannibalis spolia et victi m o n u m e n t a Syphacis
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes!
Curtius expletis statuit monumenta lacunis,
At Decius misso praelia rupit equo.

Non tam perductus Lachmanni argumento, monumenta ob Syphacem devictum nulla Scipioni posita fuisse, quam propter eiusdem vocabuli repetitionem in hexametro continuo sequenti id Propertio abiudicandum esse mihi quidem pro certo est neque Paleio credo, qui contendit: „The very recurrence of *monumenta* in vs. 61 indicates a *furor scribendi*". Utique respuenda est Hauptii coniectura *lamenta* pro altero *monumenta*, nam quid, obsecro, est *lamenta statuere*? L. Mueller post vs. 60 lacunae signa posuit: alii versuum ordinem varie mutarunt. Restitue: *victi m o m e n t a Syphacis.*

Cf. Liv. XXIX 23: Carthaginienses... haud parvum et ipsi tuendae Africae momentum adiecerunt societatem Syphacis regis, et ibid. 35 de eiusdem Syphacis copiis: quorum adventus hoc tamen momenti fecit ut Scipio... abscederet inde. Liv. III 12: iuvenis egregius... maximum momentum rerum eius civitatis, in quamcumque venisset.

Elegia XII.

Quis. *τὸν ἀντίθεον* Polyphemum non novit, *ὃν ὀφθαλμοῦ ἀλάωσεν* Ulysses? Illum autem oculum ei fuisse unicum iam pueri didicimus et credidimus libenter. Ecce vero apud Propertium inter varios Ulyssis casus ac discrimina rerum enumerantur

25 Castra decem annorum et Ciconum mons Ismara, Calpe,
Exustaeque tuae m o x, Polypheme, genae.

Quid hoc novae rei? An Propertius ignorasse putandus est, Inscum fuisse Cyclopem? Vix ac ne vix quidem crediderim. Immo scalpello ophthalmici suscepto consulamus existimationi docti poetae, quam scriba impius labefactavit: ipsum enim scripsisse aio

Exustaeque tuae n o x, Polypheme, genae.

h. e. nox, quae tibi, Polypheme, oborta est, cum oculus tuus exustus esset. Est nempe *exustae tuae genae* casus genitivus.

Importunitatem lectionis *mox* unum Marklandum offendisse

Digitized by Google

demiror, qui coniecturam *trux* proposuit improbabilem tam propter scripturae discrepantiam quam quia oculos, qui Polyphemo imputantur, non ad iustum ac Cyclopi legitimum numerum redigit. Ingenue profiteor me quoque in additamento molestissimo *mox* ante offendisse quam monstrum supra Cyclopeam formam a librario oscitante confictum esse perspicerem. Nimirum in culpa erat voc. *genae* plerumque, sed non ubique plurali forma adhibitum.

Haec cum scripsissem, ex editionis Baehrensianae apparatu vidi Higtium quendam ante me *nox* coniecisse. Cui cum honorem inventi me cedere oporteat, ea quae scripseram inducere nolui, quoniam editores scripturam absurdam adhuc tuentur neque Higtii argumenta nota mihi sunt. Rothstein postquam voc. *mox* qualicumque modo vindicare conatus est, pergit: „*Genae* hat hier nicht seine gewöhnliche Bedeutung, sondern bezeichnet die Augenhöhlung oder das Auge", at dicere oportuit: „die Augenhöhlungen oder die Augen", qualis est vocabuli notio in exemplis ab eo adiectis. Numerus tamen singularis hoc loco requiritur atque efficitur emendatione *nox*.

Elegia XIII.

Querela de matronarum avaritia et luxuria sic incipit:

1 Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes.

Sana mens ac ratio me docent, glossam quae est *opes* amovere et tandem revocare lectionem genuinam:

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur anus.

De lectionis traditae explicationibus putidissimis deque coniecturis ab aliis prolatis quicquam addere supersedeo.

9 Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.

Coniecturae sunt Scioppii *gerunt* — Heinsii *iterant* — Phillimorii *Haec quaterent*.

Legendum est:

Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fusos, Icarioti, tuos.

Digitized by Google

h. e. et quae tua via ac ratione, Penelope, pudicitiam suam vindicare student. In codd. nonn. est *fastos*!

Describuntur amoenitates aureae aetatis, cum multo simpliciores melioresque erant mores hominum.

35 Atque hinuli pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro.

Lectionem dedi quae in codicibus mss. tradita est (libri duo *humili* praebent), sed editores quod sciam omnes pro *Atque hinuli* receperunt Scaligeri coniecturam *Hinulei*; nonnulli, voc. *totos* quoque emendandum esse rati, *tutos* vel *stratos* vel *lentos* vel *positos* obtulerunt.

Scripturam *Atque hinuli* vitiosam esse propter primam syllabam nominis *hinulus* prave correptam apertum est, sed Scaligeri correctionem omnibus fere probatam veram iustamque esse non credo, quippe qua corruptelae origo minime explanetur neque hinnulei tam crebri fuerint ut eorum vellera hominibus pro tegumentis esse possent. Mihi succurrit Propertium fortasse scripsisse:

Atque Inui pellis totos operibat amantes.

Cf. Liv. I 5: Pana quem Romani deinde vocarunt Inuum. Idem affirmant Macrob. Sat. I 22 et Serv. ad Aen. VI 776. Iustin. XLIII 1, 7: ipsum dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romae Lupercalibus decurritur. Cf. etiam Ovid. Fast. II 271 sqq.

Suspicio mea si vera est, *Inui pellis* nimirum est pellis caprina, quam Inuus gerere solebat. Cf. IV 1, 12: Curia — pellitos habuit rustica corda patres.

In eiusdem aetatis laudatione paulo inferius haec sunt:

39 Corniger atque dei vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves.

Quoniam versus antecedens est:

Nec fuerat nudas poena videra deas,

atque versus qui sequitur:

Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros,

Palmer observat, lectionem *dei* suspicionem movere. Iam Volscus coni. *Idaei*, Heinsius *sui*, quod Baehrens, Rothstein,

Digitized by Google

Hosius receperunt, Beroaldus *Idae*, Hertzberg *Arcadii*, Lachmann *inque dies*, Postgate de suo scripsit *Crinigerique dei*. Baehrens insuper *vacuas* recensuit. Rescribe quaeso:

Corniger atque die occidua pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves.

Elegia XV.

Poeta negat se amores furtivos cum Lycinna, Cynthiae ancilla, etiamtunc iungere.

Sic ego non ullos iam norim in amore tumultus,
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi:
Ut mihi praetexti pudor est velatus amictus
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Inbuit heu nullis capta Lycinna datis.

Pro corrupto vocabulo *velatus* (vs. 3) ex editoribus alii Italorum *sublatus*, alii Guyeti *elatus*, alii Heinsii *ablatus* solent recipere; praeterea proposuit Santenius *exsinuatus*, Fonteinius *relevatus*. Nullus dubito quin scripserit Propertius: *exutus*. In vs. 6 interpretando obliviscendum non est, poetam hoc carmine id agere ut Lycinnam defendat ab iniustis Cynthiae suspicionibus ac mala tractatione. Cf. vs. 43:

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.

Qua de causa lectionem *heu nullis capta... datis* importunissimam esse iudico. Rothstein sic locum explanat: „der Ausruf *heu nullis capta datis* erinnert an die Opfer, die der Dichter später bringen musste, nachdem sich aus jenen bescheidenen und versteckten Anfängen ein stadtbekanntes Verhältnis zu einer gefeierten Schönheit entwickelt hatte". At hercle vero sic causa Lycinnae non defenditur neque eius culpa velatur, verum potius augetur. Hoc quoque editores non satis attendisse credo, tota aetate classica substantivum *datum* plurali numero hoc uno loco ita pro donis usurpatum esse. Poeta nempe dicere voluit: Illa rebus Venereis prima me imbuit nullo amoris vinculo mecum iuncta, sed accepta mercede: non amor tunc fuit inter nos, sed mero officio functa est. Quae cum ita sint, scriptum fuisse opinor:

Inbuit armillis capta Lycinna datis.

Digitized by Google

Elegia XVI.

De itinere suscipiendo postquam paululum dubitavit, mox viam omnem amantibus tutam esse praedicat.

19 Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.

Struchtmeyer editoribus nonnullis persuasit hos versus post vs. 14 transponendos esse; quamquam ibi quoque eos optime legi posse non nego, minime necessaria videtur eorum traiectio: utique illud *exclusis*, quod Lachmann ineptissimum pronuntiavit, Vahlen crucibus cinxit, aeque minus ibi intellegi potest. Coniecerunt Fischer *ecce suis*, quod Hosio probavit, Csengeri *excursus* — Lachmann *et cursus* — Palmer *et cuius sit* — Housman *exsuctis*. Pro *parvo* Fischer *puro*, Vivona *sacro* proposuit. Nescio an sit legendum:

Sanguine tam parvi quis enim spargatur amantis
Improbus? exiguis fit comes ipsa Venus.

Elegia XVII.

Bacchi laudes hoc carmine celebrantur et aliis rebus et hisce:

27 Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum.

Meae elegantiae magis esse videtur:

Unde tuum portant Naxia turba merum.

Elegia XVIII.

Praematurus Marcelli exitus perduxit poetam ut de morte inexorabili longius evagaretur.

17 I nunc, tolle animos et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra iuvent,
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo:
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.

Illud miror editores omnes adhuc latuisse, versum postremum

Digitized by Google

sic refingendum esse virgula sc. post *mala* deleta et inducto altero *est*:

Est mala sed cunctis ista terenda via.

Elegia XX.

Amicam invitat ut ab amatore infido relicta cum sit, in suum praesidium hospitiumque devertatur.

Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo,
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero: in nostros curre, puella, toros.

Pro *toros*, quod vs. 14 et 26 redit singulari numero, ut IV 11, 86, Propertium scripsisse aio: *focos*. Cf. supra Eleg. 18, 12 (de Marcello):

Quid genus aut virtus aut optima profuit illi
Mater et amplexum Caesaris esse focos?

nec non IV 2, 4: nec paenitet... Volsinios deseruisse focos. Praeterea IV 3, 58; 5, 66; 6, 2.

Elegia XXI.

Poeta Athenas profecturus est,

Crescit enim assidue spectando cura puellae:
Ipse alimenta sibi maxima praebet Amor.
Omnia sunt temptata mihi, quacumque fugari
Possit; at ex omni me premit ipse deus.

Cl. *Ipse... Amor* in vs. 4 corrigere hoc loco ne dubita: *usque deus*.

Digitized by Google

FIRMICIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

I.

Observationes criticae.

Nuper quoniam bis mihi agendum erat de astrologia antiqua cum alios auctores de rebus astrologicis tum Firmici Materni Matheseos libros octo relegi, quo factum est, ut eius genus dicendi et lacunas verbaque corrupta in textu obvia diligentius quam antea [1]) cognossem. Tunc nonnullis locis mihi visus sum, si non verba ipsa, at certe sententiam restituere posse, id quod hic legentibus probare conabor, verum eas modo observationes grammaticas coniecturis meis addam, quae desiderantur in dissertatione alioquin diligentissima [2]) a Groehlio scripta c. t. de Syntaxi Firmiciana (Vratislaviae 1918).

Vehementer gavisus sum quod in meum usum convertere potui longam seriem coniecturarum, quas Geyza Némethy Academiae Litterarum Hungaricae sodalis ordinarius publici iuris fecit. Doctissimi illius viri librum [3]), quem in nulla patriae meae bibliotheca reperire potui, rogatu meo liberalissime ad me misit E. Balogh vir amplissimus et clarissimus, qui acta Academiae Disciplinarum Hungaricae curat, cui hic

1) Hunc scriptorem tetigi in Arnobianis meis (1917) p. 17 sq. et in Miscellis Tertiis (1917) p. 23—28.

2) Vide quae Landgraf exposuit in Diario c. t. Deutsche Literaturzeitung a. 1918 p. 736.

3) Hoc opus, quod inscribitur *Coniecturae ad emendandum Firmicum Maternum astrologum*, valde laudatum est a Krollio (cf. Wochenschr. f. klass. Phil. 12 Mai 1919).

Digitized by Google

quoque gratias quam maximas ago, quod illius munere mihi acceptissimo haec commentatiuncula qualiscunque est plenior certe utiliorque facta est.

Aliquot emendationes (e. g. III 13, 5; VI 29, 21), quarum optimo iure Némethy auctor est habendus, quamquam ipse quoque in eas incideram, omittendas esse censui. Bis terve (VI 29, 23; VI 30, 22) eadem fere me excogitavisse legentes moneo. Nonnumquam ut fit aliter sentio, sed multo plures locos tractavi, quos Némethy silentio praeteriit.

Sequor editionem egregiam, cuius alteram partem Krollio et Skutschio (1897), alteram Zieglero debemus (1913).

Initium faciendum est a

Lib. I 7, 4. Da manus et aliquando istis nos contentionum conflictationibus libera, ut haec omnia, quae fragilis et caduca consuevit ferre mortalitas, fortuitis stellarum decerni cursibus etiam tua confessione confirmes. § 5. Quid de *errore* honoribus malorum et de fuga exiliisque bonorum dicimus?

Pro *errore* voce manifesto corrupta reponendum est synonymum verbi, quod est *honoribus*, quocirca vix potest dubitari quin *adorea* a librario depravatum sit in *errore*. Reddamus ergo Firmico: Quid de adorea atque honoribus malorum e. q. s. [1]).

Adorea, quod vocabulum iam usurpat Plautus (Amphitr. 193) imprimis ab auctoribus aevi posterioris adamatur et ponitur sensu *gloriae* e. g.

Front. ad Ver. II 1 (120, 18 Nab.) Bellicae igitur tuae laudis et *adoriae* multos habes administros.

Apul. Metam. III 19 iam et ipse possum mihi primam istam virtutis *adoriam* ad exemplum duodeni laboris Herculei numerare.

Ibid. VII 16 Talibus aerumnis edomitum novis Fortuna saeva tradidit cruciatibus, scilicet ut, quod aiunt, domi forisque fortibus factis *adoriae* plenae gloriarer.

Apul. Apol. 17 at enim Manlo Curio tot *adoreis* longe incluto (Hic *adoreis* positum est pro *triumphis*). Ammian. Marcell. XX 4, 1 (Constantium) urebant Iuliani virtutes, quas per ora gentium

1) Némethy l. l. p. 13 proposuit: de ⟨*splendore et*⟩ honoribus.

Digitized by Google

diversarum fama celebrior effundebat, magnorum eius laborum factorumque vehens *adoreas* celsas.

Sidon. Apoll. Ep. VII 12, 2 et quamlibet posset triumphalibus *adoreis* familiae tuae defetigari e. q. s.

Plin. N. H. XVIII 14 gloriam denique ipsam a farris honore *adoriam* appellabant (cf. Orellius ad Hor. IV 4, 41).

In fine longioris digressionis de Sulla tyranno Firmicus scribit haec:

I 7, 38. Nimis longa oratione vim necessitatemque fati, stellarum etiam potestates ⟨*monstrantes*⟩ Syllanae dominationis facta crudelia ad istum sermonem deflevimus.

Ut insererem *monstrantes*, suasit II 28, 1 quatenus autem dividantur (sc. dies) vel unde initium accipiant, etiam hoc *monstrare* curae habebo cet.

Ceterum *ad istum sermonem* videtur locutio esse plebeia pro *isto sermone*, quae verba cod. A exhibet.

Una coniunctio sufficere videtur in lacuna, quam statuerunt Kroll et Skutsch hoc loco:

II 28, 1. Dies etiam totius anni stellis singulis dividuntur; quatenus autem dividantur vel unde initium accipiant, etiam hoc monstrare curae habebo ⟨*atque*⟩ quando aegritudines, quando inbecillitates, quando lucra, quando damna proveniant, quando gaudia, quando dolores.

II 30, 1. Nunc tu, quicumque hos libros legere conaris, cum omnem divinitatis scientiam acceperis et cum naturae sacris imbutus atque initiatus sacrati operis disciplinam ⟨*hauseris*⟩, ad imaginem te divinitatis similitudinemque forma, ut sis semper praeconio bonitatis ornatus.

Addidi *hauseris* coll. Praef. V, 1 Si itaque capax ingenium et flagrantis animi desiderio commotum praecedentes *hauserit* libros et sit oportuna stellarum radiatione conceptum, ad divina istius scientiae secreta perveniet e. q. s. Némethy maluit *perdidiceris*.

Leni medicina sanare possunt et haec verba:

III 5, 11. Quodsi per noctem Solem in horoscopo constitu-

Digitized by Google

tum Saturnus aut Mars per quadratum respexerint aut per diametrum, vel simul cum eo fuerint, et ille se illis quacumque radiatione coniunxerit, maiores quidem fratres perimit, sed et ipsius vitae atque omnem patrimonii substantiam, sed et actus omnes *pro⟨rsus⟩* eversione [*ac*] dissipat. [1])

Prorsus duplici fortasse compendium exaratum facile abiit in *pro; ac* autem inseruit, qui praeter *dissipat* alterum verbum desiderabat incipiens a *pro.*

Exscribo nunc:

III 5, 34. In decimo loco Sol ab horoscopo partiliter constitutus in diurna genitura, idest in M C, in domo sua aut in domo Iovis aut in ea parte, in qua exaltatur, faciet reges, quibus a patre tradatur imperium, aut duces, quibus *hoc honoris* simili modo paternis *tractatus* honoribus conferatur.

Scribendum videtur: quibus [hoc] *honor*[is] simili modo paternis *trac*[ta]*tus* honoribus conferatur.

Fortasse scriptura *honoris* dittographia orta est ante *simili*, tum facile se offerebat *hoc* unde genetivus penderet. *Tractatus* item dittographia natum est. Quod attinet ad *tractus*, auctor dicere vult paternos honores ferre ut filii quoque ducatum adipiscantur.

Gravior corruptela subest huic loco:

III 6, 4. Sed si sic Venus per diem posita Saturnum ex aliqua parte respexerit, faciet molles, cinaedos, vel qui *se dulibus* actibus dedant; sed si in horoscopo Venus constituta.... in prima aetate dabit uxorem.

Vestigia librorum manuscriptorum secutus pro corruptis verbis restituo: qui se *sedulo vilibus* actibus dedant. [2])

Lacunam autem sic explendum censeo: sed si in horoscopo Venus constituta *⟨fuerit sine Saturni inimica radiatione⟩*, in prima aetate dabit uxorem coll. IV 16, 3 Felix erit nimiumque felix et cum omni felicitate etiam pudicitiae decernit ornatum, si in his in quibus gaudet locis *sine inimica Martis*

1) Cf. VI 9, 9 patrimonium etiam et omnes actus et excidit pariter et frangit.
2) Pro *dulibus* Nemethy coniecit *turpibus*.

Digitized by Google

aut Saturni radiatione Iovi se et Veneri radiatione coniunxerit aut uni de duobus.

III 6, 13. Si vero aliena Venus a cardinibus fuerit constituta et malivolae stellae in cardinibus constitutam Lunam forti radiatione possederint, expositos a parentibus [*faciet et*] statim faciunt.

Singularis numerus *faciet* ante pluralem *faciunt* arguit vitium; delevi igitur quae verba male praecepta sunt, cf. III 6, 29 et III 7, 13 ubi videndus Némethy et audiendus. Praeterea bona clausula, quam efficiunt — *bus statim faciunt* (i. e. creticus et spondeus, cuius prima syllaba soluta est), impedimento mihi est quominus aliquid addam.

III 11, 10. Sed generaliter quicumque sic Mercurium et Martem habuerint, homicidia et mortes *in* ipsorum pro signorum qualitate complentur, aut enim grassatores erunt aut latrones aut sicarii aut piratae aut his similes, et in his facinoribus comprehensi per severam sententiae animadversionem plectuntur.

Vix dubito quin pro *in* revocandum sit *manu*.

IV 14, 16. Si a Mercurio defluens Luna in nocturna genitura plena luminibus feratur ad Venerem, faciet e. q. s. Alios oratores facit, sed affluentia sermonis ⟨*praeditos*⟩, alios poetas facit et eos divinorum carminum auctoritate nobilitat e. q. s.

Ante *alios* facile *praeditos* per compendium scriptum interire potuit. Praeterea conferri oportet V 3, 17 et tali erunt *praediti* dignitate cet.

Némethy *ornatos* supplet ad sensum non minus aptum.

De domino geniturae cum alia scribit Firmicus tum haec:

IV 19, 3. Sed et nos hanc rationem sequimur; haec enim est verissima et ab omnibus comprobata. Sed et tu haec omnia, quae diximus, diligenti ratione discute: invenies, quod dominus geniturae sic *positus et* inveniri.

Redde Firmico, quaeso, *sic apposite potest inveniri*. Ipsi editores adnotant: latet forma aliqua verbi *posse*.

Digitized by Google

IV 21, 12. Saturnus vero mansuetos altos tacitos inflatosque perficiet et qui omnia cum dissimulatione ⟨*celent*⟩.

Supplementum meum mutuatus sum a loco quem legimus infra VI 9, 12 Si vero Venus superior effecta et dextrum possidens latus Saturnum in inferiori loco constitutum quadrata radiatione respexerit, ista coniunctio honestis ac pudicis moribus largitur uxores, sed quae sibi in domo omnem dominandi vendicent potestatem, maritos fido et incorrupto diligentes affectu, ut invicem sibi amborum gratia coniugalis adsociet, sed qui amorem suum ambo *cum quadam* conentur *dissimulatione celare.*

V 1, 37. Sed ille (sc. Aesculapius) divino genere ortus ac divini generis propagatione conceptus, et venerandi numinis magisteriis imbutus, praeclaram reliquit huius operis disciplinam. In nobis quia fragilitas et caduca substantia est, non meremur talibus magisteriis institui. Divinorum itaque virorum vestigia sectemur, et quicquid ab illis traditum est ⟨*diligentissimis ac veris*⟩ interpretationibus transferamus.

Quae verba addidi a me hausta sunt ex VIII 5, 1 Neque enim divini illi viri et sanctissimae religionis antistites, Petosiris et Nechepso, quorum alter tenuit imperii gubernacula, cum omnia quae ad huius artis pertinent disciplinam, *diligentissimis ac veris interpretationibus* explicassent, hoc quod nos edituri sumus, invenire potuerunt.

V 2, 11. Si Iuppiter in ipsis finibus fuerit inventus, faciet teneros libidinosos luxuriosos, sed ab omni crudelitatis invidia sepositos, et qui ad omne officium ⟨*temperationem*⟩ moderationis adfectent, artificiosos claros et qui in templis honorum consequantur insignia.

Inserui tale vocabulum, ut nasceretur genetivus inhaerentiae [1]), quam Firmicus in deliciis habet. Quod legimus *temperationis moderatione* (I 10, 3 et VI 22, 5), id neminem offendere potest, cum ipse Firmicus V 1, 12 *substantiae facultatum*, at V 1, 26 *substantia facultatis* scripserit. Denique conferamus Arnob. I 2

1) Cf. Grochl l. l. p. 1—8; Brakman, Arnobiana p. 17 sq.

Digitized by Google

(p. 4, 17 Reifferscheid) *moderaminis temperamenta* (= ibid. V 1 p. 173, 9).

V 3, 35. Qui Saturnum in Scorpione habuerint, multis turbis in prima iuventute et multis periculis inpugnantur e. q. s. Sed nec vita parentum aut clara erit aut nobilis. Ipsi vero in prima aetate maximis deliciis nutrientur, postea vero erunt in angustiis et in *exitu* et in laboribus et in aegritudinibus et cum magna difficultate et cum magnis angustiis et in magnis laboribus cottidianae vitae habebunt alimenta.

Verisimile puto *exitu* post *in* corruptum esse e *nexu*. Némethy pro *exitu* substituit (p. 61) *servitute*.

V 4, 5. Navigabunt autem (sc. quicumque Iovem habuerint in Tauro) in magno mari aut in fluviis, versabuntur etiam cum scelestis aut cum infamibus viris ⟨*absconsis*⟩ religionibus servientes.

Absconsis inserui coll. V 1, 26 Erit (sc. si horoscopus in Capricorno fuerit inventus) muliebribus libidinibus obligatus, et qui has easdem mulieres expletis libidinibus vituperare contendat, sacramenti cuiusdam aut sacrorum aut vitae alienae aut *absconsarum religionum* secreta perdiscens.

V 4, 7. Quicumque Iovem in Geminis habuerint, erunt in maximis gloriis et potestatibus, in amicitiis gratia *noti* semper ornati.

Verum videtur: gratia *voti* semper ornati (i. e. quae maxime volunt, iis conceduntur).

Nemethyio placuit proponere: gratia *ac notitiis* (p. 62).

VI 3, 11. Si Saturnus fuerit Veneri trigonica radiatione coniunctus, et sint ambo in oportunis geniturae locis positi, et ab omnibus deiectionum humilitatibus separati, facient vitam hominum mansueta moderatione perspicuam, et mores eorum ornamento pudicae bonaeque conversationis exornant, et faciunt eos ab omni inpudicitiae inpuritate sepositos, sed et gratos pudicitia et puritate perspicuos, ut ex ista perspicuitate invidia illis *a satis* ab inferioribus concitetur.

Sententia pro corruptis vocibus *a satis* mihi flagitare videtur

Digitized by Google

saltim cf. I 5, 5 ostendat mihi, si potest, duos *saltem* aliquos in tantis milibus hominum, qui iisdem ac similibus membrorum liniamentis videantur esse formati.

VI 9, 9. Sed et ipsos facit (sc. ista coniunctio, nempe si Sol et Saturnus quadrata fuerint radiatione coniuncti) vario peccatorum genere semper errare et ⟨*nociva malivolae*⟩ conversationis decernit exitia, et graves aegritudines ex acerbo humorum frigore semper indicit, patrimonium etiam et omnes actus et excidit pariter et frangit.

Dedi *nociva malivolae* nam librarius a priore littera *v* transiens ad alteram quasi contaminatione quadam videtur exarasse *nocivola*. Ut tuear coniecturam meam, laudo VI 12, 2 Quodsi praecedenti coniunctioni Iovis fuerint praesidia denegata, fortiter *malivolarum* stellarum *nociva* crescit inprobitas.

VI 10, 9. Si vero Mercurius superior effectus et dextrum possidens latus Iovem in inferiori loco constitutum quadrata radiatione respexerit, faciet ista coniunctio sufficienter subsidia facultatum, sed hi semet ipsos in omni actu semper inpediunt, omnia bona quasi mala *innoto* mentis timore vitantes e. q. s.

Hic prona videtur emendatio: substitue modo *novo* pro *innoto; novo* autem valet *inaudito*, *insolito*.

VI 11, 2. Si vero Sol superior effectus et dextrum possidens latus Martem in inferiori loco constitutum quadrata radiatione respexerit, et patri et ipsi qui natus fuerit ex ista coniunctione miserum praeparatur exitium. § 3. Sed et integra mentis et consiliorum fundamenta semper *ex*⟨*tenuat*⟩, aliorum oculis miserum pondus caecitatis indicit.

Supplevi *extenuat*, cum *extenuare* debilitandi sensu legatur etiam I 7, 26 splendorem paulatim *extenuati* luminis perdidit cet.

VI 12, 1. Si Sol et Luna quadrata fuerint radiatione coniuncti, sive dextrum sive sinistrum latus cardinaliter possidentes, in decretis hominum efficaciam ex aliarum stellarum testimoniis sortiuntur. Cum enim ad istam coniunctionem benivolarum stellarum radius prosperae ⟨*potestate*⟩ societatis accesserit,

Digitized by Google

actus maximi, idonea vitae substantiae, gloriosae dignitatis insignia ex prosperis semper conmendationibus conferuntur.

Explevi *potestate*, quia saepius iunctura *societatis potestate* legitur e. g. VI 22, 4 Si Saturnus et Mars unum hospitium partis acceperint, et in eodem loco pariter constituti aequabili *societatis potestate* iunguntur e. q. s. Cf. VI 22, 2; VI 22, 12 cet.

VI 22, 13. Sic habentes Saturnum et Venerem nunquam filios aut tarde suscipiunt, sed hi ipsi erunt frigidi semper ad Venerem, et *in manus* eorum animus instabili semper varietate dissentit.

Reddendum est auctori adiectivum *inmunis* pro corruptis verbis *in manus*.

VI 23, 6. Si Iuppiter et Mercurius simul fuerint collocati, facient homines potentes, bona consilia ac bona ⟨*opera*⟩ proferentes, magnificae orationis splendore fulgentes, ornatos omni sapientia.

Facile potuit *opera* (quod supplevi) praetermitti inter *bona* et *proferentes*, praesertim cum verisimile sit *per* et *pro* compendiis scripta esse.

VI 26, 1. Docti etiam sermones simul positi ornamenta decernunt, ut docta institutione sermo formatus audientium aures grata *tolleratore* semper illiciat, aut musici carminis modos tradunt, et praeclaram poeticae disciplinam.

Pro *tolleratore* Némethy coniecit *titillatione*; an scribendum *relatione*?

VI 26, 5. Si Luna et Venus in eodem signo pariter constitutae aequabili societatis potestate iungantur, nimia ⟨*vitae*⟩ viris ornamenta decernunt. Sed hos eosdem grata pulchritudinis honestate condecorant, et faciunt dignitate bonitatis ornari.

Divitiae et honores, quibus Luna et Venus viros, qui sic nati fuerint, donant, in vitae ornamentis numeranda sunt. Confirmat autem meum supplementum, quod Firmicus sedulo alliterationes et παρηχήσεις quaerit e. g. VI 29, 17 ad ultimum diem *vitae viri*; VI 11, 9 coniunctio ista malos malignos mali-

Digitized by Google

tiososque perficiet; de err. prof. rel. 17, 3 quasi aut minuat aut minetur cet. Unum certe exemplum e Tacitis Annalibus afferatur (XIV 35): viverent viri et servirent!

VI 29, 10. Si Saturnus in horoscopo partiliter fuerit constitutus, et Martem habeat in occasu id est in diametro partiliter constitutum aut in I M C partili sibi et horae societate coniunctum, et Luna aut plena ad Martem aut minuta ad Saturnum feratur, ista coniunctio grave ac miserum mortis decernit exitium. Aut enim ferarum morsu consumpti artus miseris lacerationibus dissipantur aut facient per praecipitia iactari, aut corpus cadentium culminum ruinis opprimitur, aut certe qui sic Saturnum habuerit et Martem, acerbae destinatus neci cruentis latronum traditur manibus, aut acerbis tempestatibus *quas⟨satus et⟩* submersus inaudito genere mortis opprimitur.

Pro *quasi*, codicum lectione, scripsi *quassatus* coll. V 3, 59 Sed cum illos Saturnus prioris temporis tempestate *quassaverit* e. q. s. et V 4, 4 In primis enim temporibus gravi periculorum tempestate *quassantur*.

VI 29, 23. Si nuptialis signi dominus in feminino signo constitutus occasum vel MC. possederit, virgines latenter stupra ⟨*facere prava*⟩ cupiditate conpellit.

A syllaba *pra* vocis *stupra* transiit librarius eadem syllaba vocabuli *prava* deceptus ad *cupiditate*. Sic certe vitii origo perspicitur.

Multis exemplis suum supplementum ⟨*sectari prava*⟩ tuetur Némethy p. 66.

VI 30, 1. Si in Saturni signo Iuppiter et Venus simul positi easdem possederint partes, et Saturnus in vicino sit signo, id est in secundo fuerit inventus, ut ipse primus coniunctionem Veneris venientes excipiat, et Mars Lunam respiciens quacunque Veneri radiatione iungetur, Saturnus etiam Lunam pariter respiciat, et Sol sit in MC., Luna et horoscopo in Cancro constitutis, incesto furoris ardore et potestatis alicuius praesidio sublevati matrum suarum conubia sortiuntur, aut novercas suas praepostero mentis ardore ⟨*et desiderii*⟩ cupiditate possessi ad consortium tori genialis invitant.

Digitized by Google

Verbo inserto eum genetivum inhaerentiae lucratus sum, qui legitur etiam I 7, 9; VI 26, 6; VI 29, 19 cet.

VI 30, 22. Talis orator *apud* Macedonem Philippum non armorum vi sed orationis licentia persequebatur, et ut manifestius explicemus: haec genitura divinum Demostheni inspiravit ingenium.

Scribendum censeo: apud ⟨*Athenas*⟩: provoco autem ad I 10, 13 apud Naisum genitus.

Némethy explet: apud *Athenienses* (p. 67).

VI 31, 38. Si Venus in Capricorno constituta fuerit et diametra Saturnum radiatione percutiat, facit tales quos uxores suae omnibus generibus execrentur, et corpora eorum hircini odoris tristem illuviem desudatis gravibus humoribus evaporant. Erunt etiam hi ipsi *execrabili* coitu et ex venereis libidinibus semper infames.

Execrati, codicum lectionem, mutavi in *execrabili*.

Némethy *nefario* verum putat (p. 68).

VI 31, 56. Si Mars fuerit in horoscopo constitutus, et Luna aut ad Martem feratur, aut ab eo defluat, vitae humilitatem gravia valitudinis vitia et acerba periculorum discrimina et miserae calamitatis incursus ex ista coniunctionis societate *iniungunt*.

Iniungunt elicui e codicum scriptura *iunguntur*, comparo autem VI 22, 3. Tunc enim actus maximos, tunc procurationis officia, tunc *iniungunt* alienae substantiae facultatem.

Némethy requirit *infligunt* (p. 70).

VI 31, 89. Si Iuppiter et Mars in MC. partiliter fuerint inventi, et in III. ab horoscopo loco Mercurius et Venus aequata sint partium societate coniuncti, VIII. vero ab horoscopo locum Saturnus teneat, Sol vero sit in Geminis, Luna autem aut in domo sua aut in altitudine sua sit posita, hoc decretum heroem [*virum fortem*] homicidamque perficiet, qui victrici dextra acervos hostium eximia eorum strage perficiat.

Manifestum glossema delevi. Cf. infra VII 23, 11.

Digitized by Google

VI 40, 3. Nunc qui primis caerimoniis initiati ad ipsum secretorum limen accessimus, intento animo reliqua debemus audire, ne in fastidio auribus constitutis et ista respuentibus dicta, errantium tractatuum *pereuntes* sententias ingeramus.

Fortasse genuina lectio est: *pertenues* scntentias ingeramus. *Pertenues* autem sententias dico male intellectas, ita ut praecepta et argumenta prope falsa, quasi errantia videantur. Locum perdifficilem sic Batave verto: wij moeten het overige aandachtig volgen, opdat wij niet, terwijl wij ons te voornaam voelen en die woorden versmaden, het voorgedragene onvoldoende opnemen, zoodat het betoog onjuist lijkt.

Némethy ad hunc modum verba tradita corrigere conatus est: *venerandorum* tractatuum *perennes* sententias (p. 71 sq.).

VII 2, 10. Si dominus geniturae in tropicis signis fuerit inventus, et in his signis constitutus in pigris et deiectis locis positus, et eum Luna diametra radiatione respiciat, malivolae vero stellae aut per quadratum aut per diametrum Lunae aequata partium societate iungantur, hi qui nati fuerint aut in mari aut in fluvio proiecti statim interibunt. Si vero benivolae stellae testimonium commodarint, aut ⟨*horis paucis aut*⟩ paucis diebus nutriti proiciuntur.

In codicibus *horis paucis* videtur corruptum esse in *horoscopus*.

VII 15, 2. Si locus coniugis partiliter conputatus in domo Mercurii ceciderit, Mercurius vero in cardine constitutus in masculino sit signo, puerorum amatores efficiet, sed tales qui numquam feminarum coitus *libidinis* saltem cupiditate desiderent.

Pro librorum scriptura *velint* auctori reddidi *libidinis*, ut eundem genetivi inhaerentiae assequerer qui invenitur VII 16, 2 (aut inpura *libidinis cupiditate* iungantur); cf. etiam IV 6, 4; IV 13, 4 cet.

VII 19, 2. Sed et si Luna aut in masculino signo fuerit inventa, aut certe in Leone vel in Virgine vel in Capricorno, et Sol in masculino signo sit, aut in his in quibus diximus signis, Saturnus vero aut in cardinibus sit positus, aut in XII. ab horoscopo loco, nec virgini ⟨*vir*⟩ nec mulieri ⟨*liberi*⟩ decernuntur.

Digitized by Google

Vides quas voces inserendas censeam.

Némethy locum sic refinxit: nec virgines nec pueri decernuntur (scilicet mulieribus) p. 74.

VII 21, 1. Cum Luna in cardinibus posita in eisdem sit signorum partibus, quae sine pilo sunt, aut in Sagittario Luna sit constituta, malivolae vero stellae aut in solidis aut in tropicis sint signis, in quibus partiliter vitiorum locus et valitudinis invenitur, calvos efficient. Hoc idem malivolarum stellarum radiatione pulsatus.

Patet in ultima „enuntiatione" et subiectum et praedicatum excidisse, quocirca post *idem* lacuna statuta suppleo: Hoc idem ⟨*Sol facit*⟩ malivolarum e. q. s. Saepe in libris vox *Sol* repraesentatur circulo parvo, in cuius medio punctum est positum. Haec nota non raro a librariis praetermissa est. Post *radiatione pulsatus* nolo ullum verbum addere ne perdam optimam clausulam.

VII 23, 11. Si vero cum Marte Luna in VII. ab horoscopo loco fuerit inventa, *haemorroicos* faciet interire. Sed generaliter Saturnus in nocturna, Mars in diurna genitura in VII. ab horoscopo loco constituti haemorragias *id est sanguinis eruptiones* efficient.

Verba *id est..... eruptiones* glossema olent, praecedit enim *haemorroicos* sine interpretatione Latina. Vide supra ad VI 31, 39.

VIII, 16, 1. In Aquarii parte XII. oritur Aquila. Quicumque in ortu huius sideris nati fuerint, ex caede hominum et ex spoliis habebunt vitae subsidia. Capient etiam feras pariter et domabunt. Erunt praeterea fortes militares, quorum virtute atque praesidio bellorum metuendi impetus sopiuntur. Erunt sane tanta virtute, ut nudo *praediti* pectore hostes sequantur, ut ad laudem suam *prospere* credant, si mortem secura animositate contempserint.

Vix est dubium quin *prospere* depravatum sit ex *properare se*. Némethy dubitat de verbo *praediti*, sed vis huius vocis apud auctores aetatis posterioris interdum paene nulla est cf. Apul. Metam. IX 15 auribus grandissimis *praeditus* cuncta

Digitized by Google

longule etiam dissita facillime sentiebam; Sidon. Apoll. Ep. II 10, 2 dicto pareo; nam *praeditus* es quamquam iuvenis hac animi maturitate, ut tibi etiam natu priores gerere morem concupiscamus cet. In his exemplis possis *praeditus* omittere salva sententia. Cf. Tac. Ann. 4, 58 ceteri liberalibus studiis praediti.

VIII 27, 9. In XXVII. parte Sagittarii quicumque habuerint horoscopum, in desertis locis morientur. Si vero Mars in ipsa parte fuerit inventus, erunt oligochronii infelices, *sed qui* plaga morientur.

Pro *quidem*, quod codices exhibent, substitui *sed qui*, cum saepissime hac coniunctione Firmicus explicationem addat substantivis adiectivisve, quae praecedunt; e. g. VIII 6, 1 erit gubernator nauclerus navicularius, *sed qui* per omne vitae suae spatium marinis optet semper actibus inplicari; VIII 6, 5. Nascuntur etiam ex hoc sidere pastores ovium, *sed qui* fistula rustici carminis dulces modos dicant; VI 9, 12; VIII 7, 5.

Plerumque coniunctivum adsciscit *sed qui*, verum indicativum deprehendimus VIII 33, 2. Quapropter filiis tuis trade, quia illos a prima aetate ad omne officium virtutis instruxisti, et tuis trade amicis, *sed quos* tibi fida amoris necessitudo *coniungit*, quos *scis* exempla tuae virtutis imitari; IV 19, 22 cet.

In fine fere operis sui Firmicus Mavortium, cui Matheseos libros dedicavit, sic alloquitur:

VIII 33, 2. Tu vero praecedenti admonitione conventus et religiosa iurisiurandi auctoritate commonitus, hos libros puro animo ac pura mente custodi; ne inperitis auribus et sacrilegis animis scientia istius operis intimetur. Celari se et abscondi ab initio voluit *fid his rerum*, et plurimis se tegumentis natura divinitatis abscondit, ne esset facilis accessu, ne cunctis patefacta maiestatis suae origine panderetur.

Vestigia illa *fid his rerum* facile nos ducunt ad veram lectionem *vis siderum*, cf. I 7, 13 stellarum vim (= IV 22, 20 et V 7, 1); II 29, 10 antisciorum vis (= II 29, 20) cet.

Digitized by Google

II.

Observationes grammaticae.

Ne acta agam silentio praetereo, quae Groehl l. l. exposuit.

Memorabilem genetivum offendimus:

III 11, 3. Per noctem si sic fuerint inventi (sc. Mercurius et Mars), faciunt *malae mentis*, malitiosos obscuros timidos inaudaces [1]) et qui in omnibus actibus decipiantur.

Ad genetivum qualitatis *malae mentis* facile subaudimus *homines*, sicut Arnob. I 16 cur ibidem annonaria caritate non tantum *corporis non nostri*, verum etiam Christianos ditiores et locupletissimos reddiderunt?

Idem cadit in Tacit. Ann. I 41 pergere ad Treveros et externae fidei (i. e. homines externae fidei) [2]).

De praepositionibus.

Circa in Matheseos libris saepe vices obit praepositionis *de* e. g. III 4, 26 bonus erit *circa* vitam et gloriam; V 1, 30 *circa* uxorem et filios miseris infortuniis laborabit cet.

Itaque intellegimus hanc praepositionem frequenter usurpari in circumlocutionibus e. g.

IV 19, 33 valitudines *circa* oculos (= oculorum);

IV 19, 35 vitia *circa* oculos;

VIII 30, 4 *circa* muliebres concubitus semper inpatiens.

Retro semel accusativum adsciscit III 6, 33 *retro* Solem collocata; cf. Apul. Metam. VI 8 *retro* metas Martias.

De adverbiis.

Adverbium *peregre* Firmicus semel coniungit cum praepositione *de* nempe III 4, 14 cito *de peregre* revocabitur ad patriam (Roensch p. 234 citat modo: *in peregre* et *a peregre*.

Abante (Francogallice: avant) quater occurrit; affero haec exempla II 22, 3 dextrum trigonum est, quod ab eo signo, a quo incipimus, retro est, sinistrum vero, quod *abante*;

VI 32, 34 Si vero simili modo Venus *abante* fuerit et in signis posterioribus Mercurius e. q. s.

---

1) *Inaudaces* recepi cum Sittlio pro tradita lectione *et audaces*.

2) Vide quae exposui Mnemos. 48 (1920) p. 99.

Digitized by Google

De gradatione.

In infinitum auget vim positivi e. g. III 6, 22 infamis erit *in infinitum*; nonnumquam autem comparativi e. g. VI 3, 4 *in infinitum* superiores patris dignitate perficiet.

Observandum est bis ablativum pendentem a comparativo, cuius vim auget *in infinitum*, adsciscere praepositionem *a* nempe IV 8, 1 erunt autem *a* parentibus in infinitum inferiores et VI 23, 7 et talia ei felicitatis insignia decernunt, ut in infinitum *a* parentibus suis omni genere melior existat.

Comparanda sunt de err. prof. rel. XXIV 4 lucidior *a* solito dies; XXV 4 clarius *a* caeli sideribus promiserat regnum (cf. Schmalz p. 385 Anm. 3).

De pronominibus.

Nonnumquam *idem* et *is* vix inter se differunt e. g.

VII 21, 1. Cum Luna in cardinibus posita in *eisdem* sit signorum partibus, quae sine pilo sunt, aut in Sagittario Luna sit constituta e. q. s.

Hic manifesto *eisdem* valet *iis*.

Etiam *ipse* et *is* aliquotiens eandem habent vim e. g.

VII 23, 24. Si vero Mercurius cum uno *ipsorum* fuerit inventus, et Luna aut cum *ipsis* sit, aut *eos* quadrata vel diametra radiatione respiciat e. q. s.

Ut plenius confusionem pronominum legentibus ostendam, laudandus est locus, ubi *eius* positum est pro *suas* nempe

I 3, 7. Qui vero quaerere aliquid aut audire noluit nec iudicium aurium suarum vera respondentibus commodavit veritus scilicet, ne rigidas *eius* cogitationes fides veritatis infringeret, inique facit.

Postremo addamus I 7, 30 *sine aliqua dubitatione* (dictum pro *sine ulla dubitatione*).

De variatione modorum.

In interrogatione indirecta interdum adhibetur indicativus e. g.

I 7, 26. Respice, quotiens laceratis patriae visceribus civili sanguine cruentatur (sc. Sulla).

II 11, 1. Hoc autem quo proficit, brevi definitione monstramus.

Saepius tamen coniunctivus ponitur in interrogatione obliqua, satis habeo afferre:

Digitized by Google

II 11, 2 quae signa in quibus climatibus et quo tempore oriantur, hac ratione monstramus.

Sed qui vulgo coniunctivum requirit (cf. exempla allata supra VIII 27, 9) e. g. IV 19, 18. Facit (Venus domina geniturae) pictores *sed qui* integras corporum similitudines pingant; VII 23, 22; VIII 19, 4).

VII 20, 8. Si vero in tropicis signis constituti (sc. Saturnus et Mars) hac se radiatione respexerint, caducos efficiunt, *sed qui* nulla possint ratione sanari. (ibid. § 14).

Minus saepe, *sed qui* coniungitur cum indicativo, praeter exemplum supra (ad VIII 27, 9) commemoratum laudo IV 19, 22 faciet (sc. Mercurius) poetas, *sed quorum* carmina fulgido gratiae splendore nobilitantur.

Valde memorabile variationis exemplum invenitur IV 19, 23. Si vero Venus dominium nacta in deiectis vel in pigris locis fuerit inventa, in Saturni loco vel domo vel in finibus etiam Saturni, et Luna in cardinibus geniturae posita per noctem ad Saturnum minuta, per diem vero ad Martem feratur plena luminibus, faciet inpuros inpudicos libidinosos et qui adsiduis calamitatum casibus *implicantur* et qui ex istis amorum cupiditatibus publica *pulsentur* infamia vel qui propter inlicitas cupiditates vel adulterii crimen publici discriminis periculis *implicentur*. Ergo ponitur et indicativus et coniunctivus eiusdem verbi (*implicantur..... implicentur*)!

De variatione temporum.

Praesens et futurum iam promiscue adhiberi luculenter declarat hoc exemplum:

I 2, 4. Ergo Scytharum rabiem numquam *mitigat* Iuppiter, nec Italis Sol aliquando *denegabit* imperia, nec levitati Graecorum Saturni stella pondus *imponit*, nec Asiana lascivitas sobria Iovis moderatione *corrigitur*, nec Siculorum acumen frigido ortu aliquando Saturni *obtundetur*, nec Syrorum avarities lascivis Veneris radiationibus *temperatur*, nec Afrorum malitiosa commenta et bilingues animos salutare Iovis sidus *impediet*, nec Hispanorum iactantiam pigram *poterit* Saturni lumen hebetare, nec Gallicam stoliditatem Mercurii sapientissimum sidus *exacuet*.

Digitized by Google

Itàque quattuor praesentia quinque futuris respondent. Adiungamus alterum exemplum:

VI 29, 10. Aut enim ferarum morsu consumpti artus miseris lacerationibus *dissipantur*, aut *facient* per praecipitia iactari, aut corpus cadentium culminum ruinis *opprimitur* e. q. s.

Etiam atque etiam coniunguntur *faciet..... facit* (III 6, 28; IV 8, 2; IV 11, 9); VI 3, 11 *facient.... faciunt*; IV 7, 2 *faciet... reddit* cet.

De gerundio.

Gerundium dignum quod commemoretur, invenimus I 2, 8 Frustra habes, o bone vir, dilectum bonarum rerum ac malarum fugiendi cupiditatem (cf. Schmalz p. 444 § 178).

De coniunctionibus. [1])

Praeter *quatenus* identidem positum sensu *quomodo*, frequens usus coniunctionis *sed* [2]), quae explicationem addit iis quae praecedunt, conspicuus est. Illud bene illustravit Groehl (l.l. p. 38), qui tamen de particula *sed* tacet. Affero:

VII 23, 28. Si vero sic his omnibus ordinatis Saturnus et Luna in quadratis eorum vel in diametris locis fuerint inventi, spoliatores templorum efficiunt, *sed* qui ob hoc publica morte plectantur. Quodsi his sic ordinatis Iuppiter et Venus cum ipsis fuerint inventi, sacerdotes profetas neocoros efficiunt *sed* et ipsos biothanata morte pereuntes;

VIII 17, 5 erunt piscatores *sed* magnorum piscium; VII 17, 3 (erunt) medici *sed* qui herbis medelas hominibus pecoribusque conponant; VIII 19, 4 cet. Cf. etiam quae enumeravi supra ad VIII 27, 9.

De clausulis.

In universum generatimque concedendum est Firmicum bonas clausulas adhibuisse. Inservit autem clausulis formandis et particula *que* (cf. Ziegler Ind. Verbor. p. 511) et genetivus inhaerentiae e. g. vinculis catenarum (I 7, 37 = VIII 17, 2);

---

1) Attendamus constructionem *quis dubitat quod* (I 5, 9), qua utitur et Salvianus (vide Mnemos. 52 (1924) p. 133). *Idoneus* ut occurrit I 3, 8.

2) Significat *und zwar* cf. Kühner-Stegmann II p. 77.

Digitized by Google

substantiae facultates (VIII 6, 14); in tanta licentia potestatis (IV 21, 4). His igitur locis auctor optimam clausulam (cret. et troch.) assecutus est.

Ceterum totum huius scriptoris inflatum genus dicendi non sine bonis clausulis efficitur:

VI 26, 6 alienarum mulierum concubitus prono desiderans cupiditatis ardore;

VI 4, 2 affluentium divitiarum copiosa praesidia;

V 3, 55 cum magnifica divitiarum fuerint affluentia copiosi.

Interdum forma insolita utitur hic auctor clausulae gratia I 7, 12. Is (sc. Pythagoras) patriam fugiens totamque Graeciam ad aliena primum *transivit* imperia (nunc adeptus est creticum et trochaeum, cuius prima syllaba soluta est).

Peccavit tamen Firmicus tres trochaeos adhibens in clausula VIII 30, 4 in prima aetate biothanatus sine filiis peribit.

Verum satis magnus est numerus clausularum heroicarum, quarum minimam tantum partem affero:

III, 9, 8 depereuntes;

IV 19, 22 nobilitantur;

VI 1, 3 adsociantur;

VI 31, 69 dedecoretur.

Ceterum in polysyllabis [1]) aliquatenus clausula heroa excusari potest, sed ea omnino improbanda est hisce locis:

III 6, 6 uxorum mortibus viduantur.

VI 15, 4 assiduis laborum..... continuationibus fatigari.

VIII 25, 8 capti morientur.

VIII 26, 3 a bestiis morietur; (ibid. percussi morientur).

VIII 26, 7 a bestiis laceratus morietur.

VIII 27, 6 biothanatus morietur.

VIII 28, 5 morte repentina morietur.

VIII 29, 1 in aqua morietur.

VIII 30, 8 strangulati morientur.

Dimidiatus hexameter reperitur:

VIII 19, 2 morte sua morietur (redit VIII 19, 5 et VIII 25, 4).

VIII 19, 3 morte sua moriuntur.

De industria fortasse Firmicus semel *detinebat* scripsit pro

1) Vide Mnemos. 52 (1924) p. 153.

Digitized by Google

retinebat, ut clausulam heroam vitaret nempe I 7, 28 senex exoletus (Sulla) in aliena aetate flagitia corporis detinebat.

De allitterationibus.

Ut scriptor rhetoricus nimis Firmicus indulsit allitterationibus (VI 31, 14 ssssss; VIII 1, 1 pppp; I 7, 31 dddd). Non raro allitteratio coniuncta est cum παρηχήσει e. g.

V Praef. 5 divina dispositione dividitur.

VII 11, 9 malos malignos malitiososque perficiet.

I 1, 7 ut contradicentium contentiosa commenta cunctis hominibus panderentur.

Scribendum igitur erit:

I 7, 18 *in*providus et incautus,

IV 19, 23 inpuros *in*pudicos; nam scribitur:

VI 30, 15 inpuri et inpudici coitus vota,

et VI 3, 11 ab omni inpudicitiae inpuritate sepositos.

Recte mirari possis VI 23, 6 primum scribi *imbutos* et duobus versibus infra *inbuti*.

De formis minus usitatis.

Legitur I Praef. 4 unde *oriundo* sum (quam formam C. F. W. Mueller defendit).

Persaepe utitur Firmicus participio *absconsus*, at forma legitima legitur VII 23, 25 *absconditis* litteris. Substantivum *absconsores* deprehenditur III 7, 8; III 9, 1.

Crebro hic auctor ablativum comparativi in *i* exeuntem usurpat e. g.

Superiori VI 22, 3; VII 21, 8; inferiori VI 10, 3 et 7; posteriori VIII 3, 5; ampliori VI 27, 2; breviori I 4, 7; minori VI 23, 7; potiori VI 35, 1 cet.

Neque tamen desunt formae usitatiores e. g. de loco superiore (VII 23, 3) cet.

Bis auctori placuit participium ponere *secati* (VII 21, 8); bis *secti* (VII 23, 12).

Omnes codices exhibent VIII 7, 2 *torquantur*, alibi occurrunt formae vulgares.

Spiculatores exaratum est IV 11, 4 et VIII 26, 6 aliis locis *speculator*. Variant libri manuscripti etiam inter *vindicare* et

Digitized by Google

vendicare (VI 12, 9); procul dubio pronuntiatio illius vocalis ambigua erat.

Confrangetur invenitur VII 20, 5.

Denique superlativo *saepissimus* bis utitur hic auctor: III 10, 2 saepissima oratione et VI 32, 19 saepissimis rationibus.

Consentaneum est in Firmici Matheseos libris non pauca verba locutionesque deprehendi propria sermonis plebeii, quorum in numero habenda sunt haec adiectiva pronominalia:

totus (praeditum sensu *omnis*) e. g. II 24 tota membra; IV 17, 3 totae partes; IV 17, 4 totas partes; totum quicquid I 10, 1; III 3, 21 cet.

tanti significans *tot* e. g. I 5, 5 in tantis milibus hominum;

quanti significans *quot* II 8, 4 quantis a Sole stellae partibus recedentes;

quantacumque significans *quotcumque* VII 5, 2 quantacumque signa a Marte recesserit.

His addendum est adiectivum *grandis* V 4, 20 grandes fluvios V 1, 34 grandis divitiarum cumulus.

Locutio *in summa*, quam libertini in cena Trimalchionis semper in ore habent, occurrit I 7, 13. In summa tibi respondendum est e. q. s.

Imperativi futuri adhibentur pauci: investigato IV 17, 3; dicito III 25, 4 cet.

Aliquotiens participium praesens coniungitur cum verbo substantivo e. g.

V 1, 11 erit semper res bonas appetens et desiderans;

I 4, 9. Haec (sc. Luna) enim cum vicina Soli sive crescens sive deficiens fuerit e. q. s.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. C. NABER, M. C. VALETON, I. VAN WAGENINGEN.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM PRIMUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1923.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Liber Hippocraticus ΠΕΡΙ ΚΑΡΔΙΗΣ, scripsit F. C. UNGER. .	1—101
De Euripidis Supplicibus. Conradi Kuiperi disputationem ad perpetuam viri praestantissimi servandam memoriam latine vertit et hic inserendam curavit, I. I. HARTMAN	102—128
Statii Goethiique concentus, P. H. D.	128

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

K. Kuiper, over de jongst ontdekte fragmenten van den sophist Anthiphon . . . . . *f* 0.40
H. van Gelder, iets over de Grieksche eigennamen. „ 0.60
K. Kuiper, over de Smeekelingen van Euripides. . „ 0.40

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Feestbundel Prof. Boot, Verzameling van wetenschappelijke bijdragen den 17den Augustus 1901 Prof. Dr. J. C. G. Boot aangeboden bij gelegenheid van zijn negentigsten geboortedag door eenige vrienden en oudleerlingen. gr. in-4°. . . . . - 6.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°. . . . . - 5.—.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae 8°. . . . - 1.75.

H. T. Karsten, De Commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione. 8°. . . . . - 2.20.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

Tp 71.



MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. C. NABER, M. C. VALETON, I. VAN WAGENINGEN.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM PRIMUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1923.

Digitized by Google

INDEX

Pag.

Ad Sophoclis Oedipum regem, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF . . . . . 367—375
Ad Ibidem, scripsit I. I. H. 375
Observationes Criticae in Ciceronis Academica, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 376—380
Observationes variae in Somnium Scipionis, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 381—389
Tertulliani adversus Marcionem in librum quartum animadversiones, (Continuantur ex pag. 261), scripsit PETRUS CORSSEN . . . . . 390—411
De Dinone Colophonio Nepotis in vita Datamis Auctore, scripsit I. H. THIEL. . . . . 412—414
Animadversiones (in papyros nonnullas graecas), scripsit A. G. ROOS. . . . . 415—420
Conservationes Quattuor in Papyrum „Rylanus" LXXVII, scripsit B. A. VAN GRONINGEN. . . . . 421—434
De C. Julio Prisco (Addendum), scripsit A. G. ROOS . . . 435
Ad Plutarch Moralia, scripsit A. J. KRONENBERG A. I. fil. . 436—448

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

K. Kuiper, over de jongst ontdekte fragmenten van den sophist Anthiphon . . . . . *f* 0.40

H. van Gelder, iets over de Grieksche eigennamen. „ 0.60

K. Kuiper, over de Smeekelingen van Euripides. . „ 0.40

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . . f 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Feestbundel Prof. Boot, Verzameling van wetenschappelijke bijdragen den 17den Augustus 1901 Prof. Dr. J. C. G. Boot aangeboden bij gelegenheid van zijn negentigsten geboortedag door eenige vrienden en oudleerlingen. gr. in-4°. . . . . - 6.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°. . . . . - 5 —.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae 8°. . . . - 1.75.

H. T. Karsten, De Commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione. 8°. . . . . - 2.20.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (f 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

Stanford Library
FEB 6 1924

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. C. NABER, M. C. VALETON.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM SECUNDUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1924.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
De Propertii Eleg. I 21, scripsit P. H. DAMSTÉ	1—7
Ad Propertii I 3 vs. 16, scripsit P. H. DAMSTÉ	8
Sophocles, scripsit Ioh. P. POSTGATE	9—26
Sophoclei chori persona tragica, (continuantur ex vol. LI[i], pag. 326), scripsit IGN. ERRANDONEA, S. I.	27—60
Ad Plutarchi Moralia, (continuantur ex vol. LI, pag. 448), scripsit A. J. KRONENBERG A. I. fil.	61—112

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

K. Kuiper, over de jongst ontdekte fragmenten van den sophist Anthiphon . . . . . *f* 0.40

H. van Gelder, iets over de Grieksche eigennamen. „ 0.60

K. Kuiper, over de Smeekelingen van Euripides. . „ 0.40

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Feestbundel Prof. Boot, Verzameling van wetenschappelijke bijdragen den 17den Augustus 1901 Prof. Dr. J. C. G. Boot aangeboden bij gelegenheid van zijn negentigsten geboortedag door eenige vrienden en oudleerlingen. gr. in-4°. . . . . - 6.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°. . . . . - 5.—.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae 8°. . . . - 1.75.

H. T. Karsten, De Commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione. 8°. . . . . - 2.20.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM SECUNDUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1924.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
In Memoriam IANI VAN LEEUWEN I. fil.	
Vita, Satiram composuit I. I. Hartman	337—348
Ad Platonem, scripsit I. A. FITZ HERBERT	348
De Terminalibus, Regifugio, mense intercalari, scripsit H. I. ROSE	349—357
Archilochus Eratostheni comparatus, scripsit I. VAN IJZEREN.	358—376
Donatea, scripsit L. RANK	377—404
Sophoclei chori persona tragica (Continuantur e pag. 328), scripsit IGN. ERRANDONEA S. I.	405—412
Ad Thucydidem, scripsit FITZ HERBERT	412
Propertiana (Ad Lib. III), scripsit P. H. DAMSTÉ.	413—427
Firmiciana, scripsit C. BRAKMAN I. f.	428—448

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Kalendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

K. Kuiper, over de jongst ontdekte fragmenten van den sophist Antiphon. . . . . *f* 0.40

H. van Gelder, iets over de Grieksche eigennamen. „ 0.60

K. Kuiper, over de Smeckelingen van Euripides. . „ 0.40

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . ƒ 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Feestbundel Prof. Boot, Verzameling van wetenschappelijke bijdragen den 17den Augustus 1901 Prof. Dr. J. C. G. Boot aangeboden bij gelegenheid van zijn negentigsten geboortedag door eenige vrienden en oudleerlingen. gr. in-4°. . . . . - 6.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°. . . . . - 5 —

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae 8°. . . . - 1.75.

H. T. Karsten, De Commenti Donatiani ad Terenti fabulas origine et compositione. 8°. . . . . - 2.20.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (ƒ 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

CECIL H. GREEN LIBRARY
STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD, CALIFORNIA 94305-6004
(650) 723-1493
grncirc@sulmail.stanford.edu
All books are subject to recall.

DATE DUE

JAN 8 2001
FEB 0 1 2001

Digitized by Google

Mnemosyne. n.s.vol.51-52. 1923-1924.

337620

	DATE	NAME	DATE

337620

Digitized by Google

Stanford University Libraries
3 6105 013 479 634